

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

ENARRATIONES

IN EVANGELIUM MATTHÆI (I-XX)

B. ALBERTI MAGNI,
RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,
OPERA OMNIA,

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA SUORUM
OPERUM A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISATA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

AUGUSTI BORGNET,

Sacerdotis diœcesis Remensis.

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII.

VOLUMEN VICESIMUM

ENARRATIONES IN EVANGELIUM MATTHÆI (I-XX)



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM,
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

—
MDCCCXCIII

D. ALBERTI MAGNI,
RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,
IN EVANGELIUM
SECUNDUM MATTHÆUM
LUCULENTA EXPOSITIO

PROLOGUS.

Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis. Isa. viii, 1.

« Sume » a me factum, et a me apertum. Ezechiel. ii, 9 : *Et vidi : et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber : et expandit illum coram me. Daniel. vii, 10 : Libri aperti sunt. Apocal. v, 1 : Vidi in dextera sedentis super thronum, librum, scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. Et, infra, v. 9 : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, etc. Ideo sumptio motus est ad sumentem a porrigente alio. Non ergo intellectu tuo penetra : sed in captivitate redige omnem intellectum in obsequium Christi ¹, ut dicas : *Lingua meas calamus scribæ, velociter scribentis* ². Matth. x, 20 : *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, etc. Job, xxxii, 8 : Ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. II Petr. i, 21 : Non voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Non ergo irrumpe, sed a Spiritu sancto sume, et a dextera sedentis super thronum : attendens quod qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria* ³. Joan. xiv, 26 : *Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.**

¹ II ad Corinth. x, 5 : *In captivitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, etc.*

² Psal. xlii, 2.

³ Proverb. xxv, 27.

Nec sume alii, ut ad aliū referas librum : sed « *Sume tibi* » incorporandum, quærens quod ædificet te primum, et ex te alios. Ezechiel. II, 8 : *Comede quæcumque ego do tibi*. Et, Ezechiel. III, 2 : *Cibavit me volumine illo*. Jerem. xv, 16 : *Inventi sunt sermones tui, et comedi eos*. Deuter. VIII, 3 : *Non in solo panē vivit homo, sed in omni verbo*, etc ¹. Apocal. x, 10 : *Accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum : et erat in ore meo tamquam mel dulce, et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus*, hoc est, cordis affectus propter peccati indignationem.

« *Librum* » scilicet Matthæum, qui est liber generationis Jesu Christi. Nehemiæ, seu II Esdræ, VIII, 3 : *Aures omnis populi erant erectæ ad Librum*.

« *Grandem,* » grandia continentem. Zachar. v, 2 : *Video volumen volans : longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum*. Longitudo ab imo superius : quia inferius et superius sunt principia longitudinis, ut dicit Aristoteles ². Ima sunt assumptio generationis hominis et formæ servi. Ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, etc. Summa autem sunt consessus ad dexteram Patris. Continetur autem hic generatio duplex : materialis ex genealogia, et formalis ex opere Spiritus sancti et conceptu Virginis. Manifestatio duplex subjungitur : una facta Regibus, et alia per testimonium Joannis : deinde Baptismus subditur, et postea tentatio : deinde prædicatio, cui subjungitur Discipulorum vocatio : et postea sermo in monte, qui totus est de impletionem legis per Evangelicam perfectionem : cui annectuntur in fine effectus quos sermo habet in observantibus eundem, qui sunt decem. Sequitur autem hic omnium horum per miracula confirmatio, Apostolorum electio, et eorumdem instructio : cui subjungitur potestas clavium, et præsignatio futuræ beatitudinis per transfigurationem : et postea ostenditur modus perveniendi ad illam per humilitatem, et libertatem, et per patientiam re missionis in nos peccantibus, et castitatem, et obedientiam, et alias virtutes, quæ omnia computantur pro uno : et hæc omnia sequitur instructio de futuro judicio tam ex parte judicis quam ex parte judicandorum, et excidii mundi quod ante judicium futurum est : cui subjungitur sacramentum redemptionis per Passionem : deinde Resurrectionis cum apparitionibus factis : et tandem vigesimum, quod longitudinem libri complet, consessus ad dexteram Dei Patris. Latitudo autem decem cubitorum : quia per latitudinem totam docentur in eo bona in genere, et bona gratiæ : bona virtutis, præcepti, consilii, supererogationis : variata littera sive historia, tropologia, allegoria, et anagogia. Baruch, IV, 28 : *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum convertentes requiretis eum*. Isa. XXXIV, 16 : *Requirite diligenter in libro Domini, et legite : unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsit*.

¹ Cf. Matth. IV, 4.

² ARISTOTELES. Lib. II de Cælo.

« *Et scribe in eo.* » Contra, Job, xxxi, 35 : *Librum scribat ipse qui judicat.*
 RESPONSIO, Joan. v, 46 : *De me ille scripsit.* Deus enim scribit in corde. Jerem.
 xxxi, 33 : *In corde eorum scribam eam.* Matthæus et alii in charta. Psal. xlv,
 2 : *Lingua mea,* etc. Unde primas tabulas Deus, secundas autem homo scribit.
 Apocal. i, 11 : *Quod vides, scribe in libro.*

« *Stylo hominis,* » quia faciem sumpsit Christus humanitatis. Baruch, iii, 38 :
In terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Joan. i, 14 : *Verbum caro*
factum est, et habitavit in nobis. Ad Philip. ii, 7 : *In similitudinem hominum fa-*
ctus, et habitu inventus ut homo. Ad Hebr. ii, 17 : *Debuit per omnia fratribus si-*
milari, ut misericors fieret. Vel, « *stylo hominis,* » hoc est, ad intellectum homi-
 nis ut facile intelligat homo. Isa. viii, 16 : *Liga testimonium, signa legem in*
discipulis meis. Habacuc, ii, 2 : *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut*
percurrat qui legerit eum. Nehemiæ, viii, 3 : *Esdras sacerdos legit in eo,* scili-
 cet in libro, *aperte in platea quæ erat ante portam Aquarum, de mane usque ad*
mediam diem, in conspectu virorum, et mulierum, et sapientium. I ad Corinth.
 ii, 4 : *Sermo meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ*
verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.

Argumentum Sancti Hieronymi in Evangelium secundum Matthæum.

Matthæus ex Judæa, sicut in ordine primus ponitur, ita Evangelium in Judæa primus scripsit : cujus vocatio ad Deum ex publicanis actibus fuit.

Duorum in generatione Christi principia præsumens, unius cujus prima circumcisio in carne, alterius cujus secundum cor electio fuit : ex utrisque enim patribus Christus. Sicque quaterdenario numero triformiter posito, principium a credendi fide in electionis tempus porrigens, et ex electione usque in transmigrationis diem dirigens, atque a transmigrationis die usque in Christum definiens, decursam adventus Christi ostendit generationem : ut numero satisfaciens et tempori, et se quid esset ostenderet, et Dei in se opus monstrans, etiam in his quorum genus posuit, Christi operantis a principio testimonium non negaret.

Quarum rerum omnium tempus, ordo, numerus, dispositio vel ratio, quod fidei necessarium est, Deus Christus est. Qui factus est ex muliere, factus sub lege, natus ex Virgine, passus in carne, omnia in cruce fixit : ut triumphans ea in semetipso resurgens in corpore, et patris nomen in patribus filio, et filii nomen patri restituatur in filiis, sine principio et sine fine, ostendens se unum cum Patre esse, quia unus est.

In quo Evangelio utile est desiderantibus Deum, sic propria vel media vel perfecta cognoscere : ut et vocationem Apostoli, et opus Evangelii, et dilectionem Dei in carne nascentis per universa legentes intelligant, atque id in eo in quo apprehensi sunt et apprehendere appetunt, recognoscant.

Nobis enim hoc in studio argumenti fuit, et fidem rei factæ tradere, et operantis Dei intelligendam diligenter esse dispositionem quærentibus non tacere.

ARGUMENTI S. HIERONYMI IN MATTHÆUM EXPLANATIO.

Matthæus ex Judæa, sicut in ordine primus ponitur, ita Evangelium in Judæa primus scripsit : cujus vocatio ad Deum ex publicanis actibus fuit.

Primo tangit Scriptoris ad scribendum idoneitatem : secundo, materiam et circumstantias scripti : tertio, finem.

Idoneitatem ostendit ex quinque : ex nomine, « Matthæus, » qui *donator consilii* interpretatur propter arcanorum scribendorum revelationem. I ad Corinth. II, 12 : *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Eccli. VI, 6 : *Consiliarius sit tibi unus*

de mille, qui videlicet ab eo vocatus est, qui vocatur *Admirabilis, consiliarius*¹ : vel, secundum Septuaginta : « Magni consilii Angelus. » Hujus enim præsigium fuit, quod in conversione mutato nomine, Matthæus dictus est. Isa. lxxv, 15 et 16 : *Servos suos vocabit nomine alio : in quo qui benedictus est super terram benedicetur in Deo amen.*

Secundo, describit ex loco nativitatis, qui præsignat scripturam salutis. Joan. iv, 22 : *Salus ex Judæis est.* Psal. lxxv, 2 : *Notus in Judæa Deus.* Baruch, iv, 4 : *Beati sumus, Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* Notitia igitur ad Scriptoris auctoritatem refertur.

Tertio, tangit ordinem ex loco : ex quo enim salus est ex Judæis, rationabiliter in Judæa scribitur primo Evangelium salutis. Psal. cxiii, 2 : *Facta est Judæa sanctificatio ejus.* Si enim contradici debuit, ubi res certa fuit, debuit aut reprobari, aut confirmari. Act. iv, 14 : *Hominem videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.* Ideo hoc ordine utitur loquens Apostolis, Act. i, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Primum ergo in Judæa : et ideo dicit, « in Judæa Evangelium primus scripsit » Act. xiii, 46 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.*

Quarto, secundum ordinem sententiæ, (licet tertium sit secundum ordinem litteræ) tangit ordinem Evangelistæ, cum dicit : « Sicut in ordine primus ponitur. » Ratio hujus est, quia aliæ facies aliorum faciei hominis (quæ est Matthæi) circumponuntur : et ita quasi subjecta ad alias præponitur. Ezechiel. i, 10 : *Facies hominis in eis.* Quod de nulla aliarum facierum dicitur, quia aliæ huic quasi circumponuntur. Unde etiam inter alias

facies hæc ad anteriori convertebatur : ut licet Marcus scribat leonis faciem in Resurrectione, et Lucas vituli in Passione, et Joannes aquilæ in Ascensione, tamen hæc omnia in facie hominis sunt patrata : et ideo prior in ordine est facies hominis secundum naturam.

Adhuc, naturaliter habet faciem hominis : alias autem per metaphoram. Jerem. xxxi, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum.* Cujus est facies hominis, non leonis, vel alterius. Psal. lxxxvi, 5 : *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.*

Sed contra? Augustinus in libro de *Concordia Evangelistarum* : « Mihi videntur probabilius aliquid attendisse, « qui hominem in Matthæo, leonem in Marco, vitulum in Luca, aquilam in Joanne intellexerunt. » Respondeo. Augustinus non loquitur quoad faciem secundum substantiam, sed quoad proprietatem tribus regalis per quam descendit : sicut dicitur, Apocalyps. v, 5 : *Vicit leo de tribu Juda.* Omnes autem alii sancti de substantia faciei loquuntur, quam convertit ad homines anteriori : quæ est hominis nati ex hominibus, et humana inter homines exhibens et patiens : quilibet enim Evangelistarum faciem sibi propriam convertit ad homines in principio suæ scripturæ, sed hominis facies anteriori convertitur. Ezechiel. x, 22 : *Intuitus eorum, et impetus singulorum ante faciem suam ingredi.*

Quinto, tangit ex gratia congruentiam scripturæ. Cujus vocatio, infra, ix, 9. Cf. Luc. v, 27, et Marc. ii, 14. Quæstibus enim inhians terrenis nescit intelligere cœlestia sacramenta, quæ conversus intelligit per gratiam. I ad Corinth. ii, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi.* Et sequitur, x, 15 : *Spiritualis autem judicat omnia,* etc. Baruch, iii, 23 : *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ et Theman, et fa-*

¹ Isa. ix, 6

bulatores, et exquisitores prudentiæ et intelligentiæ : viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus. Agar advena interpretatur, et significat extraneos in Dei secretis, licet sint sapientes in mundanis. Ad Galat. I, 13 et 16 : *Cum placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, ... ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini.* Ad Philip. III, 7 et 8 : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitrator ut stercora, ut Christum crucifariam, etc.* Publicanus dicitur a publico : quia illi qui publicis tributis, vectigalibus scilicet præerant, dicebantur *publicani*. Non autem a Publio dicitur, ut quidam male dicunt, quia ante Publium multi publicani dicebantur : et ideo, infra, IX, 9, *in telonio sedere* dicitur. Τέλος autem Græce, Latine sonat *vectigal*, quod publice et his qui publica gerebant officia, solvebatur in stipendia pro Republica manutenenda. Licet autem hæc utiliter solvantur pro pace communi : propter quod dicitur, ad Roman. XII, 7 : *Cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal* : tamen qui his præponuntur plerumque per angarias et rapinas faciunt, et homines concutiunt. Luc. III, 12 et seq. : *Venerunt et publicani, scilicet ad Joannem, ut baptizarentur, et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus ? At ille dixit ad eos : Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis faciatis. Interrogabant autem eum et milites, scilicet qui et reipublicæ militabant et stipendia accipiebant, dicentes : Quid faciemus et nos ? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.*

Duorum in generatione Christi principia præsumens, unius cujus prima circumcisio in carne, alterius cujus secundum cor electio fuit : ex utrisque enim patribus Christus.

Hic tangit circa materiam et circa circumstantias scripti tria : a quibus videlicet inchoat, et qua ratione.

Quoad naturam enim corpulentæ substantiæ, semota lege concupiscentiæ, inchoat ab Abraham, cujus circumcisio præsignat concupiscentiæ præcisionem in eo quod assumptum est a Christo : quia aliter non prodesset ad medicinam. Genes. XVII, 14 : *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Et, ibidem, §. 10 : *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te.*

Quoad regnum autem, quod sanatos et redemptos introduxit, inchoat a David. Ad Coloss. I, 13 : *Transtulit nos in regnum filii dilectionis suæ.* Et ideo secundum cor eligitur ¹, ut per hoc regnum immobile significetur. Ad Hebr. XII, 28 : *Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam per quam serviamus placentes Deo.*

Hæc ostendunt promissiones. Quæ enim facta est ad Abraham, est : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ* ² : quod exponit Apostolus, ad Galat. III, 16 : *Semini tuo, qui est Christus* : eo quod corpulentam substantiam sine causa maledictionis (quæ lex concupiscentiæ est) assumpsit. Ad David autem, Psal. CXXXI, 11 : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Luc. I, 32 : *Dabit illi Dominus Deus sedem David, patris ejus.* Isa. IX, 7 : *Super solium David, et super regnum ejus sedebit, etc.* Isa. XVI, 5 : *Præ-*

¹ Cf. I Reg. XIII, 14, et I Reg. XVI, 13; Act. XIII, 22.

² Genes. XXII, 18.

parabitur in misericordia solium ejus, et sedebit super illud, etc. Ad hæc enim duo venit Christus : ut scilicet curaret naturam assumendo et patiendo, et introduceret in regnum resurgendo et ascendendo. Et hoc dicit ratio sequens :

Sicque quaterdenario numero trifor-
miter posito, principium a credendi
fide in electionis tempus porrigens, et
ex electione usque in transmigratio-
nis diem dirigens, atque a transmigra-
tionis die usque in Christum definiens,
decursam adventus Domini ostendit
generationem : ut numero satisfaciens
et tempori, etc.

Secundo, tangit genealogiæ decursum,
dicens : « Sicque quaterdenario numero
triformiter, » hoc est, in tribus formis, se-
cundum tres dignitates quibus regebatur
antiquus populus, patriarcharum, regum,
pontificum. A patriarchis natura corpul-
entæ substantiæ descendit, quæ in regi-
bus ad regnum permanens exaltata fuit :
et a regibus in captivitatem deficiens,
per pontifices redempti gubernati sunt.
Sicut Christus corpulentam substantiam
accepit, quam in regnum permanens
exaltavit : et oblatione simul et officio
sacerdotis secundum ordinem Melchise-
dech populum a captivitate redemit : et
ideo dicit, *triformiter* : formam patriar-
charum, et regni, et pontificatus innuens.
De primo, ad Hebr. ii, 16 : *Nusquam enim
Angelos apprehendit, sed semen Abraham
apprehendit.* De secundo, Isa. xxxii, 22 :
*Dominus legifer noster, Dominus rex
noster : ipse salvabit nos.* De tertio,
ad Hebr. ix, 11 : *Christus assistens ponti-
fex futurorum bonorum, etc.*

Et hoc est quod sequitur : « Princi-
pium, etc. »

Tertio, subjungit horum rationem, di-
cens : « Et numero satisfaciens, » posito
videlicet in genealogia patrum, qui ter-

minatur secundum formam per tesseræ-
decades.

Tessera est quadratum, et decas est
denum : quia ex quatuor digito, et decem
articulo componitur.

Et quatuor quidem quadrifidam mortem
a qua redempti sumus, significat : trans-
gressionem videlicet legum naturæ, Moysi,
gratiæ, et mortem gehennæ : vel, mortem
transgressionis præceptorum, experientiæ
in paradiso, naturæ in mundo, decalogi, et
legis gratiæ : aut mortem culpæ, pœnæ,
naturæ, et gehennæ. Aut, quia in qua-
tuor plagis mundi dispersi sunt redi-
mendi. Aut, quia per quatuor Evangelia
instruendi de Redemptore. Aut, quia qua-
tuor habitibus informandi hi qui redi-
muntur : habitu videlicet virtutis, doni
sancti Spiritus, beatitudinum quas in
hoc libro docet, infra, v, 3-12, et fructuum
Spiritus quos tangit Apostolus, ad Gal-
lat. v, 22 et 23 : *Fructus autem Spiritus
est : caritas, etc.* De donis tangit, Isa. xi,
2 : *Requiescet super eum Spiritus Do-
mini.* De virtutibus tangit, Luc. xxiv, 49 :
*Sedete in civitate, quoadusque indua-
mini virtute ex alto.* De quatuor Evan-
geliis, Genes. ii, 10 : *Et fluvijs egredie-
batur de loco voluptatis ad irrigandum
paradisum, qui inde dividitur in quatuor
capita.* De quatuor plagis mundi, Ezechiel.
xxxvii, 9 : *A quatuor ventis veni, spiri-
tus, et insuffla super interfectos istos, et
reviviscant.* De quatuor mortibus, Da-
niel. vii, 2 : *Ecce quatuor venti cæli
pugnabant in mari magno.* In magna
amaritudine impugnat culpa vento ten-
tationis : pœna, vento fluiditatis, quia per
illam ventus est vita nostra : mors na-
turæ, vento exsufflationis, tunc enim im-
mittit se contra navim vitæ ventus typho-
nicus confringens eam : mors autem
gehennæ pugnat vento tempestatis.
Psal. x, 7 : *Ignis, et sulphur, et spi-
ritus procellarum, pars calicis eo-
rum.* Et hæc quatuor de natura sua
habet ventus. Spirat enim in aura,
fluit in aeris commotione, exsufflat in-
venta, et impugnat obviantia. Transgres-

siones legum significantur, Joel, 1, 4 : *Nunc reducam captivitatem Jacob*, etc. *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit ærugo*. Eruca in vigore, præceptum disciplinæ sive experientiæ consumptum inobedientia : locusta saltans in vigore naturæ, transgressio legis sive præcepti naturæ : bruchus incidens et omnia devorans, transgressio legis scriptæ : quia, *occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est omnem concupiscentiam* ¹. *Ærugo* autem quasi æris rubigo, prævaricationem signat legis et præcepti gratiæ : hoc enim comburitur in seipso, sicut dicit Psalmus LXXIX, 17 : *Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt*. Aut, quatuor significat quadrangulos in virtutibus cardinalibus per quas fit congruitas ad redemptionem. Prudentia rationem rectam eligibilium ad vitam habet medium, temperantia medium in passionibus innatis, fortitudo autem in passionibus illatis, justitia vero in commutandis cum proximo vel distribuendis proximo medium habet æquale damni et lucri. Sapientiæ, VIII, 7 : *Sobrietatem, sive temperantiam, et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem*, hoc est, fortitudinem, *quibus utilius nihil est in vita hominibus*.

Decem autem referuntur ad decalogum præceptorum ².

« Tempori » autem satisfacit, distinguendo tempus peregrinationis Patrum terminatum ad patriam, Regum ad captivitatem, captivitatis ad redemptionem. De primo, Genes. xv, 13 : *Scito prænosces quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua*. Et sequitur, v. 16 : *Generatione quarta revertentur huc*. De secundo, Thren. iv, 20 : *Spiritus oris nostri, Christus, Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in Generationibus*. De tertio, Ezechiel. xxxix, 25 :

Nunc reducam captivitatem Jacob, etc.

Et se quid esset ostenderet, et Dei in se opus monstrans, etiam in his quorum genus posuit, Christi operantis a principio testimonium non negaret.

Tertium est in quo tangitur finis. Tangitur autem quadruplex finis : finis scilicet Evangelistæ, finis Evangelii, finis legentium in Evangelio, et finis Hieronymi scribentis hunc Prologum.

Finis Evangelistæ triplex. Primus : « Ut et se quid esset ostenderet, » hoc est, in qua figura Evangelistarum : faciem enim hominis ad nos convertit. Secundus : « Et Dei in se opus, » quo de publicano fecit Apostolum et Evangelistam ³. Ad Roman. v, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia*. Isa. xli, 27 : *Primus ad Sion dicet : Ecce adsunt, et Jerusalem evangelistam dabo*. Ad Ephes. iv, 11 et seq. : *Ipse dedit, scilicet in Ecclesia, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores : ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, etc. Tertio, tangit opus Christi in patribus, cum dicit : « Etiam in his quorum genus, etc. »

In Patribus autem Christus triplex opus perfecit : figuris videlicet salutem præsignando. Ad Hebr. x, 1 : *Umbram habens lex futurorum bonorum*. I ad Corinth. x, 11 : *Omnia in figura contingebant illis*. Medicinam peccati propagando : licet enim per omnes generationes usque ad Christum exclusive, tam lege concupiscentiæ quam corpulentæ substantiæ fieret propagatio, tamen fide et devotione non intendebant nisi corpulentam substantiam in Christum propagare : et hoc fuit opus Christi. Quæcum-

¹ Ad Roman. vii, 8.

² Cf. Exod. xx, 3-18.

³ Cf. Infra, ix, 19.

que enim generatio legem concupiscentiæ sequebatur, reputabatur inutilis : quia corpulentæ substantiæ propagatio fuit de prima institutione humani generis, quæ de cælo in paradiso est instituta : et de hac accepit Christus, Joan. iii, 31 : *Qui de cælo venit, super omnes est.* Glossa de altitudine humanæ naturæ. Alii legem concupiscentiæ sequente eiciuntur. Genes. xxi, 10 : *Ejice ancillam hanc et filium ejus.* Sapient. iv, 3 : *Multigena impiorum multitudo non erit utilis, et spuria vitulamina non dabunt radices altas,* etc. E contra, de aliis primam institutionem sequentibus dicitur, Tob. xiii, 20 : *Beatus ero si fuerint reliquæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem.* Sapient. iv, 1 : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Proverb. v, 19 : *Cerva charissima, et gratissimus hinnulus.* Aristoteles dicit quod cervæ fugiens accipit semen : significans castos fugientes concupiscentiam in seminis propagatione : unde Patriarcharum proprium fuit homo dictum. Tob. viii, 9 : *Tu scis quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum.* Tertium opus fecit Christus in Patribus, promissa complendo et juramenta verificando. Ad Hebr. vi, 13 : *Abrahæ promittens Deus,* etc. Ibidem, x. 17 et 18 : *Volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus, qui confugimus,* etc. Luc. i, 73 : *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum,* etc. Ibidem, x. 55 : *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula.* II Machab. i, 2 : *Beneficiat vobis Deus, et meminerit testamenti sui quod locutus est ad Abraham, et Isaac, et Jacob, servorum suorum fidelium.* Psal. cix, 4 : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum,* etc.

Quarum rerum omnium tempus, ordo, numerus, dispositio vel ratio, quod fidei necessarium est, Deus Christus est.

Ecce finis Evangelii. Et hic tria tangit : quæ scilicet sunt ad finem unum : et quis est finis : et quæ est intentio ulterior quam consequitur fine habito. Alius enim est finis operis, et alius est finis intentionis : sicut lignarii fabri finis operis est domus, finis autem intentionis est defensio ab imbribus et caumatibus, qua gaudent hi qui domum inhabitant.

Ea quæ sunt ad finem sunt « rerum omnium » quæ scribuntur in Evangelio « ordo, » scilicet sacramentorum : quia generatio est ante regenerationis sacramentum : et post, victoria contra diabolum : et post, vocatio ministrorum : et post, illuminatio per doctrinam agendorum et credendorum et appetendorum : et post, sanatio ægrorum, et confortatio debiliu : et deinde, institutio officiorum : et post hæc, instructio eorum quæ ad actus officiorum pertinent : et sic venit ad redemptionem et glorificationem. I ad Corinth. xiv, 40 : *Omnia... secundum ordinem fiant,* scilicet in vobis. Psal. xlvii, 14 : *Distribuite domos ejus, ut enarretur,* etc. III Reg. x, 4 et 5 : *Videns regina Saba... ordines ministrantium,... non habebat ultra spiritum Judicum,* v, 20 : *Stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnauerunt.*

« Numerus » est eorum quæ in ordine ponuntur. Sapient. xi, 21 : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* Psal. cxlvi, 4 : *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat,* hoc est, micantium sacramentorum.

« Dispositio » refertur ad Sacramentorum in Evangelio contentorum qualitatem : non enim rudia proponit, sed disposita propriis formis et materiis et ritu. Psal. lxxxviii, 4 : *Disposui testamentum electis meis,* etc. Sapient.

vii, 29 : *Sapientia est super omnem dispositionem stellarum.* Sapient. viii, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*

« Vel ratio, » quæ refertur ad causas : sapientis enim est nihil sine causa facere, quia aliter essent opera vacua. Sapient. xiv, 5 : *Ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera.* Job, v, 6 : *Nihil in terra sine causa fit,* etc.

« Quod fidei necessarium est. » Hic tangit finem, et dicit duo : tangit enim finem, et adjungit ea per quæ finis ipse consequitur intentionem, quæ est finis ultimus. Finis est, « quod fidei necessarium est, Deus Christus est : » quia aliter vacua esset fides : quia non salvat nisi fides in Deum. Luc. vii, 50 : *Fides tuate salvam fecit.* Matth. xv, 28 : *Magna est fides tua : fiat tibi sicut vis.* Ad Hebr. xi, 1 : *Est autem fides sperandarum substantia rerum.* Et, ibidem y, 39, dicitur, quod omnes testimonio fidei probati inventi sunt¹. Marc. ix, 22, dicitur : *Omnia possible sunt credenti.* Nec sunt possible omnia, nisi credenti omnipotentiam in eo in quem credit : et hoc non est nisi in Deo. Luc. i, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Qui factus est ex muliere, factus sub lege, natus ex Virgine, passus in carne, omnia in cruce fixit : ut triumphans ea in semetipso resurgens in corpore, et patris nomen in patribus filio, et filii nomen patri restituatur in filiis, sine principio et sine fine, ostendens se unum cum Patre esse, quia unus est.

Quatuor dicit : primum, materiale principium. Ad Galat. iv, 4 : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium*

¹ Ad Hebr. xi, 39 et 40 : *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repositionem : Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non*

suum factum ex muliere, factum sub lege, etc. « Factus » dicit : quia factio active est a principio agente extrinsecus, quod de substantia sua nihil ponit in facto : et sic Spiritus sanctus egit in conceptu Filii Dei : et ideo non est pater ejus secundum carnem, sicut dixit Helvidius. Joan. i, 14 : *Verbum caro factum est.* Ad Roman. i, 3 : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* « Ex muliere » autem dicit : non propter mollitiem, sed propter sexum et materiam.

« Factus sub lege². » Ecce secundum. Primum pertinet ad naturam, secundum ad veritatem exhibitam. Et sub lege est sicut veritas sub umbra præfigurante : implevit enim legem sicut contentum implet continens vacuum. Infra, v, 17 : *Non veni solvere legem, sed adimplere.*

« Natus de Virgine. » Ecce tertium quoad modum nativitatis sine lege concupiscentiæ. Isa. vii, 14 : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Et hic dicit, « natus, » quia Virgo non fecit, sed de sua substantia generavit eum. Luc. i, 34 : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* Ideo dicitur Filius hominis, non hominum : quia non est natus ex commistione seminum, sed ex sanguine Beatæ Virginis. Ezechiel. xlii, 2 : *Porta hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est peream.*

« Passus in carne » Ecce quartum pertinens ad redemptionem³. I ad Corinth. xv, 5 : *Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas.*

« Omnia in cruce fixit. » Ecce finis intentionis. Et dicit quatuor intentia. Primum, quod est peccati destructio per Passionem. Ad Coloss. ii, 13 et 14 : *Et vos cum mortui essetis in delictis, et*

sine nobis consummarentur.

² Ad Galat. iv, 4, loco supra citato.

³ Cf. Infra, xxvi et xxvii.

præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta : delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. Ad Galat. II, 19 et 20 : *Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam : Christo confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus.* I Petr. II, 24 : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, etc.*

« Ut triumphans ea in semetipso resurgens in corpore. » Ecce secundum, quod est triumphus per plenam justificationem adeptio per Resurrectionem Christi. Ad Roman. VI, 23 : *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Ad Coloss. II, 15 : *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

« Et patris nomen in patribus filio. » Attende, quod quia patris semen est operativum et formativum, ideo semper natura simile sibi in sexu et aliis dispositionibus generaret, nisi aliquis defectus materiæ impediret, qui plerumque est in materia ex parentibus. Et si Adam in similitudine imaginis Dei in qua factus erat perstitisset incorruptus, semine sano et incorrupto ad similitudinem illam genuisset : sed cum cecidit, ad dissimile primæ imaginis genuit : et ita nomen veri patris amisit, et nomen corruptoris obtinuit. Ad Ephes. II, 3 : *Eramus natura filii iræ.* Psal. XVII, 46 : *Filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis,* hoc est, a viis generationis institutæ naturæ. Eadem ratione filii veræ filiationis amiserunt nomen et rationem : et dicti sunt *filii alieni*, non primi patris. Sed Christus restituens primam similitudinem, restituit nomen patris patribus, et nomen filii filiis : et hoc scribit Matthæus. Et ideo hoc totum factum est Filio operante, in nulla parte primo genitori dissimili. Ad Roman. VIII, 29 et 30 : *Quos præscivit, et prædestina-*

vit conformes fieri imagini Filii sui..., hos et vocavit. Rationabile autem est hoc, ut per filium verum et naturalem, ad similitudinem primi patris reducantur filii iræ qui per adoptionem sunt, « et » primo « patri » filii veri « nomen in filiis » adoptionis « restituatur. » Psal. LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Non enim essent ex filiatione dii vocati, nisi ad Dei Patris similitudinem, in qua institutus fuit protoplastus, essent reducti. Ad Galat. IV, 6 : *Quoniam estis filii, Dei scilicet, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem : Abba, Pater.* Joan. XX, 17 : *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum,* etc. Hoc igitur est tertium quod intendit efficere in nobis. Et est similitudo Patris, in qua protoplastus generasset si perstitisset.

« Sine principio. » Ecce quartum quod est causa præcedentium. Nullum horum effecisset, nisi ostenderet se unum esse cum Patre, et « sine principio et sine fine. » Apocalyps. I, 8 : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis.* Id enim quod vere principium est, est sine principio : et id quod vere finis est, sine fine est, etc.

« Unum esse cum Patre. » Joan. X, 30 : *Ego et Pater unum sumus.* Hoc autem esse non posset, nisi « unus » in persona « esset » Dei et hominis Filius. Per hoc enim hominis Filius similis est Patri sicut Dei Filius : et ideo similitudinem filiis gratiæ valet in Spiritu sancto restituere. Joan. XVII, 21 : *Rogo... ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Et iterum, X, 23 : *Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* I Joan. III, 2 : *Charissimi, nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, hoc scilicet quod erimus ex Dei filiatione, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

In quo Evangelio utile est desiderantibus Deum, sic propria vel media vel perfecta cognoscere : ut et vocationem Apostoli, et opus Evangelii, et dilectionem Dei in carne nascentis per universa legentes intelligant, atque id in eo in quo apprehensi sunt et apprehendere appetunt, recognoscant.

Ecce finis legentium et studentium in Evangelio. Dicit autem hic duo, scilicet, qualiter studendum est, et quis fructus studii.

Modus autem studii, sive qualiter studendum : quia in desiderio Dei. Psal. CIV, 4 : *Quærite faciem ejus semper.* Isa. XXVI, 8 : *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ.*

« Sic propria vel media. » Ecce fructus studii, et est duplex : secundum cognitionem videlicet, et secundum affectionem.

Secundum cognitionem duo sunt attendenda : littera videlicet, et litteræ intentio.

In littera tria sunt cognoscenda : prima videlicet quæ pertinent ad humanitatis assumptionem, media quæ sunt ad vocatorum illuminationem, perfecta quæ pertinent ad illuminatorum redemptionem et glorificationem. In primo, Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est.* In secundo, Joan. I, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* In tertio dixit : *Consummatum est*¹. Joan. XVII, 4 : *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.*

Vel, prima sunt historialia : media autem sunt allegorica construentia fidei veritatem, et tropologica ædificantia ad virtutem : perfecta autem sunt analogica ad æternam elevantia felicitatem. Proverb. XXX, 4 : *Quatuor sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapien-*

tibus. Quatuor enim expositiones Scripturæ minimæ sunt propter humilitatem.

Litteræ autem intentio est, ut ex scripto cognoscamus quam mirabilis est vocatio Apostoli, qui ex Publicano vocatus est ad thronum majestatis inter animalia Dei. Apocalyps. IV, 6 : *In circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro.* I Reg. II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem : ut sedeat,* etc. Et ex hac materia cognoscamus « opus Evangelii, » in operatione nostræ salutis, in assumptione, verbo, opere, passione, et resurrectione. Et ex causa cognoscamus « dilectionem Dei in carne nascentis. » Nihil enim induxit ad hoc nisi dilectio. Joan. III, 16 : *Sic Deus dilexit mundum,* etc. Jerem. XXXI, 3 : *In caritate perpetua dilexi te.* Deuter. XXXIII, 3 : *Dilexi populos, omnes sancti in manibus illius sunt.*

« Atque id in eo in quo apprehensi sunt, etc. » Ecce fructus secundum affectionem. « Ut recognoscant id in quo apprehensi sunt, » et in eadem dilectione pro captu suo apprehendant. Ad Philip. III, 12 : *Sequor autem, si quo modo comprehendam in quo et comprehensus sum a Christo Jesu.*

Nobis enim hoc in studio argumenti fuit, et fidem factæ rei tradere, et operantis Dei intelligendam diligenter esse dispositionem quærentibus non tacere.

Ecce finis argumenti Hieronymi, in quo duo tangit : facit enim mentionem intentionis, et dicit intentum.

Argumentum fuit id quod arguit mentem, et arctavit in transferendo : et non accipitur proprie nisi sit ab auctoritate : quia illud argumentum est infallibile in Evangelio, quia fundatur super veritatem æternam. Job, XXIX, 22 : *Verbis meis ad-*

¹ Joan. XIX, 30.

*dere nihil audebant, et super illos stil-
labat eloquium meum.*

« Et fidem factæ rei tradere. » Ecce
intentum : et dicit duo, scilicet, fidem
factæ rei tradere quoad historiam. Apo-
calyps. xxii, 6 : *Hæc verba fide-
lissima sunt, et vera.* Proverb. viii, 8 :
*Justi sunt omnes sermones mei, non
est in eis pravum quid, neque perversum.*
Deuter. xxxii, 4 : *Deus fidelis, et
absque ulla iniquitate, etc.*

« Et operantis Dei. » Ecce secundum :
modus et dispositio Dei perficientis Evan-
gelica sacramenta. Dispositio autem Dei
est : quia spontanee, gratis, ex dilectione,

sufficienter salutem est operatus. De
primo, Isa. liii, 7 : *Oblatus est quia ipse
voluit.* Psal. liii, 8 : *Voluntarie sacri-
ficabo tibi.* De secundo, infra, x, 8 : *Gra-
tis accepistis, gratis date.* Isa. lv, 1 :
*Emite absque argento, et absque ulla
commutatione vinum et lac.* De tertio,
Cantic. v, 1 : *Comedite, amici, et bibite,
et inebriamini, charissimi.* De quarto,
Isa. v, 4 : *Quid est quod debui ultra
facere vineæ meæ, et non feci ei*¹ ?

Hoc igitur studuit « non tacere. »
Litote², hoc est, asserere : quia minus
dicit, et plus significat.

¹ Cf. Mich. vi, 3.

² Liptote figura olim dicta litotes. (NOT. EDIT.

D. ALBERTI MAGNI,
DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI,
IN EVANGELIUM MATTHÆI
LUCULENTA EXPOSITIO.

CAPUT I.

*A quibus majoribus Christus secundum carnem descenderit. Angelus instruit
Joseph de Mariæ sponsæ suæ conceptione, partuque futuro.*

- | | |
|---|--|
| 1. Liber generationis Jesu Christi,
fili David ¹ , filii Abraham. | Phares autem genuit Èsron ⁶ .
Èsron autem genuit Aram. |
| 2. Abraham genuit Isaac ² .
Isaac autem genuit Jacob ³ .
Jacob autem genuit Judam et fra-
tres ejus ⁴ . | 4. Aram autem genuit Aminadab.
Aminadab autem genuit Naas-
son .
Naasson autem genuit Salmon. |
| 3. Judas autem genuit Phàres et
Zaram de Thamar . | 5. Salmon autem genuit Booz de
Rahab. |

¹ Luc. III, 31.

² Genes. xx, 3

³ Genes. xxv, 25.

⁴ Genes. xxix, 35.

⁵ Genes. xxxviii, 29 ; I Paralip. II, 4.

⁶ Ruth, IV, 18 ; I Paralip. II, 5.

⁷ Numer. VII, 12.

- Booz autem genuit Obed ex Ruth ¹.
 Obed autem genuit Jesse.
 Jesse autem genuit David regem ².
 6. David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ ³.
 7. Salomon autem genuit Roboam ⁴.
 Roboam autem genuit Abiam ⁵.
 Abias autem genuit Asa ⁶.
 8. Asa autem genuit Josaphat.
 Josaphat autem genuit Joram.
 Joram autem genuit Oziam.
 9. Ozias autem genuit Joatham ⁷.
 Joatham autem genuit Achaz ⁸.
 Achaz autem genuit Ezechiam ⁹.
 10. Ezechias autem genuit Manassen ¹⁰.
 Manasses autem genuit Amon ¹¹.
 Amon autem genuit Josiam ¹².
 11. Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigracione Babylonis ¹³.
 12. Et post transmigracionem Babylonis,
 Jechonias genuit Salathiel.
 Salathiel autem genuit Zorobabel.
 13. Zorobabel autem genuit Abiud.
 Abiud autem genuit Eliacim.
 Eliacim autem genuit Azor.
 14. Azor autem genuit Sadoc.
 Sadoc autem genuit Achim.
 Achim autem genuit Eliud.
 15. Eliud autem genuit Eleazar.
 Eleazar autem genuit Mathan.
 Mathan autem genuit Jacob.
 16. Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.
 17. Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim : et a David usque ad transmigracionem Babylonis, generationes quatuordecim : et a transmigracione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.
 18. Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto ¹⁴.
 19. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.
 20. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.
 21. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus JESUM : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ¹⁵.
 22. Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem :
 23. Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus ¹⁶.
 24. Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam.
 25. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum : et vocavit nomen ejus Jesum.

¹ Ruth, iv, 21.² Ruth, iv, 22 ; I Reg. xvi, 1.³ II Reg. xii, 24.⁴ III Reg. xi, 43.⁵ III Reg. xiv, 31.⁶ III Reg. xv, 8.⁷ II Paralip. xxvi, 23.⁸ II Paralip. xxvii, 9.⁹ II Paralip. xxviii, 27.¹⁰ II Paralip. xxxii, 33.¹¹ II Paralip. xxxiii, 20.¹² II Paralip. xxxiii, 25.¹³ II Paralip. xxxvi, 1 et 2.¹⁴ Luc 1, 27.¹⁵ Luc. 1, 31 ; Act. iv, 12.¹⁶ Isa. vii, 14.

IN CAPUT I MATTHÆI

ENNARRATIO.

« Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham¹. »

« Liber. »

Hic Evangelista librum suum intitulat, quod sit de generatione Jesu Christi : faciem hominis in principio libri ad nos convertens.

Dividitur autem iste totalis liber in titulum, et in tractatum.

In titulo autem fit mentio de quatuor : de forma, de materia, et cui attribuitur generatio quæ est materia libri, et a quibus est ortus ipsius, quia ab Abraham, et a David. Est autem in titulo oratio ecliptica, et sic supplenda : Iste est liber generationis, etc.

Sed tunc incidit quæstio : quia cum *titulus* dicatur a *τίτλον* græce², quod est *radius*, eo quod irradiat totum opus de quo fit, iste videtur, inconveniens esse titulus : quia non totus liber est de generatione, nec etiam major pars ipsius.

Adhuc, cum Lucas expressius dicat modum generationis et annuntiationis, et consequentia generationem, sicut Circumcisionem, et Ipapantin³ : potius suum Evangelium intitulandum erat : *De Generatione*.

Adhuc, Joannes scribit de utraque Verbi generatione. Iste autem non nisi de una. Potius ergo Joannis Evangelium *de generatione* est intitulandum.

Si dicas, quoniam Matthæus scripsit Judæis, quibus moris erat a principiis librorum intitulare libros, et ideo morem

gessit eis a prima parte librum intitulans : videtur solutio nulla, quia fundatur super falsum. Hebræi enim quando a principiis librorum libros intitulant, eandem prosequuntur materiam per totum : sicut patet in *Genesi*, in quo toto de generatione creaturarum et patrum intenditur : et *Exodo* in toto continetur exitus de Ægypto. Et de his quæ facta sunt in exitu, et sic de aliis. Unde librum Regum non ita intitulant, nec Isaiaë, nec alios multos. Ergo nec iste a principio libri librum intitulabit, nisi per totum aliquo modo de materia generationis Jesu Christi prosequatur.

Si quis autem dicat materialiter esse dictum, ut sit liber generationis, hoc est, geniti Jesu Christi : hoc nihil esse videtur, quia sic idem titulus erit omnium Evangelistarum.

Adhuc, dignior est generatio æterna quam temporalis : et sic Joannis Evangelium loquens de æterna generatione, *De generatione* debuit intitulari.

RESPONSIO ad primum : quia titulus iste conveniens, et ad totum refertur librum. Quia regeneratio causatur et rationem trahit a generatione, eo quod tactu mundissimæ carnis genitæ vim regenerativam contulit aquis : sacramenta enim Christi non accipiuntur passive ut facta tantum, sed ad hoc sunt facta, ut faciant in nobis. Et ideo generatio Christi tangitur facta, ut in nobis perficiat generationem (alias, regenerationem). Et ideo post generationem Christi, statim in hoc libro tangitur de regeneratione. Sed quia regeneratio non operatur nisi in vocatis et illuminatis, et virtutem efficiendi trahit a Passione et Resurrectione, ideo subjungitur ea quæ pertinent ad doctrinam, quæ format regenerandos, et ea quæ pertinent ad passionem et resurrectionem, quæ perficiunt. Et ideo totaliter liber concluditur in exercitio rege-

¹ Synopsis Evangelica : Matth. I, 1-17, Luc. III, 23-38.

² Vel melius a *τιταίνω*, tendere, protendere

(*Τεν, ρ.*); vel etiam græcum nomen *τίτλος* venit a latine *titulus*.

³ Scilicet Præsentationem in templo.

nerationis, cum dicitur capite ultimo, xxviii, 19 : *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. Et iste est modus tractandi in divinis, ubi sacramenta Ecclesiæ trahunt vigorem a sacramentis quæ Christus fecit in seipso. Et sic titulus ad totum respicit : et facies hominis secundum totum librum Matthæo convenit.

Ad id quod inducitur de Luca, dicens, quod Lucas de generationis sacramento non agit, sed quædam tangit quæ in generatione fuerunt : quæ omnia conveniunt secundum faciem Dei potius quam secundum faciem hominis. Annuntiatio vero tota, et quod virtus Altissimi et Spiritus sanctus superveniunt, non dicunt faciem hominis, sed potius faciem Dei in homine. Et hoc facit ad acceptabilitatem hostiæ potius quam ad generationem hominis secundum hominis faciem : quia ex hoc quod Deus est oblatus, valuit plus in satisfaciendo quam Adam abstulerat peccando, scilicet Præsentatio in templo ad oblationem pertinet, et etiam Circumcisio : eo quod in Circumcisione non fiebat regeneratio, sed infans Deo per signum dicabatur. Et ideo Matthæus nihil horum ponit. Genealogia etiam quam ponit Lucas, non est ut innotescat generatio hominis, sed potius ut removeatur mala suspicio quæ fuit de Christo, quod putabatur esse filius Joseph ¹, cum ipse esset Dei Filius in homine : sic patet consideranti verba Lucæ. Et ideo Lucas ostendens faciem vituli, nullo modo intitulari debuit *de generatione*.

Quod autem inducitur de Joanne, non valet : quia ille loquitur de divina generatione, nec tangit de humana, nisi ea tenus quæ causatur a divina. Et hæc est ineffabilis. Isa. liii, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit ?* Et ideo ab illa intitulari non potuit.

Ad hoc autem quod dicitur, quod ac-

cipiatur materialiter de Christo genito : videtur dicendum, quod hoc est verum, sed est de Christo genito, in quantum est genitus : et sic de ipso non loquuntur alii Evangelistæ.

Per dicta autem patet solutio ad omnia quæsita. Primum ergo quod tangit in titulo, est forma, cum dicit « *Liber.* » Per modum enim libri describit hoc quod dicit Matthæus, quia ad memoriam æternam scribitur quod hic dicitur. Apocal. i, 11 : *Quod vides, scribe in libro : et mitte septem Ecclesiis.* Baruch, iv, 1 : *Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum.* Job, xix, 23 et 24 : *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei ? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice ? Exarationem dicit propter profundationem in cor : stylo ferreo, propter dominationem auctoritatis divinæ, quæ domat intellectum. Lamina plumbi planitiem sensus historici cum gravitate mysterii incendit (alias, intendit). Sculptura in silice tenacem memoriæ significat impressionem. Unde Maximus dicit, quod « nihil aliud est « auctoritas nisi rationis reperta veritas, « et ob utilitatem posteritatis memoriæ « commendata. » Hoc significatur quod lex inscribitur lapidibus, qui fortiter et perpetuo tenent insculpta.*

« Generationis. »

Ecce secundum quod est materia. Et respondent nova veteribus : primus enim liber in Veteri Testamento de generatione est : et primus in Novo de generatione similiter. Sed illa tendit a similitudine Dei in regionem dissimilitudinis : hæc autem dissimilia reducit in Dei similitudinem. Isa. lxvi, 9 : *Numquid ego qui alios parere facio, ipse non parvam ? dicit Dominus : si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus*

¹ Luc. iii, 23 : *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph,*

qui fuit Heli, qui fuit, etc.

Deus tuus. Sapient. iv, 1 : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate !* Psal. xxiii, 6 : *Hæc est generatio quærentium eum*, scilicet Dominum, etc.

« *Generationis*, » passivæ in Christo, et activæ in nobis. Sed secundum hoc, termino semel posito utendum erit æquivoce. Sed dicendum, quod ex vi habitudinis quæ est inter rectum, et obliquum, notatur causa materialis et generatio passiva. Sed ex ipsa ratione nominis, quod est generatio Jesu Christi, notatur causa efficiens nostræ generationis. Isa. xlvi, 3 et 4 : *Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israel : qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo*, etc. Ideo Vicarius Christi dicit, ad Galat. iv, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

« *Jesu*, »

Scilicet Salvatoris, non perditoris. Sicut enim Adam decidens ab imitatione imaginis et similitudinis divinæ, genuit postea ad imaginem peccatoris, et non ad imaginem Dei (et hic liber describitur, Genes. v¹) : ita in reparatione ab imagine peccatoris, per generationem « *Jesu* » salvati restituimur imitationi imaginis et similitudinis Dei. Ad Coloss. iii, 9 et 10 : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum.* I ad Corinth. xv, 47 et seq. : *Primus homo, scilicet Adam, de terra, terrenus : secundus homo, scilicet Christus, de cælo, cælestis. Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cælestis, tales et cælestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis.* Et paulo ante dicitur, ibidem, 1. 22 : *Sicut in Adam omnes moriuntur,*

¹ Genes. v, 1 et seq. : *Hic est liber generationis Adam*, etc.

ita et in Christo omnes vivificabuntur. Est autem Jesus nomen naturæ dictum, non ideo quod actum non sonet, sed ideo quia ille actus non competit Christo nisi secundum naturam divinam : quia ex illa est valor pretii salutis, et ex illa virtus salvandi, et ex illa est effectus salutis, et in ipsa est ipsa salus. Infra, i, 21 : *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Habacuc, iii, 18 : *Ego autem in Domino gaudebo : et exultabo in Deo Jesu meo.* Eccli. xlvi, 1 et 2 : *Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel.* Act. iv, 12 : *Non est in aliquo alio salus : nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

« *Christi*, »

Scilicet uncti. Isa. lxi, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Ungens autem Pater, unctio deitas Spiritus Sancti, et unctum humanitas. Psal. xlv, 8 : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ*². Cantic. i, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Act. x, 38 : *Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute.* Ideo dicit Damascenus, quod « *Jesus* » sonat Deum humanatum, et *Christus* « hominem deificatum, quasi sibi obviantibus deitate et humanitate. Et « motum Dei in hominem dicit *Jesus* : « motum autem hominis in Deum dicit « *Christus*. » Cantic. i, 1 : *Osculetur me osculo oris sui.* Os enim Dei Verbum est, quod loquitur eum : osculum unio Verbi cum homine. Ideo dicitur *Christus* nomen officii, quia unctione sacrante officium Regis et Sacerdotis conferuntur.

² Cf. ad Hebr. i, 9.

Sicut et Christus Rex est et Sacerdos. Luc. I, 32 : *Regnabit in domo Jacob*. Isa. IX, 7 : *Multiplabitur ejus imperium*. Psal. CIX, 4 : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Ideo Melchisedech figura ejus, rex fuit et sacerdos ¹. Utrumque autem, regnum scilicet et sacerdotium per hæreditatem devolvebatur ad ipsum.

« Filii David, filii Abraham. »

Et ideo sequitur : « *Filii David* » propter regnum, et « *Filii Abraham* » propter sacerdotium, quia Abraham obtulit primum sacrificium, quod expressio et figura fuit ejus quod Christus obtulit seipsum. Genes. XXII, 2 : *Tolle filium tuum* : et Apostolus, ad Hebr. XI, 17 : *Abraham... unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones*. Sed quia prius est de positis legem ponere et in regnum congregare, quam redimere per oblationem, ideo anteponeitur « *Filii David*, » et subjungitur « *Filii Abraham*. » Rex enim se regem exhibuit, cum leges dedit et præcepta disposuit, et ordines officiorum distribuit. Quia Dionysius dicit, quod « Regnum est legis » et ordinis et boni distributio, » tamen secundum Hieronymum et Chrysostomum, alia est causa ordinis : ne videlicet cogatur repetere *Abraham*, quia si prius dixisset, *filiis Abraham*, iterato texens genealogiam, haberet dicere *Abraham*, et esset *David* interpositus, sicut discontinuans ordinem generationis. Prima autem ratio melior est.

Et secundum illam objicitur, quia deberet dicere : *Filii Melchisedech*, qui expressior est figura sacerdotii.

Sed ad hoc dicendum est, quod non est filius Melchisedech secundum humanitatem. Sed Melchisedech figura est, non

oblationis qua obtulit seipsum in ara crucis : sed quoad alia duo quæ suum circumstant sacerdotium, quorum unum est ritus usitatus in Ecclesia sive exercitium, alterum autem est duratio perpetua.

Præterea, Filio Dei secundum faciem Dei, non secundum faciem hominis assimilatur, in hoc quod est *sine patre, sine matre, sine genealogia* ².

Secundum Glossas, hi duo præmittuntur in titulo, quia ad eos principaliter facta est promissio, sicut patet ex præhabitis. Vel, quod unus fuit propheta et rex : alter autem propheta et sacerdos, quæ tria exhibuit Christus. Abraham enim propheta fuit, Genes. XX, 7 : *Redde viro suo uxorem, quia propheta est*. Ideo dicitur quod isti duo præmittuntur, sicut duæ columnæ stantes in foribus templi, quarum una vocabatur Jachin, et altera Booz ³ : circa quas inflexus fuit funiculus duodecim cubitorum, qui duodecim alios his (alias, habens) in prima tesserædecade significant duodecim Apostolos circa ostium Christum ⁴, implexos circa veritatem promissorum factorum patribus.

Sed tunc incidit quæstio de hoc, Quod cum duo nomina præmiserit in titulo, scilicet *Jesu, Christi*, induxit duos patres, ex quorum præfiguratione habet unum quod est nomen officii, et non induxit aliquem ex cujus præfiguratione haberet alterum quod est *Jesus*, cum tamen hoc possit inveniri. Genes. XLI, 43 : *Vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi*.

Sed ad hoc dicendum, quod duo exiguntur ad hoc, quod nomen ponatur in titulo. Unum, præfiguratio officii, sicut dictum est, et alterum est descensus per generationem. Et iste deficit in Joseph et Jesu Nave.

Adhuc, Actus Salvatoris non competit

¹ Cf. Genes. XIV, 18, et ad Hebr. VII, 1.

² Ad Hebr. VII, 3.

³ III Reg VII, 21 et seq. : *Et statuit rex Salomon duas columnas in porticu templi : cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomi-*

ne Jachin : similiter erexit columnam secundam, et vocavit nomen ejus Booz, etc.

⁴ Joan. X, 7 : *Dixit ergo eis iterum Jesus : Amen, amen dico vobis, ego sum ostium ovium*. Cf. etiam Joan. X, 1 et seq.

nisi naturæ divinæ : et ex illa genealogiam habere non potuit.

Adhuc, Iste actus vere hominibus non congruit, quia non vere salvant, sicut vere regnant et vere offerunt : et ideo homines salvatores quasi vacuo nomine præcesserunt.

Sic ergo *David* ponitur propter regnum, quod est potestatis : *Abraham* propter sacerdotium, quod est reconciliationis et propitiationis. Et ideo, quando invocabatur Christus, ex fide invocantium frequentius fit confessio potestatis, quod hoc posset facere quod ab eo petebatur. Infra, xv, 22 : *Miserere mei, Domine, fili David* : et, Infra, xxi, 9 : *Hosanna filio David!*

« Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratres ejus.

Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. »

Iste tractatus libri duas habet partes : in quarum prima ponitur vera Christi secundum faciem hominis generatio. In secunda, quæ incipit in tertio capitulo, causata ab ista ponitur nostra regeneratio.

Adhuc, prior dividitur in duo. Nam primo ponitur generatio Christi. Secundo, ponitur manifestatio geniti, ibi, ii, 1 : « *Cum ergo natus esset Jesus.* »

Christi autem generatio describitur dupliciter : materialiter videlicet secundum descensum a patribus factum : et formaliter et efficienter secundum modum generationis factæ ex matre, ibi, ꝑ. 18 : « *Christi autem generatio sic erat.* »

Adhuc, materialiter generatio facta ex patribus describitur dupliciter, scilicet, per modum executionis et contextionis genealogiæ, et per modum epilogi capitulariter colligendo, ibi, ꝑ. 17 : « *Omnes itaque generationes.* »

Contextio vero ipsa fit tribus formis, ut patet ex prius habitis. Et prima harum formarum est ex Patriarchis.

Unde videndum qui sunt Patriarchæ.

Patriarcha est princeps pater, sic dictus, quia in transfusione sui seminis non attendit legem concupiscentiæ carnalis, sed propagationem corpulentæ substantiæ, cum qua esset propagatio religionis. Hi autem tales abhorrebant mulieres Deum non timentes : eo quod in conjugio primum Deo, secundo uxoribus jungebantur. Tob. viii, 4 et 5 : *Sara, exsurge, et deprecemur Deum hodie, et cras, et secundum cras, quia his tribus noctibus Deo jungimur : tertia autem transacta nocte, in nostro erimus conjugio : filii quippe sanctorum sumus, et non possumus ita conjungi, sicut gentes quæ ignorant Deum.*

In talibus igitur amor posteritatis præcedit, et subjicitur lex concupiscentiæ. Hæc etiam est causa, quod dicitur *Patriarcha*, et non Archimaritus : quia maritalis copula non semper est ad istud, sed aliquando in medicinam : in qua libido non subjicitur proprie loquendo, sed excipitur ne ruat in turpitudinem fornicationis. Propter hoc dicitur quod Christus *semen Abrahamæ apprehendit*¹, quia Abraham signum subjectionis legis concupiscentiæ incepit. Et hæc est causa quod ab Abraham genealogia incipit. Ante enim lex concupiscentiæ regnavit, ita quod diluvio eam dilui oportuit². Et ideo non incipit ab Adam, in quo lex ista incepit, nec ab aliquo sub quo lex dicta regnavit, sed ab eo qui signum subjectionis et amputationis ejus accepit. Christus enim non accepit nisi corpulentam substantiam, quæ medicina est legis et languoris concupiscentiæ. Hoc est ergo quod dicit :

« Abraham genuit Isaac. »

Lucas autem non genealogiam textit propter se, sed ut falsam tollat opinio-

¹ Ad Hebr. ii, 16.

² Cf. Genes. vii, 1 et seq.

nem, ut superius diximus. Et ideo continue ponit eam usque ad Deum. Nec semper veros patres ponit, sed etiam legales, et aliquando adoptivos, et aliquando putativos. Et ideo etiam non potest uti hoc verbo *genuit*, sed utitur verbo *qui fuit* hujus, vel illius. Sed Matthæus veros ponit : et ideo utitur verbo *genuit*.

Attende autem quod circa semen, quod per patres descendit, quinque sunt in genere notanda, scilicet segregatio in seminis sanctitate ab alieno semine, quod legem concupiscentiæ sequitur : naturalitas in profusione : libertas in seminis notabilitate : dilatatio in seminis benedictione : et exaltatio in seminis honore. Segregatio perfecta facta est in tribus primis ¹ : profusio correcta est in quarto cum filiis suis : libertas adeptæ in quatuor sequentibus, Esron videlicet, Aram, Aminadab, Naasson : dilatatio debita in tribus qui illos sequuntur cum filio ² : et exaltatio facta est in ultimo : propter quod etiam rex solus inter istos nominatur ⁴.

Segregatio autem ex opposito congregationem habet : ut ea quæ similis sunt sanctitatis, congregentur : et, quæ dissimilis sunt sanctitatis, segregentur, ne commisceatur semen sanctum cum immundo. Est autem segregandum semen servile et degenerans ex libero. Et ideo Abraham genuit Isaac, et rejicitur Ismael servile semen, quod significat filios carnis concupiscentiæ deditos. Et hæc est *segregatio* prima.

« Isaac autem genuit Jacob. »

Ejecto Esau tamquam ex libero degenerante, quod significat eos qui ex spiritu ad concupiscentiam mutantur. Malach. I, 2 et 3 : *Dilexi Jacob, Esau autem odio habui*. Sapient. XII, 10 et 11 : *Nequam est natio eorum, et naturalis*

malitia eorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio. His segregationibus duæ respondent congregationes, scilicet, generosorum similis tamquam similibus (et significatur per filios Liæ et Rachel) : et eorum qui generosi facti sunt ex non generosis : eo quod non sequuntur uterum, scilicet semen generosum. Et ideo fit mentio de omnibus filiis Jacob. Sed quia Christus non nisi per unum descendit, ille tantum nominatur, et alii communi nomine fratrum designantur.

Et hoc est, quod dicit :

« Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. »

Et significant eos qui vel nobilitatem spiritus retinent in virtute activa, sive in specie veritatis contemplativæ : vel ex filiis carnis per semen gratiæ in filios spiritus sunt mutati. Et ab ista restrictione seminis, isti *patriarchæ* sunt vocati. Eccli. XLIV, 10 et 11 : *Cum semine eorum permanent bona : hæreditas sancta nepotes eorum*. Genes. XVIII, 19, de Abraham dicitur : *Scio quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam : ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum*.

« Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. »

Facta hujusmodi segregatione et congregatione, fit correctio naturalis profusionis. Et ideo non fit mentio de Her, qui nequam fuit in naturali coitu : et de Onan, qui polluendo semen fundebat in terram ⁵. Thamar autem, quæ

¹ Abraham, Isaac, Jacob.

² Judas cum duobus filiis Phares et Zaram.

³ Salmon, Booz, Obed cum filio Jesse.

⁴ Jesse genuit David regem.

⁵ Cf. Genes. xxxviii, 7 et seq.

posteritatis amore ex semine sancto concipere desideravit, et non libidinis causa, se Judæ supposuit, commemoratur ¹. Cujus signum est, quia, sicut dicit Chrysostomus, « usque ad illud tempus « virgo permanserat : eo quod neque « primus maritus, neque secundus cognoverunt eam in naturalibus, subiacentes passionibus ignominiae, sicut « dicitur, ad Roman. I, 26 : nec umquam « ad alium scortum exhibuit se. » « Judas « etiam peccatum deplanxit, ut dicit Chrysostomus, (et in libro de *Testamento Patrum* continetur), « et licet eam in uxorem « habere potuisset, tamen quia providit « bonum non solum coram Deo, sed etiam « coram hominibus (et homines putabant « eam cognitam fuisse a filiis, ipse vero eam « postea numquam cognovit) : et ideo in « recompensationem duplicis tædii, donavit ei Deus duos geminos. Læta enim « fuit, quod erat conjuncta semini sancto : « et intolerabilitas separationis a semine « sancto, per quod nasciturus erat Christus, fecit eam Judæ prostitui. » Tobiae, VII, 20 : *Forti animo esto, filia mea : Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio quod perpessa es.*

« Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram.

4 Aram autem genuit Aminadab. Aminadab genuit Naasson. »

Subjungitur hic seminis libertas et liberatio. Ad hanc autem exiguntur quatuor. Primum est, peregrinatio oppressa : et hanc patiebatur Esron, jam mortuo Joseph. Phares autem et Zaram in deliciis fuerunt propter beneficia Joseph. Aram secundus gemere cœpit sub onere, tempore quo parvuli necabantur. Aminadab vero quasi contemporaneus fuit Moysi : exitum paravit, et Naasson fuit dux egredientium cum Moyse. Sic enim est in omnibus divinis, quod non datur

liberatio nisi indigentibus et gementibus, et se Deo spontanee exhibentibus : et tunc datur progredientibus in eam. Si autem fit computatio ab Aram qui in Ægypto natus fuit, generatione quarta egressi sunt. Computatione autem facta a Phares, qui de terra Chanaan in Ægyptum intravit, generatione quinta sunt egressi, Genes. xv, 16 : *Generatione quarta revertentur huc.* Esron autem genuit, sed magis Aram : et multo magis Aminadab propter duritiam eorum qui præerant operibus. Naasson autem gaudebat liberatione. Tres enim erant causæ tristitiæ : oppressio, necatio puerorum, impositio servilium operum. Et probabile est, quod hæc sibi succederent per successiones generationum, quando videbantur filii Israel magis et magis succrescere. Et huic sensui fere consonat Chrysostomus. Scias autem quod Esron alio nomine dicitur Jephone. Numer. XIII, 7 : *De tribu Juda. Caleb filius Jephone.* Ipse enim Caleb fuit filius Esron, ut habetur, I Paralip. II, 9, sed ibi vocatur *Calubi*. Aram autem ibidem, 7, 10, Ram vocatur, fratrem Jerameel et Calubi : sed, I Paralip. IV, 11, iste idem Aram vocatur Supha (alias, Sua) : unde dicitur Caleb frater Supha. Et dicit Hieronymus quod Supha (alias, Sua) est Aram. Naasson autem fuit princeps tribus Judæ ². Sic igitur liberatio seminis ostenditur.

« Naasson autem genuit Salmon. 5

Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. »

Ecce quartum, seminis liberi in exteris nationes ex benedictione dilatatio : sicut promissum fuit Abraham, Genes. XVIII, 18 : *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, et benedicendæ sint in illò omnes nationes terræ.*

¹ Cf. Genes. XXXVIII, 12 et seq.

² Cf. Numer. I, 7 : *De Juda, Nahasson filius*

Aminadab.

Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fœces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Tria autem exiguntur ad dilatationem seminis. Primum est, ut sit liberum natum : et hoc est Salmon. Secundum est, ut dilatetur, et ad se convertat quod intra terminos est terræ sanctæ, quæ significat Ecclesiam : sed aberravit per dissolutionem vitæ. Et hoc fit per Rahab meretricem, quæ suscipiens semen liberum facta est libera familiæ Israel conjuncta : sicut dicitur, Josue, VI, 25, quod Rahab meretrix cum domo sua *in medio* filiorum Israel habitavit *usque in præsentem diem* : in signum eorum, qui ex malis moribus conversi in Ecclesia, securam accipiunt habitationem.

Tertia dilatatio est extra terminos Israelis, et in exteris nationes, non tantum moribus, sed etiam fide alienas a conversione sanctorum. Et hoc factum est quando Booz genuit Obed ex Ruth, quæ relictis diis gentibus, conjuncta est Israeli : sicut dicitur, Ruth, I, 16 et 17 : *Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar*, etc. Psal. LXXXVI, 5 : *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, et Tyrus*, etc. Ad Ephes. II, 13 : *Nunc in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope*. Osee, I, 10 : *In loco ubi dicitur eis : Non populus meus vos : dicitur eis : Filii Dei viventis.*

Hæc igitur est causa, quod propter tam nobiles conditiones liberi seminis, et tam jucunda mysteria, fœminæ istæ propriis nominibus nominantur.

« Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. »

Ecce quintum. Seminis exaltatio, ad honorem pertinens dignitatis. Ad quod duo exiguntur : quorum unum est con-

gruitas præcedens : et alterum, exaltatio sequens. Congruitas autem notatur in Jesse, et exaltatio completur (alias, impletur) in David. Et hac de causa, non proprio nomine, sed cognomine Jesse ponitur : Isai enim proprio nomine dicebatur¹. Dicitur autem et Naas, II Regum, XVII, 25, ubi sic dicitur : *Amasa erat filius viri qui vocabatur Jetra de Jezraeli, qui ingressus est ad Abigail, filiam Naas, sororem Sarviæ, quæ fuit mater Joab*. Neutro ergo istorum nominum nominatur, sed Jesse, qui *incendium* interpretatur propter virtutis calorem. Et ideo, Isa. XI, 1, ubi de gloria regni dicitur, sic nominatur, cum dicitur : *Egredietur virga de radice Jesse*. Calida enim in radice alte germinant et fructificant.

Solus autem rex David dicitur : eo quod solus secundum cor Dei in regnum profecit, sicut constat ex superius dictis. Et alii sequentes merito ipsius ad regnum sunt promoti : sicut dicitur in Psal. LXXXVIII, 34 : *Misericordiam meam non dispergam ab eo*, etc. Item, in eodem, 38 : *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum : et testis in cælo fidelis*.

Sic ergo in ista tesserædecade, semen corpulentæ substantiæ in regnum, ex quo textitur tesserædecas, congruenter est exaltatum quinque conditionibus quibus nobilitatur : scilicet munditia sanctitatis, rectitudine naturalis profusionis, libertate servilis oppressionis, benedictione dilatationis, exaltatione dignitatis regalis.

« David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. »

Finita tesserædecade Patriarcharum, quæ exaltata est in honorem Regum in figuram seminis, cui regnum immobile promissum fuit, tangit catalogum Regum, per quos Christus descendit.

In quo catalogo tria sunt prænotanda :

¹ Cf. I Reg. XVI, 1 et seq.

Unum quidem, quod sicut catalogus patrum paulatim per patres, duces tribuum, et judices crevit in regnum regis secundum cor Dei electi, ita catalogus regum paulatim deficit in captivitatem: ostendens (alias, descendens) quoniam licet regnum Christi figuratum sit in regno temporali, tamen regnum Christi non est de hoc mundo, sed potius sui in mundo pressuram habebunt, et vincula, et carceres. Propter quod etiam regnum populi Dei in statu et pace non stetit, nisi sub uno David, qui secundum cor Dei electus fuit, et sub Salomone dissensum intestinum incepit habere per Jeroboam, licet non aperte rebellaret: et paulatim per divisiones et multas impositas et captivitates et occisiones regum defecit.

Secundum est, quia reges quidam a regno tamquam indigni sunt abjecti: eo quod in throno David, qui figura est throni Christi, non secundum religionem pertinentem ad Christum, sed potius profanando thronum ausi sunt sedere. Et illi a genealogia sunt abjecti tamquam non sint. Et sunt tres in universo: Ochozias, et Joas, et Amasias. Joram enim pater Ochoziæ contra legem Domini cum alienigena (filia Jezabel et Achab, quæ vocabatur Athalia) contraxit matrimonium, et ex ea genuit Ochoziam pessimum, sicut et pater malus erat. Hic Ochozias idola matris suæ adoravit: et impio ferens auxilium cum avunculo suo rege Israel, Joram nomine, veniens ad præliandum in Ramoth Galaad interfectus est, eo quod de semine Achab per filiam Athaliam esset procreatus. Unde, Malach. II, 11 et 12: *Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit, hoc est matrimonium: et habuit filiam dei alieni. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob.* Joas autem filius, licet primo esset bonus tempore Joiadæ

sacerdotis, qui eum regem fecerat, tamen post mortem ipsius idola adoravit, et ingratus, filium Joiadæ, Zachariam sacerdotem, interfecit. Propter quod mentio hujus habetur in Evangelio, quod occisus est inter templum et altare¹. Et dicit Epiphanius, quod « ex tunc responsa di-
« vina in templo cessaverunt dari super
« propitiatorium. » Hic etiam thesauros domus suæ et templi consecratos in cultum Dei, regi Syriæ Hazaeli transmisit: et quamvis profanus, cultum divinum, ut dicunt Hebræi sibi exhiberi fecit. Et ideo chronico languore deficiens, viscera egressit, et tandem sicut meruit, a servis suis viliter interfectus fuit, et sine cultu regio, ut dicit Josephus, viliter sepultus². Amasias autem filius hujus, pronepos impiissimæ Athaliæ, etiam ipsa idola adoravit in superbia: Joas³, regi Israel, bellum indicens superatus et captus est, Jerusalem tradidit regi Israel, qui murum interrupit civitatis sanctæ. Et conjuratio tandem principum Judæ contra eum sicut indignum regno facta est. Qui de Jerusalem in Lachis fugiens, salvari putavit: sed illuc mittentes principes interfecerunt eum⁴. Hi igitur sicut indigni per tertiam generationem ab Athalia facti sunt abjecti: sicut Ismael et Esau a catalogo Patrum: eo quod regnum diaboli super thronum David et Christi nisi sunt adducere. Dixit enim Isaias, xvi, 5, quod *præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium.*

Tertium autem quod prænotandum est, quod oritur ex isto, est, quod nullus ponitur in catalogo Regum, nisi quia aliquid similitudinis habet ex se, vel ex sibi conjuncto proximo ad Christum, et ad David, qui meruit thronum. Et hoc est, quod aut bonus sit ipse, et boni filius, et boni pater. Aut si ipse non est bonus,

¹ Cf. Matth. xxiii, 35.

² Cf. II Paralip. xxiv, 15 et seq. usque ad finem.

³ Hic Joas, rex Israel, erat filius Joachaz.

⁴ Cf. II Paralip. xxiv, 17 et seq. ad finem.

quod tunc sit aut boni pater, aut boni filius : quia sicut pater frequenter punitur in filio, ita pater multoties remuneratur in filio. Joram ergo, qui pessimus fuit, qui Athaliam, filiam Jezabel, uxorem duxit, fratres suos meliores se occidit, idola populum adorare coegit, correctiones Eliæ per epistolam ad eum delatam spreuit, cujus tempore Idumæa a domo Judæ recessit, Arabes autem civitates Judæ et domos regias vastantes, uxores suas acceperunt, et filios suos omnes, præter Ochoziam occiderunt, chronica ægritudine viscera egressit, et secundum Josephum extra sepulcra Regum sepultus est : tamen præter patrem Josaphat bonum ponitur in Catalogo. Sequentes autem Joram usque ad quartam generationem sunt ejecti, quia et mali fuerunt, et malorum filii, et malorum parentes. Licet enim Amasias pater fuerit Osia, qui quædam bona fecit, tamen tantum desipuit, ut usurpato sibi sacerdotio incensum vellet ponere in templo. Propter quod terræmotus factus est, qui montem ante civitatem scindens viam clausit, hortos regales oppressit. Lumen cæleste in eum excanduit, et lepra percussus extra reges, in horto quodam sepultus fuit : et ideo merito ipsius Amasias pater ejus in catalogo poni non potuit.

His ita prænotatis, dicimus : Regnum horum regum paulatim ex statu per bellum intestinum et divisionem deficere in coarctationem potestatis, et ex hoc in multam quam aliis regibus solvit, et regum captivitatem et occisionem, eandem abire in captivitatem et transmigrationem.

Et penes hoc accipitur numerus Regum hic positorum. Primus qui regnum post David accepit fuit Salomon, de quo dicitur, quod « *David genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ* ¹. » Nec nominatur mulier Bethsabee, propter verecundiam criminis quod commisit : tamen non sub nomine propter mysterium facti quod pulchre ad Christum habet referri : præci-

pue tamen, quia cum esset enorme valde, putaverunt quidam per illud evacuandam esse promissionem factam ad David de nascituro per eum Christo merito criminum adulterii, et proditionis, et homicidii. Propter quod cum pœnitens caneret psalmum quinquagesimum, *Miserere mei, Deus, dixit : Ut justificeris in sermonibus tuis, implens promissum : et vincas cum, ab hominibus scilicet, judicaris* ², supple, promissum te non impleturum. Ut ergo sciatur quod peccatum non præjudicavit veritati promissionis, ideo per eandem mulierem implevit promissionis veritatem : et mentio ejus fit ab Evangelista, ubi ostenditur impleta veritas, et tacetur nomen propter verecundiam delicti. Fit tamen mentio facti propter promissionis veritatem ostendendam ad convincendum fallax judicium. Quia sicut dicitur, Tobia, III, 20 : *Non est in hominis potestate consilium Dei.* Et hoc est quod dicit, Psal. LXXXV, 17 : *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur : quoniam tu, Domine, adjuvisti me.*

« Salomon autem genuit Roboam. » 7

Regni declinatio per duo in genere perficitur : per scissuram videlicet, et impugnationem exterarum nationum, quæ per captivitatem et mortem regnantium completur.

Scissura autem perficitur in tribus succedentibus sibi regibus. Scissura enim paulatim venit in statum. Et ideo consideratur secundum tria quæ sunt in ipsa : et quartum proponit sibi ut causam, et quintum subjungit sibi ut effectum.

Tria autem quæ sunt in ipsa, sunt recessus partium a se invicem : partium ex malevolentia contrarietas : et partium ex divisione debilitas. Et horum primum factum est sub Roboam. Secundum, sub Abia, cujus omni tempore fuit bellum contra

¹ Cf. II Reg. XII, 24.

² Psal. L, 6.

domum Jeroboam. Tertium autem factum est sub Asa, quando rex Israel primo cogebatur fœdus inire cum rege Syriæ, ut se debilem contra regem Juda confortaret. Et Asa, rex Judæ, cogebatur ad idem secundo, ne sibi rex Israel prævaleret. De quo cum reprehenderetur a Jehu propheta, misit eum in nervum. Et ideo patet, quod idololatria sub Roboam adducta fuit in regnum: et ad hoc populus sub Abia est inclinatus. Asa autem spem in auxiliis Dei non habuit, sed in Syris idololatriis spem posuit: propter quod etiam regni debilitatem passus fuit. Quartum autem, quod his tribus præmittitur, fuit meritum divisionis: et hoc factum est sub Salomone. Et quintum, quod sequitur, est desperatio reunionis et reintegrationis regni. Et hoc fuit sub Josaphat, qui desperans de reditu decem tribuum ad suum regnum, filio suo Joram accepit uxorem filiam Achab, regis Israel. Et sic isti quinque reges inducuntur.

Dicit ergo:

« Salomon autem genuit Roboam. »

De quo, III Reg. xii et seq.

« Roboam autem genuit Abiam. »

De quo, III Reg. xv, 1-8.

« Abias autem genuit Asa. »

De quo, III Reg. xv, 8 et seq.

« Asa autem genuit Josaphat. »

De quo, III Reg. xxii.

De genere autem horum regum habetur, I Paralip. iii.

« Josaphat autem genuit Joram. »

Ecce secundum hujus tesserædecadis, ubi ponuntur reges sub quibus impugnatione et mulcta notabiliter cœpit contra re-

gnum Dei. Quia licet ante Sesac, rex Ægypti, sub Roboam ascenderit in Jerusalem et diripuerit thesauros, tamen hoc non fecerat nisi pactis et fœderibus præcedentibus, quæ tamen irrupit. Sed ex tempore Joram incepit impugnari ad subjiciendum.

Perficitur autem hæc regni debilitas quatuor: diminutione videlicet auxiliantium, obsidione impugnatium, captivitate regum defendentium, et perficitur interfectione regentium. Et secundum ista hic octo reges inducuntur.

Et diminutio auxiliantium facta est sub Joram pessimo: sub quo Idumæi recesserunt, ne essent sub Juda: qui ante tributis et auxiliis subditi Juda fuerunt.

Obsidio autem duobus perficitur; conjuratione videlicet adversariorum, et vallatione civitatum et castrorum. Et conjuratio quidem Phaceæ et Rasin, regis Syriæ facta est sub Ozia, et facta est visio destructionis templi. Obsidio autem duo in se habet: unum quod præcedit, quod est infestatio obsidendorum: quæ facta est sub Joathan per Syros et regem Israel. Aliud est vallatio. Et hæc est adhuc duplex: particularis scilicet, et universalis. Particularis facta est sub Achaz per Phaceæ et Rasin, qui obsederunt Jerusalem. Universalis autem facta est sub Ezechia per Sennacherib, qui et Jerusalem et Sobnam, et alias obsedit munitiones: etsi pax facta miraculo divino non fuit data ad permanentiam regni, sed ad tempus propter meritum personale Ezechia. Et ideo in pace ipsa prænuntiata est amarissima amaritudo quod omnis decor regni transferendus esset in Babylonem¹, sicut habetur Isaiæ, xxxix, 5 et 6.

Sic ergo paulatim deficiente regno, sequitur captivitas defendentium regum absque regni captivitate. Et hæc facta est in Manasse, rege pessimo, qui licet de Babylone redierit in regnum per (alias,

¹ Isa. xxxix, 5 et 6: *Et dixit Isaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum. Ecce dies venient, et auferentur omnia quæ in domo*

tua sunt, et quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus.

post) pœnitentiam, tamen ex hoc regnum nullam accepit confortationem : sed ex captivitate plurimam accepit labefactionem, eo quod captivator plurimam in regno fecit depopulationem.

Interfectio regum consistit in duobus : in indignitate regnantis, et divina indignatione contra regnum regionis. Et prior harum est in Amon, quem indignum regno servi sui interfecerunt. Indignatione autem Dei contra regnum regionis interfectus est Josias optimus rex : qui licet pietate meruisset differri captivitatem et transmigracionem regni in diebus suis, tamen expresse comminatus est Dominus, quod post mortem suam totum regnum transmigraturum in Babylonem esset. Sic ergo isti reges inducuntur hic.

« Joram autem genuit Oziam. »
De quo, IV Reg. xv, et II Paralip. xxvi.

9 « Ozias autem genuit Joatham. »
De quo, Ibidem.

« Joatham autem genuit Achaz. »
IV Regum, xvi.

« Achaz autem genuit Ezechiam. »
IV Regum, xviii.

10 « Ezechias autem genuit Manassen. »
IV Regum, xx.

« Manasses autem genuit Amon. »
IV Regum, xxi.

« Amon autem genuit Josiam. »
Ibidem.

11 « Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigracione Babylonis. »

Ecce completa regni transmigratio et captivitas : ideo namque iste cum fratribus suis nascitur iturus in transmigracionem Babylonis. Et quia iste non solus regnavit, sed etiam fratres ejus : licet per omnes (alias, eos) Christus non descendit, sed per istum tantum : tamen fit mentio de fratribus in communi nomine, quia regnum istud fuit figura regni Christi. Nota autem hic historiam. Legitur enim, I Paralipom. iii, 15 et 16, quod *fili Josiæ fuerunt : primogenitus, Johannaham : secundus, Joakim : tertius, Sedecias ; quartus, Sellum. De Joakim natus est Jechonias, et Sedecias.* Et ita Jechonias videtur nepos fuisse Josiæ, et non filius. Sed ad hoc respondetur per Hieronymum, dicentem quod secundus natus Josiæ, quem Joakim vocatum esse diximus, trinomius fuit : quia dicebatur Eliakim et Joakim et Jechonias. Filius vero istius ejusdem nepos Josiæ, binomius fuit : dicebatur enim Joakim et Jechonias : qui etiam sublata prima syllaba, dicitur aliquando Chonias. Hieronymus : « Numquid vas fictile atque con-
« tritum vir iste Chonias ? » Dicit etiam Hieronymus, quod « Joakim, qui filius
« Josiæ fuit, in ultima syllaba scribitur
« per *k* et *i* et *m* : filius autem hujus qui
« nepos Josiæ fuit, scribitur in ultima
« syllaba per *cyn* : quod scriptorum vi-
« tio et longitudine temporum apud græ-
« cos latinosque confusum est. » Et ideo stat generatio per Josiam in filium Jechoniam, qui et Joakim dicebatur : et ex illo in nepotem Josiæ, qui Jechonias et Joacyn est appellatus. Jechoniam ergo et fratres ejus genuit Josias jam instante transmigracione. Et ita genuit eos in transmigracionem ituros, licet Josias numquam transmigraverit.

Est autem historia, quod Joakim patrem Nabuchodonosor recepit : quem tamen receptis obsidibus remisit, imposito ei tributo : quod tributum cum postea negasset, spem in rege Ægypti ponendo, ascendit Nabuchodonosor in Jerusalem sub simulationem fœderis quod irrupit :

et regem cum pluribus nobilibus interfecit, et insepultum ante muros Jerusalem projecit : et filium ejus, nepotem Josiæ, Joacyn vocatum, regem patri substituit : qui alio nomine Jechonias sicut et pater vocabatur. Qui cum tribus mensibus regnasset, et Nabuchodonosor abisset, timuit Nabuchodonosor, quod memor necis prius opponeret se sibi, et cum rege Ægypti confœderatus rebellaret : et reversus obsedit Jerusalem. Sed Joacyn ad verbum Jeremiæ se sponte cum matre et multis nobilibus regni Nabuchodonosor tradidit : et tunc transmigraverunt in Babylonem, qui se tradiderunt : et aliis manentibus, constituit regem Sedeciam, patruum Joacyn, tertium natum inter filios Josiæ. Qui cum postea rupto fœdere se opponeret Nabuchodonosor, civitatem cepit, et regem cæcatum, et omnes alios in Babylonem captivos traxit, et interfecit filios Sedeciae. Et tunc captivitas perfecta fuit : sicut legitur, IV Reg. xxv.

Sic ergo duo fuerunt Jechoniæ : et unus, scilicet pater intelligitur, cum dicitur : « *Josias autem genuit Jechoniam.* » Alter autem, scilicet nepos Josiæ intelligitur, cum dicitur : « *Post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel,* » quia aliter non essent quatuordecim in ultima tesserædecade. Augustinus tamen et Chrysostomus dicunt, quod unus est, quem Augustinus dicit bis in fine mediæ, et in principio ultimæ poni : quia in angulo ponitur, ubi regnum flectitur in captivitatem. Chrysostomus autem fere idem dicit. Sed addit, quod bis numeratur : quia et rex primo, et non rex postea fuit. Et ideo ut rex numeratur in media, et ut non rex in ultima. Probabilius autem est, quod dicit Hieronymus.

Sic igitur scissura regni et impugnatione, et captivitate et occisione defendentium, regnum terrenum defecit in captivitate, sub qua pressi gemunt ad Redemptorem et liberatorem Christum, qui quatuordecimus est in ultima tesserædecade.

« Et post transmigationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. **12**

Salathiel autem genuit Zorobabel :

Zorobabel autem genuit Abiud. **13**

Abiud autem genuit Eliacim.

Eliacim autem genuit Azor.

Azor autem genuit Sadoc. **14**

Sadoc autem genuit Achim.

Achim autem genuit Eliud.

Eliud autem genuit Eleazar. **15**

Eleazar autem genuit Mathan.

Mathan autem genuit Jacob.

Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. » **16**

Hic incipit ultima quaterdena. Et hæc est captivorum suspirantium ad liberatorem. Et de his scriptura invenitur authentica : nisi (alias, ubi) de Salathiel et Zorobabel, quorum prior in captivitate mortuus, secundus autem rediit cum Esdra et Nehemia et aliis ad templi et civitatis reædificationem. Quod enim Salathiel genuit Zorobabel, legitur, III Esdræ, v, 5, et Aggæi, iii, 24. Sed in I Paralip. iii, 17 et seq., dicuntur filii Jechoniæ, Asir, Salathiel et Phadaia : et de Phadaia orti sunt Zorobabel et Semei. Et sic Zorobabel non videtur filius fuisse Salathiel. Sed ad hoc dicunt Hebræi quod tres inducti non fuerunt tres viri subjecto et numero differentes filii Jechoniæ, sed unus trinomius fuit, sicut Marcus, Tullius et Cicero. Alii dicunt, quod Salathiel et Phadaia duo fuerunt fratres, qui genuerunt duos filios : et uterque suum Zorobabel appellavit. Et unus tangitur, scilicet filius Phadaia in libro Paralipomenon. Alter autem per

quem descendit Christus, tangitur in Esdra et Aggeo et hic.

Adhuc, I Paralip. III, 19, dicitur quod *Zorobabel genuit Mosollam* : hic autem dicitur : « *Genuit Abiud.* » Sed ad hoc dici potest, quod liber Paralipomenon non facit mentionem nisi de descendentibus per Phadaiam. Sed hic tanguntur illi qui per Zorobabel, filium Salathiel, descenderunt. Dicunt tamen quidam in libris Paralipomenon vitio scriptorum nomina esse corrupta. Unde de Abiud usque Joseph nulla historia authentica invenitur. Sed fuerunt quidam studiosi viri inter Hebræos, quos *heriles* propter nobilitatem vocaverunt, qui genealogiam, propter factam de Christo promissionem, partim de libris Paralipomenon, partim ex annalibus, partim ex fide digno relatu avorum et proavorum retinuerunt et conscripserunt : licet Herodes plurimos talium librorum combusserit, ut deleta genealogia promissi regis minus videretur inconueniens, si ipse ignotus (alias, ignobilis) et alienigena regnaret in throno David.

De his igitur non possumus procedere sicut in præhabitis. Sed cum Chrysostomo dicimus, quod « isti non reges, sed « aut pontifices, aut consortes pontificum cum habiti, populo præfuerunt. » Et secundum tres gradus probabile est quod sibi successerunt, de captivitate populum educentes, pro patriis et paternis et Dei legibus tempore Machabæorum dimicantes, et ad nasciturum Christum suspirantes : et forte responsum a Spiritu sancto accipientes cum Simeone, quod in proximo foret nasciturus ¹. Et quia sanctus fuit mos ex causa certa imponere nomina filiis suis, oportet nos hic conijcere ex ipsis nominibus : quia aliam scripturam certam non habemus.

¹ Luc. II, 26 : *Simeon... responsum acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.*

² Cf. Commentarium in v. 44 de duobus Jechoniis, pp. 28 et 29.

Eductio autem terminatur ad templi et civitatis reædificationem. Et illa in sex videtur perfici : quorum unum est præparatio obediendi consilio Dei et Prophetarum, quod fecit Jechonias posterior consilio Jeremiæ ² : et ideo merito patientiæ et obedientiæ semen misit ad exitum. Secundum est humilis oratio ad Deum : ut regi inspiraret quod licentiam daret redeundi, sicut oravit Daniel : et hic videtur fuisse Salathiel, qui interpretatur *petitio mea Deus*. Tertio, exigitur quod rex captus amore alicujus, licentiam dederit : et hic fuit Zorobabel, sicut legitur in libris Apocryphorum ³, quod et nomen indicat : quia Zorobabel *magister Babylonis* interpretatur. Primus horum iram Domini portavit, quia peccavit ei : et ideo pervenit ad victoriam judicium suum ⁴. Secundus ex duritia captivitatis ingemuit : et ideo Dominus videns vidit afflictionem ejus, sicut per simile dicitur, Exod. III, 7. Tertius exitum obtinuit. Sed quia finitimis gemitibus (alias, gentibus) opus interruptum est, et usque ad tempora Cyri, regis Persarum, ideo indignit populus Dei, ne desperaret, consolatoribus, qui per tres differentias videntur variari. Qui enim pro affectu pusillanimes confortabat, videtur fuisse Abiud, qui *pater meus iste* interpretatur, quia pro affectu pater populi Dei dicebatur. Ad quod sequebatur iterata suscitatio cordis regis ad dandam licentiam ædificationis : et ad hoc videtur fuisse operatus Eliacim, qui *Dominus resuscitans* interpretatur. Quod consequitur adjutorium iteratæ ædificationis, quod complevisse videtur Azor, qui *adjutus* interpretatur. Et isti sunt sex priores ultimæ quaterdecadis.

Divinatio autem, quæ pro patriis et paternis et Dei legibus temporibus Ma-

³ Cf. III Esdræ, IV, 13 et seq.

⁴ Michææ, VII, 9 : *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum.*

chabæorum facta est, in quinque videtur perfici : quorum unum est justitiæ constantia, et alterum mutuuum adjutorium, quod sibi ferebant, sicut legitur in Machabæis, quod inflexibiles a justitia legis, et sibimet fortissimum ferebant adjutorium. Et primum horum complevisse videtur Sadoc, qui *justus* interpretatur. Secundum autem perfecit Achim, qui interpretatur *frater meus*, quasi iste signanter attulerit fratribus (alias, fratris) adjutorium. Sed quia non erat eis pugna solum pro justitia, sed etiam pro cultu et fide Dei, a quibus eos nitebatur revocare Antiochus, ideo inflexa exigebatur in eis fides Dei. Quam inflexionem videtur habuisse Eliud, qui *Deus meus* interpretatur. Sed instantia persecutoris non vincitur, nisi spes in adjutorio Dei habeatur : quia, *qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*¹. Hanc videtur habuisse Eleazar, qui *Deus meus adjutor* interpretatur. Sicut et dixit Matathias : « Non consentio verbo regis : propitius « sit mihi Dominus². » Hoc autem consequitur mirabilis a Deo donata victoria, quam impetrasse Mathan videtur, qui *donatus* interpretatur : Deo enim egerunt gratias, qui dedit victoriam eis. Et isti sunt patres medii ultimæ quaterdecadis.

Spiratio autem ad Christum perficitur in duobus. In lucta animi propter tædium exspectandi, quam videtur præsignasse Jacob : et in incremento specialis gratiæ per responsum Spiritus sancti tædium sanctorum revelantis, et promittentis corporalem pœnitentiam Christi. Et hanc recepit Joseph secundum sui nominis significationem : et hanc sequitur Christus liberans et redimens, sicut finis omnium tesserædecadum. *Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti*³.

His autem habitis, omnia plana sunt usque illuc.

« Mathan autem genuit Jacob. »

Videtur enim contrarietas inter Lucam et Matheum : quia Lucas, III, 23, dicit Joseph filium Heli, et Heli filium Mathat. Sed ad hoc respondetur, quod Mathan et Mathat, ut dicit Glossa, non fuerunt fratres : tamen contribules fuerunt, et de eadem uxore nomine Hesta, singulos genuerunt. Sed Mathan, qui per Salomonem descendit, eam prius duxit : ex ea genuit Jacob unicum filium, et obiit. Postea Mathat (qui per alium filium descendit a David) duxit eamdem : et ex ea genuit Heli. Et ita Jacob et Heli fratres uterini fuerunt, ex duobus patribus. Jacob autem uxorem Heli fratris sui sine liberis defuncti suscepit ad suscitandum semen fratri defuncto, et genuit Joseph. Et ita Joseph fuit filius Jacob naturalis, ut hic dicitur : et filius Heli legalis, ut dicitur in Luca : quia Lucas ex facie vituli sacerdotium respiciens, frequenter ponit filios et patres legales.

« Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. »

Videtur quod genealogia Christi non directe continetur, quia Joseph non fuit pater Christi naturalis, cum, sicut dictum est, Matthæus naturales ponat patres. Si respondetur per illud Numer. xxxvi, 7 et 8, quod omnes viri præcipiuntur ducere uxores de eadem tribu, et fœminæ maritos, ne hæreditates tribuum confundantur : videtur esse instantia, Exod. vi, 23, ubi Aaron duxit Elisabeth, filiam Aminadab, sororem Nahasson, qui fuit de tribu Juda. Et, I Reg. xviii, 27, ubi David duxit Michol, filiam Saul, quæ fuit de tribu Benjamin.

Si forte dicatur, quod ad fœminas non devolvebatur hæreditas, constat fal-

¹ Psal. xc, 1.

² Cf. II Machab. II, 19 et seq.

³ Ad Roman. x, 4.

sum esse : quia, Numer. xxvii, 8 et seq., dicitur, quod ad fœminas devolvitur hæreditas, quando aliquis non habuit filios. Communiter autem respondetur, quod soror Nahasson et filia Saul cum fratres habuerunt, non habebant hæreditatem : et ideo libere nubere poterant cui volebant sine sortium confusione. Sed Beata Virgo fratres ante se, nec post se habuit : et ideo hæreditas ad ipsam devoluta fuit : propter quod contribuli suo jungenda fuit. Hæc etiam causa est, quod per fœminas genealogia nulla texi potuit, quia sæpe de tribu ad tribum traducebantur : quod non fiebat de viris. Sicut et in ista genealogia et Rahab et Ruth et Thamar positæ sunt, et forte aliæ multæ de diversis tribubus et nationibus existentes.

Damascenus autem¹ ponit genealogiam quamdam usque ad Beatam Virginem. Sed quia nescitur origo ejus, et necesse est omnem genealogiam confusam esse quæ per fœminas textitur, ut patet ex prædictis, pertranseo.

Unum est, quod relinquitur inquirendum : Quare dicatur hic : *genuit*, cum generare dicatur esse viri, gignere autem uxoris : secundum illud quod dici consuevit, quod generare est agentis, gignere patientis et materiam exhibentis. Ad hoc dicit Glossa, quod *genuit* ponit, ut ille cognoscatur qui dicit : *Ego hodie genui te*². Et est sensus Glossæ, quod Christus a patribus non descendit nisi secundum corpulentam substantiam, quæ est sicut principium materiale. Sed efficiens faciendo, non generando, fuit Spiritus sanctus. Posset tamen dici, quod *gignere* convenit et viro et fœminæ : quia distinctio inter generare et gignere non videtur habere rationem magnam : sicut dicit versus :

Fœmina sola parit : generat vir : gignit uterque.
Vir sponsam ducit, sed sponso fœmina nubit.

« *Joseph, virum Mariæ.* » Vir dicitur potius a vigore et virore : quia castitatis vigore et virore floruit, similis propositi existens cum Beata Virgine. Jerem. xvii, 7 : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.* Et sequitur, v. 8 : *Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* Psal. 1, 3 : *Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum,* etc.

« *Mariæ* » autem dicitur propter sponsonis fidem et societatis individuitatem, et procurationis sollicitudinem, et obsequii diligentiam. Proverb. xxxi, 23 : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit,* etc. Eccli. xxvi, 1 : *Mulieris bonæ beatus vir.* Ibidem, v. 2 : *Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit.*

« *De qua natus est,* » opere scilicet Spiritus sancti. Isa. li, 8 : *Salus mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet.*

« *Jesus,* » per naturam. Ad Hebr. vii, 25 : *Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum : semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

« *Qui vocatur Christus.* » Sed nonne dictum est ab Angelo : *Vocabis nomen ejus Jesum*³ ? Sed actum naturæ indicat Angelus ad illuminandum ad fidem deitatis, ne fides in homine quiesceret. Luc. i, 32 : *Filius Altissimi vocabitur.* Ab unctione autem gratiæ vocatur, a sanctis gratiam percipientibus. Et est cognomen ejus inter sanctos. Psal. cxxxii, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit,* etc. Eccli. xxxviii, 7 : *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanctitatis.*

¹ S. DAMASCENUS, lib. IV, cap. 6.

² Psal. 11, 7 ; Act. XIII, 33 ; ad Hebr. 1, 5 et

v, 5.

³ Luc. 1, 31.

« Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim : et a David usque ad transmirationem Babylonis, generationes quatuordecim : et a transmiratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim. »

Ecce ubi epilogat generationes. Et de his dictum est in procœmiis : Qualiter scilicet trifformes sunt tesserædecades Patriarcharum, Regum, et Pontificum : et quid significant numeri hic positi. Sunt autem quadraginta duæ generationes hic, per quas venit ad Christum, sicut in libro Numerorum, xxxiii, 1 et seq., sunt quadraginta duæ mansiones, per quas ex Ægypto procedentes veniunt ad patriam promissam. Lucas autem, iii, 23 et seq., ponit septuaginta. Qui numerus est remissionis, sicut dicitur, infra, xviii, 22 : *Non dico tibi, Petre, dimittendum usque septies, sed usque septuagies septies.* Cum enim, Proverb. xxiv, 16 : *Septies cadet justus, et resurget* : impii vero, qui nolunt resurgere, corruunt in malum, accipit quilibet casus per Christum undecim resurrectiones : decem quidem in observantia præceptorum : et unam in fide Christi, per quem omnis fit remissio. Et ideo in sanctificatione tabernaculi et populi, primo legebatur omne mandatum legis, et postea aspergebantur sanguine¹.

« Christi autem generatio sic erat. »

Peracta generatione Christi secundum materialem descensum genealogiæ, tangit Christi generationem secundum modum causæ tam efficientis quam formalis et finalis.

Sed primo præmittit titulum, et postea exsequitur tractatum.

¹ Cf. Exod. xxiv, 8, et ad Hebr. ix, 19 et seq.

Dicit ergo titulum :

« Christi autem generatio sic erat. »

Non quod ad plenum effabilis sit et ista humana generatio, nisi in communi, quod scilicet fuit de Spiritu sancto, et ex virgine. Qualiter autem de Spiritu sancto, et qualiter ex virgine fuit secundum singula, indicibile est. Psal. xviii, 6 : *In sole posuit tabernaculum suum*, etc. Sol enim nimio splendore reverberat oculos intuentium : ita fulgor mirabilium hujus nativitatis reverberat intellectum. Eccle. xi, 5 : *Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis : sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.* Quæ enim sit via spiritus purificantis et segregantis et convertentis et formantis spiritus in Beata Virgine, et qua ratione membra Christi compingantur, et simul animentur et uniantur deitate, ignoramus : quia omni humilitate et devotione et obsequio procumbentes cum Joanne Baptista², non sumus digni per subtilem intellectum solve corrige unionis, qua calceamentum nostræ mortalitatis cum pede deitatis (quem in Idumæam nostram extendit) colligatum est. Multo autem minus scimus opera Dei, quo omnium fabricator Trinitas in fabricam uteri virginalis sicut in nobile triclinium intravit, et eum, quo omnia fabricaverat, filium veri fabri fabricando perfecit. Isa. xli, 7 : *Comfortavit faber ærarius percutiens malleis eum, qui cudebat tunc temporis, dicens : Glutino bonum est : et confortavit eum clavis, ut non moveretur* : quia ab humanitate, cui agglutinatus est, numquam est remotus. Sic ergo est generatio, ut dicitur in communi. Per singula autem nulli hominum est ad plenum nota.

² Cf. Marc. i, 7.

« Cum esset desponsata. »

Duo dicit circa generationem : sinceritatem a carnali commercio, et diligentiam quam ordinavit in obsequio generationi, scilicet necessaria et puero, et matri. Et hanc tangit, ibi, 19 : « *Joseph autem vir ejus.* »

Circa primum tangit conceptus, et generationis sinceritatem.

Et tangit septem per ordinem : quorum primum est custodia contra malam opinionem : et hoc est *Desponsatio*. Secundum pertinet ad summam beatitudinem, quod est *mater Jesu*. Tertium, ad dignam clari nominis cognitionem, quod vocatur et est *Maria*. Quartum, ad virtutis laudem : quod justum *Joseph* accipit sponsum et conservatorem. Quintum, ad munditiæ sincerissimæ pudorem : quod *antequam convenirent, inventa est*, etc. Sextum, ad mirabilem Dei stupendam admirationem : quod *in utero est habens*. Septimum, ad completam, et omnimodam ejus sanctitatem : quod est conceptus ejus *de Spiritu sancto*.

Primum horum, sicut diximus, est custodia : desponsatæ enim custodiebantur. Quod notatur ex tribus : exhibitione scilicet, ornatu, et promisso. Exhibitione : quia viris exhibebantur, sicut dicunt Glossæ. Ornatu : quia illis ornamenta custodiam significantia dabantur. Promisso : quia non loquitur Scriptura de sponsione facta in futurum, qua aliquando sponsalia per alium contrahuntur, sed de sponsione quæ fit per verba de præsentem, qua femina in suam dat se sponso, et e converso, vir in suum dat se sponsæ : et hi vocantur conjuges. Infra, 20 : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, etc.

Et per istam sponsionem vir est habitus a sponsa, et e converso habet sponsam. Propter hoc dicit, Philosophus, quod « extraneissimus modus est habendi, quo « uxor habet virum : quia per idem vinculum uterque conjugum habens ha-

« betur a reliquo. » Et est ratio paritatis, et superpositionis, et suppositionis. In jure enim quod uterque habet in reliquo, ratio est paritatis quia in illo ad similia judicantur conjuges. In hoc tamen quod vir caput mulieris est ¹, in regimine superpositionis est. Et in hoc quod mulier est in adjutorium data viro, et non e converso (quia vir est faciens et operans per se), suppositionis est. Et sic individua vita tripliciter (alias, triplicatur). In jure enim uterque pariter obligatus est debito. In regimine, caput non est sine corpore, nec vir sine muliere : quia secum participat regimen, licet informatio regiminis sit ex parte viri. Et ideo dicitur, Tob. x, 13, quod docuerunt eam diligere maritum in recognitione juris matrimonii : et regere familiam in participatione regiminis : et a viro informari, quia directio pertinet ad virum. In adjutorio etiam est individuitas : quia licet sit secunda, tamen in omnibus quæ sunt matrimonii, eosdem actus participat generando et subserviando in omnibus. Hoc enim dicit adjutorium. Et hoc est, quod dicitur, Genes. ii, 18 : *Faciamus ei adjutorium simile sibi*. Non enim adjutorium simile sibi diceretur, nisi in omnibus eosdem actus participare (alias, participaret) subministrando in eis, et in aliquo ad similia judicaretur. Hanc individuitatem notat Apostolus, I ad Corinth. xi, 11 : *Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino*. Hæc autem individuitas causatur ex consensu conjugali ante carnalem copulam. Et ideo carnalis copula consequens est matrimonium, nihil existens de substantia ejus. Propter quod verum fuit matrimonium beatæ Virginis et Joseph, et eo sanctius, quod a carnalis commercii concupiscentia fuit immunius : quia sanctiora sunt conjugia pari voto continentium, ut dicit Augustinus.

Primum inductorum trium tangitur, Isa. vii, 14, ubi secundum Hebraicam veritatem dicit : *Alma Virgo concipiet*,

¹ Cf. I ad Corinth. xi, 3.

*et pariet filium*¹. Alma autem est custodia : eo quod paranympis est credita. II ad Corinth. xi, 2 : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Desponsata enim exhibebatur, Genes. ii, 24 : *Relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ*.

De ornatu dicitur, Genes. xxiv, 47 : *Suspendi in aures ad ornandam faciem ejus, et armillas in manibus ejus*. Inauris significat aurem ante omnibus patulam, modo uni inclinatam. Armillæ autem manus opera esse colligata ad unum. Cantic. vii, 1 : *Juncturæ femorum tuorum sicut monilia*, a muniendo dicta, quia muniunt sinum, ut dicit Isidorus, ne adulter inserat manum. Et sic de aliis.

De promisso, Luc. ii, 4 et 5 : *Ascendit Joseph... ut profiteretur cum Maria, desponsata sibi uxore prægnante*. Osee, ii, 19 et 20 : *Sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitia, et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide*. Jerem. ii, 2 : *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me, etc.*

Si autem quæritur : Quare Christus de desponsata potius quam de non desponsata nasci voluit ?

In Glossa Origenis tanguntur octo causæ, sic : Ideo desponsata, ut significaret Ecclesiam, quæ virgo est et sponsa. Ad Ephes. v, 27 et 28 : *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas*.

Secunda est, ut per Joseph origo Mariæ ostenderetur. De hac autem satis habitum est supra.

Tertia autem, ut Joseph esset testis castitatis ejus : et de hac nunc habitum est, quia sic defenditur ab infamia suspicionis.

Quarta est, ne sicut adultera lapidaretur, sicut fere accidit Susannæ².

Quinta, ne Virgo viri solatio destitueretur. Eccli. xxv, 1 et 2 : *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes*.

Sexta est, ut diabolo partus occultaretur. Sed nonne scit per naturam signa virginittatis ? Dicendum, quod totum mysterium Incarnationis supra naturam est : et ideo a diabolo secretum. Isa. xxiv, 16 : *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam Justi. Et dixi : Secretum meum mihi, secretum meum mihi*. Hoc est, secretum in matris pudore, et secretum in incarnatione. Tob. xii, 7 : *Sacramentum regis abscondere bonum est*.

Septima est, ne virginibus esset excusatio infamiæ, quæ forte lascivientes non satis curarent de infamia, dicentes quod etiam mater Christi infamata fuerat.

Octava additur a Chrysostomo dicente, quod « cavit Christus infamiæ « matris, volens potius in se notam habere suspicionis, quod natus sit de viri « semine, quam quod mater culparetur « de fornicatione. » Non enim semper lapidabantur quæ in domo patris fornicatæ fuerunt. Dicitur enim, Deuter. xxii, 28 et 29 : *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illa, et res ad iudicium venerit, dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem*. Sed ad hoc dicunt quidam Beatam Virginem fuisse ex una parte de tribu sacerdotali, et cognatam Elisabeth : filiæ autem sacerdotum comburebantur fornicantes in domibus patrum, sicut dicitur Levitici, xxi, 9. Sed ista responsio non est bona : quia per hoc quod fuit cognata Elisabeth, non probatur esse de tribu sacerdotali, sicut ex

¹ Vulgata habet, Isa. vii, 14 : *Ece virgo concipiet et pariet filium*.

² Cf. Daniel. xiii, 41.

superius inductis patet : quia puellæ pluribus de causis de tribu in tribum transiverunt ad matrimonium. Ideo dicendum, quod puella extra domum patris in campo cognita excusationem habuit, quod destituta fuerit in adjutorio. Sed quæ in domo patris custodita excessit, quando postea desponsata virgo inventa non fuit per signa virginitatis : vel forte quia imprægnata ante desponsationem vel contractum matrimonii apparuit, de tribu sacerdotum comburebatur, et de alia tribu lapidabatur, ut habetur Levitici, XXI, 9.

His omnibus causis una melior omnibus ab Augustino addenda : Ut videlicet hoc bono proles (per quod omnis proles matrimonii bonum efficitur) matrimonium sanctificaretur. Sic sanctæ Virginis matrimonium tribus suis bonis est perfectum : fide mutuæ castitatis : prole unitæ cum puero deitatis : sacramento significato cum spiritu utriusque conjugum cum Deo individuae societatis.

« Mater. »

Ecce secundum, quod pertinet ad beatitudinem. Unde, Luc. XI, 27 : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti!* Luc. I, 48 : *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* In cujus signum Lia suscipiens filium dicit, Genes. XXX, 13 : *Hoc pro beatitudine mea : beatam quippe me dicent mulieres. Propterea appellavit eum Aser,* qui interpretatur *beatus* : et figura est hujus beati partus. Hæc autem beatitudo est in ablatione primæ miseriæ : quia nihil habet concupiscentiæ, nihil gravitatis, nihil doloris, nihil corruptionis, nihil infirmitatis, sed plurimum sanctitatis ex gratia : multum levitatis ex non devirginata natura : fructum dulcedinis et delectationis ex Dei potentia : consecrationem integritatis ex deitate in partu

profusa : cumulum vigoris ex ipsa Dei sapientia et virtute parta.

Et reddantur singula singulis. De primo, Luc. I, 28 : *Gratia plena.* Et, ibidem, v. 30 : *Invenisti gratiam apud Deum.* De secundo, Luc. I, 39 : Sicut levis ascendit in montana ministrare Elisabeth. Luc. I, 38, et 48, vocat se ancillam bis. Primo, *Ecce ancilla Domini* : et post : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ancilla autem dicitur ab *an*, quod est *circum* : et *cilleo*, quod est *moveor*¹. Gravis autem in omni obsequio circummoveri non posset. De tertio, Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine, repleta est anima ejus infusione deitatis : et labiis exsultationis laudabit os suum.* Psal. XXXIII, 9 : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* Proverb. XXXI, 18 : *Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus.* De quarto, Ezech. XLIV, 2 : *Porta hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* De quinto, Proverb. XXXI, 10 : *Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus.* Ultimi enim fines omnium sunt principium deitatis, et finis humanitatis, quæ in ea sunt conjuncta. Sapient. VIII, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter.*

Ecce « *Mater Jesu,* » Mater immaculata, Mater intacta, Mater doloris matris inexperta, Mater incorrupta, Mater vigore pudicitiae virginalis non destituta, Immaculata, Agno immaculato congrua. Exod. XII, 5 : *Erit agnus absque macula.* Numquam enim cum ludentibus se miscuit, nec cum his qui in levitate ambulant, participem se præbuit : et mundam servavit animam suam ab omni concupiscentia². Tota igitur formosa est, et macula non est in ea³. Intacta autem omnino inexperta viri torum : licet habuerit nuptias honorabiles et thorum immaculatum⁴. Genes. XXIV, 16 : *Virgo*

¹ Vel forte melius ab *ancus*, servus.

² Cf. Tob. III, 16.

³ Cantic. IV, 7.

⁴ Ad Hebr. XIII, 4.

pulcherrima, et incognita viro. Cantic. 1, 13: *Lectulus noster floridus*, flori profecto ex radice Jesse. Dolores matris inexperta, quia, Isaïæ, LXVI, 7 et 8: *Antequam (dolendo) parturiret peperit: antequam veniret partus ejus*, scilicet tempus dolorum quos sub cruce sustinuit, *peperit masculum. Quis audivit umquam tale? et quis vidit huic simile?* In prole igitur mater virgo dolorum uteri expers gaudet corde, lætatur corpore, virgo mater Domini: mutans nomen Evæ (quæ in dolore pariet filios¹), in ave sine væ partus, puerpera existens. Mater incorrupta, quia post partum virgo permansit: sicut sidus radium proferens virgo filium incorrupta. Non enim dedit sanctam suam matrem videre corruptionem, cum in partu notas fecit ei non solum vias, sed eum, qui est via ad vitam, et vita et veritas². Vigore autem pudicitiae non est destituta, quæ fecit viriliter, amputando caput antiqui inimici castitatis. Judith, XVI, 25 et 26: *Præclarior erat universæ terræ Israel. Erat etiam virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ.*

« Mater Ejus, »

Scilicet Jesu. Cujus Jesu? Illius qui generationem suam ex matre temporalem, æternam ex Patre assimilat: qui generationem humanam novis innumerabilibus immutat et innovat: qui generatos in generatione corrupta, sua generatione salvat: qui ruinas cœli reintegrat: qui integritatem cœlestium spirituum in carne et in sanguine exemplificat: qui cœlestium luminarium fœcunditatem in mirabilibus matris ostentat. Æterna autem generatio ex Patre sine concupiscentia et sine corruptione est: et huic similis est ex matre

facta generatio. Sed in hoc differt, quod in cœlis est ex Patre sine matre, in terris autem ex matre sine patre: propter quod flori assimilatur, qui secundum Pythagoram, in cœlo patrem habet sine matre (qui est sol), et in terra matrem sine patre (quæ est terra). Cantic. II, 1: *Ego flos campi, et lilium convallium.* Ideo, Infra, II, 23, *Nazaræus* vocatus. Novis innumerabilibus immutat generationem humanam (quæ triplex est: Virginis viri de terra³: et fœminæ virginis de viro⁴: et filii et filiæ virginum, de viro et fœmina non virginibus⁵: et in his generationibus semper id quod generatur est virgo): quarta enim generatione commutat secundam, et a vetustate purgatam innovat quartam. Genes. XV, 16: *Generatione quarta revertentur: quæ est viri virginis de fœmina virgine.* Eccli. XXXVI, 6: *Innova signa, et immuta mirabilia: da ostensionem, quoniam ab initio creaturæ tuæ sunt.* Sic enim datur magnificentia Deo nostro: quia sua perfecta sunt opera⁶. Generatos etiam generatione corrupta salvat, Infra, X, 21: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Isa. VIII, 4: *Antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci.* Damascus interpretatur *potus sanguinis*: et significat peccatum, quod ex potu sanguinis est exortum. Ruinas cœli reintegrat: quod de virginibus matri proximis Angelorum cadentium numerum recompensat. Amos, IX, 11: *Suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo: et reædificabo illud sicut in diebus antiquis.* In carne etiam et sanguine integritatem Angelorum exemplificat: quod cœlibum vita sanctorum Angelorum est exemplum. Job, XXXVIII, 33: *Numquid nosti ordinem cœli, et*

¹ Cf. Genes. III, 16,

² Joan. XIV, 6.

³ Genes. I, 27.

⁴ Genes. II, 21 et 22.

⁵ Genes. IV, 1.

⁶ Deuteron. XXXII, 4: *Dei perfecta sunt opera,* etc.

pones rationem ejus in terra? Psal. LXVII, 26 : *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus*, hoc est, Angeli : *in medio juvenularum tympanistriarum*, hoc est, virginum carnem sicut tympanum castitate exsiccantium et castigatione verberantium, et sono laudis divinæ sonantium super humilitatis vacuum et devotionis intimum profundum. Cœlestium autem fœcunditatem in mirabilibus matris ostentat : quod sicut sidera radios sine corruptione terræ præferunt, et in terrenis sordibus non inficiuntur, sic gratia matris fœcundæ emitit lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum¹. Nec inficitur cœnulentis actibus peccatorum. Propter quod, Cantic. vi, 9, dicitur *pulchra ut luna, electa ut sol*. Et, in Apocal. XII, 1 : *Amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim*.

Hæc est mater Jesu.

« Maria. »

Ecce tertium, quod ad clari nominis pertinet cognitionem. *Illuminatrix* enim, et *Stella maris*, et *Domina*, et *Amarum mare*, non vacua significatione Maria interpretatur. Quorum primum pertinet ad beatitudinis sanctorum gloriam : secundum, ad fluctuantium in hoc mari misericordiam : tertium autem ad omnium justorum præcellentiam eximiam : et quartum, ad omnium peccatorum pœnitentium veniam.

Ipsa enim et illuminat sanctos in gloria : et fluctuantibus in procellis tentationum, in dubiis est prævia : et omnium justorum, quibus meretur gratiam, Domina : et pœnitentium et gementium propitiationis indulgentia. Amicitur sole, ut illuminet : stat sicut signum in cœlo, ad quod fluctuans navim cordis ejicere

tentet : coronatur stellis, quia claritatem virtutis omnium sanctorum ut princeps et Domina possidet : clamat parturiens, ut omnibus in amaritudine cordis clamantibus, ad similem compassionis affectum se conformet. Isa. xxvi, 17 et 18 : *Sicut quæ concepit, cum appropinqua-verit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus a facie tua, Domine. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum*, scilicet salutis. Hæc est *aurora consurgens*², ex qua est ortus sol justitiæ, et *sanitas in pennis ejus*³. Et ideo illuminatrix. Hæc est stella orta ex Jacob⁴, et ideo stella maris. Hæc est regina, quæ adstitit in varietate virtutum, in vestitu deaurato, splendore deitatis in eam supervenientis⁵, et ideo Domina. Hæc est propitiatorium, super quod propitiatur Dominus peccatoribus⁶, et ideo amarum mare.

Ecce mater Jesu Maria desponsata

« Joseph. »

Ecce quartum, quod pertinet ad virtutis laudem : quod justo Joseph desponsata, ut dicit Origenes, sed non in concupiscentia juncta. Et attende utriusque conjugum virginitatis propositum. In Luca, 1, 26 et 27, dicitur, quod *missus est Angelus a Deo... ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*. Et dicitur, infra, §. 18, quod *antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Cum igitur esset desponsata ante Annuntiationem, et assignata ei, ut tradunt Patres, usque ad tempus, quo per tumorem ventris inventa est in utero habens, non continuissent, nisi pari consensu virginitatis habuissent propositum. Plus enim quam sex menses effluerant ab Annuntiatione, et ante Annuntiationem legitur despon-

¹ Joan. 1, 9.

² Cantic. vi, 9.

³ Malach. iv, 2.

⁴ Numer. xxiv, 17 : *Orietur stella ex Jacob*.

⁵ Psal. xlv, 10.

⁶ Exod. xxvi, 34.

sata fuisse. Hoc etiam signanter exprimitur per expressionem nominis. Et ideo istud est quartum, quod ad laudes virtutis refertur: quia si dissoluta fuisset in annis nubilibus existens, non justum et sanctum accepisset.

Laus autem Joseph exprimitur in quatuor: in Dei videlicet familiaritate, in clarorum virorum æquivocatione, in propositi sanctitate, et in virtutis commendatione.

Familiaritas Dei notatur in duobus: in nominis expressione, et in Angelorum crebra visitatione. De primo habemus, Exod. xxxiii, 17: *Invenisti gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine.* Joan. x, 3: *Proprias oves vocat nominatim.* Isa. lxxv, 15 et 16: *Servos suos vocabit nomine alio: in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen.* De secundo autem multum est hic et in sequenti capitulo. Instruit Angelus dubitantem docet in Ægyptum fugientem dirigit revertentem: erudit in Nazareth manentem. Psal. lxxxviii, 20: *Locutus es in visione sanctis tuis.* Et hæc omnia complet non per ænigmata et figuras, sed potius aperte et clara revelatione. Numer. xii, 8: *Ore ad os loquor ei, et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt,* hoc est, Angelum loco Dei revelantem: quia etiam ad Moysen non nisi Angelus loquebatur. Osee, xii, 10: *Ego visionem multiplicavi, illis scilicet.*

Clarorum virorum æquivocatio est Joseph Patriarchæ præcedentis, et Joseph ab Arimathæa sequentis. Quorum unus typum gerit Salvatoris¹, alter exhibit mortuo Christo officium pietatis. Unus in venditione fere cum Jesu similia patitur: alter autem in sepeliendi obsequio, Virginem matrem exemplariter imitatur. Sepelit enim in sepulcro, *in quo nondum quisquam positus fuerat*², unde clausis signaculis exivit: sicut et in utero solus

carnem induit, et claustris pudoris intactis exivit. Hic autem Joseph medius horum, et matri obsequitur in testimonio castitatis, et nato impendit officia pietatis: et in Ægyptum fugit ut Joseph Patriarcha salvatus, et expensas exhibet ut Joseph ab Arimathæa. Eccli. xlv, 2: *Similem illum fecit in gloria sanctorum.* Eccli. xxiv, 34: *In plenitudine sancta admirabitur, et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur.* Sapient. vii, 11: *In conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me.*

De propositi autem sanctitate jam in parte dictum est, quia propositum habebat perpetuæ castitatis: aliter enim pollutus temerarie tractaret corpus Redemptoris, et speculum munditiæ corpus sanctissima matris. Isa. lii, 11: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Oza percussus, extendens manum ad arcam, quæ non nisi figura obscura fuit sanctitatis hujus, eo quod pollutus erat in conjugem³: quanto magis Joseph numquam auderet exhibere curam, si aliquam castitatis passus esset maculam. Exod. xix, 10-15, præcipitur filiis Israel, quod lavent vestimenta sua, et non appropinquent uxoribus, visuri ignem et fenum circa Deum: multo magis manibus tractantes castitatis florem, perpetuæ creduntur habere castitatis propositum. Adhuc, quænam ratio esset Sapientiæ Dei, ut matri Virgini pollutum eligeret testem et tutorem?

Virtutis autem commendatio statim habebitur, cum dicit, x. 19: « *Joseph autem, vir ejus, cum esset justus.* »

« Antequam convenirent. »

Ecce quintum, quod ad sinceritatem pertinet pudoris virginei. Est enim sincera virginitas, omnem viri tam corde quam corpore formidare conventum, et

¹ Genes. xli, 45.

² Luc. xxiii, 53.

³ Cf. II Reg. vi, 6 et 7.

nullo modo admittere posse. Hæc autem sinceritas virginea (alias, sincera virginitas) in quinque consistit. Nam secundum causam est in divina munditia, quam contemplatur : secundum exemplum in puritate Angelica, cui comparatur : secundum essentiam est in corde, quod afficit : secundum effectum in corpore, quod continet : et secundum signum in sensibus, quos grato quodam pudore concludit.

Causa enim sinceritatis sanctæ est integritas et munditia divina, quam continue meditatatur Virgo sancta. Propter quod Augustinus dicit, quod « Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio, ut illi se « spiritui studeat jungere per affectum « sapientiæ, qui marcescere non potest « per concupiscentiam. » Sapient. vii, 24 et 25 : *Propter suam munditiam... nihil inquinatum in eam incurrit.* Et, ibidem, viii, 2 : *Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius.*

Per exemplum autem assidue se comparat Angelis, quibus grata est sancta virginitas, et in medio sanctarum virginum libenter assistunt. Quia, Matth. xxii, 30 : *In resurrectione, neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.*

Per essentiam in corde, ut numquam concupiscat virum, sed mundam servet animam suam ab omni concupiscentia ¹.

Per effectum continentiae in corpore, attendens illud Sapient. iii, 13 : *Felix est sterilis, et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto : habebit fructum in inspectione animarum sanctarum.*

In signo est in pudore sensuum. Eccli. xxvi, 19 : *Gratia super gratiam mu-*

lier sancta et pudorata. Non enim aliqua ponderatio digna continentis animæ. E contra de vagis, garrulis, quietis impatientibus, quia non valent in domo consistere pedibus suis ². Dicit Petrus, II canon. ii, 14 : *Oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti : pellicientes animas instabiles,* hoc est, nitore quodam et fuco pellis decipientes. Psal. cxviii, 37 : *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Et, Job, xxxi, 1 : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Quia, sicut dicitur, Eccli. xxvi, 12 : *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnosceatur.* Ad hoc significandum dicitur, Matth. xxv, 2, quod quinque sunt prudentes virgines, et quinque fatuæ per oppositum.

Sed insurgit hic Helvidius hæreticus, dicens ex modo locutionis significari : quia licet Salvatorem beata Virgo conceperit *antequam convenirent*, tamen alios concepit et peperit, posteaquam convenerunt, qui fratres et sorores Domini dicuntur ³. Sed mentita est iniquitas sibi. Iste enim modus locutionis usitatus. Sicut dicimus de inimicis : Numquam salutavit eum, antequam interfectus est ab eo : et constat, quod postquam interfectus est, non salutavit eum. Adhuc, de peccatore finaliter impœnitente dicimus : Cum multoties moneretur, non pœnituit, antequam suspensus interiit. Et in sacra Scriptura, I Reg. iii, 2 et 3, Heli non vidit lucernam Dei, antequam exstinguere-
retur ⁴ : et constat quod posteaquam exstincta fuerit, videre non potuit. Talis igitur est et hic modus loquendi. Non enim poterat vir justus et sanctus etiam cogitare de pollutione uteri, quem auro sui splendoris et sanctitatis ornavit Deus, corporaliter in eo habitans. Totum enim corpus et maxime uterum splendore san-

¹ Cf. Tob. iii, 16.

² Cf. Proverb. vii, 40 et 41.

³ Cf. Marc. iii, 31 : *Et veniunt mater ejus et fratres, etc.*

⁴ Vulgata habet, I Reg. iii, 2 et 3 : *Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverunt, nec poterat videre : lucerna Dei antequam exstinguere-tur, Samuel dormiebat in templo Domini, etc.*

ctitatis ornavit divinitas. Sicut dicitur, Ezechiel. XLIII, 4 et 5, quod cum ingrederetur gloria Domini in templum, resplenduit tota terra a præsencia majestatis ejus. Hoc significatum est, Exod. xxv, 10, ubi præcepit Dominus arcam factam de lignis setim imputribilibus, vestiri intus et extra de auro mundissimo. Quod significat corpus Virginis imputribile per concupiscentiam. Præcepit etiam urnam fieri de auro mundissimo, in quo manna reponeretur, per quam significatur Virginis uterus panem cœli in se habens reconditum.

Surgit autem quæstio hic : quia littera videtur contradicere his quæ ante dicta sunt : quia dictum est, quod desponsatione facta, sponsa sponso assignabatur : ergo ante Annuntiationem convenerunt ad cohabitandum, et sic non est inventa in utero habens, antequam convenirent.

Sed ad hoc dicendum, quod absque dubio, secundum dicta sanctorum Patrum, antequam convenerant ad cohabitandum. Sed ex nimia confidentia sanctitatis Virginis, qua prohibebatur Joseph ab omni mala suspitione habenda de conjugate, libere permisit ire et redire quo vellet. Et ideo recedens ab ipso ad obsequium cognatæ Elisabeth, ultra spatium trium mensium ab eo sequestrata fuit : et antequam convenirent in reditu ipsa et Joseph, facta sunt ea quæ hic dicuntur. Et hæc responsio trahitur a Chrysostomo.

« Inventa est in utero habens. »

Inventa procul dubio a Joseph familiari ejus nutritio. Et hoc est novius omni novo. Nova enim quædam fecerat ante, et fecit post hoc Dominus : quod cæcos illuminavit, quod claudis gressum reddidit. Isa. xxxv, 5 et 6 : *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum,* etc. Matth. xi, 5 : *Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi*

mundantur, mortui resurgunt. Omnibus tamen his facultate et potestate naturæ reddita, nihil mirum quod postea opera vitæ per illas operati sunt facultates. Cæco enim reddito visu, non mirum est si videat : et idem est de aliis.

Sed nunc, causa non habendi in utero manente et custodita et sigillata et consecrata in virgine (quæ est virginitas), « *Inventa est in utero habens,* » mirum in modum. Quod et ipsa miratur dicens, Luc. 1, 34 : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Nullo enim (pro certo) modo fieri posset, nisi per eum cui non est impossibile omne verbum. Hoc est ergo aliorum mirorum mirum, quod natura non potest, gratia non capit, sæcula mirantur, Angeli prædicant, Prophetæ in gaudio spiritus prænuntiant. Jerem. xxxi, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : femina circumdabit virum.* Isa. lxvi, 8 : *Quis audivit umquam tale ? et quis vidit huic simile ?* Apocal. xxi, 5 : *Dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia.* Impossibile omnino hoc pro certo esset, nisi virtus Altissimi obumbraret Virgini. Non enim (alias, tamen) umbram habet virtus Altissimi obscuram et frigidam et tetram, sicut corpus opacum et tenebrosum : sed umbra vocatur hic imago ad similitudinem resultans, sicut forma in speculo resultans *umbra* vocatur. Ad Hebr. x, 1, dicitur : *Umbram habens lex futurorum bonorum.* Et quod sequitur : *Non ipsam imaginem rerum,* dictum est, eo quod veritatem rerum gratiæ, per quas completa est, non habet. Sic igitur (non de inferioribus operibus et virtutibus Dei veniens de altissimis) Altissimi virtus in eam descendens imaginem suam impressit in eam, qua hoc fieri in ea potuit, quod omni creaturæ impossibile fuit, non modo perficere, sed etiam cognoscere. Sic ergo, Apocal. xii, 1 et 2 : *Signum magnum apparuit in cælo : mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et corona in capite ejus duodecim stellarum : et in utero habens,*

clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat. Clamabat quidem potius magnitudine miraculi, quam doloris experientia. Et cruciatus ejus est de conceptis per affectum misericordiæ, in quibus eum quem portavit in utero, formari desiderat. Sicut in Psal. 117, 4 : *Mirificavit Dominus sanctum suum.* Sic, Isa. VII, 14 : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum,* de Virginis conceptu et partu. Sic, Isa. x, 23 : *Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram* ¹. Abbreviatum, inquam, non amputatum, vel mutilatum, videlicet in aliqua parte sui diminutum. Hoc enim, ut Origenes in *Periarchon* dicit, dictum est : Sicut si intelligamus hominem caput in immensum extra cælum porrigentem, et pedes in infinitum per abyssum extendentem, et manus ultra omnem mensuram latitudinis per Orientem et Occidentem expandentem, et tantæ spissitudinis, quod anteriora pectoris et posteriora dorsi omnem excedant mensuram profunditatis extra Austrum et Aquilonem : hic enim homo nobis est invisibilis et incognoscibilis, nec videmus de ipso nisi quiddam interminatum et infinitum. Facio autem imaginem sibi per omnia similem, non æqualem ad longitudinem duorum cubitorum, et statuo illam ante oculos, et dico : Sic sunt manus, et sic oculi, et ita caput, et cætera membra magni hominis, sicut vides in isto : parva enim imago in nulla similitudine deficit a magni hominis imagine. Sicut etiam in fabulis pythagoricis Atlas describitur : sic Verbum abbreviatum fecit Dominus in utero Virginis, non demembratum : quod nobis commensuratum totam ostenderet immensitatem deitatis. Et ideo mira res est istius uteri, in quo virtus resultat Altissimi, et abbreviatio sine diminutione efficitur Filii incarnati : ut brevitatem secundum carnem intelligatur, et permanentia immensitatis secundum deitatem.

In hoc enim deficit similitudo corporalis in duabus inducta imaginibus : quia in verbo abbreviato in uno et eodem Christo est immensitas deitatis et abbreviatio carnis, cui se committitur divinitas : ibi autem immensum et abbreviatum in uno et eodem esse non possunt.

Sicigitur « *inventata est in utero habens* »

« De Spiritu sancto. »

Et in hoc notatur completa et omnimoda ejus sanctitas. Est autem locutio duplex secundum distinctiones Sophistarum (alias, sophisticam) ex compositione et divisione. Hoc enim, *In utero habens de Spiritu sancto*, potest totum referri simul ad participium, *inventata*, vel tantum prima pars, quæ est : *In utero habens* : et sic divisum (alias, divisam) intelligendam esse locutionem istam, inferius ostendit Angelus, quando Joseph cogitante eam dimittere, pro ratione quod non debeat dimitti, assignat de Spiritu sancto esse quod in ea natum est. Cum autem dicitur, *de Spiritu sancto*, præpositio *de* notat potestatem, et non materiam : sicut cum dico, quod iste honoratur, est *de* potestate Imperatoris : et quod ille alius suspenditur, *de* furto : quando tamen furtum non est materia suspensionis, nec rex, vel potestas ejus est materia honoris.

Mentiuntur ergo hæretici Helvidiani, qui dicunt Spiritum sanctum esse patrem Christi secundum temporalem ejus generationem : quia pater est qui de substantia sua generat, quod non fecit Spiritus sanctus. Dictum autem est de hoc in præcæmio.

Tria ergo dicit : « *De.* » In præpositione enim notat potestatem : ut non credas in generatione esse patris alicujus materiam seminalem. Isa. LIII, 2 : *Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiienti.* Radicis enim

¹ Vulg. habet, Isa. x, 23 : *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet*

in medio omnis terræ.

non est radix : et ideo radix prima generationis Christi fuit Verbum Filius Dei, non alia radix : sicut semen dicitur esse radix generationis. Et ideo uterus Virginis terræ sitiēti sive arenæ comparatur, quia nullo virilis humoris semine est infusus. Et, item, Isa. xi, 1, flos dicitur de radice ascendere ¹, quia flos parvuli concepti de radice prodiit deitatis, nec aliam habuit radicem suæ generationis : sicut flos patrem non habet nisi cœlestem, sicut in antehabitis secundum Pythagoram dictum est.

Secundum est, quod dicit « *Spiritus* » operatorem hujus generationis : ut omnino sine carnali concupiscentia factam intelligas. Ad Galat. v, 17 : *Spiritus concupiscit adversus carnem*. Luc. i, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc.

Tertio, dicit « *sanctum*, » ut intelligas gratia plenum. Joan. i, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis*.

A primo habet hæc generatio, quod secundum efficientem causam est divina. A secundo, quod est absque matre peccati originalis, quæ est concupiscentia. A tertio, quod est abundans in reconciliationis gratia. Joan. i, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*.

10

« Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. »

Ecce secunda pars, contra præcedens totum divisa : ubi a Deo ordinatur diligentia obsequii, tam matri quam puero necessaria.

Et hæc dividitur in duo : in quorum prima inducit dubitationem Joseph circa conceptum beatæ Matris et Virginis : ut locum congruum habeat et causam sequens revelatio. Et secundo, inducit ipsam revelationem, obsequium impen-

dendum puero et matri præordinantem.

In primo horum tangit quatuor : quorum primum est ratio obligationis quam habebat ad non dimittendum. Secundum, laus ejus, ex qua fuit idoneitas ejus ab obsequendum. Tertium, pietas et humilitas : quas virtutes habuit inclinantes ad se tantæ sanctitati subducendum. Quartum autem est consilium quod conceperat ad recedendum.

Primum ergo horum est causa obligationis quam habebat ad manendum.

Et hoc est :

« Joseph autem vir ejus. »

A fide sponsionis *vir ejus* dicitur. I ad Corinth. xi, 3 : *Caput mulieris, vir*. Job, i, 3 : *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*. Nec dicitur *vir* ab experientia sexus, quem experta fuerit. Osee, ii, 16 : *Vocabit me : Vir meus : cum tamen nihil carnalis cogitationis (alias, cognitionis) intervenerit, sed tantum sponsionis fides*. Et ideo talis sponsus. Cura quidem est ut pater, sponsione vir, et custodia castitatis : dux virginitatis conjugis. Jerem. iii, 4 : *Voca me : Pater meus, dux virginitatis meæ tu es*.

« Cum esset justus. »

Ecce secundum, ex quo fuit idoneus et ad testificandum de castitate, et ad curam exhibendam in educatione Job, i, 8 : *Homo simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo*. Simile de parentibus Joannis, Luc. i, 6 : *Erant ambo justis ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela*. *Justus* autem dicitur a justitia generali, quæ est omnis virtus lege vel præcepto regulata : virtus enim est in se accepta Deo. Sed quando perficitur ex obedientia legis, tunc quælibet virtus vocatur *justitia*. Si enim injustus non

¹ Isa. xi, 1 : *Et egredietur virga de radice*

Jesse, et flos de radice ejus ascendet.

permittitur enarrare verbum Dei, in Psal. XLIX, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justificationes meas?* etc., multo minus permetteretur tractare et educare.

Sed objicitur : Videtur enim non esse justus, si putabat adulteram, et hanc celare voluit, occulte dimittendo eam. Quia, Levit. v, 1, deputatur crimen illi qui celat criminum. Ad Roman. 1, 32 : *Qui talia agunt, digni sunt morte : et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Glossa, ibid. : « Consentit, qui cum possit arguere ta-
« cet. » Respondeo, secundum Chrysostomum : « Non habuit suspicionem :
« quia credebat possibilis esse quod vir-
« go concepisset, quam quod nefas perpe-
« trasset. » Et ideo dixi, quod ex justitia laudatur de idoneitate ad custodiam castitatis et educationis obsequium.

Potest tamen etiam dici secundum alios, quod justus in dubiis non statim prodit. Sed si crimen certum esset, tunc proderet, si incorrigibilitatem videret. Et, sicut dicit Chrysostomus : « Boni
« animi magis est se habere ad hoc in
« dubiis, quod nocens evadat, quam
« quod innocens condemnetur : quia no-
« cens pœnitere potest, si evadit : inno-
« center autem interfectus non redit ad
« vitam. »

« Et nollet eam traducere. »

Ecce tertium. In quo notantur duæ ipsius virtutes : pietas scilicet ad conjugem, et humilitas ad seipsum. Quia cum dubius fuit, non spiritu zelotypiæ incitatus, statim accusavit eam. Unde ubi nos habemus : « *Nollet eam traducere,* » Græcus sermo habet : « *Nollet eam propalare.* »

Unde Glossa dicit, quod vera virtus est : cum nec pietas sine justitia, nec sine pietate justitia est : quæ virtutes separatæ ab invicem dilabuntur. Jam enim ali-

quid gratiæ accepit ex conceptu conjugis, qui postea et ream et accusatam et convictam, juste et pie liberavit. Juste quidem : quia dixit similem in crimine non debere quemquam accusare. Pie autem, quando eam, quam ipse sine crimine existens condemnare potuit, absolvit Christus, dicens, Joan. viii, 11 : *Nec ego te condemnabo : vade, et jam amplius noli peccare.* Justitia autem Pharisæorum est, quæ non quærit corrigere, sed condemnare, et est separata a pietate, Matth. v, 20 : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Pietas enim est benevolentia in homines, et maxime in parentes. Et ideo illa dulcedine mulcet cor in angore justitiæ, et per clementiam mitigat judicium in pœnæ inflictione.

Aliter exponeretur :

« Nollet eam traducere, »

Scilicet in domum suam ad cohabitandum : quia licet jam traduxerit, tamen quia exierat ad obsequium Elisabeth, oportebat iterari traductionem, et hanc volebat facere propter humilitatem : reputans, quod tam gloriosæ Dominæ (quam Deus Pater Filio, de corde suo sibi consubstantiali genito, matrem præparaverat, et in qua Deus Filius corporaliter habitaverat, et quam Spiritus sanctus sanctificaverat in matrem ejus, de quo secundum processionem æternam procedebat) non esset satis idoneus ad serviendum : passus hoc, quod et Petrus passus est, Luc. v, 8 : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Sicut et Moyses textit oculos, quando vidit ignem in rubo : quod signum fuit deitatis in Virgine ¹.

« Voluit occulte dimittere eam. »

Reputans Deum aut per Angelos, aut

¹ Cf. Exod. iii, 2.

per meliores se homines, diligentiam obsequii exhibiturum, præcipue quia scriptum legerat, Malach. III, 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.* Et illud Psal. CIII, 4 : *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos, etc.*

Et attende pietatem Joseph, cum dimittere deliberaverat, quod esse videbatur severitatis, statim ex seipso temperavit, quod *occulte* disposuit hoc facere : quia si manifeste hoc faceret, secundum legem non poterat facere nisi altero duorum modorum : scilicet aut per iudicium zelotypiæ ¹, et tunc oporteret quod obijceret ei adulterii suspicionem, quam de tanta sanctitate habere non potuit : aut quod daret ei libellum repudii ², et tunc oporteret quod inscriberet ei fœditates viro intolerabiles : quod iterum iurgium facere beatæ Virgini reputavit. Et ideo sicut justus cogitavit dimittere, et sicut pius disposuit non accusare, et sicut sapiens voluit id facere occulte : quia hoc fuit tutius, quod consilio humano poterat invenire : et sicut humilis id poterat facere sine injuria divina, quam credebatur incurrere ex præsumptione.

30

« Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei. »

Istud est secundum, quod dividitur contra præcedens immediatum. Deficiente enim consilio humano justis hominibus, semper adest consilium divinum. II Paralip. XX, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Jerem. XXXIII, 3 : *Clama ad me, et ego exaudiam te : et annuntiabo tibi grandia, et firma quæ nescis.* Ideo fluctuanti inter justitiam et pietatem et humilitatem, sapientiæ humanæ se multum per multa consilia excitare (alias, exci-

tanti) adest divina illuminatio facta per Angelum.

Et dicuntur hic duo. Primo enim inducitur fluctuatio Joseph : quæ dicta est per hoc, quod dicitur :

« Hæc autem eo cogitante. »

Hoc est, cogitante et conferente per diversas rationes in corde. Proverb. XI, 14 : *Salus, ubi multa consilia.* Job, XXIX, 16 : *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.*

Secundum inducitur revelatio facta, cum dicitur : « *Ecce Angelus.* »

Et dicuntur hic duo : Instructio revelantis, et simplex obedientia revelationem accipientis, ibi, ꝑ. 24 : « *Exurgens autem Joseph a somno.* »

In prima harum partium tria dicuntur, scilicet descriptio revelantis, et ejus cui facta est revelatio, et expressio revelationis, ibi, « *Joseph, fili David, etc.,* » et confirmatio rei revelatæ per consonantiam Scripturæ, ibi, ꝑ. 22 : « *Hoc autem totum factum est.* »

Circa primum horum dicitur duo. Describit enim revelantem primo : et eum cui facta est revelatio, secundo.

Revelantem autem describit ab evidentia demonstrabilitatis, ab officio nuntiationis, et ab auctoritate mittentis, et a modo suæ ostensionis.

« Ecce. »

Per adverbium *ecce* notatur demonstrabilitatis evidentia : non enim est res ad sensum vel intellectum demonstrata, cum inducitur, sed quæ sui claritate demonstrat se ipsam : et ideo indicio exteriori non indiget. Sicut dicimus claro die : Ecce sol : et optimum habentes vinum, quod se in omni virtute vini demonstrat : Ecce vinum. Ita puto tanta claritate luminis interni perfusum esse Joseph, ut ipsa claritas fugaret omne

¹ Cf. Numer. v, 14 et seq.

² Cf. Deuteron. xxiv, 1.

dubium, et omne quod debuit sciri de proposito (quod in animoolvebat) impetu uno demonstraret. Act. xxvi, 19 : *Non fui incredulus cœlesti visioni*. Crendendum enim est, quod donum discretionis spirituum habebat. I ad Corinth. xii, 12 : *Alii per spiritum datur discretio spirituum*. I Reg. ii, 27 : *Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui?*

« Angelus. »

Ecce nuntius revelationis, quia Angelus nuntius interpretatur. Zachar. i, 14 : *Angelus, qui loquebatur in me*.

Videtur autem quod per seipsum apparere debuit Dominus : quia dignius, ut appareat in his quæ sunt Filii per seipsum : quia et Patribus per seipsum apparuit. Genes. xxxii, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem*. Job, xlii, 5 : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*. Numer. xii, 8 : *Palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt*.

Ad hoc dicit Dionysius, quod « in tantum custodit Deus legem ordinis naturæ, quem instituit (qui est per prima media, et per media ultima divinis illuminationibus reducere), quod etiam quando Filius ultimam naturam sibi univit, eos qui circa eum erant (tamen in gradu ultimæ naturæ, sicut dicitur, Psal. viii, 6 : *Minuisti hominem paulo minus ab Angelis*) noluit nisi per mediam naturam, hoc est, per Angelos illuminare : ut unaquæque naturarum in gradu suo ministraret circa sacramentum redemptionis. » Et ideo dicit Alexander in libro de *Motu cordis*, quod anima humana illuminationum, quæ sunt a primo ultima relatione (alias, revelatione) est perceptiva : Angelus autem secundum sui naturam prima relatione (alias, revelatione) recipit easdem. » Et hæc re-

¹ Isa. vi, 1 et 2 : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum : et ea quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud*.

sponsio est vera. Cujus signum est, Isa. vi, 6 et 7, cum prophetastaret juxta thronum, non illuminabatur a Deo : sed volavit ad eum unus de Seraphim, et illuminavit, et purgavit eum. Daniel. viii, 16 : *Gabriel, fac intelligere istum visionem*.

Ad id, quod inducitur de Patribus, respondet Augustinus in IV de *Trinitate* (alias, *Civitate*) dicens, quod « omnia, quæ Patribus facta sunt, per Angelos facta sunt : qui Deus et Dominus dicuntur, quia in persona Domini apparuerunt. » Ad Galat. iii, 19 : *Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris*. Non enim esset ratio, quare sapiens Deus ordinem descensus illuminationum confunderet, quem ipse sua sapientia dispensavit. Psal. lxxv, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*, hoc est, a virtutibus angelicis, tuam æternitatem per confirmationem participantibus. Hoc dicit Dionysius significari per ea quæ dicuntur, Isa. vi, 1 et seq. : Ibi enim Seraphim stabant super solium sine medio Deo conjuncti : et ea quæ sub solio erant, replebant templum ¹, hoc est, inferiores illuminationes et splendores ab his qui stabant in folio, replent Ecclesiam militantem.

Sequitur,

« Domini. »

Ecce auctoritas. Non enim erat Angelus Satanæ, qui se transfigurat in Angelum lucis ² : neque spiritus mendax, qui decepit Achab in ore pseudoprophetarum ejus ³. Angelus enim Satanæ mendax est, et pater ejus ⁴, sed Angelus Domini verax, sicut Angelus Domini qui dixit Joanni, Apocal. xxii, 6 : *Hæc verba fidelissima sunt et vera*. Hi enim An-

² Cf. II ad Corinth. xi, 14.

³ Cf. III Reg. xviii, 20 et seq.

⁴ Joan. viii, 44 : *Diabolus... mendax est, et pater ejus*.

geli Domini vere dicere possunt illud epistolæ II Petr. I, 16 : *Non indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam : sed speculatores facti illius magnitudinis.* Hi enim sunt, de quibus dicitur, Matth. XVIII, 10 : *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.* Et dum vident, ipso intuitu recipiunt illuminationes quas sanctis deferunt. Job, XXV, 3 : *Numquid est numerus militum ejus? et super quem non surget lumen illius?* Lumen autem Domini, omnis veritatis est fons et origo et causa.

Iste ergo talis Angelus Domini

« Apparuit. »

Ecce modus per quem se demonstravit. Et attende, quod quædam demonstrantur homini secundum potestatem hominis : et quædam demonstrantur secundum potestatem rerum demonstratarum : quædam autem demonstrantur secundum potestatem superiorum sive cælestium illuminationum.

Et prima quidem, quæ secundum potestatem hominis sunt, ex duplici causa oriuntur. Aliquando enim oriuntur ex corporis passionibus : sicut homo videt et imaginatur, circa quod terribiliter vel concupiscibiliter corporaliter affectus est. Aliquando oriuntur ab ipsa hominis cogitatione. Et utroque istorum modorum sunt ista fallibilia : sicut et ipse homo mendax est. In Psal. CXV, 11 : *Omnis homo mendax.* Ad Roman. III, 4 : *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax.* Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : neque ut filius hominis, ut mutetur.*

Quæ autem sunt secundum potestatem rerum quæ demonstrantur in anima, veriora quidem sunt, sed tamen vana. Et illa sunt, per quorum principia accipimus scientias rerum : sicut quod omne

totum est majus sua parte : Quæcumque uni et eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia : et quod non contingit simul affirmare et negare, et hujusmodi : quæ tamen vana sunt. Et ideo, Apostolus, I ad Corinth. I, 19 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.*

Ea autem, quæ non voluntate hominum, neque ex conjecturis rerum ostenduntur, non secundum potestatem hominum demonstrantur, sed vi illuminationis cælestium, ubi Deus habitat lucem inaccessibilem¹. Et illa veniunt secundum potestatem superioris naturæ in nos descendencia : et illa sola apparent, hoc est, ad nos descendencia apparent : quia de scientia illorum dicitur, Psal. CXXXVII, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam : supra posse enim nostræ facultatis existens, quantum vult, et cui, et quando, et quomodo vult, apparet.* Et hoc est quod dicit Glossa, quæ sumitur de libro Augustini *de Videndo Deo* ad Probam.

« Apparuit. »

Hoc verbo significatur potestas apparentis qui quando vult, et quomodo vult, se exhibet videndum. Et hoc importat verbum *apparitionis*, quod sonat motum illuminationis, vel illuminantis ad animam, non secundum facultatem scilicet animæ, sed superioris naturæ potestatem perfectam.

« In somnis. »

Ecce secundum, ubi describitur dispositio Joseph, cui facta est apparitio. Describit autem dispositionem facientem ad veritatem apparitionis, cum dicitur, « *In somnis.* »

Attende igitur, quod dicitur :

¹ I ad Corinth. VI, 16.

« In somnis. »

Est enim somnus ligamentum sensuum, sicut dicit Philosophus in libro *de Somno et Vigilia*. Hoc autem ligamentum provenit ex eo quod spiritus lucidi et calor naturalis remouentur ab organis sensuum : et frigiditas a cerebro descendens quasi paralyticando immobilizat organa sensuum, quod non immutantur a rebus sensibilibus, etiamsi coram organis præsententur.

Hæc autem frigiditas ex tribus provenit causis. Una est fumus ciborum resolutus ex loco digestionis, hoc est, ex stomacho ad caput, qui ad craneum capitis reverberatur in cerebrum, et resolvitur in aquam phlegmaticam ex ipsa cerebri frigiditate, et propellitur ad sensum sensuum (alias, communem) in principiis nervorum sensibilibus (alias, sensitivorum) qui omnes a cerebro veniunt : et ideo sensu paralyticato, in illis principiis clauditur in toto corpore, et tunc homo, et quodlibet aliud animal dormit, donec ille fumus quiescit. Et de hoc somno dicit Philosophus quod « est « filius apoplexiæ et paralysis. »

Aliquando provenit ex fatigue : quia nimis laborantis (alias, laborando) organa sensuum resolvuntur, et exspirans ex eis spiritus et calor, tunc origines sensuum, hoc est, nervi sensuum a cerebro descendentes ex vicinitate cerebri, iterum infrigidantur et immobilitantur sensus, et tunc iterum animal dormit. Et de hoc dicitur in Ecclesiaste, v, 11: *Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedit.*

Tertia causa est, quando multum convertitur anima ad interiora contemplanda. Tunc enim abstrahitur spiritus animalis et calor ab exterioribus : et spiritus movetur ad interiora, et calor similiter, qui semper sequitur spiritum : et tunc exteriores sensus infrigidantur ex cerebro, in principiis nervorum, qui diriguntur a cerebro in organa sensuum : et tunc iterum homo dormit. Sicut frequenter ob-

dormiunt subtilia cogitantes, et devote orantes. Sicut dicitur in Cantic. v, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.*

Primus igitur somnus est causa visionis fallacis, propter obscuritatem fumi qui reflectitur in (alias, ex) ipso, et obscure recipit formas quas portat : et ex motibus fumi a stomacho dissipat motus earum ex qualitate causatas. Sicut calidus existens facit videri flammam : frigidus, aquam frigidam, vel glaciem, vel aliquid hujusmodi.

Ille autem qui est ex labore, parum facit videre : nisi quod speratur, vel timetur ex labore illo, vel quod in usu habetur ad manus, circa quod sollicitudo est. Et hujusmodi motus sunt etiam in laborantibus ex febre, vel parturitione : ex motibus fumorum, quando labor liquefacit humidum, et fumus ille redundat ad caput. Et omnia taliter visa sunt fallacia. Unde, Eccli. xxxiv, 5 et 6 : *Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium, vanitas est : et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur. Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum, etc.*

In tertia autem causa, somni raro est deceptio : quia non apparent in ea frequenter, nisi veræ intelligentiæ. Et talis fuit somnus sancti Joseph, qui secundum intellectum in agonia fuit, meditando quiddam esset quod in tam sancta imprægnatio apparuit : et sic aversus a sensibus obdormivit.

Sed secundum hoc videtur, quod hæc apparitio fuerit somnium : quia dicit Philosophus quod « Somnium est passio « somni sive dormitionis. » Hoc etiam videtur per Glossam super idem verbum, quæ dicit : « *In somnis apparuit, non « manifesta visione : quia dubietate anima premebatur, velut somno infidelis « litatis. »*

Præterea, Quæritur quare Joseph in somnis apparuit, et Zachariæ et beatæ Virgini manifeste ad sensum. Si enim, ut dicit Glossa, propter dubietatem apparuit in somnis Joseph, multo magis

propter majorem dubietatem in somnis debuit apparere Zachariæ.

Ad hoc dicendum, quod, ut mihi videtur, nulla minoratio est apparitionis sentienda circa Joseph : quia omnia certissima sunt, quæ dicuntur de sacramento nostræ redemptionis : nec talia ad illusiones somniorum sunt referenda.

Propter hoc notandum est, quod aliquando fit revelatio in somnis et per somnium : et aliquando fit revelatio in somnis, et non per somnium : sed aut per oraculum, ut dicitur in *Somnio Scipionis*, aut per veram intellectualem visionem, ut dicit Aristoteles.

Revelatio autem quæ fit in somnis et per somnium, adest quando aliquid futurum præsignatur in imaginaria visione quæ fit in somnis : quia somnium semper habet conjunctam secum imaginariam visionem.

Et hæc revelatio futurorum aliquando est ex causa quæ est in homine : et aliquando est ex causa quæ ab exterioribus agit in hominem.

A causa autem quæ est in homine, est duobus modis : quia aliquando procedit ab eo quod est causa alicujus quod futurum est in homine : aliquando autem procedit ab eo quod jam in homine est effectum. Et primi quidem exemplum est : sicut quando colligitur in homine materia febris, vel apostematis calidi ex calore materiæ, et fumo procedente ab ipsa, videt dormiens in somnio forte se comburi flammis in toto vel in parte : quia anima hoc quod est qualitas in corpore recipit per modum imaginis visæ, quæ congruit illi qualitati. Exemplum autem secundi est : sicut quando distillat phlegma dulce bene digestum et sanguini mistum a cerebro, vel ad dentes, vel ad fauces, somniat se mel comedere. Quod nihil significat, nisi quod jam est in corpore perfectum.

Quando autem est ab extra, dupliciter est. Aliquando enim est a causa ordinis naturæ universalis : aliquando autem est a supermundanis. Exemplum autem pri-

mi : quia stellæ et circuli cœlestes ordinant mundum in causis naturalibus, ut dicitur in libro *Meteororum*. Et quando aliquam dispositionem in mundo producunt, hanc elementis influunt : et illa per istas qualitates a cœlestibus motas et informatas, corporibus hominum imprimunt : et tunc anima, quæ similitudo et imago est motorum (alias, motoris) cœlestium, imagines quæ illud futurum significant, concipit in somnis, quando magis ab aliis occupationibus requiescit : et tunc per similitudines futura illa conjicit per modum conjecturationis.

A supermundanis autem est duobus modis : aut enim est ab Angelis bonis, aut ab Angelis malis. Et si est ab Angelis bonis imagines in somnio ordinantibus, tunc est quidam obscurus modus prophetiæ : sicut somnium Pharaonis, et Nabuchodonosor, et Mardochei. Si autem est ab Angelis malis imagines perturbantibus, tunc est illusio : quia etiam si vera est aliquando visio, tamen intendit semper decipere, sicut ostenditur in somnio uxoris Pilati.

Nulla autem istorum modorum facta est apparitio Joseph. Unde illa apparitio quæ fit in somnis præter somnium, et est per modum oraculi, quando somnus non est nisi aversio animæ a sensuum usu : et tunc ad intellectum spiritus superior immittit species intelligibiles in animam de futuris. Et illa est nobilissima et certissima visio prophetalis, quia tunc anima deoccupata ab omnibus sensuum motibus, tota exaltatur in intellectum, et optime percipit dispositionem Dei de futuris. Ideo laudans certitudinem suæ visionis, Balaam dicit, Numer. xxiv, 3 et 4 : *Dixit homo, cujus obturatus est oculus : dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sit aperiuntur oculi ejus*. Et intendit quod *cadit*, aver-tendo se a sensibus dormiens : ut melius oculi interiores aperiuntur, quo fuerunt obturbati exteriores oculi.

Id autem, quod in somnis est vera in-

telligentia, et non somnium, est quod sit ex intellectu agente de scientiis. Sicut multi dormientes inveniunt subtilia, qui vigilantes invenire non potuerunt: eo quod intellectus a sensibus evocatur, et tunc profundatur circa intelligibilia. Apparatio igitur Joseph est per modum oraculi et certissima.

Ad hoc autem quod objicitur de Glossa, Dicendum, quod illa Glossa partim est moralis, et partim litteralis, sicut et plures aliæ, quæ hic ponuntur. Quod enim dicitur, quod fuit manifesta visio, morale est: sicut non manifesta visione vident pigri circa sacramentum. Quod autem dicitur, quod dubietate animi premebatur, litterale est: et non intelligitur de dubietate credendorum, sed agendorum, concertantibus in eo justitia et pietate et humilitate et sapientia, sicut patet ex antehabitis.

Quod autem quæritur, quare non manifeste ad sensum apparuit, Dicendum, quod sensibilis visio non est nisi propter intellectualem, ut dicit Augustinus in libro XII *super Genesim ad litteram*. Et quia Joseph ex interioribus regere habebat agenda exterius, ideo convenit quod ab interioribus sua revelatio procederet: Zacharias autem et Beata Virgo in corporeis actibus et receptionibus habebant perficere quæ revelabantur, et ideoconveniebat quod corporaliter ad sensum visio eorum exhiberetur. Ex hoc patet, quod sanctus Joseph per somnia, nec ænigmata illuminatus est: sicut et de Moyse dicitur, Numer. XII, 8¹.

Et hoc est, quod dicitur: « *In somnis.* »

« Dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. »

Ecce revelatio. Et habet partes duas: una est de propulsatione dubii circa

agenda, quod patiebatur Joseph: alia est de injunctione obsequii, quod habebat facere tamquam nutritius pueri, ibi, x. 21: *Pariet autem filium, etc.*

Circa primum tria dicit. Primo, exprimit dispositiones Joseph inclinantes ad credendum: secundo, propulsat dubium: et tertio, subjungit causam propulsationis.

Dispositiones inclinantes ad credendum Angelo sunt duæ: notitia amica et familiaris, et admonitio promissionis.

Notitia familiaris notatur in expressione nominis, quando dicit,

« Joseph. »

Joan. x, 14: *Ego cognosco meas, et cognoscunt me mæ.* Jerem. I, 5: *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Isa. XLIX, 1: *De ventre matris meæ recordatus est nominis mei.*

Admonitio promissionis est, quando dicit,

« Fili David. »

Quasi diceret: Recordare cui sit facta promissio de nascituro Christo. Et cum sit tecum, de una tribu, et de domo, et de familia David conjux tua Virgo et sancta, postpone timorem, et accipe securitatem. Jerem. XXIII, 5: *Suscitabo David germen justum: et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra.*

« Noli timere. »

Ecce propulsatio dubietatis. Non enim est hic timor nisi reverentiæ et dubietatis, sicut patet ex præcedentibus.

In ista autem propulsatione tria dicit: Propulsat enim dubium. Isa. VII, 4: *Vide ut sileas: noli timere, et cor tuum ne formidet.* Joan. XIV, 27: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Isa. XXXV,

¹ Numer. XII, 8: *Ore ad os loquor ei, et palam,*

et non per ænigmata et figuras Dominum videt.

4: *Dicite pusillanimis: Confortamini, et nolite timere.*

Secundo, ostendit claram apud Angelos et cœlestes Beatæ Virginis notitiam: et ideo nullam inesse ei malæ suspicionis notam, cum dicit,

« Accipere Mariam. »

Isa. xxvi, 8: *Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ.* Eccli. xv, 6: *Nomine æterno hæreditabit illum.*

Tertio, dicit motivum ad acceptionem, quando subinfert,

« Conjugem tuam. »

Quasi dicat: *Justitiæ recordaberis: patrem et matrem reliquit, et tibi adhæsit: accipe ergo eam.*

Sed nonne jam dudum accepit. Videtur ergo, quod diceret debuit: *Retine eam: et non dimittas eam.* Sed ad hæc responsio est: quod secundum superius dicta cogitaverat eam dimittere, et ita jam corde dimiserat: et ad cor loquitur Angelus. I Reg. xvi, 7: *Homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor.*

Et subjungit causam, dicens:

« Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. »

In ea natum esse dicit: quia in cæteris, quod in eis nascitur, ex eis nascitur, et de eo quod mistum est eis, quia de semine viri. Sed in Beata Virgine, quod in ea natum est, ex ea materialiter natum est: sicut non de ea potestative, sed de potestate Spiritus sancti. Propter hoc, Jerem. xxxi, 22, dicitur fœminam circumdare virum perfectum in sapientia et gratia, et anima et deitate, et figura lineamentorum. Spiritus enim sanctus in ista nativitate præjudicavit naturæ, et prævenit tempus nativitatis humanæ in uno, et non in alio. Naturæ præjudicavit, quando impotentiam concipiendi retinuit, et tamen conceptum attulit: sicut dictum

est superius. Tempus prævenit: quia in momento uno et figuravit, et animavit, et deitati univit, et omni gratia implevit et sapientia. In alio autem commensuravit humanæ generationi: quia tempus novem mensium in imprægnatione complevit, sicut et cæteræ matres imprægnantur.

« Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. »

Ecce injunctio obsequii.

Et circa hoc tria dicit. Primo enim prænuntiat eam fore parituram filium. Secundo, injungit quale nomen illi sit ab eo imponendum. Tertio, subjungit causam nominis.

« Pariet filium. »

Primum ergo est, quod sicut conscius secretorum, dicit eam parituram esse filium. Apocal. xii, 5: *Peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* Isa. vii, 14: *Concipiet, et pariet filium.* Isa. viii, 3: *Accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium.*

Quidam quæstionibus magis vanis quam fructuosis quærunt: Quare non assumpsit Jesus naturam nostram in sexu fœmineo? Ad hoc dicendum, quod fœmina non est principium hominis, sed masculus, ex quo tota natura humana producta est. Et hujus antidotum non fuisset fœmina, sed masculus. I ad Corinth. xv, 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificentur.*

Præterea etiam si assumpta, esset idem in persona cum Filio Dei: et sic idem esset Dei filius et Dei filia: quod absurdum est.

Præterea, hoc convenit officio nostræ

illuminationis per doctrinam et redemptionem : quia non debet prædicare fœmina, nec honeste discurreret de villa in villam. Et aliæ multæ causæ possunt assignari ejusdem. Sed Christus, ut utrumque sexum redimeret, unum assumpsit : et id quod assumpsit, sumpsit ex alio.

« Et vocabis nomen ejus Jesum. »

Ecce obsequium Quasi diceret : Licet non sis necessarius ad conceptum et ad partum, tamen eris necessarius ad nutrimentum : et prima cura tua erit ad nomen.

« Et vocabis nomen ejus Jesum. »

Nec facit mentionem Circumcisionis, in qua nomen imponebatur : quia Circumcisio fiebat per sacerdotium, quod scribere pertinet ad faciem vituli, sicut in præmio dictum est.

Hoc autem nomen si est naturæ, sicut in ante habitis dictum est, æternum est : qualiter ergo nunc dicitur : « *Vocabis ?* »

Adhuc, Luc. II, 21, dicitur, *quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur ?*

RESPONSIO. Nomen istud tripliciter consideratur, quoad tria quæ sunt in ipso. Salvatio enim potest considerari in potestate : ex qua est efficacia salvationis : et sic est æternum, quia habet a natura divina. Et potest considerari in præordinatione : et sic vocatum est ab Angelo cui ordinatio illa patefacta est. Et potest considerari in actu, prout notam facit de re quam nominat. Et sic impositum est a Joseph, nutritio Domini. Isa. LXII, 2 : *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.*

« Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. »

Ecce ratio nominis. Non enim vult quod vacuo nomine nominetur Jesus,

cujus significatio cadit ab effectu : sed quod in effectu ostendat virtutem suæ significationis.

Nec dicit, quod salvabit populum a persecutionibus : sed « *A peccatis eorum :* » quia ab illis nemo alius solvere (alias, salvare) poterat, nisi ipse. Luc. V, 21 : *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus ?* Isa. XLIII, 23 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Osee, XII, 9 : *Perditio tua, Israël : tantummodo in me auxilium tuum.* Ad Tit. III, 5 : *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Isa. LXII, 1 : *Salvator ejus ut lampas accendatur : flammam deitatis habens in testa humanitatis.*

Sed quare dicit : « *Populum suum :* » et non dicit : salvabit omnes gentes : cum hoc perfectius esse videretur ? Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sis servus mihi ad suscitandas tribus Jacob, et fœces Israël convertendas : ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* RESPONSIO. Dicendum, quod secundum effectum salutis, de qua hic loquitur, non salvat nisi suos devotos, sive sint de filiis Israël, sive de gentibus. Daniel. IX, 26 : *Non erit ejus populus qui cum negaturus est.* Act. X, 35 : *In omni gente quæ timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* Et hoc est, quod datus est in lucem gentium. Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.*

Sed adhuc quæritur : Cum Christus non nascatur Joseph, quod etiam significatur in modo loquendi : quia non dicit : *pariet tibi filium,* sicut dixit Zachariæ, de Joanne¹ : sed potius nascatur Beatæ Virgini : quare non injungit impositionem nominis Beatæ Virgini, ut illa vocaret, cui natus est partus ? RESPONSIO secundum Chrysostomum, quod communem usum servavit, ut partum celaret. Communis autem usus erat, quod patres nomina filiis imponebant : et ideo illi injunxit, qui pater fuit putativus.

¹ Luc. I, 13.

Adhuc autem incidit quæstio : Quare Angelus Joseph non instruxit, antequam veniret in agoniam dubii : quia numquam dubitasset, si ante Annuntiationem omnibus plene instructus fuisset ? Ad hoc dicit Chrysostomus, « quod innatum est « hominibus non, ita credere quæ ad « manum non sunt, sed longe futura sic- « ut præsentia. » Et ideo tunc instruxit, cum maxime credibilis fuit instructio. Dicit etiam potest, quod illuminatio divina non datur opportune nisi cum devote et avide petitur, et hoc est, quando homo est in dubiis, et anxius quid faciat. Isa. xxvi, 16 : *In angustia requisierunt te : in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Baruch, III, 1 : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.*

« Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem. »

Ecce pars illa, in qua est confirmatio totius per Scripturam. Et circa hoc dicit duo : quorum primum est, quod historiam refert congruere Scripturæ. Et secundo, inducit Scripturam prophetiæ.

Circa primum inquirenda sunt tria, quorum primum est : Quomodo dicat, « totum, » cum non sit mentio nisi de uno : et totum et omne velint esse ad minus in tribus, sicut dicit Philosophus in primo de *Cælo et Mundo*. Secundum est, qualiter dicatur *factum istud esse, ut prophetia impleatur* : quasi prophetia necessitatem facto imponat ? Tertium est de divisione prophetiæ, quæ est in Glossa, in prophetiam præscientiæ et prædestinationis, et comminationis, sive etiam promissionis.

Et ad primum horum respondet quædam Glossa, dicens quod totum illud de quo fit hic mentio, est in multis : ut scilicet Virgo propinquo suo desponsaretur, ut casta servaretur, ut Angelus per som-

num loqueretur Joseph, sponsam accipere juberetur, ut pueri nomen Jesum vocaret, ut Virgo mundi Salvatorem generaret. Sed hæc responsio videtur inconueniens : quia in prophetia inducta non fit mentio nisi de conceptu Virginis, et partu, et nomine.

Præterea, non idem nomen est in prophetia et impositione nominis pueri : et sic inconuenienter prophetia videtur adduci.

Ad hæc omnia respondendum est, quod Glossa bene respondet secundum prophetiæ intellectum : quia in hebræo est *Alma*, quod est custodia : nec custodia virginibus adhibetur nisi a sponsis : nec desponsari poterant, si hæreditatem habebant, nisi propinquis : et sic de his duobus implicite fit mentio in prophetia. Allocutio autem Angeli consecuta est ex istis, ut patet ex prædictis. Et illa locutio tangitur secundum suam causam. Alia autem in prophetia sunt expressa.

Ad id quod objicitur de nomine, Dicendum, quod nomina conveniunt in significatione : quia *Nobiscum Deus*, idem est, quod in natura nostra : et cum natura nostra Deus, et homo mediator Dei et hominum homo Christus Jesus¹, qui potens est salvare per hoc quod est homo : et ille jure et natura Salvator.

Ad id, quod quæritur de conjunctione quæ videtur esse causalis, Dicendum, quod tales conjunctiones quandoque notant tantum finem, sive terminum operis : quandoque autem notant causam finalem, propter quam fit totum. Verbi gratia : Fabrico ut conjungam ferrum chalybi : quod quando conjunxi, non habeo plus quod operer, et stat ad hunc terminum fabricatio. Dico etiam, quod fabrico, ut consequar intentionem in actu secandi et incidendi : et tunc habeo intentionem ultimam et causam finalem, propter quam est totum et operatio et opus constitutum. Et cum dicitur hic,

¹ I ad Timoth. II, 5 : *Unus Deus, unus et me-*

diator Dei et hominum, homo Christus Jesus.

quod *istud factum est, ut adimpleretur*, etc., non notat nisi terminum. Prophetia enim fuit signum futuri, sicut statim determinabitur. Et ad hoc signum determinata est veritas istius facti : nec esset vera prophetia neque prophetia, nisi factum ad ipsum terminaretur : etenim neutrum est causa alterius. Sed prophetia est signum, et istud factum est signatum.

Et ut hoc melius intelligatur, sciendum quod quædam sunt signa futurorum et non causæ : quædam autem sunt futurorum causæ. Signa futurorum sunt qualitates quædam et indicia causarum : sicut dicimus, quod rubor lunæ signum est pluvie, cum tamen nullus dicat colorem rubeum causare pluviam. Sed quia rubor in luna significat vaporem aqueum jam congregatum esse, et incipere inspissari in aquam, ideo indicando causam, significat futuram pluviam. Similiter futuri facti in nativitate Christi causa est præordinatio et consilium divinum, quod nihil aliud est, ut dicit Gregorius, nisi immobilis dispositio de futuris. Revelatio autem de hoc facta prophetæ non est causa futuri facti, sed signum, per hoc quod est causæ veræ indicium : et hoc dicit Glossa Hieronymi. Nec veritas prophetiæ est immobilis, nisi per hoc quod est signum immobilis causæ de futuris, quæ est Dei consilium.

Ad id, quod tertio quæritur, Dicendum, quod prædestinatio in Glossa accipitur stricte pro eo cuius non est nisi præparatio Dei, et quod homo nullo modo operando præparat. Et hoc est quod ita fit, quod omnino fit sine nostro opere : sicut quod Virgo concepit et peperit, et quod Deus homo factus est. Ad hoc enim nihil operatus est aliquis homo quocumque opere nisi consentiendo quod fiat : sicut Virgo beata consentit, quando dixit : *Fiat mihi secundum verbum tuum* ¹.

Alia autem sunt quæ licet præparet

Deus, tamen aliquid in illis cooperamur ei : sicut illa quæ præparat, ut non periciat sine nobis : sicut est salus hominis. Ad illam enim oportet nos cooperari per meritum. Et in hoc non est totum præparationis divinæ et solius. Et respectu hujus non dicitur prophetia prædestinationis. Aut si dicitur, non dicitur esse respectu ejus, secundum quod est in nobis : sed potius secundum quod non est in nobis operantibus, sed consentientibus tantum : sicut in appositione (alias, in adeptione) primæ gratiæ.

Ea autem quæ sunt in nobis, quæ Deus operatur in nobis nobiscum, illa sunt duplicia. Quædam operatur nobiscum faciendo et informando actum : sicut dicitur, Isa. xxvi, 12 : *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine*. Et, Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere*. Et hoc præscit Deus, ita quod sua scientia causa est operans id quod præscit. Et ideo quoad hoc, et sic respectu illorum dicitur esse prophetia præscientiæ, quando talia per Prophetas prædicat : sicut quod vocandus esset puer Jesus : hoc enim cum Deo operatus est homo.

Quædam facit nobiscum, ita quod sine ipso, et ipse sine nobis operamur idem : sicut est inflictio pænæ. Hanc enim facimus nos, merendo malis operibus, quæ non facit Deus in eo quod mala sunt, sed efficienter infligit pœnam quam meruimus : sed non infligit eam nisi pro nostro malo merito. Sed respectu hujus est prophetia comminationis. Et quia illa pendet ex nostra causa, ideo mutata illa causa, mutatur et comminatio. Sicut et promissio boni mutatur, quando cadimus a bono merito. Et utrumque horum dicitur, Jerem. xviii, 8, ubi dicit Dominus, quod et promissiones boni et comminationes mali mutat propter mutationem operum hominum : sicut est videre in comminatione Ninive ². Tales enim permissiones

¹ Luc. i, 38.

² Cf. Jonæ, iii, 4 et seq.

et comminationes pendent ex nostro, et ideo non fiunt nisi secundum inferiores causas : et stantibus illis, stant : et mutatis illis, mutantur. Et per hæc intelliguntur omnia quæ sunt in Glossa.

93 « Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus ¹. »

Ecce prophetia. Et dicit in ea tria : conceptum videlicet, et partum, et nominis impositionem.

« Ecce virgo in utero habebit. »

Circa primum dicit tria, facti videlicet evidentiam, miraculi excellentiam, et ipsum miraculum. De primo, Isa. XL, 5 : *Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.*

De secundo est, quod virgo manens virgo concepit. Et de hoc dicit Gregorius : « Videte miraculum : mater Domini concepit virgo, virile ignorans consortium. » In cujus figura dicitur, Eccli. xxiv, 21 : *Ego quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mistum odor meus. Libanus candidatio interpretatur : et in hoc designatur Virginis illibata virginitas. Per balsamum autem non mistum designatur sanguis ejus virili semini impermistus. Talis enim est odor ejus, et talis evaporatio habitationis, quam Filio Dei exhibuit. Sic ergo « in utero habebit. »*

Cum autem propheta dicat : *Concipiet*, quomodo Evangelista dicit : « *In utero habebit ?* »

Dicendum, quod in omnibus Evangelium abundat a prophetia : quia in utero

habere plus dicit quam concipere. Et ideo dictum est, quia in utero habuit Filium Dei de Spiritu sancto, sicut etiam supra, v. 20, dixit : « *Quod in ea est natum est, de Spiritu sancto est.* Concipere autem est claudere in utero id de quo fit generatio.

« Et pariet filium. »

Ecce partus. Intelligitur autem, quod pariet virgo. Propter quod, Cantic. iv, 12, dicitur : *Hortus conclusus soror mea, sponsa! Hortus conclusus, fons signatus.* Hortus conclusus, eo quod est cella aromatum, in qua et ipsa aromata crescunt et conservantur. Aromata dico gratiarum. Fons autem propter hoc quod fudit fontem, qui de loco voluptatis æternæ progreditur, irrigans omnem superficiem paradisi, hoc est Ecclesiæ ². Propter quod in alia metaphora dicitur, Cantic. iv, 13 : *Emissiones tuæ paradisi malorum punicorum, cum pomorum fructibus.* Quia quidquid emittit paradisi quidem in dulcedine refectionis et pomorum, fructus sunt virtutum sapore et odore bonæ opinionis (alias, operationis).

« Et vocabunt nomen ejus Emmanuel. »

Ecce nominis impositio : quia ab effectu « *vocabunt nomen ejus Emmanuel.* » Et Evangelista interpretatur dicens, quod hoc sonat « *Nobiscum Deus,* » hoc est, in natura nostra Deus.

Sed videtur, quod prophetia historiæ non respondeat, quia historia dicit, quod vocatur Jesus, hic autem dicit, quod vocatur Emmanuel : et ita male probat quod inductum est.

Ad hoc dicendum, quod licet sit dissonantia in modo loquendi, tamen est concordia secundum rem. Supra enim di-

¹ Isa. vii, 14 : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

² Cf. Genes. ii, 6.

ctum est, quod Jesus ex deitate est in humanitate : et ita causa nominis Jesus importatur per nomen Emmanuel, quia salus est ex hoc quod est nobiscum Deus. I Reg. vi, 7 et 8 : *Timuerunt Philistiim, dicentes : Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes : Væ nobis ! non enim fuit tanta exsultatio heri et nudius tertius, in castris scilicet Hebræorum : Væ nobis !* Proverb. xxxi, 10 : *Procul, et de ultimis finibus pretium ejus.* Procul, hoc est, de longe. De ultimis autem finibus, hoc est, de his qui maxime distant. Et hoc est principium omnium, quod est divinitas : et hoc, quod est finis omnium, quod est humanitas. De his enim conjunctis in unum est pretium Ecclesiæ. II Paralip. xx, 17 : *Dominus erit nobiscum.*

24

« Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini. »

Hic incipit pars illa, quæ est de obedientia Joseph. Et dicuntur in ea tria : quorum primum est velocitas obediendi : secundum, modus obedientiæ : et tertium, obedientiæ expletio.

Velocitas intelligitur per hoc quod dicit :

« Exsurgens autem Joseph a somno. »

Psal. iii, 6 : *Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Ad Ephes. v, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*

« Fecit sicut præcepit ei Angelus Domini. »

Ecce modus obedientiæ simplex : quia sicut præcepit, sic perfecit. Proverb. xxi,

¹ Cf. Commentarium in 1. 18, his verbis : Sed insurgit hic Helvidius hæreticus, etc.

28 : *Vir obediens loquetur victoriam.* Genes. xii, 4 : *Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus.* I Reg. xv, 22 : *Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum.*

« Et accepit conjugem suam. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum : et vocavit nomen ejus Jesum. »

25

Hic ponitur obedientiæ expletio. Et dicuntur quatuor. Primum quod gloriosam in curam accepit. Secundum, quod post acceptionem inviolata permansit. Tertium, quantum et qualiter filium profudit. Quartum, quo nomine Joseph eum vocavit. Et ista patent in littera.

De primo dicit, quod « *accepit* » in procurationem, quia ante hoc acceperat in domum : sed quia animum dimittendi habuit, ideo cum illum deposuit, et consensit eam procurare, dicitur accepisse. Et dicit : « *Conjugem,* » ut tangat vinculum matrimonii, quod est motivum ad susceptionem, præcipue cum ex instructione Angeli jam didicerit, quod nulla causa dimissionis intervenerit. Malach. ii, 15 : *Uxorem adolescentiæ tuæ noli despiciere.* Matth. xix, 6 : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Proverb. v, 18 : *Sit vena tua benedicta, et lætare cum muliere adolescentiæ tuæ.*

« Et non cognoscebat eam donec peperit. »

Hic insurgit Helvidius dicens, quod postea cognovit eam, et genuit ex ea filios, qui *fratres Domini* dicuntur : sed ad hoc responsum est supra ³. Et est similis modus loquendi, sicut dicitur, Genes. viii, 7 : *Corvus... non reverteba-*

tur, donec siccarentur aquæ super terram. Et, I ad Corinth. xvi, 25 : *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus ejus.* Et, in Psal. cix, 1 : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum :* Et sicut dicitur : Non loquebatur inimico suo, donec interfecit eum.

« Filium suum primogenitum, »

Hoc est, principem omnium filiorum Dei : quia *primogenitum* dicitur tribus modis.

Primo quidem modo dicitur inter multos secundo et deinceps genitos, ille qui primus est in generatione. Genes. xlix, 3 : *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, et principium doloris mei,* etc.

Secundo modo dicitur *primogenitum*, quod aperit vulvam, sive sequatur secundo genitum, sive non. Exodi, xiii, 2 : *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus quam de jumentis.*

Tertio modo dicitur *primogenitum*, hoc est, generatio præclarior et dignior. Sapient. xviii, 12 : *Uno momento quæ erat præclarior natio illorum exterminata est.* Et hoc modo accipitur hic. Ad Roman. viii, 29 : *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Apocal. 1, 5 : *Primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.* Sic enim natura genitus, est princeps eorum qui per adoptionis spiritum nati sunt. Eccli. xlix, 17 : *Joseph, qui natus est homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.* Joseph accrescens significat Christum, qui *proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines*¹.

« Et vocavit nomen ejus Jesum. »

Ecce impositio nominis ab effectu, qui superius inductus est. Jerem. xxiii, 6 : *In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter.* Psal. xliii, 8 : *Salvasti nos de affligentibus nos : et odientes nos confundisti.*

CAPUT II.

Quomodo Magi cum muneribus ad Christum natum pervenerint : de Herodis in infantes sævitia, et Christi in Ægyptum exilio ipsiusque reditu in terram Israel.

1. Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam²,
2. Dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum ? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.
3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.
4. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.
5. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ : sic enim scriptum est per prophetam :

¹ Luc. ii, 52.

² Luc. ii, 7.

6. Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel ¹.
7. Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis.
8. Et mittens illos in Bethlehem, dixit : Ite, et interrogate diligenter de puero : et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.
9. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella quam viderant Oriente, in antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.
10. Videntes autem stellam gavisii sunt gaudio magno valde.
11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham ².
12. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.
13. Qui cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum : et esto ibi usquedum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.
14. Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum.
15. Et erat ibi usque ad obitum Herodis : ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum ³.
16. Tunc Herodes, videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde. Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis.
17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem :
18. Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt ⁴.
19. Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto,
20. Dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel : defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.
21. Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel.
22. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire : et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.
23. Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth : ut adimpleretur quod dictum est per prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur.

¹ Mich. v, 2 ; Joan. vii, 42.² Psal. Lxxi, 10.³ Osee, xi, 1.⁴ Jerem. xxxi, 15.

IN CAPUT II MATTHÆI

ENARRATIO.

« Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem Juda in diebus Herodis regis. »

In isto secundo capitulo per totum agitur de Nati manifestatione. Et ideo tres in eo inducuntur historiæ. Quarum prima continet qualiter Natus tam primitiis gentium, quam etiam principibus Judæorum est manifestatus. Sed quia innotescens Herodi ad perdendum est quæsitus, ideo secundo inducitur, qualiter malitiæ Herodis in Ægyptum translatus, et subductus. Et quia sicut ex origine salus est ex Judæis, ideo tertio inducitur historia, qualiter defuncto Herode ex Ægypto est reductus. Et istæ historiæ patent in littera.

In prima harum partium continentur quatuor. Primo, qualiter videlicet Natum inquisiverunt: secundo, qualiter invenerunt, ibi, *ꝯ.* 9: « *Qui cum audissent regem.* » Tertio, qualiter inventum adoraverunt, ibi, in medio *ꝯ.* 11: « *Et procidentes.* » Et quarto, qualiter Herodis dolos evacuaverunt, ibi, *ꝯ.* 12: « *Et responso accepto in somnis.* »

In prima harum duo dicuntur, scilicet qualiter indicio stellæ venerunt in Judæam: et qualiter in Judæa quæsiverunt indicio Scripturæ, ibi, *ꝯ.* 3: *Audiens autem Herodes rex,* etc.

Circa primum istorum quatuor inducuntur: Nati videlicet, qui quæritur, dispositio: Magorum inquisitio: et de stellæ, cujus Natum quærunt, indicio: et inquirentium devotio. Et hæc patent in littera.

De primo tria dicuntur: persona nascentis, locus, et tempus.

De persona nascentis dicit:

« Cum ergo. »

Sicut in præmissis dictum est.

« Natus esset Jesus. »

Prætermittitur autem apparitio pastoribus facta, quam ponit Lucas ¹: eo quod illa per figuram et faciem respicit vituli: quia pastores figura sunt Prælatorum et Sacerdotum. Alia etiam causa est: quia in Judæa, nota Judæis Matthæus præterit, Judæis fidelibus scribens: quæ tamem ignota fidelibus fuerunt qui de gentibus crediderunt, ponit is qui gentibus scribit Lucas.

Sic ergo Rege cœli nato (sicut dictum est) cœli non defuit testimonium, tam in habitantibus cœlum, quam ex ipso cœlo. Habitantes enim cœlum testimonium dant, dicentes: Luc. II, 10 et 11: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Ex ipso cœlo duplex testimonium: luminis videlicet, et stellæ. Luminis, Luc. II, 9: *Claritas Dei circumfulsit illos.* Stellæ autem ut hic. Et sic tres sunt, qui huic nativitati testimonium dant in cœlo: Angelus gaudii et salutis: lumen fidei et cognitionis: stella vero æterni solis. Sed quia salus hæc promissa est David, ideo conveniebat in domo et civitate David nasci salutem.

Et ideo dicit:

« In Bethleem Juda. »

Omittit autem Matthæus qualiter a Galilæa venit in Bethleem. Venit autem, sicut refert Lucas ², *ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante:* quæ præterit, ut nota Judæis fidelibus, quibus ipse scribit.

¹ Cf. Luc. II, 7 et seq.

² Luc. II, 5.

Dicit autem : « *In Bethleem,* » tangens locum.

« *Juda,* » autem ad differentiam alterius Bethleem, quæ erat in Galilæa, in sorte Zabulon sita. Locus autem iste prius dictus est *Ephrata*, ab uxore Caleb ibi sepulta : vel quia frugifer erat. Cum autem accidisset ibi fames, propter quam inde peregrinata est Noemi et Elimelech cum filiis suis, sicut dicitur Ruth, 1, 1 et seq., postea tanta ubertas loco restituta est, quod nomine mutato, *domus panis* vocabatur, quod interpretabatur Bethleem.

Mystice autem hoc significabat, quod post famem diutinam verbi Dei, qui de cælo descendit, ut det vitam mundo ¹, ibi nasciturus erat. Sapient. xvi, 20 : *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore : omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Genes. xlix, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.* Aser *beatus* interpretatur, et significat cæli regem, nos se ipso pascentem : in cujus figura in præsepe positus est : quia homines et jumenta salvat, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam Deus. ²Ecce quare in Bethleem.

Alia ratio est historialis : quia Bethleem erat hæreditaria civitas David, Jerusalem autem non, sed potius erat civitas regni communis.

Et quia promissio facta est David, ideo nascitur in domo David. Et hoc exprimit Lucas, 11, 4, dicens : *Eo quod esset de domo et familia David.* Et hoc exprimit, quia de tribu Juda leo est Christus ³ : et ideo conveniebat eum in sorte sibi hæreditaria nasci. Joan. 1, 11 : *In propria venit, et sui eum non receperunt.*

« In diebus Herodis regis. »

Ecce tempus. Nec fuit iste Herodes Tetrarcha, ut dicunt quidam, sed potius

totam tenebat regni monarchiam : sed filii ejus quatuor regnum in tetrarchias diviserunt, ut inferius patebit. Fuit autem iste Herodes Idumæus, quem Augustus Cæsar Judæis præfecerat, ut rex esset, et tributa Romanis solveret, et Romano pareret imperio. Et ideo etiam milites, qui ibi erant in præsidio et subditi Herodi, Herodiani dicebantur. Fit ergo mentio dierum Herodis regis, et non Augusti Cæsaris, ut sciatur alienigena regnare super Judæos : et ita regnum Judæorum defecisse, et prophetias de tempore natiuitatis Christi esse completas. Genes. xlix, 10 : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est : et ipse erit expectatio gentium.*

Sicut et hic filius natus a gentibus expectatur, Daniel. ix, 24 : « Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio vestra. » Et hæc inducuntur secundum Septuaginta. Sic ergo patet, quod verus rex natus est per prophetiam : et quod ille a gentibus quæritur, et expectatur per eandem. Et ideo dicitur, « *Herodis regis,* » ut nomen ostendat alienigenam, et regnum in Judæis, potestatem, et dignitatem amissam. Et hæc sunt tria, quæ dispositione Nati sunt inducta.

« Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam. »

Hic inducitur gentium inquisitio de Nato, qui est expectatio eorum.

Et dicuntur quinque, scilicet inquisitionis evidentia : qui, et quales, et quanti inquirunt ; unde venerunt : et ubi inquirunt, et qualiter. Et hæc patent in littera.

Evidenter enim et patenter inquisiverunt, ut innegabilis esset inquisitio ejus, qui datus erat in lumine *ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel,* etc ³. Non enim in angulis et cavernis quærebant, sed in propatulo, omnibus

¹ Cf. Joan. vi, 38 et 40.

² Apocal. v, 5 : *Ecce vicit leo de tribu Juda.*

Cf. etiam, ad Hebr. vii, 5.

³ Luc. 11, 32.

putantes inesse devotionem quam ipsi habebant ad eum, credentes verbo Isaiaë, II, 2 : *Fluent ad eum omnes gentes.*

« Magi. »

Dicit qui, et quales, et quanti. Hæc enim tria simul importantur in verbo, *Magi*. Quia Chrysostomus dicit, quod « isti lingua patriæ suæ Magi, sive Magusei vocati sunt. » Et est secundum eum nomen claræ cujusdam nationis eorum, quæ semper pulchris student, et maxime divinis cognoscendis.

Quales autem, quia dicit Glossa quod Magi (alias, Magni) fuerunt, de omnibus philosophati sunt, et maxime in libris Seth studentes, et doctrinis Balaam inhærentes, per doctrinas hujusmodi notitiam stellæ indicio de Christo nato perceperunt. Unde Chrysostomus dicit, quod « ex quo Balaam reliquit discipulos, et « de stella oritura prædixerat, illi qui « Magusei (alias, Magusei) dicti sunt, « duodecim inter se eligentes statuerunt « peritiores et honestiores per generationes suas : qui singulis annis post « messem triticeam secum deferentes necessaria victui, ascenderunt in montem, « qui lingua eorum Victorialis vocabatur : et ibi observabant ortum stellæ « versus terram Jacob, quam orituram « dixerat Balaam. Et si quis eorum moriebatur, alius post eum honestior et « studiosior de genere suo, vel filiis ejus « instituebatur : ne forte præteriret eos « tantum stellæ indicium. Et hoc fecerunt ita diu quousque per annum ante « Virginis partum, quando jam per missionem Gabrielis agebatur Incarnationis mysterium (primo de ortu Joannis, « et postea de ortu Salvatoris) stella miræ claritatis eis apparuit, quæ in se « figura pueri Jesu (alias, parvuli) prætendit, et super se signum crucis exhibuit, et ad Maguseos super montem « Victorialem se demittens ore pueri loquebatur, qui in ea apparuit, et de via « instruxit, quod in Judæam pergerent,

« et in Jerusalem quærent, et ibi per « Scripturas discerent, ubi Christum invenirent. Hi etiam Magi in terram suam revertentes multos converterunt, « et cuidam de discipulis Jesu postea illic adveniendi fideliter adhæserunt, et « Episcopi, et martyres effecti sunt. » Ecce qui et quales isti fuerunt.

Quanti etiam fuerunt, intelligitur ex hoc, quod reges fuisse ab Ecclesia prædicantur. Magi enim grammatice magni sunt. Isa. XLV, 14 : *Viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt : post te ambulabunt, vincti manibus pergent, et te adorabunt, teque deprecabuntur.* Isa. LX, 11 : *Afferetur ad te fortitudo gentium, et reges eorum adducentur.* Nec sunt Magi malefici, sicut quidam male opinantur.

Magus enim et Mathematicus, et Incantator, et Maleficus sive Necromanticus, et Ariolus, et Aruspex, et Divinator differunt. Quia Magus proprie nisi magnus est, qui scientiam habens de omnibus necessariis, et effectibus naturarum conjecturans, aliquando mirabilia naturæ præostendit et educit.

Mathematicus autem duplex est. Mathesis enim idem est quod scientia de separatis, et abstractis : quæ licet secundum esse suum naturale sint in rebus motui subjectis, tamen diffinitione abstracta considerantur : sicut est tota quadrivii scientia. Et hoc non est reprehensibile, sed laudabile. Aliter dicitur Mathesis producta media syllaba, idem quod divinatio per cursus siderum. Et hæc aliquando est bona, et aliquando mala : sicut et ipsi dicunt qui scientiam noverunt. Si quis enim pronosticatur per stellas de his quæ non subjacent nisi ordini causarum naturalium, et sua pronosticatio est de eis secundum quod ordini illi subjacent, et non extendit se ad illa eadem, nisi ea tenus, quo inclinatur ad ea primus ordo naturæ qui est in situ stellarum et circulo, non male facit : sed potius utiliter a multis cavet nocentis, et promovet utilitates. Qui autem non consideratis omnibus, prænuntiat et de

his quæ futura sunt, aliter quam dictum est, trufator est et tyrannus, et abjiciendus.

Incantator autem est, qui carminibus quibusdam bestias, aut herbas, aut lapides, aut imagines ad quosdam parat effectus.

Necromanticus autem dicitur a græco νεκρός quod est *mortuus* latine : qui divinat in mortuis, vel in umbris dæmonum, sive mortuorum.

Augur autem est, qui in garritu, volatu, aut sessione avium divinat.

Aruspex autem qui in aris sive in extis animalium ante aras immolatorum divinat.

Divinatores autem multi sunt valde : in punctis terræ, et casu ignis, et aqua, et in aere divinantes.

Et præter hos sunt sortilegi et in pytho-nibus divinantes.

Nulli istorum dediti fuerunt isti nisi magicis, hoc modo, prout dictum est. Et hoc est laudabile.

Hi autem magi

« Ab Oriente venerunt. »

Ecce unde venerunt. Præpositio *ab* potest notare locum a quo moti sunt : et potest notare causam.

Si notat locum, tunc venerunt a finibus illis : et dicuntur fuisse de finibus Persidis, quæ est versus Orientem et Aquilonem respectu Jerusalem et Judææ : et est fere collateralis anteriori Indiæ, nisi quod India plus est ad meridiem. Et consuetudo illius gentis est multos habere reges pro rectoribus civitatum et provinciarum, et quosdam quibusdam substituere. Et ex hujusmodi regibus fuerunt isti. Et licet Glossa dicat, quod scitur quod plures fuerunt, nescitur tamen quot fuerunt numero, tamen tota Ecclesia reputat tres fuisse viros sapientissimos, qui pro habitu sapientiæ reges omnium fuerunt aliorum. Et hoc est, quod

dicit Psal. LXXI, 10 : *Reges Tharsis et insulæ munera offerent : reges Arabum et Saba dona adducent*. Fuerunt autem homines illi semper studiosi : propter quod et regina Saba venit inde audire sapientiam Salomonis ¹.

Si autem præpositio *ab* notat causam, tunc verbum « *Oriente*, » quod sequitur, non dicit speciale locum : sed dicit id quod fuit super terram emergens de cœlesti prodigio. Et est sensus : « *Ab Oriente*, » hoc est, propter id quod ortum est nobis de signis ejus cœlestibus. Et hoc dignum est, quia et ipse sol est justitiæ, qui tunc ortus est in terris. Zachar. vi, 12 : *Ecce vir Oriens nomen ejus, et subter eum orietur, et ædificabit templum Domino*. Job, 1, 13 : *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*. Conveniens enim fuit Orientales venire, in quibus ortum est lumen fidei et cognitionis suæ : quando *per viscera misericordiæ suæ visitavit nos oriens ex alto : illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* ².

« Jerosolymam. »

Ecce quo (alias, quomodo) venerunt ad caput regni et caput sacerdotii.

Venientibus enim in Judæam, ad tempus dispensative stella se occultavit propter tria. Quorum unum et principale est, ut inquirentes testimonia legis et prophetarum, cum in dono (alias, indicio) stellæ concordare perciperent, et sic certiores essent de Christi nati regno et deitate.

Secundum est, quod per eos principibus Sacerdotum et Scribis et populo rex natus innotesceret : et sic minus excusabiles fierent. Ad Roman. 1, 21. *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum*. Et

¹ Cf. III Rég. x, 1 et seq.

² Luc. I, 78 et 79.

sequitur, *ꝯ. 23: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.*

Tertium est: ut ipsa occultatione instruerentur de tribus. Unum, quod scirent quantum facit malorum societas, quæ lumen cæli occumbere facit. Jerem. II, 12 et 13: *Obstupescite, cæli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: me enim dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Secundum, ut ipsa occultatione stellæ scirent lumen natum a talibus vulpibus et lupis fore occultandum, sicut inferius patebit. Tertium, ut eo ipso scirent notitiam regis nati a Judæis esse occidentem, et gentibus orituram. Malach. I, 11. *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus,* etc.

Secundum primam igitur causam Jerusalem venerunt. Ibi responsa legis erant et prophetarum, sicut dicitur, Isa. II, 3: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.*

« Dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? »

Ecce qualiter inquirunt. Et tanguntur duo: fidei videlicet certitudo, et loci ubi sit natus inquisitio.

Fidei certitudo ex duobus (quæ in quæstione certa relinquunt) intelligitur: scilicet quod natus sit, et quod in regnum Judæorum sit natus. Propter quod et ipse Pilatus secundum omnes Evangelistas quasi certus de hoc, inscripsit titulo, quod Rex esset Judæorum. Et hoc Judæi opponerant sibi pro causa mortis, quod eis specialiter datum erat in causam salutis. Daniel. IX, 26: *Occidetur Christus: et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Dixerunt enim: *Non habemus regem, nisi Cæsarem*¹.

Sed quæritur: Unde fuerunt tam certi? Quod enim de nato certi essent, potest dici quod fuerunt ex ortu stellæ. Sed quod Rex sit, non videtur haberi ex stellæ indicio.

Et ad hoc dicendum, quod hoc habebant ex prophetia Balaam, Numer. XXIV, 19: *De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis.*

Quærunt ergo ubi sit: de aliis duobus certum relinquentes. Præcipue autem Judæis hoc certum esse debuit, propter tempus quod prædixerat Daniel, quod tunc recte fuit expletum. Ita quod nec minus. Et ideo regnum omnino defecerat, et ad alienigenam fuit devolutum. Et in hoc vituperabiles et inexcusabiles sunt Judæi. Jerem. VIII, 7: *Milvus in cælo cognovit tempus suum: turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Matth. XVI, 4: *Faciem ergo cæli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire!* Quærunt igitur ubi sit. Cantic. I, 6: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, in uberibus matris: ubi cubes, in sinu matris: in meridie, plenæ lucis tuæ, ne vagari incipiam.* Cantic. III, 2: *Surgam, et circumibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.*

« Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. »

Hæc est particula in qua ostendunt stellæ novi regis indicium.

Et dicunt quatuor: scilicet, modum certificationis eorum, quia, « *Vidimus.* »

Etenim.

Segnius irritant animum demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Certificantes describunt secundo, quia vidimus « *stellam,* » quæ fallax indicium esse non potest. Et ne maneat confusus

¹ Joan. XIX, 15.

noster animus per signi communitatem, vidimus stellam « *ejus*, » scilicet sibi propriam, quæ non aliud loquitur nisi novam regis nativitatem. Et ne credatur diu orta, et sic tempus non determinans, vidimus eam « *in* » primo suo « *oriente*. » Et ideo de tempore et nato rege non quærimus, sed solum de loco, quem non nisi communem nobis stella indicavit, hoc est, Judæam.

De primo igitur dicunt :

« Vidimus, »

Non visu exteriori tantum, sed intus per intellectum advertentes prodigium. Joel, II, 30, et Act. II, 19 : *Dabo prodigia in cælo sursum, et signa in terra deorsum*. Luc. X, 23 : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*.

« Stellam. »

Numer. XXIV, 17 : *Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel*. Baruch, III, 34 et 35 : *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt : vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus : et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas*. Et attende, quod isti lumen lumine requirunt : cæli regem cæli lumine petunt. Isa. LX, 3 : *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui*.

Hæc autem stella differebat in quinque a stellis aliis secundum omnes communiter, natura videlicet, situ, motu, claritate, et significatione.

Natura, quia corruptibilis fuit, et non de natura cæli : et ideo peracto officio conversa fuit in præjacentem materiam. Et hoc conveniens fuit : quia lumine vero invento, alio lumine non indigemus. Et ideo etiam fides est ex parte, et deficit quando secundum (alias, per) speciem contemplantur¹. Isa. LX, 19 : *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, neque splendor lunæ illuminabit te : sed*

erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam.

Situs autem ejus fuit, quod non fuit in alto cum aliis stellis in firmamento, sed in spatio hujus aeris vicina loca terræ tenebat. Non tamen erat cometes, qui in ortibus et in mortibus regum apparere solet : qui est ut facula ardens, et non stat diu. Job, XXXVIII, 33 : *Numquid nosti ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra*. Hujus enim stellæ ratio in terra in spatio hujus aeris posita est. Et hoc conveniebat, quia etiam incorruptum lumen cælorum Domini ad nos se humiliando descenderat. Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*.

Motu etiam differebat, quia cum aliæ omnes tam veræ stellæ quam illæ quæ cometæ vocantur, in circuitu rotentur : hæc sola recta linea tendebat ab Oriente qui est versus Aquilonem, ad Occidentem : declinans ad meridiem versus Judæam, ubi erat Christus. Job, XXXVIII, 18 et 24 : *Indica mihi, si nosti, omnia... Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram?* Et ideo dicitur oriri super Judæam, quia ortu suo tendebat ad eam. Et hoc erat conveniens, quod ad solem sicut omnis alia stella declinaret : aquilonem frigidum et tenebrosam relinquens diabolo, qui in eo sedet², et ad meridiem calidam et luminosam sanctorum habitationem festinaret. Isa. LX, 1 et 2 : *Venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos : super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur*.

Claritate autem (quia clarior omnibus aliis videbatur) differebat (I ad Corinth. XV, 41 : *Stella a stella differt in claritate*) convenientissime. Continuis enim radiis accedendo ad verum solem, accipit augmenta lucis. Proverb. IV, 18 : *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque in perfectam diem*.

¹ I ad Corinth. XIII, 12.

² Cf. Isa. XIV, 13.

Significatione : quoniam aliæ stellæ (quæ *faciles* a mathematicis dicuntur) non solæ significant, sed collectæ omnibus quæ sunt in periodo partibus et stellis. Hæc autem sola dedit gloriæ Christi significationem; eo quod ille venerat, in cuius dispositione et providentia omnia sunt, stellæ, signa et dispositiones. Et obsequio suo, significavit totum quod fecit : causaliter autem faciendo, nihil omnino. Et hoc et etiam præcedens dicuntur, Sapient. VII, 29 et 30, de sapientia, quod est *super omnem dispositionem stellarum : luci comparata invenitur prior. Illi enim succedit nox : sapientiam autem non vincit malitia.* Quidquid est in periodo luminis et fortunæ secundum vanitatem fallacem geneaticorum acceptum, totum vincitur malitia ejusdem periodi, quæ in stellis et partibus ejus accipiuntur.

De fatalibus autem stellis utrum sint, vel non sint, vel quid efficiunt, vel quid non : non est hic locus determinare. Sed hoc dicimus cum Augustino, quod « ad « corporum immutationem flatus valent « siderei, non autem ad permutationem « animorum libero arbitrio præditorum. » Hæc autem stella fuit « *ejus*, » hoc est, pueri nati Regis.

Est autem « *ejus* » quadrupliciter : efficienter, figuraliter, obsequialiter, et finaliter.

Efficienter : quia eam fecit, ut ostenderet quod ipse est qui stellas creavit.

Figuraliter : quia, Genes. xv, 5, semen, in quo benedicendæ sunt omnes gentes, stellis comparatur, in signum quod omnes sicut stellæ fulgebunt, qui in ipso benedictionem consequuntur.

Obsequialiter : quia sibi obsecuta est, adducendo primitias gentium.

Finaliter : quia non est nisi propter gloriam ipsius et laudem.

De primo, Genes I, 16 et 17 : *Fecit Deus stellas. Et posuit eas in firmamento cæli, ut lucerent super terram.* Psal. cxxxv, 9 : *Stellas in potestatem noctis, supple, fecit.* Venit enim stelliferi conditor cæli in ter-

ram in noctem ignorantiae hujus : et sicut primo produxit stellas in ornatum suæ habitationis, quod est cælum, ita nunc terram, quam in habitationem elegit, nova stella, lumine scilicet suæ cognitionis, decoravit. II ad Corinth. IV, 6 : *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.*

De figura autem : quia omnes suos ut stella (alias, stellas) radiare facit. Ad Philip. II, 15 : *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Daniel. XII, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

De obsequio, Job, xxxviii, 7 : *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei ?*

De fine, Eccli. XLIII, 10 : *Species cæli gloria stellarum, mundum illuminans in altissimis Dominus.*

Sic ergo

« Vidimus stellam ejus. »

Hæc stella per lumen est purgans ignorantiae et cæcitatatis tenebras, et manifestans, arguendo concupiscentiæ latebras. Per motum enim est directio errantium : per situm autem repressio superbiæ arrogantium : per significationem, confusio et detestatio geneaticorum : et per transitum, suspirium et desiderium contemplativorum.

Lumen enim ejus purgat ignorantiae et cæcitatatis tenebras per veri luminis cognitionem : eo quod sicut dicit Psalmus xxxv, 10 : *In lumine ejus videbimus veræ fidei et scientiæ lumen.* Quod, Joan. I, 5 et 9 : *In tenebris lucet, et illuminat hominem venientem in hunc mundum.* Et quia castitatis lumen est, manifestat latebras et turpitudinem immundæ concupiscentiæ : sicut dicitur, Job, xxiv, 15 : *Oculus adulteri observat caliginem, dicens : Non me videbit oculus.*

Per motum dirigit. Luc. II, 31 et 32 : *Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gen-*

tium. Job, xxix, 3 : *Ad lumen ejus ambulabam in tenebris.*

Per situm humiliat, quia descendit. Psal. cxliii, 5 : *Inclina cælos tuos, et descende.* Isa. lxiv, 1 : *Utinam dirumperes cælos, et descenderes : a facie tua montes defluerent.*

De confusione geneaticorum, Isa. xlvii, 13 et 14 : *Stent, et salvent te augures cæli, qui contemplantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos.*

Per transitum autem est suspirium contemplativorum, quibus omne lumen parvum est respectu interni luminis, quod concupiscunt. Tob. v, 12 : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video ?*

Sic ergo « *Vidimus stellam ejus* »

« *In Oriente.* »

Vel, nos existentes « *in Oriente,* » vidimus stellam ejus super Judæam. Vel, existentes « *in Oriente,* » vidimus stellam ejus in Oriente existentem. Et hoc est probabilius, quia stella præcedebat eos : quod non fecisset, si super Judæam apparuisset. Psal. cxii, 3 : *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.* Isa. xliii, 5 : *Ab Oriente adducam semen tuum.*

« *Et venimus adorare eum.* »

Hic tangitur devotio quærentium.

Tangunt autem laborem itineris : et tantus labor itineris fuit in hoc quod tanto terrarum spatio venerunt. Quia Chrysostomus dicit, quod « spatio unius « anni et tredecim dierum iter per-
« fecerunt. » Alii autem dicunt, quod in tredecim diebus in dromedariis venientes, iter unius anni spatio tredecim dierum perfecerunt. Sed non est probabile, quod aliquod animal sit quod annum motum spatio tredecim dierum perficere possit. Et ideo de hujusmodi

dromedariis nihil legitur apud philosophos. Sed etsi esset, corpus humanum tantum motum in tam brevi spatio sustinere non posset. Nec possumus dicere, quod miraculum fuerit, cum de hoc penitus nihil dicat Evangelium. Sed hoc certum est, quod magnum et longum itineris laborem sustinuerunt. Genes. xxix, 20 : *Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Daniel. iii, 41 et 42 : *Et nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam : ne confundas nos.*

Sic ergo vadunt « *adorare eum* » adoratione patriæ sicut verum Dominum. Ad Hebr. i, 6 : *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Psal. lxxv, 4 : *Omnis terra adoret te, Deus.* In hoc enim notatur fides divinitatis ejus.

« *Audiens autem Herodes rex, turbatus est.* »

Hic incipit inquisitio facta per Scripturas.

Habet autem paragraphos tres : in quorum primo continetur de nato Rege perturbatio, quæ tamen utilis fuit ad hoc, ut diligens per Scripturas fieret inquisitio. In secundo continetur Scripturæ de loco nativitatis ejus evidens attestatio. In tertio, dolosa Herodis de inquirendo puero simulatio. Et hæc patent in littera.

Adhuc, in primo horum duo dicuntur : malignorum videlicet perturbatio : et diligens de loco nativitatis pueri inquisitio.

Circa primum ponuntur duo : perturbatio regis, et turbatio civitatis.

Turbatio regis continetur in quatuor. Primo enim ponitur turbativum, et hoc fuit auditus eorum quæ dicebant Magi. Secundo, dicitur quis turbatur, « *Herodes,* » versipellis in dolo, et glorians in pellibus exterius coloratis in ambitione mundi. Tertio, subinfertur causa, cum dicitur : « *Rex.* » Putabat enim amit.

tere regnum Judææ cum esset alienigena nato rege, ad quem regnum hæreditario jure devolvebatur. Quarto, ponitur ipsa turbatio sequens irrationabilis et proterva, cum dicitur : « *Turbatus est.* »

« Audiens autem. »

De primo horum sciendum, quod Magi ut viri boni, bonum nuntium apportantes, læta putabant nuntiare regi et civitati, personantes novitatem novi regis. Malignitas autem Herodis in malo accipiebat auditum in malo cordis sui ad tristitiam et dolorem. Psal. cxī, 10 : *Peccator videbit, et irascetur : dentibus suis fremet et tabescet* : tamen Dei providentia desiderium peccatorum peribit. Isa. xxi, 3 et 4 : *Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me.*

Sic ergo talem auditum cum audiret

« Herodes. »

Versipellis in dolo, glorians in pelle pompæ sæculi. Luc. xii, 32, vocatur Herodes *vulpes* a Domino propter dolum. Thren. v, 18 : *Vulpes ambulaverunt in eo.* Et naturam vulpis ostendit infra, quando clam vocatis Magis devotionem simulavit, ut efficacius noceret. Canticorum, ii, 13 : *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas*, hoc est, occultas machinationes : Ecclesiam de nato demoliri nitentes. Iste idem est pelliceus gloriosus, vel glorians in pellibus : exteriorem pompam in regno mundi ambiens. Hic enim cæli Rege nato turbatur. Psal. lxxvii, 5 et 6 : *Turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, et iudicis viduarum.*

¹ Cf. Hymnum Epiphaniæ ad II Vesperas :

Crudelis Herodes, Deum
Regem venire quid times ?

« Rex. »

Ecce causa turbationis. Quia est (alias, cum) rex, timebat privari regno per regem verum regni hæredem : sed Ambrosius dicit :

Hostis Herodes impie,
Regem venire quid times ?
Non arripit mortalia,
Qui regna dat cælestia ¹.

Unde, Joannis, xviii, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.*

Iste ergo frustra hac de causa

« Turbatus est. »

Sicut oculus infirmus sordibus plenus, de clarissimo turbatur lumine. Sapient. xvii, 10 : *Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis : semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia.* Genes. iv, 6 : *Quare iratus es ? et cur concidit facies tua ?* Hinc respondetur, Sapient. xvii, 12 : *Dum ab intus minor est expectatio, majorem computat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat.*

« Et omnis Jerosolyma cum illo. »

Ecce turbatio civitatis valde irrationabilis.

Et sunt tres causæ turbationis civitatis : quarum una fuit in Principibus, qui locum et potestatem amittere timebant, non regnante impio rege, cum et ipsi impii fuerunt. Secunda fuit in vili et irrationabili plebecula, quæ prona in malum turbatur cum rege malo, propter applausum et consensum in malo. Tertia fuit in quibuslibet etiam bonis : quia sciverunt Herodem ita malum, quod nisi tristarentur, ipse occideret eos, ut secum quocumque modo tristarentur. Unde

Non eripit mortalia.
Qui regna dat cælestia.

etiam in morte sua præcepit occidi nobiliores, ut ex hoc plangere cogerentur, et non gaudere de morte sua.

De prima harum dicitur, Proverb. xxix, 12: *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.* Joan. xi, 47: *Collegerunt pontifices et Pharisæi consilium.* Et sequitur, ꝑ. 48: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem.* Unde hanc etiam quidam dicunt esse quartam causam turbationis: quia principum fuit edictum, quod nullus se deum, vel regem faceret, nisi per auctoritatem eorum: et timebant, quod si surgeret inter eos rex, quod extirpandus esset locus et gens, et ipsi a potestate deponendi.

De secunda dicitur, Osee, vii, 6: *Appliquerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis rex.* Jerem. v, 31: *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis: et populus meus dilexit talia.*

De tertia dicitur, Isa. xxxii, 7: *Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii.*

Sic ergo

« Omnis Jerosolyma cum Herode turbata est. »

Quilibet enim aliquam istarum causarum habuerunt turbationis, præcipue propter prophetiam Balaam, Numer. xxiv, 19, ubi dicitur de Jacob: *Erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis.*

4 « Et congregans omnes principes sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. »

Hic ponitur diligens de loco nativitatis pueri perquisitio.

Et dicuntur duo. Primo enim dicit diligentiam Herodis in congregandis illis, a quibus probabilius inquisitio fieri poterat. Secundo autem dicit diligentiam inquisitionis.

In primo horum dicit, qualiter congregavit generaliter omnes, in quibus erat aliqua auctoritas: per quorum metum alii, quod scirent, dicere cogerentur.

Et hoc est, quod dicit:

« Congregans omnes principes sacerdotum, »

Hoc est, Pontifices.

Et deinde dicit diligentiam congregationis eorum in quibus erat eminentis scientia, hoc est,

« Scribas populi. »

Illi autem, qui approbati fuerunt magistri, et sermones eorum scribebantur, Scribæ dicebantur. Matth. xxiii, 2 et 3: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite.* Et, Luc. xi, 52, dicitur, quod hi tulerunt clavem scientiæ¹.

Et quid?

« Sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. »

Ecce diligentia inquisitionis. Isa. viii, *Inite consilium, et dissipabitur: loquimini verbum, et non fiet.* Psal. lxiii, 7: *Defecerunt scrutantes scrutinio.* Et forma verbi *sciscitabatur* notat frequentiam, quia formam habet verbi frequentativi: quia diligenter et frequenter quæsit. Joan. vii, 34: *Quæretis me, et non invenietis: et ubi ego sum, vos non potestis venire.*

« At illi dixerunt ei: In Bethleem

¹ Luc. xi, 52: *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, etc.*

Judæ: sic enim scriptum est per Prophetam:

Et tu Bethleem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. »

Hic ponitur evidens attestatio Scripturæ de nato Rege.

Dicuntur duo: Primo enim edocti per Scripturam, veritatem respondent. Secundo, Scripturæ testimonio responsionem probant.

Dicunt igitur:

« In Bethleem. »

Nasciturum Christum.

Et addunt:

« Judæ. »

Ad differentiam cujusdam Bethleem, quæ fuit in Galilæa, in tribu Zabulon. De Juda enim debuit nasci Christus. Genes. XLIX, 8 et 9: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ in cervicibus inimicorum suorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda.*

Et inducunt testimonium, dicentes:

« Sic enim scriptum est per Prophetam. »

Michææ, v, 2: *Et tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, etc.*

« Et tu, Bethleem, terra Juda, etc. »

Attende, quod in testimonio isto tria dicuntur. Primo enim locus describitur. Secundo, dignitas ejus exprimitur. Tertio, ratio dignitatis ex nativitate Christi ibi futura.

Dicit ergo:

« Et tu. »

Quasi dicat: Licet alias civitates metropolitanas de potentia, et divitiis, et gloria laudaverim: tamen,

« Et tu, Bethleem. »

Non illa, quæ est in Galilæa, in sorte Zabulon: sed

« Terra Juda. »

Et potest esse, quod de se dicunt Sacerdotes et Scribæ ad majorem expressionem: quia Propheta dicit: *Et tu, Bethleem Ephrata.* Cujus ratio superius in principio istius capituli dicta est¹.

Et addunt dignitatis ejus expressionem, dicentes:

« Nequaquam minima es in principibus Juda. »

Hoc est, in principibus (alias, principalibus) civitatibus Juda. Dicitur enim *princeps civitas*, ubi est thronus principis, eo quod illa jure et libertate et privilegiis principatur aliis. Et intelligitur ex hoc eminens dignitas: quia ex quo nequaquam minima est inter civitates principes aliarum civitatum, multo magis dignitate excellit omnes alias.

Sed videtur hoc contrarium ei, quod dicit Propheta: *Et tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda*, hoc est, parvulus vicus es in sorte Juda, in qua sunt vicorum et villarum et civitatum millia. Ergo secundum Prophetam minor est aliis, non dico principibus civitatibus, sed etiam vicis. Responsio est quod Sacerdotes ponunt sensum Prophetæ, non verba. Intendit Propheta, quod licet parvulus vicus sit propter paucitatem habitatorum, tamen ma-

¹ Cf. enarrationem in §. 4 cap. II, pag. 60.

ximi est privilegii. Sicut patet ex sequentibus prophetiæ Isaiæ, LX, 13 : *Locum sanctificationis meæ, et locum pedum meorum glorificabo.*

Et subjungit rationem :

« Ex te enim. »

Sicut ex loco nativitatis.

« Exiet. »

De utero Virginis.

« Dux. »

Deuter. xxxii, 12 : *Dominus solus dux ejus fuit : et non erat cum eo deus alienus.* Exod. xv, 13 : *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti.*

« Qui regat populum meum Israel. »

Ecce actus ducis qui regit, quia ducem regem vocat. Sicut et Genes. xlix, 10 : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus.*

Hinc arguuntur Sacerdotes et Scribæ de tribus : de proditione, de ignorantia, et de malitia.

De proditione : quia secreta Dei consilia deliberate (alias, deliberatione) prodiderunt impiissimo cani Herodi contra illud quod dicitur, Tob. xii, 7 : *Sacramentum regis abscondere bonum est.* Et, Matth. vii, 6 : *Nolite dare sanctum canibus : neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

De ignorantia autem, quia nescientes verba Prophetarum, non adducunt Scripturam sicut jacet : cum tamen nihil mutandum sit in sacro eloquio. Job, xxix, 22 : *Verbis meis nihil addere audebant, et super illos stillabat eloquium meum.* Malach. ii, 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est.*

¹ Mich. v, 2.

De malitia arguuntur : quia hoc tantum de prophetia inducunt quod potuit provocare Herodem, et tacent hoc quod mitigare poterat ferocitatem ejus. Non enim dicunt nisi id quod loquitur Propheta de temporali nativitate, de qua turbatus fuit Herodes : et de æterna tacent, quod sequitur : *Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis* ¹ : quod si addidissent, cogitasset Herodes, quod æterna sunt quæ dicuntur, et non temporalia regna requirit Christus : et mitigatus fuisset, et cessasset persequi.

« Tunc Herodes, clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. »

Et mittens illos in Bethleem, dixit : *Ite, et interrogate diligenter de puero : et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.* »

Iste est tertius paragraphus : in quo continetur dolosa Herodis et callida de inquirendo puero simulatio.

Et dicuntur quatuor : quorum primum est diligens temporis ortus stellæ indagatio clam a Magis facta. Secundum, Magorum in Bethleem, ubi natum esse cognoverat missio. Tertium, ut personam pueri investigarent fraudulenta injunctio. Quartum, ut omnibus his cognitiss, sibi renuntiarent, petitio. Et hæc plana sunt in littera.

« Tunc Herodes, clam vocatis magis. »

Circa primum istorum duo dicit : quod clam vocavit Magos semotis Sacerdotibus et Scribis : ne ab eis forte de ferocitate ipsius præmunirentur (alias, præmonerentur), quia timebat quod aliqui gauderent de nato Rege, et illi de dolis ejus præmunirent (alias, præmonerent) eos.

Et etiam ideo, quia quod inter plures dicitur, facilius manifestatur. Volebat autem hoc verbum Herodes esse occultum, ne per famam publicaretur : et quod probabilius fieret quod ex devotione puerum inquireret. Isa. xvi, 3 : *Ini consilium, coge concilium : pone quasi noctem umbram tuam in meridie.* Ignorabat enim id quod dicitur, Sapient. 1, 8 : *Qui loquitur iniqua, non potest latere : nec præteriet illum corripens iudicium.* Et post modicum, x. 9 et 10 : *Sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius : Quoniam auris zeli audit omnia.*

Secundo, tangit diligentiam inquisitionis temporis, ut cognito jam loco a Sacerdotibus et Scribis, discat tempus a Magis. Ita quod non restet nisi personæ interfectio, cognita persona.

Et hoc est :

« Diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. »

Ut ex ætate pueri facilius persona dignosceretur. Non attendit quod dicitur, Sapient. 1, 1 et 2 : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis querite illum : quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum.*

« Et mittens eos in Bethleem. »

Ecce secundum : missio scilicet Magorum in Bethleem, quam jam noverat esse locum nativitatis. IV Regum, vi, 32 : *Numquid scitis quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum.* Psal. liv, 24 : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.*

« Ite, et interrogate diligenter de puero. »

Ecce tertium : injunctio scilicet frau-

dulenta de personæ pueri indagazione. Jerem. ix, 8 : *Sagitta vulnerans linguas eorum, dolum locuta est.*

Nec dicit :

« Interrogate »

Quis, vel ubi sit puer.

Sed

« De puero, »

Ut omnes circumstantias, quæ de puero erant, investigaret : ut sic omnibus, quæ de puero erant cognitæ, nullo modo latere vel effugere posset. Sed, Proverb. 1, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Psal. lvi, 7 : *Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.*

« Et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens, adorem eum. »

Ecce quartum : ut omnibus his cognitæ, sibi renuntietur.

Et dicuntur tria. Primo enim tangit quod certificentur ante renuntiationem, cum dicit : « *Et cum inveneritis.* » Secundo, sibi petit renuntiari certissime inventum, cum dicit : « *Renuntiate mihi.* » Tertio, simulatio, ne deprehendatur, adjungit devotionis causam, cum dicit : « *Ut et ego veniens, etc.* »

Iste deridetur. Job, xi, 7 et seq. : *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies ? Excelsior cælo est, et quid facies ? profundior inferno, et unde cognosces ? Longior terra mensura ejus, et latior mari. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei ? Idem, Job, ix, 12 : Quis dicere, Deo scilicet, potest : Cur ita facis ?*

① « Qui cum audissent regem, abierunt. »

Hæc est pars, in qua agitur de pueri inventione.

Et tanguntur quatuor, quorum primum de recessu Magorum ab Herode. Secundum, de iterata stellæ apparitione. Tertium, de gaudio quod habuerunt ex stellæ restitutione. Quartum, de pueri per stellæ stationem inventione. Et hæc patent in littera.

« Qui cum audissent regem, abierunt. »

Circa primum duo tanguntur : auditus videlicet Herodis, et recessus ab eo. Putabant enim Herodem ex devotione puerum quærere : et ideo audierunt eum, proponentes sibi in animo omnia renuntiare quæ injunxerat. Proverbior. xxvi, 24 et 25 : *Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei : quoniam septem nequitiae sunt in corde illius.*

« Et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. »

Ecce secundum de iterata stellæ apparitione.

Et dicuntur tria, scilicet ejusdem quæ modo apparuit, ad eam quæ in Oriente apparuit, identitas. Quia si alia fuisset, confusus esset animus eorum : utrum idem significasset, quod prior significavit. Et deinde, dicitur stellæ præcessio in via. Tertio, statio ejus supra locum ubi erat puer.

Stellæ restitutio significabat hoc quod dicit, Isa. lxii, 1, quod egressus fuerat ut splendor justus fidelis animæ, et

¹ Isa. lxii, 1 : *Propter Sion non tacebo : et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur.*

² Epist. Judæ, §. 13, loquitur de quibusdam

salvator ejus velut lampas est accensus¹.

Præcessio significabat directionem viæ fidelium ad ipsum. Psal. v, 9 : *Domine, deduc me in justitiæ tuæ : propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam* Psal. lxxxviii, 16 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.* Isa. lx, 3 : *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.*

Per stationem supra, ubi erat puer, significabat quietem sanctorum in lumine Dei invento. Ad Coloss. i, 12 : *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Psal. xxvi, 1 : *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo ?*

Stetit enim,

« Supra, ubi erat puer. »

Et hoc justum fuit, ut stella staret ad solem, a quo accepit illuminationem.

« Videntes autem stellam, gavisissimi sunt gaudio magno valde. »

Ecce tertium : gaudium de restitutione stellæ.

Et tangit duo, scilicet stellæ certam discretionem, et mirabilem de hoc exultationem.

Dicit ergo :

« Videntes, »

Hoc est, optime discernentes.

« Stellam. »

Oportet enim examinare ea quæ apparent : quia sicut dicitur in Epistola Judæ, §. 13 : *Quædam sunt sidera errantia quæ ducunt in errorem², per hoc quod*

pravis hominibus, quos vocat nubes sine aqua, arbores autumnales, fluctus feri maris, tandem, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum

contrā cursum cœlestem movere dicuntur. II ad Corinth. XI, 14 : *Ipse Sathanas transfiguratur se in Angelum lucis*, ut efficacius decipiat. Et, in Apocal. XII, 4 : *Tertia pars stellarum trahitur non motu cœli, sed cauda draconis*¹. Et ideo, I Joan. IV, 1, dicitur : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt*.

Et hoc est :

« Videntes autem stellam. »

Sic igitur certissime discernentes eam.

« Gavisi sunt gaudio magno valde. »

Quoniam de restitutione stellæ gaudebant.

De directione per antecessionem gavisi sunt,

« Gaudio magno valde. »

Aut de statione supra, ubi erat puer : quia terminum significabat longi itineris et fructum magni laboris. Valde autem gaudebant de inventione. Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : dedisti lætitiā in corde meo*. Hi enim cum in lumine vultus Dei ambularent, in nomine suo exultaverunt tota diē. Esther, XI, 11 : *Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt*. Cum luce enim stellæ, ortus est eis sol justitiæ, Christus Deus noster

« Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria, matre ejus. »

Ecce quartum : de pueri inventione.

Et dicit tria. Quorum primum est, quod certi de indicio stellæ domum intraverunt. Secundum, quod puerum invenerunt. Tertium est societas, quam

habebat secum. Et hæc patent in littera.

Primo ergo,

« Intrantes domum. »

Videtur autem non fuisse domus : quia Luc. II, 7, dicitur esse *diversorium* : quod fuit tectum inter duos parietes, ad divertendum potius quam ad habitandum. Potest dici quod illud diversorium vocatur hic domus : vel potest dici, quod primo propter multitudinem profitentium in civitate non poterat habere domum, sed postea illis recedentibus, et Joseph manente propter curam puerperii invenit domum. Sed primum est magis consonum dictis Sanctorum. Et in hoc commendatur fides Magorum : quod nihil exteriorum considerantes, eum quem in diversorio et in stabulo invenerunt, regem et Deum esse confessi sunt. Indicium enim stellæ plus attenderunt, quam omnia quæ ad mundi pertinent ambitionem. II ad Corinth. VIII, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis*.

« Invenerunt puerum. »

Non divina, sed puerilia prætendentem : ut scirent vere esse humanatum propter hominem. In stella quidem ostendit se esse Deum : et per hanc, majestatem Dei (quæ intus latebat) agnovērunt. Sed in se, non nisi bonam pueritiam, puram et innocentiam simplicitatem prætendit.

Et ideo,

« Puerum. »

Non ætate tantum, sed etiam actu, Sadoc, puer dicuntur invenisse. Iste est Sadoc, puer egregiæ indolis, ut dicitur, I Paralip. XII, 28, et Isa. XLII, 1, secun-

¹ Apocal. XII, 4 : *Et cauda ejus, scilicet draconis, trahebat tertiam partem stellarum cœli*.

² Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*.

dum litteram Septuaginta : « Ecce puer meus electus, quem elegi : posui super eum spiritum meum ¹. » Puer vero a puritate vocatur.

« Cum Maria, matre ejus. »

Nec fit mentio de Joseph, ne aliquid malæ suspicionis oriretur, ut quidam dicunt. Sed hoc frivolum mihi videtur, quia nihil talium in malam suspicionem induxisset Magos. Unde ideo non fit mentio ejus, quia Magis ostendebatur divinitas ejus, in qua nihil operis habebat Joseph : mater autem cum Deo in filio communicavit : et ideo fit mentio ipsius.

Admiratione autem dignum est, quod non viderunt curiæ regalis frequentationem (alias, frequentiam), et pro palatio diversorium : pro throno, præsepium : pro purpura regali, fascias conscissas : pro splendore et cultu regio, stabulum. Et tamen hæc omnia in domo Herodis videntes, ab ipso divertunt : et nihil horum apud puerum inveniunt, eum Regem mundi esse confessi sunt.

« Et procidentes adoraverunt eum. »

Hæc est pars illa, in qua circa inventum fidei suæ devotionem habebant.

Et dicuntur duo : adoratio videlicet, et oblatio.

Adoratio in duobus consistit : in prostratione, et oratione.

Prostrationem notat, cum dicit :

« Et procidentes. »

Prostratio, toto corpore facta, recognitionem significat, quod homo de se nihil est nisi pulvis et cinis. Resurrectio autem significat, quod erigitur ex pulvere manu Creatoris et plasmatoris, ut dicit Damascenus. Exod. iv, 31 : *Audie-*

runt quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum : et proni adoraverunt. Psal. cxxxii, 7 : *Adoravimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Et præcedit, x. 6 : *Audivimus eam in Ephrata : invenimus eam in campis silvæ, scilicet in condense mundi hujus. Introibimus in tabernaculum ejus, hoc est, in diversorium : et tunc adorabimus, etc.* Isa. xlv, 14 : *Te adorabunt, teque deprecabuntur.*

« Adoraverunt eum. »

Ecce oratio. Psal. xxviii, 2 : *Adorate Dominum in atrio sancto ejus.* Genes. xliii, 28, secundum litteram Septuaginta : « Cum inveneritis, adorate eum super terram.

« Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. »

Tangit oblationem. Et dicit tria, scilicet munerum præparationem : munerum oblationem : et munerum specificationem.

De præparatione dicit :

« Apertis thesauris suis. »

Thesaurus dicitur theca auri. Et in hoc significatur abundantia. Tob. iv, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Matth. xii, 35 : *Bonus homo de bono thesauro, cordis scilicet sui, profert bonum.*

« Obtulerunt ei munera. »

Genes. xliii, 11 : *Deferte viro munera.* Isa. xix, 21 : *Colent eum in hostiis et in muneribus.* Exod. xxiii, 15 : *Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

¹ Vulgata habet, Isa. xlii, 1 : *Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, ... dedi spiri-*

tum meum super eum, iudicium gentibus profert.

« Aurum, thus et myrrham. »

Ecce munerum specificatio. Et tradunt communiter Sancti, quod specificatio munerum, professio est fidei Magorum. Aurum enim obtulerunt in signum regalis dignitatis, quia fideles venerat congregare in regnum. Thus autem, in professionem deitatis, quia thus Deo incenditur in signum cordis, per devotionem ascendentis in Deum, et in signum redolentiae gratiæ bonitatis divinæ. Myrrham autem, in professionem mortalitatis ab omni corruptione putredinis conservatæ et conservantis mortis.

De primis duobus, Isa. LX, 6 : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.* Unde et terra Persidis (unde isti venerant) Sabea a quodam fluvio Saba dicto, vocata est.

De myrrha, Cantic. v, 5 : *Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.*

De auro, Aggæi, II, 9 : *Meum est argentum et meum est aurum.* Apocal. III, 18 : *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Cantic. v, 11 : *Caput ejus aurum optimum.* Hæc notitia regalis est regni Christi.

De thure dicitur, in Psal. cXL, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Levit. II, 1 et 2 : *Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, similia erit ejus oblatio: fundetque super eam oleum, et ponet thus, ac deferet ad filios Aaron sacerdotes: quorum unus tollet pugillum plenum similæ et olei, ac totum thus, et ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino.*

De myrrha simul et thure. Cantic. III, 6 : *Ascendit per desertum sicut virgula fumî ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii.* Cantic. IV, 6 : *Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.* Beatus Gregorius in quadam Homilia dicit, quod « aurum si-

gnificat regalem dignitatem, thus autem pontificalem : quia, ad Hebr. IX, « 11, dicitur : *Pontifex futurorum bonorum, etc.* : myrrha autem odoramentum virtutum in vita. Psal. XLIV, « 9 : *Myrrha, et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis.* Myrrha enim, quæ marcescere non potest, « significat virtutes sapientis, quæ non « marcescunt. Sapient. VI, 19 et seq. : « *Custoditio legum, consummatio incorruptionis est : incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.* »

« Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. »

12

Hic incipit pars illa, ubi excluditur dolus Herodis.

Et tanguntur duo : præmunitio scilicet per oraculum divinum, et obedientia eorum.

Præmunitio autem oraculi continet tria : modum, tempus et oraculum.

Modus est, quia per modum responsionis datum est. Non dubium quin semper a Deo corde quærent, ut viam eorum in pace dirigeret : et huic desiderio respondet oraculum. Deuter. IV, 7 : *Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Simile est, Exod. XIV, 15, ubi non ore, sed corde clamanti Moysi Dominus respondet : *Quid clamas ad me ?* Psal. XXXI, 8 : *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos, etc.*

« In somnis. »

Qui non est nisi aversio (alias, versio) spiritus et animæ a sensibus et strepitu exteriori ad interiorem cordis contemplationem, sicut superius diximus ¹. Job, III, 13 : *Nunc dormiens silerem, et somno*

¹ Cf. enarrationem in §. 20 cap. I, pag. 48.

meo requiescerem. Psal. iv, 9 : In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

« Ne redirent ad Herodem. »

Ecce oraculum : ostendit puer, quod dicitur, Joan. ii, 24 et 25, quod non credebatur semetipsum Herodi, et non erat ei opus, ut quis ferret testimonium de homine : ipse enim novit quid esset in homine¹. Job, xii, 16 : *Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur. Proverb. xi, 9 : Simulator ore decipit amicum suum : justus autem liberabuntur scientia.*

« Per aliam viam. »

Ecce obedientia. Et dicuntur duo : cautela videlicet, et salus redeuntium.

Cautela : quia non per Herodem, sed per aliam viam. Proverb. xiv, 12 : *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Et attenditur horum Magorum fides et humilitas. Turpe enim est honestis viris benigne receptis, sine resalutatione quasi fugitivos recedere. Et hanc turpitudinem elegerunt in se potius quam puerum proderent Herodi. Sapient. xvii, 2 : *Fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.* Unde et Laban in simili facto arguit Jacob, Genes. xxxi, 27 : *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, etc.*

« Reversi sunt in regionem suam. »

Ecce, quod salvi reversi sunt ad propria. Genes. xxviii, 15 : *Ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc.* Tob. v, 21 : *Bene ambulatis : et sit Deus in itinere vestro, et Angelus ejus comitetur vobiscum.* Psal.

¹ Alludit ad hæc verba Joan. ii, 24 et 25 : *Jesus non credebatur semetipsum eis, scilicet Judæis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei*

cxx, 8 : Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, etc.

« Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph. »

13

Hic incipit secunda pars istius capituli : in qua postquam innotuit puer, caveatur ei a dolo Herodis.

Et habet duas partes : in prima quarum malitiæ Herodis puer Dei providentia subducitur. In secunda, per apertam malitiam fraus Herodis detegitur, ibi, y. 16 : « *Tunc Herodes videns quoniam illusus, etc.* »

Prima harum habet tres partes : in quarum prima ponitur revelatio facta de fuga in Ægyptum : in secunda, obedientia Joseph : et in tertia, confirmatio facta per prophetiam. Et hæ partes patent in littera.

Circa primam istarum tria dicuntur : tempus videlicet revelationis, dispositio revelantis et ejus cui fit revelatio, et revelatio ipsa.

De tempore dicit :

« Qui cum recessissent. »

Hoc est, cum Magi jam recessissent. Non quidem statim, sed interpositis his quæ Lucas, ii, 22, dicit quadragesimo die accidisse, de Purificatione et Præsentatione Salvatoris in templo, quia illa facta sunt ante fugam in Ægyptum.

« Ecce Angelus Domini. »

Ecce secundum. Et tangit duo : dispositionem scilicet revelantis primo, et dispositionem ejus cui fit revelatio secundo.

non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine.

Revelantis dispositionem dicit per quatuor :

Per evidentiam, ne dubitetur. Act. x, 3 : *Is, scilicet Cornelius, vidit in visu manifeste... Angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi.*

Per officium, quia Angelus est nomen officii, ut Dei nuntium esse sciatur. Malach. III, 1 : *Ecce ego mitto Angelum,* etc.

Per eum cujus est nuntius, ne Satanæ angelus esse credatur.

Per modum apparitionis, quando dicit :

« Apparuit. »

Ne humana visio esse credatur. Et de his dictum est superius ¹.

Describit autem dispositionem ejus, cui facta est revelatio :

Per qualitatem sensuum, cum dicitur :

« In somnis. »

Et per nomen, cum dicit :

« Joseph. »

Aversus enim a sensibus, superioribus se inseruit luminibus Angelorum, sicut dicitur in Psal. cxxxviii, 11 : *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Nox est sensuum obscuritas. Mich. vii, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Et hoc est, quod dicitur, Exod. xix, 9 : *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis.* Caliginem non habitat Dominus, sed potius lucem inaccessibilem, sicut dicitur, I ad Timoth. vi, 16. Sed caligo est obscuritas sensuum omnium, luce spirituum et animæ festinante ad altissimam intellectus revelationem : ut tota simul convoluta anima, certius et luculentius percipiat ea quæ apparent.

De Joseph autem facit mentionem propter sanctitatem : ut sciamus tam sanctum

virum cum Angelis habere familiaritatem, et ideo crebras ab eis habere revelationes. Unde, Apocal. xxii, 90, dicit Angelus : *Conservus tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum,* etc.

« Dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus. »

Ecce hic ponitur revelatio, et dicit quatuor : quorum primum est imperium ut curam gerat de puero et matre. Secundum, de subductione pueri in Ægyptum. Tertium, de mora in Ægypto. Et quartum est ratio istorum omnium. Et hæc per ordinem patent in littera.

Circa primum tria dicit : evigilationem scilicet ad actum exteriorem, curæ impositionem, et quibus cura est impendenda.

De evigilatione ad actum exteriorem a somno contemplationis dicit :

« Surge. »

Hoc est, sursum te age, exterius magna operare. Daniel. iv, 10 : *Vigil, et sanctus de cælo descendit,* circa quem est vigilandum Proverb. viii, 34 : *Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.* II ad Timoth. iv, 5 : *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto.*

« Accipe puerum et matrem. »

Hoc est, curam impende : quia jamdudum acceperat in habitationem. Et dicit «*puerum* » primo, quia dignitatem habet per se, et prior debet esse in cura, et postea matrem : quia dignitas in (alias, et) cura matris est propter puerum. Nec fit mentio quod dicatur, conjugem tuam, quia jam inductus fuit quod voluit dimittere eam. Et ideo quod ma-

¹ Cf. enarrationem in v. 20 cap. 1, pag. 47.

gis attendit Joseph quam conjugium, hoc fuit, quod fuit mater pueri. Et ideo etiam non dicitur, puerum tuum, quia sibi, ut patri, puer ille non est natus, sicut Zachariæ ut patri, natus est Joannes, Luc. i, 13 : *Pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.* Si autem mentio fieret de conjugio, apud minus peritos videretur aliquid habere in puero. Nunc autem tamquam procuratori Domini sui et dominæ suæ dicitur : *Accipe puerum et matrem ejus.* » Ad Galat. iv, 2 : *Sub tutoribus et actoribus est usque ad tempus præfinitum a patre.*

Sic ergo dictum sit de cura et de puero et matre, quibus cura impenditur.

« Et fuge in Ægyptum : et esto ibi usque dum dicam tibi. »

Hic tangit subductionem pueri in Ægyptum.

Et dicit duo : fugam, et locum quo fugiendum est.

Dicit igitur :

« Fuge. »

Et mirabile videtur, qualiter dicit debere fugere eum, qui de Spiritu sancto natus est, qui Deus est, qui Salvator et præsidium est omnium et refugium. Proverb. xviii, 10 : *Turris fortissima, nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur.*

Si dicas, quod humana voluit ostendere. Contra, Luc. iv, 29 et 30, ubi etiam humana ostendit in hoc quod permisit se duci ad præcipitium montis, et tamen postea transiens per medium eorum ibat invisibilis. Et ita videtur hic debuisse facere : quia si inventus fuisset ab Herode, omnibus fuisset parcitum infantibus : et tamen sicut vellet, posset se subducere, ne occideretur. Ad hoc dicunt tam Chrysostomus, quam alii Sancti, quod « dispensativa est fuga « ista, ne divinitatem ante tempus ostenderet : et sic humanitas phantastica

« et non vera putaretur, sicut Manes « hæreticus dicebat : et ut suos, quando « soli quærentur ad mortem, fugere « doceat per exemplum, Matth. x, 23 : « *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* »

Ad hoc, quod objicitur de Luca, quod transiens per medium illorum ibat, Dicendum, quod hoc fuit tempore prædicationis, quando sermo confirmandus erat per miracula : nunc autem fuit tempus, quando nuper humanitatem assumpserat, cujus veritas erat comprobanda per infirmitates humanas. Ad Hebr. ii, 17 : *Debit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret.*

« In Ægyptum. »

Ecce quo fugiendum.

Et sunt duæ causæ assignandæ, quare potius in Ægyptum dicit fugiendum, quam in aliam terram : quarum una est, quia ibi magis vigeat idololatria, quam ipse destruere venerat. Isa. xix, 1 : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti.* Unde dicitur, quod in ingressu in Ægyptum non fuit templum, in quo non corrueret idolum : sicut in egressu filiorum Israel non fuit domus, in qua non jaceret primogenitus mortuus. Nubes autem levis est caro non onerata peccatis, solo cælesti calore formata, sicut nubes. Habacuc, iii, 13 : *Percussisti caput de domo impii,* etc.

Secunda causa est, quia multis plagis plagaverat Ægyptum : ingreditur ergo, ut tot plagas una suæ præsentis visitatione sanaret. Isa. xix, 22 : *Percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam : et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos.* Unde dicitur, quod Ægyptii ædificaverunt altare Deo qui prostravit idola, et sanavit eos a plagis. Isa. xix, 19 : *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus.* Dicitur etiam, quod habitavit Dominus

in civitate Ægypti, quæ Heliopolis, hoc est, civitas solis vocabatur. Isa. xix, 18 : *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum. Civitas solis vocabitur una.* Et in hac eadem civitate vidit beatus Dionysius et Apollophanes eclypsim solis in die passionis dominicæ ¹.

« Et esto ibi, etc. »

Hic tangitur mora Domini in Ægypto. Nec tangitur determinatum tempus secundum propriam temporis quantitatem, sed indeterminate præcipitur, quod maneat usquequo redire præcipiat. Nec hujus causa est quod Angelus nesciat quamdiu morari in Ægypto debeat, sed ideo est, quia jam Joseph devotum et paratum ad omnia fecerat. Et ideo quantumcumque temporis in exsilio et in labore esse debeat, jucundum sit ei et devotum : et videantur ei dies pauci, præ amoris magnitudine. Nec quærit ab Angelo quamdiu : quia paratus est in omne tempus omnem puero et matri sollicitudinem impendere.

Et hoc est :

« Usque dum dicam tibi. »

Psal. lxxxix, 4 : *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesternæ quæ præterit.* Non enim causatur pondus diei et æstus, qui totum obsequium vix unius horæ esse reputat ². Sapient. viii, 9 : *Proposui hanc adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, scilicet suis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei.*

« Futurum enim est ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. »

Hic assignat fugæ inductæ rationem.

Et tangit tria : quorum primum dicit præscientiam : secundum, Herodis fraudulentiam : tertium autem, malitiam.

Providentia tangitur per hoc quod dicitur, quod

« Futurum est. »

Et objicitur, quod si futurum est, de necessitate eveniet : et sic providentia rebus imponit necessitatem. Ad hoc dicendum est secundum supra dicta, quod hæc prædictio non est nisi signum futuri, et non causa. Et si dicas, quod non ex dicto, sed ex providentia arguitur necessitas futuri, Dico, quod providentia de inquisitione futura, est sicut causa prima, quæ non tollit causalitatem a causa proxima. Et quia illa est voluntas Herodis : ideo non sequitur, quod sit futurum ex necessitate, sed ex voluntate : quia necessitas, et possibilitas attribuuntur rebus ex causis proximis, et non ex primis : quia primo primæ causæ non sunt in rebus, nec aliquid ponunt in eis, licet aliquem ponunt ordinem respectu rerum futurarum. Si autem dicas, quod ille ordo est necessarius, et sic redit idem quod prius, Dico, quod ille ordo est voluntarius, non necessarius : quia Deus nulli subjicitur necessitati. Scilicet voluntas illa ordinata per providentiam est immobilis, sed illa immobilitas est suppositionis, et non necessitatis. Isa. xlii, 8 : *Ex tunc audire te feci, et annuntiavi.* Joan. xvi, 13 : *Quæ ventura sunt annuntiabit vobis.*

« Ut Herodes quærat puerum. »

Ecce Fraudulentia.
Sed quare dicit,

« Quærat, »

Et non quæsiturus sit puerum, ex quo

¹ Cf. Commentarios in opera B. Dionysii Areopagitæ, tomo XIV hujusce novæ editionis

pag. 1019.

² Cf. Matth. xx, 12.

est futurum? **RESPONSIO.** Herodes quæ-
sivit a Magis, et adhuc corde tractat
inquisitionem: sed futura est inqui-
sitiō illa sola, quæ fuit per necem pue-
rorum. Ut ergo notet et præsentiam et
futuritionem, dicit futurum esse, ut quæ-
rat puerum. E contra dicitur, Sapient.
x, 11 et 12: *In fraude circumvenien-
tium illum affuit illi, et honestum
fecit illum. Custodivit illum ab ini-
micis, et a seductoribus tutavit il-
lum.*

« Ad perdendum eum. »

Ecce malitia Herodis. Isa. x, 7: *Ad
conterendum erit cor ejus, et ad inter-
necionem gentium non paucarum.*
Exod. xv, 9: *Evaginabo gladium meum,
interficiet eos manus mea.*

14 « Qui consurgens, accepit puerum
et matrem ejus nocte, et secessit in
Ægyptum. »

Hic incipit pars illa, quæ est de obe-
dientia Joseph.

Et dicuntur quinque. Primum est obe-
dientiæ celeritas. Secundum est cura
pueri et matris imperata per Angelum.
Tertium, tempus fugæ ex qualitate aeris.
Quartum, fuga. Quintum, mora. Et hæc
omnia patent in serie litteræ.

De primo dicit:

« Qui consurgens. »

Hoc est, simul corpore et mente sur-
gens, tota velocitate et devotione. Pro-
verb. xxii, 29: *Vidisti virum velocem in
opere suo? coram regibus stabit.* Pro-
verb. vi, 3 et 4: *Discurre, festina,
suscita amicum tuum: ne dederis som-
num oculis tuis.* Psal. cxxxii, 4 et 5: *Si
dederō somnum oculis meis, et palpebris*

¹ Cf. enarrationem in versiculum præceden-
tem.

*meis dormitationem: et requiem tempo-
ribus meis, donec inveniam locum Do-
mino.*

« Accepit puerum et matrem ejus. »

Expone sicut supra ¹. Genes. xliii, 9:
*Ego suscipio puerum: de manu mea
require illum. Nisi reduxero, et reddide-
ro eum tibi, ero peccati reus in te omni
tempore.*

« Nocte. »

Hoc non dixerat Angelus. Quare ergo
fecit illud? **RESPONSIO.** Angelus dixerat
implicite, quando dixit, quod fugeret:
quia de die fugiens latere non posset.
Adhuc, significat noctem infidelitatis esse
in cordibus Judæorum, ablato ab eis
vero lumine. Joan. i, 5: *Lux in tenebris
lucet, et tenebræ eam non comprehende-
runt.* Ezechiel. xii, 12: *Et dux qui est
in medio eorum, scilicet filiorum Israel,
in humeris portabitur, in caligine egre-
diatur.*

« Et secessit in Ægyptum. »

Ecce quartum, fuga in Ægyptum. Et
hoc est supra expositum ².

« Et erat ibi usque ad obitum Hero-
dis. »

15

Hoc est quintum, de mora. Et videtur
non convenire superioribus: quia dixe-
rat Angelus, quod maneret ibi usque
dum diceret ei: hic autem non facit
mentionem de hoc usque ad obitum He-
rodis. **RESPONSIO.** Idem est: quia Angeli
dictum et obitus Herodis in uno tempore
fuerunt, sicut in sequentibus patebit.
Dicitur autem, quod septem anni fluxe-
runt ab ingressu Domini in Ægyptum

² Cf. Ibidem.

usque ad exitum de Ægypto. Et quid interim fecerit Dominus, vel quid passus sit, ignoratur. I Machab. II, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam.* Psal. CXLV, 4 : *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

« Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi Filium meum. »

Hæc est pars, in qua ponitur confirmatio præinductorum per Scripturam.

Dicuntur autem duo : modus implementationis, et Scriptura quæ impletur.

« Ut. »

Conjunctio autem, quæ hic ponitur, non dicit causam, sed potius terminationem signi ad signatum infuturo, sicut superius diximus ¹.

« Adimpleretur. »

Impletur, quando verificatur : sed adimpletur, quando in gratia plus datur quam in Scriptura promittatur. Luc. VI, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.*

« Quod dictum est a Domino. »

Cujus est prima auctoritas veritatis. Exod. IV, 12 : *Ego ero in ore tuo.* Isa. XXXIV, 16 : *Quod ex ore meo procedit, ille mandavit, et spiritus ejus ipse congregavit ea.*

¹ Cf. supra enarrationem in §. 22 cap. I, pag. 53.

² Vulgata habet, Numer. XXIV, 8 : *Deus*

« Per Prophetam, »
Osee, XI, 1.

« Dicentem : »

Quia puer Israel, et dilexi eum : et

« Ex Ægypto vocavi filium meum. »

Numer. XXIV, 8, per sensum, non per verba : *Dominus ex Ægypto vocavit eum, cujus fortitudo similis est sicut rhinocerotis* ².

« Tunc Herodes, videns quoniam illud esset a Magis, iratus est valde. »

16

Hic incipit pars illa, in qua apertam malitiam Herodis prosequitur ad perendum.

Habet autem tres paragraphos, quorum primus est de Herodis exacerbatione. Secundus, de puerorum interfectione. Tertius, de facti hujus per Scripturam confirmatione. Quæ patent cuilibet in serie litteræ.

Circa primum horum dicit tria : tempus historiæ, causam exacerbationis, et ipsam exacerbationem.

Tempus dicit quando dicit :

« Tunc. »

Et attende, quod non fuit tempus immediatum : sed potius primo cum Magi non redirent ad eum, et nihil de fama pueri perciperet, putavit Magos visione fallaci esse deceptos, et ex verecundia non rediisse ad eum : et ideo tunc quievit ab inquisitione pueri, sed postea audiens famam (alias, per famam) de prophetia Simeonis et Annæ, et multa quæ dicebantur de puero, iterum inceptit quærere. Negotiosus fuit diligenter investi-

eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis.

gare, quia a filiis citatus fuit Romam ad Imperatorem, ab Alexandro scilicet et Aristobulo (quibus in regem volebat præficere puerum ex ignobili conjugē susceptum, eis a regno abjectis) oportuit ire Romam. Sed ibi cum filiis prævaluisset, et licentiam haberet instituere quem vellet, eo quod excepisset contra filios, quod volebant eum interficere, consilium quæsit ab Imperatore, quid ageretur de fama pueri Jesu : non enim ausus fuit tantam stragem puerorum committere sine auctoritate Imperatoris. Habens autem licentiam, et rediens victor super filios, fluxit annus a Nativitate Christi et tres dies, quarta die interfecit eos : secundum quod etiam celebratur solemnitas eorum. Et ideo præponitur festum testis Christi, qui actu et voluntate martyr, hoc est testis est, hoc est, Stephani : et coniungitur illi festum Joannis, qui voluntate, non actu martyr fuit : et tertio ponitur festum puerorum, qui actu, non voluntate testes sunt : quia præconium Christi non loquendo, sed moriendo confessi sunt.

Gratia igitur illius totius temporis dicit :

« Tunc Herodes. »

Et subiungit causam perturbationis, cum dicit :

« Videns quoniam illusus esset a Magis. »

Quia rediens in Judæam multa fama pueri venit ad eum. Unde etiam transiens in via per Tharsum Ciliciæ invenit naves quæ asportaverant Magos in terram suam revertentes, et combussit eas in ira furoris sui. Ut impleretur, quod dixit Psalmus XLVII, 8 : *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.*

Attende autem, quod dicit :

« Illusus. »

Non enim bonorum virorum est alicui illudere. Sed dicendum, quod Magi sibi

non illuserunt, sed potius profuerunt : sed ipse hoc, quod non redierunt, illusionem reputavit. Proverb. III, 34 : *Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam.* Isa. XXIX, 19 et 20 : *Addent mites in Domino lætitiā, et pauperes homines in sancto Israël exsultabunt : quoniam defecit qui prævalebat, consummatus est illusor.* Proverb. XIII, 1 : *Filius sapiens, doctrina patris : qui autem illusor est, non audit cum arguitur.* Proverb. IX, 12 : *Si sapiens fueris, tibi metipseris : si autem illusor, solus portabis malum.* Quia hic Herodes illusor fuit, ideo omne quod ad votum malitiæ suæ non obtemperavit, illusionem reputavit.

Deinde subiungit ipsam suam exacerbationem, dicens :

« Iratus est valde. »

Similis est dæmoni Herodes, cujus malum est furor irrationabilis, demens concupiscentia, phantasia proterva. Nam quia dementer terrenum regnum concupivit, ideo cæli Rege nato, irrationabiliter iratus fuit : et contra ordinationem Dei, quam prophetia et stellæ indicio audierat, non ex ratione, sed ex phantasia frustra proterviebat. Genes. XLIX, 7 : *Maledictus furor eorum, quia pertinax : et indignatio eorum, quia dura.* Judith, III, 11 : *Nec ferocitatem ejus pectoris mitigare poterunt.* Fit autem iratus de opinata malorum (alias, Magorum) illusionem. Valde autem iratus fuit de crescente puero Jesu bona opinione. Job, V, 2 : *Vere stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia.* Pravi enim animi est tristari de bono statu, et opinione bonorum.

« Et mittens, occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. »

Ecce secundus paragraphus de puerorum interfectione.

Et dicuntur sex : Videlicet Herodis timiditas, atrocitas, malitiæ generalitas, crudelitas, locus occisorum, et ætas. Et ista per ordinem dicuntur in littera.

Per hoc enim, quod dicit,

« Mittens, »

Notatur timiditas, quia per seipsum libentius ivisset : sed timuit, quod aliquis parentum irrueret in eum, cogitans quod cum sit odiosus, non sequetur vindicta. Cum autem alios misit, et se præservavit, timebant parentes puerorum vindictam sequentem, si in ministros sceleris irruerent. Dicunt etiam quidam, quod regiæ dignitatis est, non per se, sed per alium punire. Isa. xvi, 6 : *Superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus.*

« Occidit. »

Ecce atrocitas. Sapient. xii, 5 : *Necatores sine misericordia, et comestores viscerum hominum, et devoratores sanguinis.* Pueri enim innocentes propter teneritudinem dicuntur *viscera hominum.*

« Omnes. »

Ecce malitiæ generalitas, quia nulli omnino pepercit. Exod. i, 16 : *Si masculus fuerit, interficite eum.* Et ibidem, x. 22, præcepit omni populo dicens : *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite.* Similis enim crudelitas et malitia fuit Pharaonis et Herodis : Herodes tamen vicit Pharaonem in hoc, quod quæsit interficere Deum cæli natum Regem : Pharaonem autem diminuere Dei populum.

« Pueros. »

Ecce crudelitas. Jerem. vi, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur* : quia nec etiam innocentia ætatis movet ad par-

endum. Cum tamen dicat Apostolus, ad Roman. v, 7 : *Pro bono, hoc est, innocente, forsitan quis audeat mori,* supple, ut liberet eum. Iste autem interfecit innocentes omnes. Proverb. xi, 17 : *Qui crudelis est, etiam propinquos abjicit.*

« In Bethleem. »

Ecce locus. Et dicit duo, locum scilicet nativitatis, et loca conjuncta nativitatis.

Locum tangit, cum dicit :

« In Bethleem, et in omnibus finibus ejus. »

Ne forte sit portatus ad villas adjacentes, ut lateat.

Bethleem fecit occidi. Thren. i, 20 : *Foris interficit gladius, et domi mors similis est.*

« A bimatu et infra. »

Hic determinat tempus ætatis occisorum. Est autem bimatus ætas duorum annorum. Et dicit hic tria, scilicet quod bimos occidit, et eos qui infra erant, occidit. Et dicit rationem. Infra bimos autem esse dicitur dupliciter, quoad numerum, et quoad tempus. Si quoad numerum annorum, tunc major numerus fit infra minorem in ordine numerandi : tunc illi qui erant infra bimos, erant majoris ætatis. Et ita dicit Chrysostomus, quod bimos occidit, et majores usque ad lustrum, quod est spatium quinque annorum. Cujus signum est, quia quædam ossa Innocentium inveniuntur, quæ prætendunt ætatem quinque annorum per quantitatem suam. Hujus autem causa potuit esse, quia timebat, cum tot mirabilia dicerentur de puero, quod ætatis majoris assumeret sibi formam. Si autem infra bimos esse dicantur, qui sunt infra spatium continuum temporis, tunc infra bimos sunt hi qui minoris sunt ætatis quam duorum annorum. Et ita dicit

Glossa, quod ab ætate unius noctis occidit pueros usque ad ætatem duorum annorum. Puto, quod utrumque fecit. Quia sicut timuit quod assumeret sibi formam majoris ætatis, ita timuit quod assumeret sibi formam ætatis minoris.

« Secundum tempus quod exquisierat a Magis. »

Ecce ratio. Tempus autem quod exquisierat a Magis, fuit jam quasi duorum annorum secundum Chrysostomum : quia « uno anno ante nativitatem stella appa-
« ruerat, et unum annum occupatus si-
« luerat, et in secundo anno fuit. Et ideo
« sub illo tempore, et secundum tempus
« et supra occidit crudelis, et impius : quia
« magis voluit quod multi Innocentes per-
« irent ad hoc, quod solus non evaderet,
« quem quærebat : quod est impietatis.
« Pietas enim magis eligit quod multi li-
« berentur nocentes, quam quod unus
« moriatur innocens : quia nocentes libe-
« rati pœnitere possunt, sed innocens
« mortuus revocari non potest. » Et hæc
sunt verba Chrysostomi.

17 « Tunc adimpletum est quod dictum
est per Jeremiam Prophetam dicentem :

18 Vox in Rama audita est, ploratus et
ululatus multus : Rachel plorans filios
suos, et noluit consolari, quia non
sunt. »

Ecce confirmatio per Scripturam. Et dicit duo, scilicet impletionem, et Scripturam quæ impleta est.

De primo dicit :

« Impletum. »

Simpliciter, non adimpletum : quia crudele factum fuit : et in illo Dominus non addit.

« Per Jeremiam Prophetam dicentem : »

Jerem. II, 21 : *Vox in viis audita est, ploratus et ululatus filiorum Israel.* Et, xxxi, 15 : *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt.*

Et hoc prænuntiantem : ut sciretur, quam cito Christi persecutiones inceperunt in hoc mundo.

Ecce Scriptura impleta.

Et tangit quatuor, quorum primum est exaggeratio facti per magnitudinem lamenti. Secundum est, quod determinatur quorum fuit lamentum. Tertium, inconsolabilitas plorantium. Quartum, inconsolabilitatis causa.

Circa primum dicit duo : magnitudinem enim lamenti determinat per clamorem, et per modum.

Per clamorem : quia clamor lamentantium, sive

« Vox in Rama. »

Et attende, quod Rama est civitas Saul in sorte Benjamin, sicut dicitur, Josue, xviii, 25. Quæ quia metropolis fuit, ibi maximus fuit ploratus. Verius tamen est, quod Rama hic sit nomen appellativum, et non loci proprium, hoc est, *In excelso* : quia in excelsum cælum clamor ascendit. Jacob. v, 4 : *Clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Eccli. xxxv, 19 : *A maxilla lacrymæ ascendunt usque ad cælum, et Dominus exauditor non deletabitur in illis.*

« Ploratus et ululatus multus. »

Exaggeratio est a modo ploratus. Est autem ploratus ipsa lacrymatio : ululatus autem sonus ejulantium præ multitudine doloris. Ululatus proprie est luporum : quia ex nimietate doloris bestialiter cla-

¹ Vulgata et plurimæ versiones habent *adimpletum*.

maverunt, rationis obliti penitus. Nec sic miserabatur Herodes. Threnorum, 1, 2: *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Jerem. ix, 1: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte interfectos filix populi mei.*

« Rachel plorans filios suos. »

Ecce qui ploraverunt.

Et videtur loqui incongrue: quia Bethleem non erat in finibus Benjamin, sed Judæ, qui fuit Liæ. Præterea, Rachel jam fuit mortua: quomodo ergo ploravit?

Dicunt quidam, quod loquitur Propheta de filiis Benjamin, qui occisi fuerunt pro uxore Levitæ, quam libidine interfecerunt, sicut dicitur, Judicum, xix, 23 et seqq. Sed hoc ridiculum est: quia Propheta hoc dicente pro futuro diu hoc præterierat: et consolatio reddita fuerat: et Rachel diu mortua. Unde dicendum, quod juxta Bethleem Rachel sepulta fuerat, sicut dicitur, Genes. xxxv, 19. Et a corpusculo ibi sepulto et materno affectu dicitur plorare. Et est sensus: tanta fuit crudelitas, quod etiam mortui, si fieri posset, plorassent. Præterea, sortes Benjamin et Judæ erant conjunctæ. Et quia in finibus adjacentibus occidi præcepit, multi de Benjamin pueri fuerunt interfecti: et ideo ad Rachel istis duabus de causis pertinet ploratus.

« Et noluit consolari. »

Nihil enim consolationis habebat tam enormis crudelitas. Threnor. 1, 2: *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.* Isa. xxii, 4 et 5: *Nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filix populi mei: dies enim interfectionis, et conculcationis, et fletuum, Domino Deo exercituum.*

« Quia non sunt. »

Ecce causa inconsolabilitatis: quia in-

terfecti sunt antequam essent. Infantes enim perfectum esse naturæ nondum acceperant, quando sunt interfecti.

Vel,

« Quia non sunt, »

Hoc est, quia ad non esse secundum vitam naturæ deducti sunt. Et istæ duæ expositiones sunt litterales. Genes. xxxvii, 35: *Congregatis autem cunctis liberis ejus ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum.*

Quidam exponunt, quod Rachel sciens gloriam Innocentium occidendorum pro Christo, flevit: non quia filii sui ibi fuerunt occisi, sed pro stupro uxoris Levitæ, quod erat ei inconsolabile: quia turpem causam mortis acceperunt, et infantes honestam.

« Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto,

19

Dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. »

20

Hic incipit tertia pars capituli istius, in qua agitur de relatione pueri Jesu de Ægypto.

Et dividitur in tres partes. In quarum prima ponitur revelatio de efferendo puero. In secunda, obedientia Joseph. Et in tertia, confirmatio per prophetiam. Et hæc patent in serie litteræ.

In prima harum dicuntur sex per ordinem: tempus videlicet revelationis, dispositio revelantis, dispositio revelationem accipientis, locus, ipsa revelatio, et causa revelationis. Quæ consequuntur in serie litteræ.

De tempore dicit :

« Defuncto autem Herode. »

Qui fuit causa fugæ. Isa. xvi, 4 : *Finitus est pulvis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram.* Isa. xiv, 5 et 6 : *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter.*

« Ecce Angelus. »

Descriptio est revelantis ab evidentia, ab officio, ab auctoritate, a modo revelationis mittentis.

Ab evidentia, quia se ipsum demonstrat. Isa. xlv, 19 : *Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso.*

« Angelus. »

Id est, nuntius. Proverbior. xxv, 25 : *Aqua frigida animæ sitienti, et nuntius bonus de terra longinqua.*

« Domini. »

Psal. xc, 11 : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te, etc.*

« Apparuit. »

Potestas apparentis, sicut supra diximus ¹. Osee, xii, 10 : *Ego visionem multiplicavi, scilicet eis.* Psal. lxxxviii, 20 : *Tunc locutus es in visione sanctis tuis.*

« In somnis. »

Dispositio est ejus, qui accipit revelationem : per modum, et per nomen.

Per modum, quia in somnis. Genes.

xv, 17 : *Cum occubisset sol, Abraham accepit revelationem.* Idem dicit, Job, xxxiii, 15 et 16 : *Per somnium, in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina.*

Per nomen :

« Joseph. »

Genes. xxxvii, 19 : *Ecce somniator venit, scilicet Joseph.*

« In Ægypto. »

Ecce locus. Non enim discernit locum, ubique adest suis. Matth. xxviii, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, etc.* Genes. xxvi, 3 : *Ero tecum, etc.*

« Dicens : Surge, etc. »

Ecce revelatio.

Et præcipit tria : evigilationem ad opera exteriora, curam laboris, et reditum de Ægypto.

De evigilatione autem ad opus, a somno revelationis et contemplationis, dicit : « Surge. » Isa. xxvi, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigila- bo ad te.* Psal. lxii, 2 : *Ad te de luce vigilo.* Cantic. ii, 10 : *Surge, propera.*

« Accipe puerum et matrem ejus. »

Exponendum est ut supra ².

« Et vade in terram Israel. »

Quia inde debet procedere illuminatio pueri in totum orbem. Isa. xix, 25 : *Hæreditas autem mea Israel.* Isa. lxii, 4 : *Terra tua non vocabitur amplius Deso-*

¹ Cf. supra enarrationem in §. 20 cap. i, pag. 48 et seq.

² Cf. supra enarrationem in §. 13 cap. ii, pag. 77 et seq.

lata : sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te : et terra tua inhabitabitur.

« Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. »

Tangit hic causam revelationis.
Sed quæritur, qualiter dicat,

« Defuncti, »

Pluraliter, cum non legatur nisi Herodes? Dicendum, quod unus defunctus est vita naturæ, qui fuit præsidium et causa omnium quærentium : et in ipso omnes alii defuncti sunt iniquitatis destitutione, quia nequierunt perficere quod volebant, defuncto pessimo Herode.

Et dicit :

« Qui quærebant animam pueri, »

Hoc est, animale et naturalem vitam. Anima enim hic dicitur ab animalitate.
Vel,

« Quærebant animam, »

Non secundum substantiam, quæ tene-ri ab hominibus non potest : sed secundum actum animandi, quia sic extorqueri potest. Simile, III Reg. xix, 10 : *Derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam.*

« Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel. »

In ista parte demonstratur obedientia Joseph.

Et habet quatuor paragraphos : in quorum primo notatur promptitudo obedientiæ. In secundo, dubitatio de loco mansionis. In tertio, revelatio ubi maneat. In quarto, confirmatio per Scripturas.

In primo horum tria dicuntur, quæ imperaverat Angelus : celeritas scilicet, adhibitio curæ, et perfectio præcepti Angelici.

Celeritas importatur, cum dicitur :

« Qui consurgens. »

Hoc est, tota intentione mentis et corporis surgens : et imperatum quod voluit Angelus pro (alias, prompta) devotione suscipiens. Ezechiel x, 22 : *Impetus singulorum ante faciem suam ingredi.* Stabant enim animalia Dei prompta et parata ad obediendum voci quæ fiebat supra firmamentum Exod. xxiv, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes.* I Reg. iii, 10 : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

« Accepit puerum et matrem ejus. »

Ut Dominum et dominam suam. Psal. ii, 11 : *Servite Domino in timore, etc.*

« Et venit in terram Israel. »

Ecce perfectio præcepti Angelici.
Et dicit in communi,

« In terram Israel. »

Quia licet in aliquo loco esset speciali, tamen nullum adhuc locum elegerat ad manendum. Genes. xxxi, 30 : *Ad tuos ire cupiebas, et desiderio erat tibi domus patris tui.* Volebat autem ire Jerusalem, sciens quod puer ibi dare debuit illuminationes : tamen dubitavit.

« Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire. »

Hæc est causa dubitationis. Et attende, quod Herodes defunctus quatuor reliquit filios, Herodem minorem, et Philippum, Archelaum, et Lysaniam, qui regnum

suum in tetrarchias sub Imperatore Romano diviserunt. Archelaus autem inter alios elevabatur ambiens totum regnum : et ideo pro ambitione illa et pro sede regni Jerusalem quam tenebat, *regnare* dicitur, non quod in veritate in toto regnaverit.

Et hoc est quod dicit :

« Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa. »

Hoc est, in sorte Judæ.

« Pro patre suo. »

Cum similis patri fuit in crudelitate et ambitione.

« Timuit illo ire, »

Supple, in Judæam et Jerusalem, ubi putabat convenientius educandum esse puerum. Proverb. 1, 15 et 16 : *Prohibe pedem tuum a semitis eorum : pedes enim eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant innoxium sanguinem.*

Sed objicitur, quod eadem ratione non debuit ire in Galilæam, ubi alter filius Herodis regnavit. Et dicendum, quod in Jerusalem major fuit frequentia principum et aliorum : et ibi minus latere potuisset. In Galilæa autem apud pauperes et contemptibiles non æstimabatur aliquid magni esse : et ideo melius ibi latere potuit.

« Et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.

23 Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth : ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur. »

Ecce revelatio.

¹ Cf. Supra, 1, 20 ; II, 13 et 19.

² Cf. Joan. XXI, 20.

Et dicit tria : revelationem, locum communem habitationis, et locum specialem.

De revelatione dicit duo : modum revelantis, et dispositionem accipientis revelationem.

Modum revelationis dicit :

« Et admonitus. »

Quoniam jam tantum Joseph profecerat in devotione pueri et matris, et familiaritate Angeli, quod non oportuit nisi fieri admonitionem. Et ideo etiam non facit mentionem modo de Angelo Domini sicut prius ¹. I ad Corinth. XIII, 11 : *Quando factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Ad Hebr. VI, 1 : *Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur.*

« In somnis. »

Quando strepitus exteriorum exclusus est, et caput cum Joanne inclinamus ad thesaurum sapientiæ et scientiæ Dei, obdormientes in pectore Domini ². Sic Jacob dormivit super lapidem solidæ veritatis et confessionis Dei, et accepit revelationem ³.

« Secessit in parte Galilææ. »

Ecce locus communis provinciæ. Et ex modo loquendi significat, quod vagabundus propter timorem primo fuerit de villa ad villam. Hoc enim significat, quod dicit : « *In partes Galilææ.* » Jerem. XIV, 8 : *Quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum.* Jam enim demonstrabatur, quod postea pati debuit. Matth. VII, 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

³ Cf. Genes. XXVII, 11 et seq.

« Et veniens. »

Postea : fiducia per admonitionem Angeli accepta.

« Habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth. »

In qua sorte notos habuit et amicos : quia ibi annuntiatus fuit, sicut dicitur, Luc. I, 26.

« Ut adimpleretur. »

Ecce testimonium Scripturæ confirmans. Et quia hoc de gratia est, et etiam in illa superabundat Deus supra veritatem promissionis, ideo dicit :

« Ut adimpleretur. »

Psal. xc, 16 : *Longitudine dierum replebo eum : et ostendam illi salutare meum.*

« Quod dictum est per Prophetas. »

Non unum, sed multos : quia omnes concorditer tradunt florem virtutis esse Christum. Jeremias, in Thren. iv, 7 : *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores.* Osee, xiv, 6 : *Ero qua-*

si ros, Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus ut Libani. David, in Psal. xci, 12 : *Justus ut palma florebit,* etc. Ezechiel. xxxvi, 8 : *Montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel.* Cantic. II, 1 : *Ego flos campi, et lilium convallium.* Isaiæ, xi, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Glossa dicit, quod ibi Septuaginta habent : « Et Nazaræus vocabitur. »

Et hoc est quod inducit :

« Quoniam Nazaræus vocabitur. »

Flos æternus patris, quia de uno cœlesti Patre nascitur. Flos matris virginis, quia de una matre in terra producit, in flore annuntiatur, in flore educatus, non nisi floribus respersis datur, quia pascitur in liliis. Cantic. I, 13 : *Lectulus noster floridus.* Unde secundum translationem Septuaginta in Canticis dicitur : « Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium ¹. » II Regum, xxiii, 5 : *Cuncta salus mea, et omnis voluntas : nec est quidquam ex ea quod non germinet.* Isa. lxvi, 14 : *Gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt.*

Sic ergo dictum est de Nati manifestatione secundum omnes suas differentias.

¹ Cantic. II, 1 : *Ego flos campi, et lilium convallium.* Eccli. I, 8 : *Quasi flos rosarum in diebus*

vernīs et quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ.

CAPUT III.

Joannes Baptista (cujus vitæ austeritas describitur) pœnitentiam juxta Isaiaë vaticinium in deserto prædicat: et populo ad ipsum conflente, reprehendit Pharisæos una cum Sadducæis, docens ut dignos faciant fructus pœnitentiæ: et quantum suus a Christi baptismo differat: super Christum autem a Joanne baptizatum descendit Spiritus sanctus, et vox Patris cœlitus audita est.

1. In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ,
2. Et dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum ¹.
3. Hic est enim, qui dictus est per Isaïam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus ².
4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem ejus erat locustæ et mel silvestre.
5. Tunc exhibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem ³.
6. Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.
7. Videns autem multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum ⁴, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?
8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.
9. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham ⁵. Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ.
10. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur.
11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam ⁶: qui autem post me venturus est fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.
12. Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam: et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.
13. Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo ⁷.
14. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me!
15. Respondens autem Jesus, dixit

¹ Marc. I, 4; Luc. III, 3.

² Isa. XL, 3; Marc. I, 3; Luc. III, 4.

³ Marc. I, 5.

⁴ Luc. III, 7.

⁵ Joan. VIII, 39.

⁶ Marc. I, 8; Luc. III, 16; Joan. I 26; Act. I, 5.

⁷ Marc. I, 9.

ei : Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum.
16. Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli : et vidit Spiritum

Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se ¹.
17. Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui ².

IN CAPUT III MATHÆI

ENARRATIO.

« In diebus autem illis. »

Hic incipit pars illa, quæ est de regeneratione, quæ refertur ad generationem Christi : secundum quod nos regenerat sua generatione, causans nostram spiritualem generationem, sicut in præhabitis dictum est.

Dividitur autem in duas partes : in qua prima construit sacramentum regenerationis : in secunda instruit et docet illuminationem, secundum quam oportet regenerari, ibi, iv, 12 : *Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset.* »

Sunt autem tria in baptismo : quorum primum est usus quoad materiam, et quoad actum, et quoad notitiam interius operantis in baptismo. Et quia hæc erant ignota, indigebant introducente. Et quoad ista inducitur baptismus Joannis. Secundum autem est virtus regenerativa collata aquis. Et quoad hoc inducitur baptismus Christi, quo baptizatus est. Tertium autem est effectus baptismi super diabolum, qui baptizatos ex fonte impugnat : sed vincitur propter fomitis debilitatem. Et quoad hoc introducitur tentatio Christi et victoria super diabolum. Et per se patet, ubi istæ partes incipiunt.

Circa baptismum Joannis tria dicuntur : quorum primum est officium bapti-

zantis. Secundum autem est dispositio baptizandorum, ibi, ꝑ. 5 : « *Tunc exhibat ad eum.* » Tertium est declaratio interius baptizantis, ibi, ꝑ. 11 : « *Ego quidem baptizo vos in aqua,* etc. »

Circa officium Baptistæ tria dicuntur : quorum primum est idoneitas temporis et loci ubi prædicavit, et quando. Secundum est doctrina baptismatis, quoad id quod invenire vult in baptizando, et quoad effectum. Tertium autem est commendatio Baptistæ. Et patent hæc in littera.

In prima harum partium tangit tria : quorum primum est congruitas temporis. Secundum, descriptio Baptistæ. Tertium, opportunitas loci in quo perficitur baptismus.

De congruitate temporis tria sunt notanda :

Unum quoad historiæ continuationem : **1**
quod

« In diebus illis. »

Cum Jesus habitaret educatus in Nazareth, non quidem statim postquam rediit relatus ex Ægypto, sed postquam impletum est tempus educationis, ut sibi esset relictus, et jam pervenisset ad statum : et hoc fuit viginti tribus annis (alias, vigesimo tertio anno) post reditum de Ægypto, quia tunc fuit septem annorum : qui cum viginti tribus faciunt triginta. Et Joannes non erat senior nisi sex mensibus. Et hoc est tempus, quando robur est virtutis : et exsiccatu est humor juvenilis. Unde, Luc, iii, 23, dicitur, quod *Jesus*

¹ Luc. iii, 22.

² Luc. ix, 35 ; II Petr. i, 17.

erat incipiens quasi annorum triginta. Et hoc tempore David regnavit ¹, et Ezechiel prophetare incepit ², et Joannes prædicare incepit. Quæ autem gesta sunt medio tempore per totam infantiam Salvatoris, non exprimunt Evangelistæ, nisi quod, Luc. II, 42 et seq., dicitur, quod *cum factus esset Jesus annorum duodecim*, ascendit cum parentibus suis in Jerusalem, et ostendit sapientiam in medio Doctorum : sed postea descendit cum parentibus, *et erat subditus illis.*

Secundum quod notatur in tempore, determinatio a Deo facta, et congruitas ex parte regnantium temporibus illis. Et hanc describit Lucas, III, 1 : *Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris*, etc. Et subjungitur, §. 2 : *Factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto.* Et notatur tempus prædicationis, antequam Dei verbum fit ad nos : non enim debemus nos ingerere. Unde, Isa. VI, 8 : *Quem mittam ? et quis ibit nobis ?* dixit Dominus, antequam Isaias iret. Et Jeremias excusat se, antequam vadat, cum Dominus diceret, Jerem. I, 7 et 8 : *Ad omnia quæ mittam te ibis, et universa quæcumque mandavero tibi loqueris. Ne timeas*, etc. Ezechiel. II, 3 : *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel.* Exod. III, 11, multum se excusat Moyses ³. De ingentibus autem se dicit, Jerem. XXIII, 21 : *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant.* Ad Roman. X, 15 : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur ?*

Tertium est qualitas temporis : quia,

« In diebus. »

Non in noctibus, sicut prædicant hæretici. Clara enim veritas lucem quærit. De ipsa enim dicitur, Sapient. VII, 29 : *Est hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum : luci comparata, invenitur prior.* Dignum enim est, quod lucis testis manifestetur in lumine.

¹ Cf. II Reg. V, 4.

² Cf. Ezechiel. I, 1.

Joannis, I, 8 : *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.*

« Venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ,

Et dicens : Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. »

Quatuor dicit circa Baptistam : adventum, nomen, officium, et actum.

In primo notatur, quod aliunde venit quam de conversatione peccatorum : quasi de cœlo enim debet descendere : de deserto venire : de otio contemplationis ad actionem sapientiæ procedere.

De primo, Joannis, III, 31 et 32 : *Qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc testatur.* Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* II ad Corinth. XII, 2 et 4 : *Scio hominem... raptum hujusmodi usque in tertium cœlum. Et scio hujusmodi hominem... quoniam raptus est in Paradisum, et audivit arcana verba.* Quomodo enim inventabit ad locum, ubi numquam fuit ?

De secundo, Exod. III, 1 : Moyses, cum minasset gregem ad interiora deserti, ibi vidit visiones Dei.

De tertio, Exod. XXXIV, 29 : *Cum descenderet Moyses da monte Sinai... ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio Domini*, quando de contemplatione Dei descendit, et resplenduit facies ejus. II ad Corinth. III, 18 : *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini specularantes*, etc. Psal. LXXXVIII, 16 et 17 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die : et in justitia tua exaltabuntur.*

« Joannes. »

In quo est gratia. Ad Roman. XV, 29 : *Veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam.* I ad Co-

³ Exod. III, 11 : *Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Ægypto ?*

rinth. xv, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.* Luc. I, 13 et 14 : *Vocabis nomen ejus Joannem : et erit gaudium tibi et exsultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt.*

« Baptista. »

Ecce officium. Matth. xxviii, 19 : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* I ad Corinth. x, 2 : *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari.*

« Prædicans. »

II ad Timoth. iv, 2 : *Prædica verbum : insta opportune, importune.*

« In deserto Judææ.

A duobus describit locum : ab ipso loco, et ab habitantibus.

Desertus enim locus est aptus contemptibus et pœnitentibus. Marci, vi, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* Osee, ii, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

« Judææ. »

Describit ab habitantibus in vicino (alias, vicinio), ubi erat notitia Scriptura (alias, Scripturæ) ista prænuntiantis : ut testificata veritas citius acceptaretur. Psal. lxxv, 2 : *Notus in Judæa Deus.*

« Dicens : Pœnitentiam agite. »

Ecce doctrina baptismatis, quoad id quod invenire vult in eo qui baptizandus est, et quoad effectum. Et hæc duo dicit.

Primum enim innuit, quando dicit :

« Pœnitentiam agite. »

Hoc est, pœnæ tenentiam agite. Et tunc tria dicit : pœnam, quæ est in contritione : perseverantiam, quæ est in tenentia : et

actum, qui est in confessione et satisfactione. Confessio enim est expositio criminum, ut iudice ecclesiastico liberetur satisfactione : et hoc innuunt multæ Glossæ hic, quæ dicunt quod pœnitentia est præterita mala plangere, et plangenda iterum non committere.

Dicit autem quædam Glossa, quod « est « prima virtus. Est enim prima, et est « virtus.

« Multipliciter autem dicitur prima : ex « parte enim intellectus prima est fides : « ex parte autem affectus est duobus modis : primo scilicet in ordine ad bonum, « et in ordine contra malum. In ordine ad « bonum, charitas est prima : in ordine autem « contra malum dupliciter dicitur « prima. Si enim est contra malum per « petrandum, tunc timor est prima virtus : si autem est contra malum perpetratum, quod jam est commissum, tunc « pœnitentia est prima. » Et hoc modo loquitur Glossa.

Adhuc, Pœnitentia secundum triplicem sui considerationem ponitur in triplici genere. Si enim accipitur in ratione afflictionis, est in genere passionis : si autem accipitur ut diluens peccatum, sic est in genere sacramenti : si vero consideretur ut eliciens actum detestationis peccati in quantum peccatum est, cum nullus actus talis eliciatur nisi ab aliqua virtute, pœnitentia in genere virtutis est specialis virtus.

Sed attende, quod si ego considero peccatum, non in quantum peccatum est, sed in quantum contrarium est virtuti, sic detestatio ejus non est pœnitentiæ, sed potius illius virtutis cui peccatum est contrarium. Et si peccatum accipio prout adimit bonum gratiæ et naturæ, sic detestatio ejus, boni naturæ est, vel boni gratiæ potius quam pœnitentiæ. Et per hæc patet intellectus omnium Glossarum.

« Appropinquavit enim regnum cœlorum. »

Ecce tangit effectum.

D. ALB. MAG. ORD. PRÆD.

Est autem regnum cœlorum triplex : unum, quod intra nos est, Luc. xvii, 21 : *Regnum Dei intra vos est.* Et hoc est, de quo dicitur, ad Roman. xiv, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Et per hoc regnat Deus in nobis. Hoc enim, ut dicit Dionysius, « est distributio legum, et præceptorum, et officiorum, « et graduum, et honorum ad civilitatem « sanctorum pertinentium. » Et hoc est regnum, per quod Deus regnat in nobis. Et sicut primum regnum est anima veri (alias, primi) regis, cujus illuminationes et ordines et leges et actus multiplicati in gentem, constituunt regnum, ita istud regnum primo est in mente Dei, et promulgatum in sanctos, facit regnum cœlorum. Et id quod in cœlo est extra nos, simile est isti : sed magis est simile regno mentis divinæ, quod tertium est et exemplar et objectum et causa duorum regnorum aliorum. Et consistit in tribus : in illuminatione eorum quæ ad regnum pertinent, et in potestatibus regni, et in officiis exercitatis ad actum. Aliud est regnum cœlorum extra nos, quod est locus et honor et jucunditas regnantium in cœlo. Et hoc acquiritur per primum. Tertium est regnum, quod est objectum et causa istorum : et hoc est Deus in hoc et illud descendens. Sapient. iii, 8 : *Dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Isa. xxxiii, 22 : *Dominus rex noster.*

3 « Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini : rectas facite semitas ejus. »

Ecce commendatio Baptistæ à duobus : ab officio testificato per Scripturam, et a vitæ perfectione.

Commendatio Sripturæ est in duobus : in auctore, et in auctoritate inducta.

De primo dicit :

« Hic est. »

Significantiam notat promonem *hic.* Sensus : signanter est.

« Hic, »

De quo tanta cura est Deo, quod voluit eum prænuntiari. Luc. 1, 66 : *Quis, putas, puer iste erit?* Lucæ, 1, 6 : *Tu puer, propheta Altissimi vocaberis.* Significatur enim per Prophetam, et vocatur Altissimi propheta : et Angelus Domini, et Lucifer solis æterni : Elias in virtute, Præcursor Christi, Vox verbi : per Isaiam Prophetam inter alios eximium, Eccli. xlviii, 29 : *Isaias Propheeta spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes Sion.*

« Vox clamantis. »

Ecce auctoritas prophetiæ, Isa. xl, 3 : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri, etc.*

« Vox, »

Inquam, in qua formatur verbum, ut dicit Glossa. Dicit autem : « Quid est « Joannes? et quid clamat? est enim « vox, quoad officium : *clamantis*, quoad « intentionem spiritus et auctoritatis « firmitatem. »

Vox autem tria habet necessario ad minus : spiritum tentum, sonum, et intellectum, quo profertur.

De primo dicitur, Luc. 1, 80 : *Puer crescebat, et confortabatur spiritu.* Ibidem, 17 : *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.*

De secundo, Act. 11, 2 : *Factus est repente de cœlo sonus.* Ezechiel. 11, 12 : *Audivi post vocem commotionis magnæ.* Apocal. 1, 10 : *Audivi post me vocem magnam tamquam tubæ.*

De tertio, I ad Corinth. XIV, 11 : *Si nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus : et qui loquitur, mihi barbarus.* Et ibidem, ̄. 19 : *In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua.* Dicit tamen Augustinus, quod « Vox est verbi vehiculum : « sic Joannes vexit Christum in corda « audientium. » Luc. I, 17 : *Ut convertet corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.*

« Clamantis. »

Auctoritatem notat, et intentionem. Auctoritatem ex transitione quæ est inter rectum et obliquum : Deus enim clamavit in eo. II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?* Et intentionem. Proverb. VIII, 4 : *O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum.*

« In deserto. »

Postquam ostendit officium Joannis, per hoc quod est vox clamantis, consequenter ostendit actum, quod ad omnes. Primo, in his sine quibus non est salus, et quoad perfectos. Secundo, quoad illos qui obligantur ad ulteriora.

De necessariis autem ad salutem omnium tangit quatuor : ubi parandum, qualiter parandum, quid parandum, et cui parandum.

Ubi parandum :

« In deserto. »

Est desertum intra, scilicet cor desertum a gratia : et est desertum extra, scilicet vita virtutis in Ecclesia, ubi mundus non habitat. Primum est parandum per gratiam ad habitationem Dei et Angelorum. Et de illo dicitur, Deuter. XXXII, 10 : *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis.* Deser-

tum extra, scilicet vita bona in Ecclesia, nihil cum humana habitatione commune habens. Genes. XIX, 17 : *Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione : sed in monte salvum te fac.* Psal. LXII, 3 : *In terra deserta, et invia, et inaquosa : sic in sancto apparui tibi.* Osee, II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

« Parate. »

Ecce secundum, in quo intelligitur modus. Quod enim factum est non illico, paratum est. Paratum enim est, quod habetur ad manus, et obedit ad nutum : et hoc fit per usum boni et consuetudinem. Isa. I, 17 : *Discite benefacere.* Ad Hebr. V, 14 : *Qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.*

« Viam. »

Quid parandum? Viam mandatorum. Psal. CXVII, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Jerem. VI, 16 : *State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, et ambulate in ea : et invenietis refrigerium animabus vestris.*

Via paratur, humilia sive defossa exaltando, alta humiliando, curva dirigendo, polluta mundando, aspera complanando. Defossa sunt per timorem carnalem vel mundanum, in pusillanimitatem depressa : alta, per præsumptionem superbiæ elata : curva, per distorsionem morum reflexa : polluta, cœno carnalis turpitudinis lutulenta : aspera, ira et odio exasperata. De tribus primis et ultimis dicitur, Isa. XL, 4 : *Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava, sive curva, in directa, et aspera in vias planas.* De quarto, quod in medio ponitur, I Regum, XXI, 5 : *Via hæc polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis vestris.*

« Domini. »

Ecce cui : non pecuniæ, ut quæstuaris : non mundo, ut fastuosus : non diabolo, ut hæreticus : sed Domini via paranda est. Luc. 1, 76 et 77 : *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus : ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.*

« Rectas. »

Hic tangit quod pertinet ad perfectos, qui in consiliis student implendis.

Quatuor dicit : rectificationem, et qualiter rectificandum, et ad quid, et ad quem. Plato dicit, quod « rectum est brevissimum : » et rectificatur, quando consilium secundum verba impletur. Sed dispensatio incurvat a recto. Isa. xxvi, 7 : *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.*

Qualiter ?

« Facite. »

Non tamen dicite, quia dicere parum rectificat, sed facere multum. Luc. xxiv, 19 : *Potens in opere, et sermone.* Act. 1, 1 : *Cæpit Jesus facere, et docere.* Act. ix, 6 : Paulus prædicator futurus perficitur ad facere : *Ingrederet civitatem, et ibi diceretur tibi quid te oporteat facere.*

Quid ?

« Semitas ejus. »

Arctas, sed pulchras, et compendiosas. Vias consiliorum videlicet arctas, sed pulchras, et per breve ducentes observantias. Proverb. iii, 17 : *Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ.* Psal. xxiv, 4 : *Vias tuas, Domine,*

¹ Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens, petisti,
Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguæ.

demonstra mihi : et semitas tuas edoce me.

Ad quem ducentes ? Ad Christum. Isa. xxvi, 8 : *In semita judiciorum tuorum sustinuimus te : nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ.* Proverb. iv, 11 et 12 : *Viam sapientiæ monstrabo tibi : ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.* Et in eodem capitulo, multa de hoc valde.

« Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos : esca autem ejus erat locustæ et mel silvestre. »

Hic commendatur Joannes a vitæ perfectione.

Et sumitur commendatio a duobus, in quibus pura consistit hujus vitæ necessitas, scilicet a tegumento vestis, et a cibo victus. Non enim erat dubitatio de domo : quia domum non habuit nisi antra deserti, quæ petiit teneris sub annis fugiens turmas civium suorum. Et si quando venit ad homines, hospitabatur in domo peregrina. Nec de potu erat quæstio, cui non præbebat nisi latex haustum¹.

De indumento autem duo dicuntur, tegens scilicet, et cingens : eo quod potius cinctum qualitercumque, quam per incisionem et suturas corpori esset aptatum. Et hac de causa tangit zonam.

Circa primum dicit duo. Primo enim signanter exprimit Joannem, cum dicit :

Præbuit durum tegumen camelus
Artubus sacris, strophium bidentes,
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella locustis.

Hymnus ad Matutin. in festo S. Joannis.

« Ipse autem Joannes. »

Quasi dicat : « *Ipse*, » qui tantæ fuit sanctitatis ab infantia, quod Christus credi potuit : qui tanta de Scripturis et Angelo habuit præconia.

Ipse, inquam,

« Habebat vestimentum. »

Lucæ, xxiii, 31 : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

« De pilis camelorum. »

In quo notantur tria : communitas, vilitas, et asperitas. Communitas, quod de facili apud quoslibet in terra inveniebatur. Vilitas, quod quasi nullius pretii reputabatur. Asperitas, qua caro ita tegebatur, quod macerabatur.

Primum contra exquisitionem fastuosam. Secundum, contra superbiam cæcam, quæ ignominiam credit fuco vestium celare. Tertium, contra malitiam concupiscentiæ.

De primo, Luc. xvi, 19 : *Induebatur purpura, et bysso*. De secundo, Eccli. xi, 4 : *In vestitu ne glorieris umquam*. De tertio, infra, xi, 8 : *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*.

« Zonam pelliceam circa lumbos ejus. »

Hoc est, de corio simplici. IV Regum, i, 8 : *Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus*. Proverb. xxxi, 17 : *Accinxit fortitudine lumbos suos, etc.*

« Esca autem ejus locustæ. »

Non puto, quod locustæ usitatæ, quia illæ venenosæ sunt : sed propter similitudinem saltuum potius quam volatum quædam aviculæ eremi sic dicebantur : sicut et locusta *gammariis* vocatur. Has ergo comedit : et mella cum roribus descendencia comedit.

Vel,

« Mel, »

In concavitatibus arborum inventum. I ad Timoth. vi, 8 : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus*.

« Tunc exhibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem. »

Hic tangit baptismum ex parte baptizandorum.

Tangit autem duo : generalitatem scilicet venientium ad Baptismum, et re-dargutionem quorundam non in devotione aliorum venientium.

Circa primum tangit quatuor, scilicet quod exhibant, et ad quem, et qui, et ad quid, sicut patet in littera.

Exitus autem significat exitum de pristina conversatione. Ad Hebr. xiii, 13 : *Exeamus igitur ad eum extra castra, improprium ejus portantes*. Zachar. ii, 6 : *O, o fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus*. Apocal. xviii, 4 : *Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus*.

« Ad eum. »

Ecce quo exeundum : usque ad Joannem, ut conversatione simus juxta eum. Psal. xvii, 26 : *Cum sancto sanctus eris*. Eccli. xxiv, 26 : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me*. Psal. xxxiii, 12 : *Venite, filii, audite me*. Item, in eodem, x. 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini*. Deuter. xxxiii, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius*.

« Jerosolyma, et omnis Judæa, etc. »

Tres diversitates exeuntium hic determinantur : Jerosolymitæ, in quibus significantur Prælati illius gentis, quia in Jerusalem erant reges et pontifices. Per

Judæam autem significantur alii de tribu Juda et Benjamin, quia illi erant sub uno regno. Per regionem circa Jordanem, significantur qui remanserant de decem tribubus. Nec plures diversitates erant inter Judæos in communi : et sic turba de omni habitatione Judæorum exivit.

De duabus primis diversitatibus, II Paralip. xx, 17 : *O Juda, et Jerusalem* (ibi habent Septuaginta : Judæa et Jerusalem), *nolite timere, nec paveatis : cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum.* De tertia, Isa, ix, 1 : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthali : et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium.* Tantum enim sanctitatis novæ apparuit in Præcursore, ut nullus, quantumcumque esset justus, se justum in comparatione Præcursoris reputaret. Et ideo omnes currebant illecti speculo sanctitatis ejus.

❶ « Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. »

Ecce ad quid exhibant.

Et tanguntur tria : lavacrum baptismatis, locus, et præparatio præcedens lavacrum.

Dicit :

« Baptizabantur ab eo. »

Act. xix, 4 : *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Jesum.* Act. i, 5 : *Joannes quidem baptizavit aqua.*

« In Jordane. »

Ecce locus : quia in Jordane figura baptismatis præcesserat in transitu filio-

rum Israel per vada Jordanis¹ : et in divisione, quando Eliseus divisit aquas, percutiendo eas pallio Eliæ² : et quando Naaman ad præceptum Elisei lotus septies in Jordane recepit sanitatem a lepra³.

« Confitentes peccata sua. »

Ecce præparatio. Licet enim baptismus Christi, cujus introductorius fuit baptismus Joannis, non requirat plactum et luctum exteriorem, tamen requirit pœnitentiam interiorem, et peccati detestationem : quia aliter poneretur obex Spiritui sancto, qui facit remissionem peccati in baptismo Christi. Sapient. i, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Et ut hoc doceret Joannes, fecit eos confiteri peccata cum detestatione peccati.

Sed incidit quæstio : Utrum baptismus Joannis conferebat gratiam, vel non ? Quia dicitur, Marc. i, 4, quod *erat prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Non fit autem remissio peccatorum, nisi per gratiam.

Ulterius etiam quæritur, Quare Joannes a baptismo suo dicitur Baptista, non autem Petrus, vel Paulus, licet illi etiam baptizarent.

Adhuc, Quare dicitur baptismus Joannis, quo baptizat Joannes, non autem dicitur baptismus Petri, quo baptizat Petrus : et tamen dicitur Evangelium Pauli, quod prædicat Paulus, et Evangelium Petri, quod prædicat Petrus.

Ad hæc autem et omnia similia dicendum, quod baptismus Joannis nullam conferebat gratiam. Et hujus sunt tres causæ : una quidem vera, et duæ adjunctæ. Vera est, quia non dabatur in forma quæ sanctificationem operatur in baptismo, quæ trinæ beatitudinis est

¹ Cf. Josue, iii, 16.

² Cf. IV Regum, ii, 14.

³ Cf. IV Regum, v, 14.

invocatio, ut dicit beatus Ambrosius : sed dabatur in nomine venturi, quod non est forma baptismi. Ex forma enim sacramentum habet sanctificationem. Alia autem est, quia adhuc non erat data vis regenerativa aquis : quia Christus nondum erat baptizatus. Sed licet hanc causam quidam assignent, tamen nulla est : quia si hodie aliquis baptizaretur baptismo Joannis, nullam penitus reciperet gratiam. Tertia est, quia baptismus Joannis erat introductorius ad baptismum Christi : et ideo conformis fuit sibi in actu intinctionis et materia : et sequebatur baptismus Christi sicut perfectio : et quia quod est introductorium alicujus, transit illo introducto, non potuit conferre gratiam propter sui imperfectionem.

Et quia nihil ibi erat nisi actus Joannis, et non gratia divina interius baptizans, ideo dicitur baptismus Joannis, et non Christi : sed Christi dicitur omne baptisma, in quo Christi gratia lavat interius. Et ideo Pauli, Judæ, Petri, Apostolorum aliorum quorumcumque baptisma, quod in nomine Trinitatis fiebat secundum formam, quam tradit Christus¹, baptismus Christi vocatur : quia in illo baptizat Christus. Joan. 1, 33 : *Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Et ideo Joannes vocatur Baptista a suo baptimate et non Paulus, vel alius baptizans baptismo Christi.

Sed in prædicatione Evangelii non est nisi actus exterior : et ideo prædicantes prædicant Evangelium et sunt Evangelistæ, quia ex ipsa re operata Evangelium non confert gratiam. Et per hoc patet solutio omnium.

« Videns autem multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis : Proge-

nies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira ? »

Hic reprehendit quosdam non in fide debita et devotione venientes.

Tangit autem quatuor, scilicet reprehensionem, veram pœnitentiæ instructionem, ejus in quo gloriabantur exclusionem, futuri judicii comminationem. Et hæc per ordinem patent in littera.

In reprehensione tangit duo, scilicet causam reprehensionis et modum.

Causa est, quam dicit :

« Videns autem multos Pharisæorum. »

Pharisæi enim ex præsumptione religionis non confitebantur peccata sua, quæ non habere recognoverunt. Lucæ, XVIII, 11 : *Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, etc.* Sadducæi autem dicebantur *Saddochæi*, a sadoch, quod est *justus*, quasi justus, quia magna exteriori justitia pollebant : sed in fide errabant, quia resurrectionem non esse dicebant, nec spiritum aliquem sine carne esse credebant : Deum autem per temporalia suos remunerare. Unde, infra, XXII, 23 et seq. : *Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, tentabant Christum de muliere septem virorum.* Hos igitur reprehendit acriter. Et nota, quod sicut dicitur, Lucæ, III, 7 et seq., milites et publicani venerunt ad eum, et omnes benigne intruxit : istos autem solos acriter reprehendit. Quia isti non ex devotione exiverunt, sed potius ex indignatione, tentantes potius quam credentes, et magis coram hominibus facientes, eo quod multitudo tota fecit : et indignationem multitudinis sustinuissent, si non venissent ad baptismum.

¹ Cf. Matth. XXVIII, 19 : *Baptizantes... in no-*

mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Unde dicit :

« Progenies viperarum. »

Ecce reprehensio. In qua duo dicit : primo enim notat eos de vitio, et secundo dicit eis imminere pœnam.

De vitio notat, dicendo eos esse progeniem viperarum. Vipera dicitur *vipariens*. Et est serpens, vel quoddam genus serpentis, quod primo in sua generatione concepit ovum, et illud ovum intra uterum fœtum exit, et fit serpens : et tunc enititur ipsum mater cum pelle et testa ovi : et multa sunt alia marina, et terrestria, et repentina, quæ sic pariunt. Et ideo dicitur, quod talia in partu lacerant uterum matris suæ. Et sic Pharisæi et Sadducæi laceraverunt præsumptione et hæresi uterum Synagogæ. Isa. LIX, 5 : *Ova aspidum ruperunt, et telas aranæ texuerunt. Qui comederit de ovis eorum, morietur : et quod confœtum est, erumpet in regulum.* Isa. XIV, 29 : *De radice colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem.* Et nota, quod secundum naturam impossibile videtur, quod naturaliter aliquod genus animalis sic pariat, quod semper occidatur a partu. De hoc autem plura diximus in libro de *Animalibus* ¹.

« Quis vobis demonstravit fugere a ventura ira? »

Quasi dicat : quia præsumptio Pharisæorum non timet iram, quam putat se non meruisse, et perfidia Sadducæorum non timet eam, quia non credit futuram.

« Quis »

Ergo fidem faciens,

« Vobis demonstravit fugere a ventura ira? »

Sapient. II, 21 et 22 : *Hæc cogitarunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei : neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.* Matth. XXII, 29, dicit eis Dominus : *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Isa. X, 3 : *Ad cujus confugietis auxilium? et ubi derelinquetis gloriam vestram?* Joel, II, 11 : *Magnus dies Domini, et terribilis valde : et quis sustinebit eum?* Isa. XXX, 27 et 28 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum : labia ejus repleta sunt indignatione, et lingua ejus quasi ignis devorans. Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, et frænum erroris quod erat in maxillis populorum.* Daniel. VII, 10 : *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus, scilicet Judicis.*

« Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. » 8

Ecce instructio ad pœnitentiam.

Et dicit quatuor : quorum unum refertur ad opera satisfactionis, cum dicit :

« Facite. »

Alterum ad voluntatem informatam charitate, dicendo :

« Fructum. »

Quia frui est cum gaudio : ita et pœnitens de dolore debet gaudere, et frui dolore ex charitate quam habet in Deum.

¹ Cf. præcipue Lib. XV de Animalibus, tract. I, cap. 5, et lib. XXV, num. 134, et lib. XXVI, n.

61, tom. XII hujusce editionis nostræ.

Tertium refertur ad arbitrationem pœnæ contra culpam, quod fit in confessione.

Quartum pertinet ad compunctionem quæ est in corde, cum dicit :

« Pœnitentiæ. »

De primo horum dicitur, ad Roman. VI, 19 : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati, ad iniquitatem : ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ, in sanctificationem.*

De secundo, I Paralip. XXIX, 17 et 18 : *Populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine, Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum.*

De tertio, Deuteron. XXV, 2 : *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Apocal. XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*

De quarto, Joel, II, 12 : *Convertimini ad me.* Et sequitur, ꝑ. 13 : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Ruth, I, 20 : *Amaritudine valde replevit me Omnipotens.*

● « Et ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham. »

Ecce exclusio gloriæ generis, in quo gloriabantur. Putabant enim, quod merito promissionis factæ ab Abraham omnes essent salvandi, qui nati sunt ex ipso.

Et dicit duo : primum est exclusio inanis gloriæ : secundum est ratio exclusionis.

De primo dicit :

« Nolite dicere intra vos. »

Hoc est, in corde. Psal. XXXV, 2 :

Dixit injustus ut delinquat in semetipso. Matth. IX, 4 : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ?*

« Patrem habemus Abraham. »

Quia respondetur vobis illud Joannis, VIII, 39 : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Et illud Isaïæ, LVII, 3 : *Vos autem accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri et fornicariæ.* Isa. I, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis scelertatis !* Ezechiel. XVI, 3 : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Ideo dicitur, Isa. LXIII, 16 : *Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos.* Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.* Ad Roman. IX, 8 : *Non qui filii carnis, hi sunt filii Dei : sed qui filii sunt promissionis, æstimentur in semine.* Ad Roman. II, 28 : *Non enim qui in manifesto, Judæus est, etc.*

« Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. »

Ratio est exclusionis gloriæ.

Et duo dicit, assertionem, et rationem exclusionis.

Assertionem enim promittit, dicens :

« Dico enim vobis, »

Quod constanter assero. Ad Roman. IX, 1 : *Veritatem dico in Christo, non mentior.*

« Quia potens est Deus de lapidibus, etc. »

Juxta ripam Jordanis duodecim illi jacebant lapides, quos Josue de alveo Jordanis in ripam transferri fecit¹ : et illos demonstrasse dicitur Joannes. Et significabant Gentiles frigidus et duros in Abrahæ promissione suscitatos. Et tunc

¹ Cf. Josue, IV, 8.

non intelligitur de potentia absoluta, sed ordinata per consilium, quod est dispositio immobilis futurorum. Quia sicut Judæos suscitavit de centenario et nonagenario (propter quod Abraham dicitur *petra*, et vulva Saræ *caverna laci*, Isa. LI, 1 : *Attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis*), ita adhuc eadem potentia potest suscitare et hos filios. Matth. XXI, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus*. Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus*. Et præmittit, ꝑ. 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra*. Hic sensus confirmatur ex Glossa quæ dicit, quod « in hujus rei « testimonium Deus de Sara genuit « filium. » Et est locutio impropria : quia corporalis (alias, carnalis) actus non refertur in Deum. Unde sensus est : Fecit de potentia sua quod nasceretur, etc.

10 « Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. »

Ecce pars illa, in qua comminatur judicium futurum.

Et duo dicit : primo, impendentem malis Dei (alias, divini) judicii sententiam. Secundo, judicii illius pœnam. Primum dicit sub metaphora, in qua comparat sententiam securi, et condemnandos comparat arbori, et præcipue Synagogam, cui tunc impendebat securis. Et ex modo loquendi dicit exstirpandam esse funditus Synagogam a radicibus : quæ radix fuit regnum in parte una, ad legis observantiam cogens : et sacerdotium in parte altera, legem docens, et sacramenta legis exhibens. Quæ duo in proximo excidenda fuerunt, quia jam

ambo illa ad Pontifices devoluta fuerunt, et illi ad impietatem se converterant. Raro autem in Scriptura comparatur sententia securi. Et comparatio est ad similitudinem præcisionis, et sæpius comparatur gladio. Job, XIX, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est : et scitote esse judicium*. Isa. XXVII, 1 : *Visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviathan, serpentem vectem, et super Leviathan, serpentem tortuosum*. Apocalyp. I, 16 : *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibit*.

« Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum. »

Infra, VII, 17 : *Mala arbor fructus malos facit*. Sapient. IV, 5 : *Fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum*.

« Excidetur. »

Luc. XIII, 7 : *Succide illam : ut quid etiam terram occupat ? Duplici enim ex causa exciditur, scilicet, si nullos, et si malos fructus facit*. Ezechiel. XVII, 9 : *Nonne radices ejus evellet, et fructus ejus distringet, et siccabit omnes pamites germinis ejus, et arescet ?* Daniel. IV, 10 et 11 : *Ecce vigil, et sanctus de cælo descendit. Clamavit fortiter, et sic ait : Succidite arborem, et præcidite ramos ejus : excutite folia ejus, et dispergite fructus ejus*.

« Et in ignem mittetur. »

I ad Corinth. III, 13 : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*. Isa. XXX, 33 : *Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam*. Joan. XV, 6 : *Mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet*.

« Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam. »

Hic incipit declarare interius baptizantem.

Et dicit quatuor : primum est professio sui officii. Secundum est, præmiens dignitas Christi. Tertium est, efficacia baptismatis Christi respectu baptismatis Joannis. Quartum autem est, examinatio futuri iudicii. Et hæc patent per ordinem in littera.

De primo dicit tria : actum, materiam, et finem baptismatis sui.

Actum, quando dicit :

« Ego quidem baptizo vos. »

Et actu assuefacio vos ad baptismationis Christi actum.

« In aqua. »

Et per hoc demonstro materiam baptismatis.

« In pœnitentiam. »

Quod est mei baptismatis finis : quia cum non conferat gratiam, oportet pœnitere, ut efficiamini ab baptismum Christi idonei. Joan. III, 23 : *Erat autem et Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, et veniebant, ad eum scilicet, et baptizantur.*

« Qui autem post me venturus est, fortior me est. »

Ecce secundum, in quo determinat præminentem Christi dignitatem.

Et dicit tria, scilicet adventum Christi ad baptizandum, fortitudinem ejus ad emundandum, et dignitatem ejus ad regendum et ditandum.

De primo dicit :

« Qui autem post me venturus est. »

Sicut sol post luciferum. Job, xxxviii,

32 : *Numquid producis luciferum in tempore suo, sicut lucerna ante Dominum.* Psal. cxxxii, 17 : *Paravi lucernam Christo meo.* Joan. v, 35 : *Joannes erat lucerna ardens, et lucens, sicut rex post præconis vocem.* Isa. lii, 8 : *Vox speculatorum tuorum : levaverunt vocem, simul laudabunt, etc.* Sicut iudex post Præcursorem. Malach. iii, 1 : *Ecce mitto Angelum meum, et præparabit, etc.*

« Fortior me est. »

Ecce fortitudo ad mundandum in baptismo a peccato, quod vires ministravit diabolo. Matth. xii, 29, et Lucæ, xi, 21 : *Cum fortis armatus, etc.* Numer. xxiii, 22 : *Cujus fortitudo similis est rhinocerotis.* Job, ix, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Joan. i, 30 : *Post me venit vir, qui ante me factus est, etc.* Isa. xlix, 24 : *Numquid tolletur a forti præda? aut quod a robusto captum fuerit, salvum esse poterit? Isa. viii, 3 : Voca nomen ejus : Accelera spolia detrahere, festina prædari.*

« Cujus non sum dignus calceamenta portare. »

Ecce dignitas ad regendum et dominandum.

Et notantur tria : unum in calceis, et unum in ligatura calceorum, et unum in lege discalceatorum.

In portatura calceorum notatur humilitas obsequii secundum litteram, et præratio Evangelii secundum usum. Et quoad humilitatem obsequii sensus est : Non sum dignus ei humillimum obsequium exhibere, sicut si ad portandum calceos deportarem. Quoad autem usum calceorum, calcei ab attritione, et pollutione, et frigore pedem defendunt : sic Evangelium quod portat Prædicator, defendit ab attritione lassitudinis, et pollutione concupiscentiæ, et a frigore cupiditatis terrenæ, per quam refrigescit charitas. Ad Ephes. vi, 15 : *Calceati pe-*

des in præparatione Evangelii pacis. Exod. XII, 11 : Calceamenta habebitis in pedibus. Cantic VII, 1 : Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis !

Secundum autem, calcei ligatura. Calceus est morticina pellis nostræ mortalitatis, quam assumpsit Christus : pes autem est divinitas, quam ad nos extendit. Psal. LIX, 10 : *In Idumæam extendam calceamentum meum.*

Corrigia autem est unio divinæ naturæ cum humana, quam solveere est penetrare per intellectum solventem, et scire qualis sit modus unionis, ad quod non est dignus Joannes : qui tamen scivit per Spiritum revelantem. Joan. I, 27 : *Cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Marc. I, 7 : *Cujus ego non sum dignus procumbens solveere corrigiam calceamentorum ejus, secundum legem disalceati.*

Attende quod, Deuteron. xxv, 5 et seq., lex est, quod si quis fratrum decedit sine filio, frater defuncti præcipitur uxorem defuncti ducere, et primogenitum ex ea susceptum nomine defuncti fratris vocare, ne deleatur nomen ejus in Israel : quam si forte ducere noluit, mulier relicta defuncti talem in porta civitatis apud judices interpellavit : qui si monitus a judicibus, adhuc nolens eam ducere perseveravit, mulier eum coram populo disalceavit, et in faciem ejus sputavit, et vocabatur nomen domus ejus *domus disalceati* in Israel. Tamen, Ruth, iv, 8, propinquus Elimelech et Noemi nolens ducere Ruth, seipsum disalceavit, et mulier in faciem ejus non sputavit, ideo forte, quia Ruth alienigena erat. Secundum hanc igitur legem sensus est : Non sum dignus solveere calceamentum Christo (alias, Christi), et sponsam suam Ecclesiam accipere, et nomen sponsi mihi usurpare. Joan. III, 29 : *Qui habet sponsam, sponsus est : amicus autem sponsi qui stat, et audit eum, gaudio gaudet*

propter vocem sponsi. Omnes istæ expositiones sunt in Glossa.

« Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. »

Ecce efficacia baptismi Christi in comparatione ad baptismum Joannis.

Et tangit duo : primum, quod actus veri baptismatis Christo est proprius. Secundo, in quo consistit baptismatis verus effectus, sicut in causa agente.

De primo dicit :

« Ipse. »

Discretive : non alius.

« Vos baptizabit. »

Hoc est, caractere baptismi sigillabit : quia character baptismi est illud, quod est res, et sacramentum in baptismo.

« In Spiritu sancto. »

Ecce in quo consistit effectus, sicut in causa.

Dicit autem duo : Spiritum gratiam conferentem interius, et ignem accendentem ad amorem. Vel, Spiritum virtutibus replentem, et ignem probantem per tribulationem. Vel melius, in Spiritu conferente rem in baptismo contentam, et causatam (alias, causantem).

« Et igni. »

Quoad lucem irradiationis, quæ est res significata, non contenta in baptismo. Act. I, 5 : *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.*

Sed videtur falsum : quia non baptizavit in igne. Responsio. Loquitur de igne qui descendit, quando Spiritus sanctus datur ad robur¹, sicut nobis datur in con-

¹ Cf. Act. II, 4.

firmatione : quia et confirmatio est perfectio ultima baptizati. Manet fomes post baptismum : et ex hoc debilitaretur miles Christi, nisi contra eum acciperet confirmationem : quod facit ignis, exsiccans concupiscentiam, et elevans cor ad spem, et illuminans ad agenda, et accendens ad amorem. Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere*, etc. Cantic. VIII, 6 : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum*. Isa. LXII, 1 : *Egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur*.

« Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam : et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. »

Istud est ultimum de futuro judicio.

Et tangit quatuor : primum, quod sibi data est judiciaria potestas. Secundum, quod judicio discretionis judicabit, segregando malos a bonis. Tertium, quod ad se congregabit bonos sicut fructum manentem. Quartum, quod vacuos a fructu, licet fructuosos sint conjuncti, igni concremabit.

De primo dicit metaphorice :

« Cujus ventilabrum. »

Hoc est, judicium discretionis.

« In manu sua. »

Hoc est, datum est ei in potestate. Joan. V, 22 : *Neque pater judicat quemquam : sed omne judicium dedit Filio*. Joan. XII, 31 : *Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Psal. XLII, 1 : *Judica me, Deus, et discerne causam meam*.

« Et permundabit aream suam. »

Ecce secundum, ubi tangit discretio-

nem, quam facit. Area autem est Ecclesia, quam permundabit ejiciendo incredulos Judæorum. Unde etiam ventilabrum dicitur a *vento* et *labendo*, quia in ultima captivitate in omnem ventum sunt dilapsi. Ezechiel. V, 2 : *Tertiam partem in ventum disperges, et gladium nudabo post eos*. Psal. XXXIV, 5 : *Fiant tamquam pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini coarctans eos*.

« Et congregabit triticum. »

Hic dicit, qualiter ad se congregabit bonos, sicut fructum manentem in æternum. Infra, XIII, 30 : *Triticum congregate in horreum meum*. Hoc enim propter puritatem et permanentiam significat electos. Joan. XV, 16 : *Ego posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat*.

« Paleas autem, etc. »

Quartum, qualiter conflagravit malos. Paleæ autem a radicibus tritici surgunt, et tritici fructum ferunt, et significant eos qui dixerunt quod essent filii Abrahæ, et essent radicati in promissionibus patrum (et forte fuerunt cognati Prophetarum et sanctorum) : propter quam affinitatem non parceretur eis, quia palea nascitur de tritico, et profert triticum. Et tamen propter illam affinitatem non liberatur ab igne : ita et vos.

« Comburet igni inextinguibili. »

Isa. I, 31 : *Erit fortitudo vestra in favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat*. Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*. Psal. XLIX, 3 : *Ignis in conspectu ejus exardescet : et in circuitu ejus tempestas valida*. Psal. XCVI, 3 : *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus*.

13 « Tunc venit Jesu a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.

14 Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me! »

Habito introductivo baptismi Christi, tangit de virtute regenerativa, quæ collata est aquis ex vi mundissimæ carnis Christi.

Et dividitur in partes duas: quarum prima est de baptismo Christi, qui (alias, quo) baptizatus est. Et secunda est de effectu ipsius, ibi, *ŷ.* 16: « *Baptizatus autem Jesus, confestim, etc.* »

In prima harum partium quatuor dicuntur: primum, adventus Salvatoris ad Baptistam. Secundum, ex humilitate excusatio Joannis. Tertium, revelatio facta Joanni, quod conveniens esset suus baptismus. Quartum, obedientia Joannis. Et hæc patere possunt per ordinem in littera.

In primo horum sex dicuntur, scilicet, quando, quis, unde, quo, ad quem, et ad quid venit.

De primo horum dicit:

« Tunc. »

Scilicet, quando Joannes venit ad Jordanem baptizans. Et hoc est, postquam venit Jesus ad ætatem virilem: et hoc est, quando fuit annorum triginta, tredecima enim die trigesimi anni venit. *Luc.* III, 23: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*, quasi dicat, quia trigesimus jam fuit inchoatus. Et est argumentum, quod si aliquis est vicinus triginta annis, etsi nondum complevit, quod potest promoveri. Tali etiam ætate David accepit regnum¹. Primo enim anno nativitatis suæ, tertio decimo die, adoratus est Dominus a Magis: et trigesimo anno, tertio decimo die baptizatus:

¹ Cf. II Reg. v, 4.

et trigesimo primo anno, tertiadecima die, convertit aquas in vinum: et trigesimo secundo anno, tertiadecima die, ut dicit Beda, quinque millia hominum de quinque panibus et duobus piscibus satiavit. Adhuc, trigesimo primo anno Salvatoris, in Pascha Joannes incarceratus est, et post annum est decollatus in sequenti Pascha, quando Salvatoris trigesimus secundus annus agebatur: et deinde post annum, quando trigesimus tertius annus Salvatoris agebatur, in Pascha Dominus crucifixus est: et sic Dominus erat triginta duorum annorum et dimidii. Et hoc dicit Eusebius, et alii fere omnes: ita quod dimidius annus computetur inter nativitatem et Pascha, per synecdochen. Sed secundum Chrysostomum, vixit per triginta tres annos et dimidium.

« Tunc. »

Ergo in ætate triginta annorum, quando et Joseph stans coram Pharaone, *Salvator mundi* vocatus est².

« Venit Jesus. »

Ecce quis venit, Salvator. Et ideo non ad indigentiam sui, sed ut salutiferam virtutem regenerationis conferret aquis. *Psal.* LXXIII, 13: *Contribulasti capita draconum in aquis*. Unde, et *Genes.* I, 2, Spiritus vitæ primo apparuit in aquis, quando *Spiritus Dei ferebatur super aquas*.

Sed tunc quæritur: Quia si aquæ ex tactu Salvatoris habent vim regenerativam, tunc non oportet, nisi quod baptizandi intingantur sine aliqua invocatione: tunc enim illa vis operabitur effectum in eis. Et ad hoc dicendum, quod vis regenerativa est in aqua ex tactu carnis Salvatoris in potentia, quæ non reducitur ad efficiendum effectum, nisi per invocationem Trinita-

² Cf. *Genes.* LXI, 45.

tis. Sed tunc dicitur, quod illa vis non est in aqua, nisi sicut in materia baptismi. Et dicendum, quod hoc verum est : quia per eam efficitur aqua propria materia baptismi, sicut quælibet res generata habet potentiam suæ generationis in propria materia, ex qua generatur, et non in alia.

« A Galilæa. »

Ecce unde venit. Quæ ipso nomine significat transmutandos eos fore, qui ad baptismum veniunt. I Reg. x, 6: *Mutaberis in virum alium.*

« In Jordanem. »

Ecce quo venit. Genes. xxxii, 10: *In baculo meo transivi Jordanem istum; et nunc cum duabus turmis regredior.* Ezechiel. xxxii, 19: *Quo pulchrior es? descende,* etc. Eccli. iii, 20. *Quanto magis es, humilia te in omnibus.*

« Ad Joannem. »

In quo est gratia. Hic est ecclesiæ minister: non hæreticus, vel schismaticus, in quo nulla est gratia, quam in forma, ritu et intentione Ecclesiæ conferat sacramentum. Eccli. xiii, 20. *Omnis homo simili sui sociabitur.*

« Ut baptizaretur ab eo. »

Ecce propter quid. Et ideo nihilrecepit Christus in aqua baptismatis, sed contulit aquæ vim regenerativam, sicut dictum est. Hujus tamen et aliæ causæ assignantur in Glossa: ut scilicet baptisma Joannis approbaret: ut homo omnem justitiam impleret, et legis humilitatem: et ut aquas sanctificatas per columbam in lavacro ostenderet: et ut nemo quantumlibet sanctus a baptismo excusatus esset, si baptismi gratiam superfluam sibi judicaret.

« Joannes autem prohibebat eum, etc. »

Ecce secundum istius partis, humilis videlicet excusatio.

Sed videtur, quod excusatio fuerit inobedientiæ, quia a spiritu Dei ad hoc missus fuit: ergo excusare non debuit. Joan. 1, 33: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendantem, et manentem super eum,* etc.

Adhuc, hic prohibet eum: ergo cognovit eum. Joan. autem, 1, 31, dicitur: *Et ego nesciebam eum.*

RESPONSIO. Excusatio non fuit obstinationis, sed pietatis et humilitatis. Pietatis quidem, quia pietatis visceribus afficiebatur circa eum, qui propter amorem hominum ita descendit. Ad Philip. ii, 7: *Semetipsum exinanivit.* Humilitatis autem, quia contremuit baptizare eum, qui totius mundi peccata tulit, simile aliquid passus sicut Petrus, Joan. xiii, 8: *Non lavabis mihi pedes in æternum.*

Dicuntur autem hic tria: primum est prohibitio pia et humilis. Secundum est ratio prohibitionis. Tertium autem admiratio humilitatis Christi.

De primo autem dicit:

« Joannes autem prohibebat eum. »

Luc. xiv, 10: *Recumbe in novissimo loco.*

« Ego a te debeo baptizari. »

Ecce ratio prohibitionis. Hoc est, ego a te debeo mundari: quia, sicut dixi supra: Tu es, qui baptizas solus.

Sed qualiter cognovit eum, cum, Joan. 1, 31, dicat: *Ego nesciebam eum?* RESPONSIO secundum Augustinum: « Cognovit in persona, sed non in potestate » baptismi, quam sibi soli retinere voluit. » Vel dicatur, quod non cognovit eum primo, sed ex signis cognovit eum:

et tunc dixit verba ista : licet enim postea sequantur, signa tamen præcesserunt. Et quod hic dicitur, per anticipationem introducitur.

Sed qualiter dicit, quod ab eo debuit baptizari, cum sanctificatus fuerit in utero ? Luc. 1, 15 : *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* RESPONSIO. Sanctificatio licet purget a peccato originali, et tollat pronitatem ad mortale, tamen non tollit pronitatem ad veniale : et ab illo debuit mundari a Christo.

« Et tu venis ad me ? »

Istud est tertium, quod est admiratio- nis. Quasi dicat : Cum omnia hæc sacramenta sola voluntate perficere possis, mira est tua dignatio, quod ita te humilias, ut corporalibus operibus et passionibus subjiciens te hominibus, ista velis peragere. Et hoc pro certo convenientissimum fuit sanandæ nostræ miseræ. Job, xxiii, 6 et 7 : *Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. Proponat æquitatem contra me.* Æquitas autem est æqualitas satisfaciens, et cui fit satisfactio, ut medium invenientur a mediatore. I ad Timoth. ii, 5 : *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Et hoc non potuit esse per potentiam, sed per sacramenta, quibus se subiecit.

15 « Respondens autem Jesus, dixit ei : Sine modo. »

Istud est tertium, in quo illuminatur Joannes ad baptizandum Christum.

Et dicuntur duo : primum, quod dicit quod permittat. Secundum, quod rationem permissionis assignat.

De primo dicit :

« Sine modo. »

Quasi diceret : Modo tempus est istius humilitatis ad reconciliationem hominis.

II ad Corinth. vi, 2 et 3 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.* Propterea enim omnia facit, ut nec ab homine, nec a diabolo quidquam dici posset. Isa. xlix, 8 : *In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui.* Psal. lxiv, 12 : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, etc.*

« Sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. »

Hic assignat rationem permissionis.

Dicit igitur :

« Sic. »

Hoc est, hoc modo, quod ego sacramenta instituam, et eisdem sanctificationem, qua alios sanctificare valeant, conferam.

« Decet nos. »

Hoc est, conveniens est, quamvis aliter de potentia absoluta procedere possem.

« Omnem justitiam. »

Quæ effective dicitur *omnis justitia*, ut nullus de potentia conqueri posset. Hæc enim est omnis justitia effective dicta, ut Redemptor se voluntate (alias, voluntarie) humiliet ad sacramenta perficienda : et homo ex humilitate se sacramentis exhibens, salutem redemptionis inveniat.

Unde distinguitur gradus humilitatis : quia in sacramentis oportet quod majori subjiciamur, a quo confertur nobis robur spiritus : majorem autem in multis sacramentis oportet subjiciæquali, vel inferiori : et sic humiliatur ad elementum corporeum, quod sub nobis est. Ita etiam aliquando oportet humiliari ad inferiorem ministrum : et hæc est perfectio humilitatis in sacramentis. Proverb. viii, 8 : *Justi sunt omnes sermones mei, non est in*

eis pravum quid neque perversum. Isa. x, 22 : *Consummatio abbreviata inundabit justitiam.* Matth. xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Joan. xiii, 15 : *Exemplum dedi vobis, etc.* Sic enim baptizatus, qui figuratur in baptismatibus veteris legis et figuris, dum vis maris et Jordanis impletur per Christum, cum vacuus sit a justitia sine ipso, sicut et cætera quæ implevit. Joan. i, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

« Tunc dimisit eum. »

Ecce quartum. Ubi illuminatur de sacramento humilitatis, humiliter acquiescit. Et notabile est, quod dicit :

« Tunc dimisit eum. »

Quasi dicat : Nihil contulit ei, sed permisit fieri, quod voluit. Quasi dicat : Non mea voluntate (alias, voluntas), sed tua fiat.

10 « Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli : et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. »

Hic tangit Christi baptismatis effectum.

Et tangit quatuor : quorum duo primo (alias, prima) efficiuntur in baptizatis baptismis Christi. Tertium autem est sanctificans baptismus (alias, baptismum) Christi. Quartum autem est testimonium et Christi, et per Christum baptizatorum.

Primum est, quod baptizatus confestim ascendit, significans baptismate Christi baptizatos (alias, baptizatos) statim per virtutes ad cœlestem conversationem ascendere. Psal. lxxxiii, 8 : *Ascensiones in corde suo disposuit.* Genes. xxxv, 1 : *Surge, Jacob, ascende Bethel,*

et habita ibi, etc. Bethel est domus Dei.

« Et ecce aperti sunt ei cœli. »

Effective quidem in se ipso : ad ingrediendum autem in membris. Ezechiel. i, 1 : *Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei.* Act. vii, 56 : *Ecce video cœlos apertos.*

Sed quæritur, Quomodo baptismus cœlos aperit, cum hoc dicatur esse passionis, quando rhomphæa sublata est.

Adhuc, Hoc videtur esse Ascensionis, quando Christus actualiter in cœlum ingressus est.

RESPONSIO. Dicendum, quod omnibus his tribus convenit aperire cœlos quantum ad diversa, quæ sunt in januæ apertione. Est in ea remotio obstaculi, sive obicis ex parte intrantis : et est solutio debiti ex parte ejus ad quem intratur : et est patefactio, sive aditus viæ.

Et primo quidem modo cœlum baptismus aperit, quia tollit impedimentum ex parte nostra. Psal. cvi, 16 et 17 : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum.*

Secundo modo aperit Passio, quæ debitum Adæ solvit Patri oblatione animæ. Psal. xxxix, 8 et 9 : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui, etc.* Ad Hebr. ix, 27 et 28 : *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium : sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.*

Quoad tertium aperit Ascensio, sicut habetur, Joan. xiv, 2 : *Vado parare vobis locum.* Mich. ii, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos.*

« Et vidit Spiritum Dei descendentem. »

Ecce effectus quoad Christum, prout aquas sanctificat, demonstrandum. Et ista species columbæ soli (alias, solum)

convenit Spiritui, sicut sola assumptio humanæ naturæ convenit soli Filio, et vox sonans soli convenit Patri. Et significatum est, Genes. viii, 10 et 11, ubi Noe emisit columbam, quæ retulit in ore ramum virentis olivæ : quod signum fuit misericordiæ et purificationis completæ per aquam. Cantic. v, 12 : *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluentia plenissima.* Fluenta enim illa sunt undæ baptismatis.

« Et venientem super se. »

Genes. viii, 9 : *Cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.* Isa. xi, 2 : *Requiescet super eum Spiritus Domini.*

17 « Et ecce vox de cœlis, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. »

Tria notat : claritatem, originem, et significatum vocis. Unde, Luc. iii, 22, dicitur, quod audita est vox ¹, quæ non audiretur, nisi clara esset.

Sed tunc quæritur, Quare alii non audierunt vocem, cum corporaliter sonaret in aere, ut dicit Glossa. **RESPONSIO.** Dicunt quidam, quod forte non erant præsentes. Sed hoc nihil est, quia, Joan. i, 26, dicitur : *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Alia responsio, quod sicut in aliis spiritualia non percipiuntur ab animalibus, ita nec ista. Quamvis enim corporaliter sonaret, non tamen ad omnes sonuit. Et si corporalis sonus forte ad quosdam venit, non nisi confusum sonum receperunt : sicut in simili facto dicitur, Joan. xii, 28 quod *venit vox de cœlo*, quæ dixit Filio petenti clarificationem Patris : *Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Dicebant quidam Angelum locutum esse : quidam autem tonitruum

factum esse : quia patulam aurem habens ad carnalia, et clausam ad spiritualia, percipit corporalem sonum eorum quæ spiritualia sonant, sed intellectum vocis non intelligit. Joan. iii, 8 : *Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat : sic est omnis qui natus est ex Spiritu.* Hæc enim licet sint corporalia, tamen et a Spiritu et ad spiritualium usum, et a virtute Spiritus sunt mota : et non percipiuntur nisi secundum potestatem Spiritus. I ad Corinth. xiv, 2 : *Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo : nemo enim audit, spiritu autem loquitur mysteria.*

Originem tangit, cum dicit :

« De cœlo. »

Hoc est, de altitudine Patris gloriæ. II Petr. i, 17 : *Voce delapsa ad eum hujusmodi a magnifica gloria.* Marc. i, 11 : *Vox facta est de cœlo.*

Tribus autem vicibus sonuit : in baptismo, Matth. iii, 17, et Luc. iii, 22. In transfiguratione, Infra, xvii, 5, et Luc. ix, 35. In Passione, Joan. xii, 28. In baptismo Filium nominat, propter filios adoptionis : in transfiguratione, propter gloriam Resurrectionis in capite et in membris : in Passione, propter declarationem redemptionis.

« Hic est Filius meus. »

Consubstantialis. Psal. cix, 3 : *Ex utero ante luciferum genui te.*

« Dilectus. »

Joan. iii, 35 : *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.*

« In quo mihi complacui. »

Quia nihil in eo dissimile inveni. Sa-

¹ Vulgata habet, Luc. iii, 22 et ix, 35 : *Vox de cœlo facta est, etc.*

piet. iv, 10 : *Placens Deo factus est dilectus.* Cantic. i, 15 : *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.*

Vel,

« Complacui. »

Qui in Adam exasperatus fui : et in diluvio de homine facto tactus dolore cordis intrinsecus pœnitui ¹. Osee, xi, 8 et 9 : *Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ : non convertar ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, et non homo : in medio tui sanctus.* Jerem. xxxi, 20 : *Conturbata sunt viscera mea super eum : miserans miserebor ejus, ait Dominus.*

Unde sensus est :

« Hic est. »

Discretive.

« Filius meus. »

Consubstantialis : in cujus Spiritu alios adopto in filios. Ad Galat. iv, 6 : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem : Abba, Pater.*

« Dilectus. »

Eo modo, quo dilectio (quæ est Spiritus sanctus, fluens a me in eum, et e converso ab ipso in me) complectitur eos qui in Spiritu suo adoptantur : quia horum naturam assumens, filium hominis naturalem mihi filium fecit.

Et ideo,

« In quo mihi complacui. »

Sicut in genito, in quo natura mea, quæ pascit voluntatem meam, sicut pascor fruendo me ipso : quia dilectio impetus est bonæ voluntatis in amatum : libitum autem dulcedinem voliti et amati prægustans : sed complacitum est tota simul perfecte in amato pascens. Et quia sic eo fruor pascens oblitus doloris, induco aquas, non diluvii, sed in Spiritu diluentes peccata. Et ideo etiam Spiritus descendit, ut in aquis animam vivam faciat, sicut a principio ². Unde primo ferebatur, et foverat aquas : in columba autem descendit, quia sine felle eos facit, quos unda baptismatis abluit.

CAPUT IV.

Christus in deserto post jejunium quadraginta dierum vincit diaboli tentationes : et capto Joanne secedens in Capharnaum, pœnitentiam prædicat : piscatores Petrum et Andream, Jacobum et Joannem Zebedæi ad se vocat : annuntians quoque Galilæis evangelium, varias curat infirmitates, turbis ipsum comitantibus.

1. Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo ³.

2. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.

¹ Cf. Genes. vi, 6.

² Cf. Genes. i, 2.

³ Marc. i, 12 ; Luc. iv, 1.

3. Et accedens tentator, dixit ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.
4. Qui respondens dixit : Scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei ¹.
5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi :
6. Et dixit ei : Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim : Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum .
7. Ait illi Jesus : Rursum scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum ² :
8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum,
9. Et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.
10. Tunc dicit ei Jesus : Vade, Satana : scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies ³.
11. Tunc reliquit eum diabolus : et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.
12. Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam ⁴ :
13. Et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim :
14. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam :
15. Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium ⁵ :
16. Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam : et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.
17. Exinde cœpit Jesus prædicare, et dicere : Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum ⁶.
18. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare : erant enim piscatores ⁷ :
19. Et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.
20. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.
21. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua : et vocavit eos.
22. Illi autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum.
23. Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni, et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo.
24. Et abiit opinio ejus in totam Syriam : et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos : et curavit eos.
25. Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judæa, et de trans Jordanem .

¹ Deuter. viii, 3 ; Luc. iv, 4.² Psal. xc, 11.³ Deuter. vi, 16.⁴ Deuter. vi, 13.⁵ Marc. i, 14 ; Joan. iv, 43.⁶ Isa. ix, 1.⁷ Marc. i, 15.⁸ Marc. i, 16 ; Luc. v, 2.⁹ Marc. iii, 7 ; Luc. vi, 17.

IN CAPUT IV MATTHÆI

ENARRATIO.

« Tunc Jesus ductus est in desertum
a Spiritu. »

Sanctificato sacramento regenerationis, per quod filii adoptionis regenerandi sunt, antequam incipiat regenerare per doctrinam et doctrinæ confirmationem, ponit pugnam et victoriam contra diabolum, qui nisi victus sit, impedit regenerandos. Propter quod Ecclesia invenit exorcismos, quibus adjuratur, et ligatur, ne impedire possit regenerandos, quo minus consequantur regenerationis sacramentum.

In tentatione autem ista tria ponit : arma videlicet ejus qui tentatur, ut nos talibus doceat uti armis. Et ipsam tentationem et effectum tentationis, quem dispensative in se Christus exhibuit et secundum veritatem in nobis efficit. Et hæc in littera sunt secundum ordinem, ut per se patet.

Arma enim ejus qui tentatur sunt Spiritus cogens et ducens : et desertum ab impedimentis expediens. Tentatio autem est diaboli persuasio et impulsus : et cætera quæ patebunt. Effectus autem est exhibitio præsidii Angelorum, et ministerium.

Circa primum tanguntur duo : scilicet munientia Jesum contra tentationem, et facientia tentationis opportunitatem : et hoc est esuries, et perfectio magni jejunii.

Circa primum horum tanguntur quinque : tempus videlicet, et nomen tentati, et Spiritus ducens, locus, et intentio.

Primum igitur est tempus, cum dicit :

« Tunc. »

Quando videlicet baptismum accepit : quando columba super eum mansit : quando vox Patris de dilecto et complacito personuit. Instruens nos si debeamus contra tentatorem progredi, quod regenerati simus, ut esse habeamus. Jacob. 1, 18 : *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Tunc enim creamur, ut simus. I Petr. 1, 3 : *Regeneravit nos in spem vivam.*

De descensu columbæ. Psal. LIV, 7 : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ ?* Pennæ enim sunt gratiæ donorum, et virtutum plenitudo. Cantic. II, 14 : *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceris.* Foramina petræ, vulnera Christi : caverna, foramen lateris : quando jam murus ossium corporis maceratus fuit per exsanguinationem, et exsanimationem, et pœna, et extensionem, et clamores.

De voce Patris, quando jam diligit te Pater, et complacet sibi in te, sicut in Filio dulcissimi Spiritus : ut sis ille filius dexteræ, in quo dextera Domini fecit virtutem, quem et exaltavit, et virtutum magna opera est. Benjamin dico, de quo dicitur, Deuter. xxxiii, 12 : *Et Benjamin ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.* Thalamus enim eris per pacem cordis : et inter humeros eum portabis per sublevationem sui honoris.

Sic ergo,

« Tunc Jesus. »

Qui præsentia (alias, præsentiam) in se habuit divinitatis. II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?* Exod. xxxiii, 15 : *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.*

Iste est ergo tentatus. II Machab. xi, 8 et 9 : *Cumque pariter prompto animo, scilicet ad bellandum, procederent, Jerusalem apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, et convaluerunt animis, non solum homines, sed et bestias ferocissimas, et muros ferreos parati penetrare.* Præcedens enim contra tentatorem est Dominus Jesus : vestis candida, virtus innocentis vitæ : arma aurea, gratia cum divinitatis splendore conjuncta : hasta pungens, zelus acutissime sitiens, Deum vincere et hostem dejicere. Hic (alias, hoc) enim si sic in corde præcedit, audacter congregere : quia et sævitiam bestialem, et astutiam humanam, et munimenta murorum, quibus multos concludit, interrumpes (alias, irrumpes) et superabis.

Hic ergo talis,

« Ductus est a Spiritu. »

Constat quod a Spiritu sancto, qui ab ipso procedit in plenissimo robore, non solum habuit, sed etiam in copia in alios transfudit. Unde, Luc. iv, 1, dicitur ascendisse de aqua Spiritu sancto plenus : et quod agebatur Spiritu in desertum. Agi autem plus sonat quam duci. Agi enim est quasi cogi : et intendit dicere, quod naturæ motum etiam in naturalibus prævenit movens et agens Spiritus. Et cum esset in opere ad finem operis, duxit idem Spiritus. Concupiscentia autem, vel aliqua alia mala passio nunquam egit eum. Non ergo te agat actrix concupiscentia carnis, et sanguinis et naturæ motum præveniat agens spiritus, et ducat ad finem optimum : tunc egredieris cum Jesu. Job, xxxix, 7 : *Clamorem exactoris non audit.* De actu autem spiritus prævenientis naturæ impetum etiam invenis, ad Roman. viii, 14, et ad Galat. iv, 5 et 6 : *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Signum hujus est, quod cum esuriret, non dixit quod fieret

panis ex lapidibus, sed præveniens naturæ impetum Spiritus misit ad recordationem refectionis spiritualis. Si enim naturæ impetus præveniat spiritum, infirma est natura ad standum : si vero concupiscentia carnis præveniat, jam cecidit antequam percutiatur ab hoste.

De ductu spiritus, Isa. lxxiii, 14 : *Spiritus Domini ductor ejus fuit. Sic aduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.* Deuter. xxxii, 12 : *Dominus solus dux ejus fuit : et non erat cum eo Deus alienus.*

« In desertum. »

Ecce locus tentationi parum congruus. Ibi enim non habet adjuutores diabolus. Inter mundanos enim invenit concupiscibilia, per quæ trahit affectus et linguas malorum, per quas subvertit aliquando intellectum. Et ideo, Genes. xix, 17, præcipitur Lot, ut non stet in omni circa regione, sed in monte salvum se faciat. II ad Timoth. ii, 4 et 5 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit. Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit.* I ad Corinth. ix, 25 : *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Est autem desertum locus, sui qualitate communem habitationem in se fieri non permittens : et hoc est habitatio Spiritus.

Et attende, quod concupiscentia carnis immensa est et infinita in desideriis. Est autem in nobis mens a *metiendo* dicta, quæ primo mensurat, et metas ponit concupiscibilem et operum nostrorum : sicut quod tunc, et tantum, et taliter comedendum : et sic a venereis abstinendum, et mulieri non commiscendum, nisi limes sit fides thori, vel proles, et hujusmodi. Et hæc mens (quæ est principium virtutis in nobis) deserta ab habitatione carnalium, quia immensitatem et infinitatem sequitur caro, sicut dictum est. Alia autem mens altior in nobis, quæ non modo exteriora operabilia per

nos mensurat, sed mensurat nosipsos : ut videlicet nihil sensuum, nihil imaginationum, nihil cogitationum, nihil affectuum, nihil voluntatum, et nihil studiorum, et tandem nihil motuum sit, cui metas sapientia non ponat, et in fræno non contineat. Et hæc mens *continentia* vocatur, quia continentia ab Aristotele diffinitur, quod est mora in mente, quia totam vitam animalem et humanam continet, ne aliquid sui elabatur. Hic, Eccli. xv, 1 et 2, vocatur *continens justitiæ*, qui et *apprehendet illam*, scilicet sapientiam, et *obviabit illi quasi mater honorificata*. Altiozem autem habemus mentem, quæ mensurat ea quæ supra nos sunt, Deum et spiritualia per rectas rationes apprehendens, et se illis quantum valet adæquans et commensurans : et ad illam etiam caro numquam penetrat.

Primi deserti tirones sunt virtuosus dicti in moribus : secundi deserti milites sunt heroes heroicarum sive dominalium virtutum præferentes vocari : tertii sunt probatissimi spiritualium intellectuum duces : prout etiam Philosophi dividunt virtutes in morales, heroicas, et intellectuales sive contemplativas. Illi, qui primis opponuntur, sunt vitiosi : contrarii secundis sunt bestiales, sive animales vocati : sed contrajacentes tertiis sunt in divinis actibus hujus vitæ abducti. In primo horum desertorum clamat Joannes, in quo est gratia virtutis : ad secundum invitat Christus discipulos, Marci, vi, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum*. In tertio, in interioribus intrat Moyses, et videt visiones Dei magnas¹. De omnibus simul, Exod. v, 3 : *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro*. Genes. xxii, 4, venit Abraham tertio die ad montem visionis in deserto.

Sic ergo non tam loco quam mundo (alias, vivendo),

« Ductus est Jesus in desertum. »

Vel potius subductus. In his enim est abundantia spiritus, et adjutorium contra tentatorem (alias, tentationem). Psal. lxiiv, 13 : *Pinguescent speciosa deserti, et exsultatione colles accingentur*. Isa. xxxv, 1 et 2 : *Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi liliium. Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans : gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron*. Primo enim deserto datur decor Carmeli, qui *scientia circumcisionis* interpretatur, quia mensurando præcidit superflua per medium virtutis moralis. Secundo datur gloria Libani, eo quod in tanto candore continentia ambulat, quod non videtur imitari homines, sed herilis heroes imitatur cœlestes. Tertio datur decor Saron, qui *principans lumini cœli* interpretatur, quia admirabiles in lumine cœli invenit decores, puritate et firmitate omnibus excellentiores. Ideo etiam tria hic ab Isaia dantur ei nomina, quia primum est desertum, et non omnino invium : secundum desertum est invium, non tamen omnino solitudo : sed tertium est desertum, et invium et solitudo, quia omnino (alias, omni modo) vult habere solitudinem. Omnia autem germinant, et omnia florent, et omnia laudant, et omnia lætantur et lætabunda sunt. Luc. 1, 80 : *Puer, scilicet Joannes, crescebat, in primo deserto : et confortabatur spiritu, in secundo : et erat in desertis, in tertio scilicet, usque in diem ostensionis suæ ad Israel*. Ibi enim revelationes accepit de officio suæ præcursionis.

Sic ergo Jesus ductus est a Spiritu in desertum,

« Ut tentaretur a diabolo. »

Hic tangit intentionem Salvatoris. Et dicit duo : tentationem, et tentatorem : diaboli enim officium est tentare.

¹ Cf. Exod. iii, 5 et seq.

Videtur autem inconvenienter dicere, quando dicitur,

« Ut tentaretur. »

Quia, cum omnis Christi actio nostra sit instructio, videtur nobis dare viam, quod exhibeamus nos tentationibus : et hoc est incautum valde. RESPONSIO. Dicendum, quod aliqua in Christo debemus imitari, et aliqua mirari. Quæcumque sunt opera virtutum imitari debemus : quæ autem sunt potestatis, imitari non possumus, nec debemus, sed admirari. Et istud est unum de illis, quo objicit se illi, qui ita fortis est, sicut dicitur, Job, xli, 24 : *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Hoc enim facit ex fortitudine deitatis, quia sic fortior est forti. Matth. xii, 29, et Luc. xi, 21 : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.* Ratio autem quare facit, est duplex : una de præterito, et altera de futuro. De præterito, quia sicut portavimus imaginem primi Adæ victi a diabolo, ita debemus portare imaginem secundi : quam portare non possemus, nisi vinceretur ab eo diabolus, quia non possemus exspoliare imaginem primi. De futuro autem ratio est, quæ superius inducta est : quia cum construxerit sanctificando regenerationis sacramentum, per quod regenerati portare debemus imaginem suam, hanc in agnitionem suæ doctrinæ percipere non possemus, nisi prius debilitato hoste : quia ex victoria primi hominis dominabatur in nobis. Et ideo conveniebat Christum congregari. Et istæ causæ non sunt in nobis : et ideo nostræ infirmitatis nobis consci, non debemus nobis facere tentationum occasiones.

Et si objiciatur, quod David dicit, Psal. xx, 2 : *Proba me, Domine, et tenta me* : et Psal. cxxxviii, 24 : *Vide, si via iniquitatis in me est.* Dicendum est,

quod aliud est tentari a Deo per tribulationem, et aliud tentari a diabolo per illicitorum suggestiones. Et primum quidem possunt petere aliqui magni viri, experti vires suas, ut hic urat et hic secet¹, ne saucii vadant urendi in ignem purgatorii, vel inferni. Secundum nullus debet petere, quia hoc non est in pœna, sed in illicitis suggestis et concupitis.

Attendendum autem est hic, quid sit tentatio, quæ tentationis incitatio (alias, incitativa), qui modi tentationum, et per quæ diabolus tentat, et quamdiu.

Et quidem potius tradendo quam disputando diffinimus, dicentes, quod *tentatio* est impulsus tentatoris ad illicitum. Voco autem *impulsus* omnem inclinationem, et invitationem (alias, incitationem) qua quis ducitur ad illicitum concupitum, vel dictum, vel factum.

Incitativa autem *tentationis* quædam sunt extra nos, et quædam in nobisipsis. Extra nos sunt tria : in quibus sunt fines et intentiones desideriorum carnalium. Et illa sunt, de quibus dicitur, I Joan. ii, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Et illa sunt quæ vocantur delicia, divitiæ, et honores laudum, vel dignitatum. Alterum enim est bonum quod movet desiderium. Et si bonum est temporale, tunc est aut delectabile carni, aut utile : et alterum quidem est in honoribus, delectabile in concupiscentia carnis : utile autem in avaritia, quæ est oculorum concupiscentia.

Si autem tentantia sunt in nobis, tunc sunt duo : quorum tamen unum nascitur ex altero, scilicet timor humilians et suffodiens, et amor proprius inflammans. Timor enim nascitur ex amore : et de his dicitur, Psal. lxxix, 17 : *Incensa igni et suffosa, ab increpatione vultus tui peribunt.* Superbia autem quæ est initium apostasiæ a Deo, sicut dicitur, Eccli. x, 14 et seq., et avaritia quæ est libido, et amor temporalis boni

¹ Verba sunt Augustini : « Hic ure, hic seca,

modo in æternum parcas. »

cujuscumque, sunt magis radices peccatorum quam tentationum. Et idem est de contemptu, errore, et libidine. Contemptus enim habitualis est, quando homo ipso opere effert se non curans præceptum et præceptorem. Et quando ipso opere non vult subdi præcipienti et præcepto, est superbia generalis, quæ est initium omnis peccati. Error autem est generalis, quando non videt ad dirigendum opus regulas operis : quia sic omnis peccans errat, ad Hebr. XII, 13 : *Ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur*. Libido autem generalis est voluntas pascens se in bono commutabili : et hæc est in omni peccato. Et ista sunt radices peccatorum, non tentationum.

Modi autem tentationum dupliciter sumuntur. Aut enim sunt ex parte tentatoris, aut ex parte tentati, aut ex parte utriusque simul : unius sicut agentis, et alterius sicut patientis.

Ex parte tentatoris sunt modi, quos tangit Gregorius¹, super illud Job, XL, 10 et seq. : *Ecce behemoth quem feci tecum*, etc. : ubi dicit, quod « omnia anti-
« qui hostis Deus fidei suo servo ostendit tentamenta : omne quod opprimendo rapit, omne quod insidiando circumvolat, omne quod minando terret, omne quod suadendo blanditur, omne quod desperando frangit, et omne quod permittendo decipit. »

Et notat : Opprimendo rapit duobus modis : quando scilicet in uno non potens vincere, tot simul ingerit tentamenta quod omnia provideri non possunt : et tunc ab oppresso rapit aliquid. Alio modo quando ad malum inclinare aliquem desperat, tunc enim ad difficile bonum quod ultra vires est, aliquando instigat : et a victo laboribus rapit quod intendit : ita quod aliquando difficultate deterritus, bonum quod cœperat dimittit, et ad peccatum redit.

Insidiando autem circumvolat : maxime quando experiri intendit ad quas

vias peccati facilius inducat : aut quando vult experiri cujus sit virtutis aut debilitatis is quem tentare intendit.

Comminando autem terret præcipue, quando revocare tentat a bono proposito. Tunc enim comminatur labores quos inventurus sit, si propositum perficere velit : et malum pejus futurum, si a cœpto redeat. Et ideo melius sit non incipere, quam post cœptum retrorsum converti.

Suadendo autem blanditur in rebus ad luxum vitæ pertinentibus : quod videlicet talibus indigeat infirmitas humana fomentis, quod (alias, quam) connaturalia sint nobis : et quod adhuc longa vita restet, in qua quis pœnitere posset : quod Deus misericors hujusmodi non puniat : et hujusmodi.

Desperando autem frangit eum, qui in profundum vitiorum venerit per tristitiam nimiam : aut quod consuetudo de peccatis exire non permittat : aut quod vires talibus carendi non suppetant : aut hujusmodi.

Promittendo vero decipit : aliquando promittens impunitatem peccati, et procurans pœnam, sicut quod suspenditur. Vel promittit requiem et satietatem peccati post parvum tempus in peccato expensum : et facit concupiscentiam tunc magis incalescere, et hujusmodi.

Horum autem differentia sic habetur, quia diabolus aut intendit experiri quod nescit, aut propellere ad illicitum committendum. Et si intendit experiri, tunc insidiando circumvolat. Si autem intendit propellere ad illicitum : aut hoc facit, aut quia a malo exitum impedit, et sic desperando frangit : aut quia retrahit ab eo quod est vere bonum. Et hoc duobus modis : aut cum violentia, aut sine violentia. Cum violentia quidem opprimendo rapit, sine violentia autem comminando terret. Aut est secundum inclinationem ad bonum temporale illicitum, et hoc est duobus modis : aut est secundum fructum dulcedinis boni ad quem inclinatur, et tunc

¹ S. GREGORIUS, Libr. XXXII Moral. cap. 9.

suadendo blanditur : aut secundum concomitantia bonum illud, vel adjuncta, et tunc promittendo decipit.

Modi autem qui sunt ex parte nostra, sunt suggestio interior, et delectatio, et consensus. Suggestio quidem ex parte moventis cognitive, sive in ratione, sive in sensualitate : delectatio ex parte concupiscentiæ : et consensus ex parte utriusque.

Ex parte diaboli autem et nostra, sunt modi qui dicuntur *immissiones per angelos malos*. Illos enim diabolus non quidem facit, vel creat, sed factos immittit in nos, et incendit. Et hi sunt tam ex parte corporis, quam ex parte animæ. Ex parte corporis quidem, sicut dicit Augustinus, quod « sanguinem inflammat, « vel ponderosum facit, vel turbat, vel « escis vel potibus se immiscet, ut saporibus illicitat. »

Aliquando autem sunt ex parte animæ : et tunc aliquando sunt ex parte phantasiæ, aut ex parte concupiscibilis, vel irascibilis. Si ex parte phantasiæ : tunc sunt formæ impressæ spiritui phantastico fortiter, ita quod quidquid imaginatur, totum refert ad formam illam, sicut faciunt melancholici. Et sic fit multis, quibus secundum præstigia illudit diabolus deterrendo, vel illiciendo. Si autem est in concupiscibili, vel irascibili, tunc vel iram, vel concupiscentiam commovet : vel ad illicite concupiscendum, vel irascendum illicite. Et isti sunt modi tentationum.

Tentat autem aliquando per se modis prædictis : aliquando per alium quem ad tentandum incitat, et hoc est planum : tamdiu enim tentatio vocatur, quamdiu non est peccatum. Quando autem consensus est in peccatum, tunc desinit esse tentatio, quia tunc habet propositum. Aliquando autem est et tentatio et peccatum, sed diversis respectibus, sicut in delectatione. In illa enim ipsa delectatio mala peccatum est : sed in quantum trahit ad ulteriorem consensum et ad ulterius opus, tentatio est.

Et hæc in præsentia de tentatione dicta sint paucis.

Sed sciendum, quod tentatio qua Christus tentatus fuit, non nisi extrinsecus fuit assumpto corpore, quo diabolus se sensibus Christi præsentavit. Intrinsecus in Christo non fuit motus illicitus, sicut in nobis.

Hoc igitur modo venit in desertum Christus,

« Ut tentaretur a diabolo. »

Cujus officium, ut dicit Chrysostomus, est tentare. Et hoc est opus ejus, cibus, et totum desiderium. Et ideo numquam lassatur de ipso. I ad Thessal. III, 5 : *Ne forte tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor noster*, hoc est, cujus officium est tentare. Deus autem etiam dicitur tentare, Exodi, xx, 20 : *Ut probaret vos venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis*. Genes. xxii, 1 : *Tentavit Deus Abraham*. Sapientiæ, III, 5 : *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se*.

Contra hoc autem id esse videtur, quod dicitur, Jacob. 1, 13 : *Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*. RESPONSIO. Diabolus proprie tentator est, sicut dicit Apostolus, hoc modo tentationis, sicut hic loquimur, quia ille impellit ad illicitum : Deus autem dicitur tentare experiendo, non ut ipse discat aliquid quod sit in homine, sed potius ut homo innotescat sibi, vel aliis. Aliquando enim homo nescit virtutem suam : et ideo de se, non sicut debet, præsumit : et tunc Deus facit eum cognoscere suam virtutem, sicut fecit Abrahæ. Aliquando enim nimis præsumit : et tunc valet homini cognoscere suam debilitatem, ut non tantum in (alias, de) se præsumat. Aliis autem facit innotescere hominem, ut majorem vel minorem de ipso habeant præsumptionem. Et hoc modo tentat Deus, alio modo diabolus. Diabolus autem *deorsum*

fluens, vel græce *criminator* interpretatur¹, quia eos quos tentat, quantum valet, deorsum fluere facit.

« Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. »

Ecce congruitas tentationis ex parte Christi tentati : quem si omnino fortem invenisset, non tentasset. Et iterum si omnino invenisset infirmum, non tentasset, sed omnino subjecisset.

Et ideo dicuntur hic duo : unum, quod est fortitudinis, quod jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus sine esurie : quod diabolus traxit in admirationem, si purus homo posset facere. Alterum autem infirmitatis, quod est, quod postea post tantum jejunium esuriit. Et hoc fuit argumentum diabolo, utrum esset Deus, qui esurire potuit. Dicit autem *quadraginta diebus* non comedisse, et addit, *quadraginta noctibus*, ne credatur noctibus comedisse.

Attende autem, quod Moyses etiam jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et panem non comedit, et aquam non bibit². Elias etiam jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus³. Sed secundum Hieronymum differt jejunium Christi a jejunio illorum, quod propria virtute jejunavit, illi autem virtute aliena : quia Moyses refectus fuit ex consortio sermonis Domini : quia cum contemplaretur Deum, ita tota mentis intentio et animæ ferebatur in contemplationem, quod spiritus et calor recesserunt ab imo corporis, et ferebantur ad intellectum : calor quidem spiritum movendo, spiritus autem formas intellectui ministrando : et sic animæ actio et caloris et spiritus minimæ et paucæ fuerunt in corpus, propter quod calor stetit in membris, et humor qui diffusus erat in mem-

bris, sine sensibili permutatione : et sic jejunavit. Unde etiam dicitur, Exod. xxxiv, 29, quod resplenduit facies ex consortio sermonis Domini (alias, divini), quia spiritus et formæ adeo illuminati sunt ex specie Dei, quæ apparuit, quod corpus immutatum fuit in splendorem. Elias autem jejunavit ex fortitudine cibi, non quidem manibus hominum præparati, sed manibus Angeli : cujus virtute ita temperatus fuit panis quem comedit, et aqua quam bibit, quod et nutrebat paulatim quadraginta diebus, et tamen non resolvebatur nisi per successionem quadraginta noctium : et ideo in fortitudine illius cibi dicitur ambulasse. Et hoc non facit cibus ab homine præparatus, qui simul resolvitur et putrescit, et ideo non potest ita diu nutrire : quia si sanus est homo, infra sedecim horas cibus vel digestus, vel corruptus, descendit ei a stomacho. Christus autem neutro horum modorum jejunavit sustentatus, quia ex contemplatione suæ deitatis non abstrahebantur a corpore anima, et spiritus, et calor : cum simul fuerit comprehensor et viator, nec etiam cibo aliquo præparato sic jejunavit. Chrysostomus autem aliam dat differentiam, dicens, quod « Moyses et Elias omnibus diebus simul et esurierunt et jejunaverunt : Christus autem non. Quia in littera dicitur, quod *postea esuriit*. Ex hoc enim modo loquendi intelligitur, quod quadraginta diebus et noctibus non esuriit. Et ideo quando voluit, esuriit : et quando voluit, non esuriit. Et erat utrumque et esurire et jejunare in potestate suæ voluntatis. Et hoc non conveniebat Moysi et Eliæ, qui necesse habebant esurire. » Et secundum hoc oportet dicere, quod potestate divina contenta fuerunt corpora Moysi et Eliæ, ne resolverentur per calorem famis.

Dicemus ergo, quod *quadraginta die-*

¹ Diabolus a *διάβολος*, criminator [R. *διὰ βλάθειν*]

² Cf. Exod. xxxiv, 28.

³ Cf. III Reg. xix, 8.

bus jejunavit Christus, et hoc fuit magnæ potestatis : quia in die operatio et motus sensuum exhaurire debebant humiditatem membrorum, et facere languere et destitui. Et *quadraginta noctibus* dicitur jejunasse, quod fuit iterum potestatis : quia de nocte propter frigus et tenebras moventur calor et spiritus ad interius, et agunt in humidum inventum dissolvendo illud : et si non inveniunt, exsiccant corpus. Et hoc non fecerunt in Christo : quod iterum fuit potestatis. Et in his omnibus ostendit Christus hoc, quod dixit, Joan. x, 18 : *Nemo tollit eam, scilicet animam, a me : sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Quod autem dicit :

« Postea esuriit. »

Notatur, quod tunc vires naturales (alias, naturalis) caloris et spiritus in corpus agere præcepit. Et sic et jejunium, et esuries fuerunt, ut dictum est, secundum suæ voluntatis potestatem. Sic igitur Christus quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit, et postea esuriit.

3 « Et accedens tentator, dixit ei. »

Hic incipit pars, quæ est de tentatione.

Et dividitur in tres partes secundum tres tentationes quas inducit, ut patet : quarum prima est de gula, quæ tractatur hic.

Et dividitur in duos paragraphos : in tentationem videlicet tentatoris sive activam, et in responsionem exclusivam tentationis diaboli, sicut patet in littera.

Circa tentationem activam duo dicuntur, scilicet tentatoris appropinquatio ad tentatum, et tentationis expositio, quæ patent in littera.

De appropinquatione tentatoris dicit :

« Et accedens tentator. »

Et hic accessus aliter accipitur in Christo, et aliter in membris. In tentatione enim Christi non fuit accessus nisi exterius secundum locum : in nobis autem, qui corrupti sumus per peccatum, est accessus per appropinquationem similitudinis, quæ est primus motus in cogitatione, vel concupiscentia ejus quod persuadet.

Attende autem, quod in quolibet genere uno est aliquod unum primum. Et ita est in genere tentationis : primus motus ad illicitum est interior cogitatio illiciti (alias, illicite) trahens concupiscentiam : et hæc vocatur cogitatio *effectiva*, sive *practica* græco nomine : quæ meo iudicio primus est motus et peccatum : sed minima differentia est peccati, ita quod etiam deletur per aversionem ab illicito concepto : et tunc dicitur conteri caput serpentis ¹. Hoc est initium peccati. Exterior autem motus suggestionis hostis simpliciter tentatio est, et non peccatum ejus qui tentatur, sed peccatum tentatoris. Et hoc modo fuit suggestio in tentatione Christi. Cum autem primus motus in genere peccati sit suggestio cogitationis interioris, secundus motus in eodem genere est delectatio, et tertius consensus vel dissimulatio rationis, et quartus voluntas perficiendi, et quintus impetus ad opus. Et ratione horum primus dicitur *motus primus*. Quod autem quidam distinguunt primo primum, qui est in cogitatione (alias, tentatione) simplici, vel suggestione interiori, et prævenit rationem : et secundo primum, quem videt ratio, ego non approbo, quia peccatum incipit in primo motu qui prævenit rationem. Vires enim inferiores animæ sensibilis participant aliquantulum rationem, ut dicunt Aristoteles et Damascenus, et ideo possunt esse subjectum [peccati : non enim

¹ Cf. Genes. iii, 15.

essent ordinabiles a ratione, nisi aliquatim secundum formam participarent rationem.

Sic ergo,

« Accedens tentator. »

Passibus localibus ad Christum, et similitudine persuasionis ad membra.

« Dixit ei. »

Per corpus assumptum : nobis autem dicit per id quod in nobis seminarium suæ persuasionis immittit.

« Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. »

Ecce tentatio.

Et dicuntur duo : primum est explorationis, sive experientiæ, qua experiri vult quod nescit : et secundum est persuasionis suæ voluntatis, quod experiri vult.

Hoc est quod dicit :

« Si Filius Dei es. »

In hoc enim dubitavit. Quia quod esset Filius Dei, ex stella, etiam testimonio Joannis, et Pastoribus, et Simeone arguit. Quod autem homo infirmus sit, ex facie et aliis arguebat defectuum passionibus : et ideo dubitavit. Libenter autem expertus fuisset, ut si homo purus esset, studeret prævalere ei in aliquo peccato, sicut aliis prævaluerat omnibus. Si autem Filius Dei esset, desisteret ab ipso, et non persuaderet passionem, ut non cito homo redimeretur. Et hujusmodi lectura est secundum Chrysostomum. Et ideo dicit : « *Si Filius Dei es.* »

Et adjungit :

« Dic ut lapides isti panes fiant. »

Demonstrabat lapides, quorum copiosa multitudo jacebat in deserto.

Et attende, quod in ista tentatione non persuadet delicias, sed prætextu necessitatis nititur inducere Christum, quod motum carnis faciat præire motum spiritus : et sic faciat in eo causam et principium non unius, sed omnis perversitatis. Quia omnis perversitas hominis oritur ex hoc, quod caro præit et imperat spiritui, ad Galat. v, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem : hæc enim ad invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Eccli. xviii, 30 et 31 : *Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ, sive animalitati, concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Nititur ergo diabolus, quod spiritus non sit ductor operum et actor, sed carnalis concupiscentia, et hoc sub prætextu necessitatis, ut minus advertatur.

Et attende, qualiter nititur etiam ad inanem gloriam : quia inanis gloria esset, si hoc vellet consequi per miraculum, cum potius panis in labore sit sumendus. Psal. cxxvii, 2 : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus,* etc. Psal. cxxvi, 2 : *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Job, v, 7 : *Homo nascitur ad laborem.*

« Qui respondens dixit : Scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. »

Ecce responsio Salvatoris.

Et innuit tria : cautelam absconsionis contra id quod experiri voluit, reprehensionem contra voluntatem persuasionis, et insufficientiam contra id quod necessitati famis laborabat consulere.

Primum notatur in hoc, quod non ex se, sed ex Scriptura respondet.

« Scriptum est. »

Hoc enim commune est Deo et homini : et ideo ex hoc nec unum, nec aliud potest cognoscere. Psal. cxix, 3 et 4 : *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ*, hoc est, acutæ veritatis auctoritates de arcu Scripturæ potentis intellectus virtute directæ.

Contra voluntatem persuasionis dicit :

« Non in solo pane »

Corporali

« Vivit homo. »

Quasi dicat : Tu tentator es, et iniqua persuades : quia si panis reficere debeat, non erit solus, sed oportet quod sit virtus spiritus in pane per verbum, sicut infra patebit : et tunc oportet præire spiritum, quem tu persuades postponere. I ad Timoth. iv, 4 et 5 : *Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* Psal. xx1, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur : et laudabunt Dominum.*

Contra falsum consilium de subventionem necessitatis, dicit vivere hominem.

« In omni verbo quod procedit de ore Dei. »

Et ex quo verbo vivit homo, vitat dependet a verbo, non de pane, nisi secundum quod virtus verbi est in ipso. Cum enim verbum Dei Patris consubstantiale sibi sit Filius, verbum illud est ars plena rationibus et ideis vivis, et lucentibus, quæ in ipso sunt vita et lux omnium eorum quæ per creationem, vel per naturam producuntur. Ideæ autem sive formæ illæ artis et mentis divinæ, quæ in verbo sunt, prodeunt in corpora

creata, vel generata, quando formantur et a Deo esse accipiunt : nec aliquid valent, nisi per formas illas. Propter quod dicit Anselmus, quod « unumquodque tunc vere est et facit, quando est, et facit hoc ad quod est in mente divina. » Et sic triplex est verbum : unum increatum, et generatum, quod est Filius : alterum increatum, quod est forma per sapientiam Dei impressa rei naturali factæ. Et simile huic est in artifice carpentario, qui lumen intellectus sui habet tamquam verbum sui intellectus, quo se suus in ipso intuetur intellectus : et habet in ipso lumine formas omnium quæ carpentat, quæ sunt rationes suorum operum : et ex his similes formas producit in ligna quæ carpentat. Omnino autem ex similibus formis operatur medicus, et faber ferrarius, et quilibet alius : ita quod domus est ex domo, et sanitas ex sanitate, et ea quæ est in complexione humorum, est ex ea quæ est in anima medici. Similiter autem est in summo spiritu, qui cum cogitando intuetur se in lumine intellectus sui, dicit se et verbum suum consubstantiale sibi, filius ejus est. Et in illo lumine verbi splendent ideæ omnium factorum, quæ sunt rationes operum suorum : ex quibus procedunt in res naturales formæ rerum, per quas in esse naturali sunt hoc quod sunt. Propter quod a Platone etiam *imagines* dictæ sunt, quia sunt primarum formarum quæ in mente divina conceptæ sunt, quædam imitationes.

Est ergo triplex verbum Dei. Primum est coæternum et consubstantiale, quod generat, quando intuetur se. Secundum, quod est exemplar, et idea, et ratio rerum, ad quod fiunt res. Tertium, quod incorporatum est rebus, à quo est res hoc quod est : et illud dependet a medio verbo, et medium radicatur in primo. Et patet, quod nihil virtutis est in aliqua re, nisi ex verbo Dei. Hinc est, quod dicit Augustinus super *Joannem*, quod eodem verbo, quo panibus quin-

que millia hominum, ex paucis granis pascit totum mundum, et hoc tamen nemo miratur. Illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarius est ¹.

Et hoc est, quod dicit :

« In omni verbo quod procedit de ore Dei. »

Deuter. VIII, 2 et 3 : *Dominus Deus tuus... dedit tibi cibum manna, ... ut ostenderet tibi quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.*

Sapient. XVI, 26 : *Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint conservat.* A verbo enim Dei dependet virtus et conservatio omnium.

Dicit autem :

« In omni verbo quod procedit de ore Dei. »

Ut in processione notet verbum procedens ad exterius in res factas. Per os autem notat profusivam naturam Patris, a qua procedit quicquid est in omnibus rebus. Os tamen Patris etiam dicitur Filius loquens eum in mundo. Isa. XL, 5 : *Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.*

Dicitur etiam os quilibet pronuntians verbum Dei. Jerem. xv, 19 : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris* : sed omnia verba talium dependent a verbo Dei, quod dicit per se ipsum, et in quo est operativum omnium rerum. Isa. LV, 10 et 11 : *Quomodo descendit imber et nix de caelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem com-*

¹ S. Augustinus, Tract. XIXV in Joannem : « Majus miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturitio quinque millium hominum de quinque panibus. Et tamen hoc nemo

edenti : sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.

« Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi. »

Hic incipit secunda tentatio, quæ est de inani gloria.

Et objicitur de ordine : quia, Lucas, IV, 9-10, hanc ponit ultimam, et eam quam iste poni ultimam, Lucas ponit mediam ². Et videtur probabilius esse quod dicit Lucas : ut illæ videlicet continue factæ sint quæ factæ sunt in deserto, et postea transtulerit eum in civitatem : quam quod una facta sit in deserto, et secunda in civitate, et iterum redierunt in desertum, et ibi perfecta sit ultima. Et dicendum cum beato Gregorio, quod « Lucas in ordine tentationum sequitur veritatem historiarum. » Sed quia Christus in tentationibus intendit in eisdem vincere diabolum, in quibus ipse vicit Adam, ideo Matthæus prosequitur ordinem tentationum Adæ. Genes. III, 5, diabolus dicit Adæ : *In quocumque die comederitis ex eo : ecce gula, eritis sicut dii* : ecce inanis gloria, *scientes bonum et malum* : ecce avaritia, quæ non tantum est pecuniæ, sed etiam scientiæ. Et ita penes intentionem victoriæ tentationum quam Christus habuit, sumitur ordo Matthæi : penes veritatem historiæ sumitur ordo Lucæ : ut utrumque per duos Evangelistas habeamus. Et ideo Spiritus sanctus voluit, quod duo scriberent eas.

Hæc autem pars, sicut præcedens, dividitur in partes duas : in quarum

« miratur : illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est. »

² Cf. Luc. IV, 1-13.

prima ponitur diaboli tentatio, et in secunda per Christum tentationis elisio. Et hæc patent in littera.

Tentatio autem diaboli habet tres paragraphos : in quorum primo quæritur tentatoris opportunitas : in secundo, tentatio : et in tertio, persuasio : ut inducat facilius per Scripturæ allegationem.

In primo horum tria dicuntur, scilicet tempus, appropinquatio tentatoris, et loci congruitas.

Tempus importatur, quando dicit :

« Tunc. »

Et hoc fuit, cum magna facta meritum præcesserant in jejunio : tunc enim aliquis se majorem apud Deum reputat, et citius de Deo præsumens Deum tentat.

Et subjungit :

« Assumpsit eum diabolus. »

Et tangitur appropinquatio tentatoris ad tentatum : quod exponendum est sicut superius ¹.

Et attende, quod quidam Sanctorum videntur dicere quod assumpsit eum, portando super se corporaliter assumpto corpore. Sed Chrysostomus dicit, quod « assumpsit eum, ducendo post se. » Et hoc ego melius credo. Et quodlibet istorum dicatur, miranda est Dei patientia, quod ita et a tali portari, et adduci voluit : et mirandus est zelus salutis nostræ in Christo, propter quem se ita portari, et adduci voluit a diabolo, et propter quem se postea a membris diaboli permisit occidi. Psal. LXVIII, 10 : *Zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

« In sanctam civitatem. »

Istud est tertium.

Et tangit duo : congruitatem videlicet ex loco communi, et congruitatem ex loco proprio.

Ex loco communi, quod assumpsit eum in sanctam civitatem Jerusalem : quæ *sancta* dicitur propter templum, et cultum legis, et sacramentorum exhibitionem : et præcipue, quia ibi fuit fundendus sanguis Christi omnia sanctificans. Isa. LI, 1 : *Induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem, civitas Sancti.* Matthæi, xxvii, 53 : *Exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.* Isa. LIV, 11 : *Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi te laudaverunt patres nostri, facta est in exustionem ignis.*

Ex loco proprio : habet enim hic locus opportunitatem ad inanem gloriam, eo quod in loco in quo magna facta sunt per multos, facilius surrepit tentatio aliquid magnum faciendi, ut in gloria sit, sicut multi in loco illo gloriosi habiti sunt.

« Et statuit eum super pinnaculum templi. »

Quidam dicunt, quod pinnaculum fuit cacumen summæ altitudinis templi : et hoc non est probabile : sed secundum quod innuitur in Ezechiele, XLII, 1 et seq., exedræ fuerunt in templo, hoc est, exteriores ædes per modum pinnarum prominentes a fronte templi, ubi erant cathedræ concionantium et docentium Sacerdotum, sicut ipso nomine significatur : quia cathedra dicitur ædes categoriæ, vel catechismi, hoc est, prædicationis vel doctrinæ : et fuerunt ad similitudinem ambonum, qui fiunt apud nos in muris Ecclesiarum, unde prædicatur populo. Et quia illæ elevatæ fuerunt, ut inde loquerentur Sacerdotes et Levitæ (qui erant in atrio interiori) populo qui erat in atrio exteriori. Ibi in

¹ Cf. supra ennarationem in §. 3 hujus capituli

pag. 120 et seq.

alto vel posuit, vel duxit eum, quia ibi per inanem gloriam multos vicerat. Job, xli, 25 : *Omne sublime videt : ipse est rex super universos filios superbiæ.* Isa. xiv, 13 : *Super astra Dei exaltabo solium meum.*

Sed quæritur, quod si statuit eum in tam eminenti loco, quare non videbatur ab aliis? Dicendum secundum Glossam, quod diabolus egit hoc, ut videretur ab hominibus : ut magis ex contuitu multorum de elevatione tentaretur. Sed Christus, ignorante diabolo, semper egit quod a nullo videbatur : et ideo acclamatio populi nulla fuit.

« Etdixitei : Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim : Quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. »

Ecce tentatio.

Et habet duo : experientiam, et tentationem.

Id quod experiri vult, est quod dicit :

« Si Filius Dei es. »

Et est exponendum sicut supra ¹.

« Mitte te deorsum. »

Probrose dicitur, ut provocet : quia provocatus animus citius inclinatur ad malum. Honestè enim dixisset : Sine adminiculo transpone te inferius. Secundum tamen suum affectum congrue locutus est, quia voluntatem suam (quæ *deorsum fluens* vocatur) non perficit, nisi qui deorsum se mittit, Ezechiel. xxviii, 17 : *In terram projeci te : ante faciem regum dedi te.* Filiorum autem Dei est ascendere sursum. Ad Coloss. iii, 1 et 2 : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dex-*

tera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

« Scriptum est enim. »

Psal. xc, 11 et 12 : *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

Adhibet Scripturam, ut facilius persuadeat : et præcipue ideo, quia in superioribus Christus sibi per Scripturam responderat.

« Quia Angelis suis. »

In ista Scriptura tria dicuntur : primum est necessitas faciendi imposita Angelis : secundum efficacia operis custodiæ Angelorum : tertium, pœnæ immunitas eorum qui ab Angelis custodiuntur. Et est sensus : Facere poteris quod persuadeo, quia ex mandato Dei Angeli te custodiendi habent necessitatem : ex virtute manuum Angelorum habebit custodia eorum efficaciam : ex immunitate prædicta per prophetiam, nullam penitus senties collisionem.

Et hoc est :

« Quia Angelis suis mandavit de te. »

Sed diabolus perverso intellectu attribuit capiti quod bene dictum est de membris, quia Christus non habuit Angelos ad custodiam, quia non indiguit, sed membra. Et ideo datum est hoc mandatum Angelis, ut custodiant membra. Matth. xviii, 10 : *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Ad Hebr. i, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis ?*

¹ Cf. supra enarrationem in §. 3 hujus capi-

tis, pag. 121.

« Et in manibus tollent te. »

Ecce efficacia custodiæ. Manus autem, quia est organum organorum ad multa ordinata opera. Ideo dicitur organum intellectus operativi : et per ipsam significatur intellectualis et efficax Angelorum operatio circa custodiendos. IV Reg. vi, 18 et seq., Eliseus per Angelos capit exercitum Syriæ.

« Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. »

Ecce immunitas pœnæ : quia si securitas datur, ne pes impingat, multo magis ne totum corpus casu collisionem patiat. Genes. xxxii, 2 : *Castra Dei sunt hæc*. Zachar. ii, 8 : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*.

Et attende astutiam diaboli, quia tacet hoc quod contra se dictum noverat consequenter in prophetia : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*¹.

« Ait illi Jesus : Rursum scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. »

Responsio est Christi temperata : ut experiri non possit quod quærit, et persuadere non valeat hoc de quo tentavit.

Propter primum dicit :

« Scriptum est. »

Sequienim Scripturam est sanctorum, et non negatur Dei filiatio.

Et hoc est, quod dicit :

« Scriptum est. »

Deuteron. vi, 16, dicitur a Moyse filiis Israel : *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis*.

« Non tentabis Dominum Deum tuum. »

Tentare Deum, est se injicere periculo, ut experiatur an Deus miraculo eripere velit : cum ex humana ratione promptum habeat quid facere possit. I ad Corinth. x, 9 : *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt*. Si tamen a Deo offerretur signum, petere possemus et debere-mus. Et ideo reprehenditur Achaz, Isa. vii, et 12, cui cum diceretur : *Pete tibi signum, etc.* Respondit : *Non petam, et non tentabo Dominum*. Sic enim signum petere, non est tentare Dominum.

« Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde : et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum. »

Ista est tertia tentatio facta in deserto.

Et habet duo : tentationem, et respon-sionem.

Tentatio autem ipsa duo habet : primo enim ponit induentia ad facilius consentiendum, et secundo subjungit tentationem.

Inducentia autem sunt assumptio

« In montem excelsum valde. »

Qui in deserto fuit, quod erat inter Jerusalem et Jericho, ubi perfecta fuit tentatio : quia ibi sæpe multos habuit sibi consentientes diabolus, eo quod ibi latrones habitabant, homines spoliantes et occidentes. Luc. x, 30 : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones*. Et ideo etiam locus doim, hoc est, *sanguinis*, dicebatur, propter multum sanguinem qui ibi fundebatur. Erat enim mons, unde eminens videri poterat.

¹ Psal. xc, 13.

Secundum inducens ex visu fuit, quod

« Ostendit ei omnia regna mundi. »

Non quod visum Christi ampliaverit, quia de hoc potestatem non habuit, sed quod indicaverit in quibus essent mundi partibus: sicut versus partes illas Roma et regnum ejus, et versus illas alias Græcia et regnum ejus, et sic de aliis.

Dicit autem:

« Regna mundi, et gloriam eorum. »

Quia in nomine *regni* importantur divitiarum et potestates, et in nomine *gloriæ*, importantur honores adjuncti: ut omnibus simul conjunctis appetibilibus facilius persuaderet.

In nobis autem mons iste est mons ambitionis: unde longe videmus quod ambimus. Jerem. LI, 25: *Ecce ego ad te, mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram.* Zachar. IV, 7: *Quid tu, mons magne, coram Zorobabel? in planum.* Super istud ceciderunt fortes Israel, et interierunt arma bellica Ecclesiæ¹.

Gloria autem est appetitus laudis et excellentiæ. Psal. LI, 3: *Quid gloriaris in malitia?* Ad Galat. VI, 14: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi:* hoc est, in crucis humilitate, non in montis vertice.

« Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. »

Ecce tentatio.

« Hæc omnia tibi dabo. »

Hic promittendo decipere tentat: quia non habet potestatem dandi aliquid, cum

nihil suum sit. Psal. XXIII, 1: *Domini est terra, et plenitudo ejus.* Licet enim, infra, VI, 24, dicatur *mammona* dæmon qui præest divitiis, hoc non ideo dicitur quod suæ sint, sed quia præest illicitæ acquisitioni et retentioni illicitæ divitiarum.

« Si cadens. »

Non enim adoraret, nisi prius caderet.

Attende autem, quod cadere in prostratione, est proprie hominis coram Creatore, quia est recognitio quod non sumus per nos nisi cinis et pulvis, et erecti sumus per Creatorem in hoc quod sumus. Hanc autem reverentiam Creatori debitam semper usurpavit sibi diabolus, quæ græce *λατρεία* vocatur, sicut superius diximus. Et ideo etiam idololatriam invenit, ut in idolis hæc servitus sibi exhiberetur.

Et hoc est quod sequitur:

« Adoraveris me. »

Et hoc ad ultimum induxit, quia hoc maxime desideravit.

« Tunc dixit ei Jesus: Vade, Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. »

10

Responsio est Christi duo habens: unum est repulsa diaboli cum objurgatione, et alterum, exclusio tentationis.

De primo:

« Vade, Satana. »

Hoc est, criminator. Docet (alias, decet) enim nos hoc factopatientes esse in injuria propria, sed in injuria divina nullo modo patienter dissimulare. Sicut Mardocheus noluit honorem Dei sui transferre ad hominem²: et Dominus injuriam Deo in templo facientes expulit flagello³: et Deuter.

¹ Cf. II Reg. I, 27.

² Cf. Esther, XIII, 14.

³ Cf. Joan. II, 45.

xvii, 5, præcipitur lapidibus obrui, qui sibi vindicat honorem deitatis, ut ad aliud aliquid deitatem retorqueat.

« Scriptum est. »

Deuter. vi, 13, dicit Moyses Israel : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies*, etc.

« Dominum Deum tuum adorabis. »

Omnis creatura, tam homo quam Angelus, quam etiam tu, diabole.

« Et illi soli servies. »

Hoc est, servitutem latreosis (vellatriæ) impendes. Psal. xlii, 12 : *Ipse est Dominus Deus tuus : et adorabunt eum*. Est autem unus Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Exod. xx, 2 et 3 : *Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis deos alienas coram me*. Deuter. vi, 4 : *Audi, Israel : Dominus Deus noster, Dominus unus est*.

II

« Tunc reliquit eum diabolus : et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei ».

Hic incipit pars, quæ est de tentationum effectibus. Et est fuga diaboli, sicut potestatis adversæ, et conjunctio Angelorum, sicut virtutum cælestium. Hoc enim efficit victoria tentationum in nobis, pro qua tentationem vicit Christus, ut in nobis ista efficeret.

De primo autem dicit, quod

« Tunc, »

Victus et confusus,

« Reliquit eum diabolus. »

Ille princeps dæmonum Lucifer, qui primum hominem tentavit. Reliquit au-

tem non loco tantum, sed in potestate tentandi : diabolus enim victus ab aliquo, ut dicunt Sancti, non audet ulterius tentare. Potestatem etiam diminutam tentandi nos habet, postquam confusus est a Christo. Dicunt autem quædam Glossæ, quod reliquit eum recedens in ignem æternum. Et ideo dicitur, quod religavit eum in infernum usque ad ultima tempora, quando solvetur Satanas, et dabitur ei licentia tentandi temporibus Antichristi. Usque enim ad illa tempora diminutam habet potestatem et ligatam tentandi per se ipsum. Apocalyp. xx, 1 et seq. : *Vidi Angelum descendantem de cælo* (hoc est, Christum qui vocatur, Isa. ix, 6, magni consilii Angelus) *habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille*, hoc est, per totum tempus gratiæ : *et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni : et post hæc oportet illum solvi modico tempore*. I Petr. v, 8 et 9 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide*. Jacob. iv, 7 et 8 : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis*. Apocal. xii, 9 : *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas*.

« Et ecce Angeli. »

Secundus est effectus, quia per victoriam tentationum meruit nobis conjunctionem Angelorum. Et dicuntur duo, accessus videlicet, et ministerium.

De primo dicit tria : promptitudinem, dignitatem, et familiaritatem.

Promptitudo intelligitur per demonstrationem, cum dicit :

« Ecce. »

Quasi dicat, promptum et statim.

Matth. xxvi, 53: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* Quasidicat: In promptu sunt non quidem ad meam indigentiam, sed membrorum.

« Angeli. »

Ecce dignitas, quia dicit Hieronymus: « Magna dignitas est animarum, quod « habent custodiam Angelorum. » Unde tales et tanti nostri dicuntur. Matth. xviii, 10: *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.*

« Accesserunt. »

Ecce propinquitas et familiaritas. Et ideo nobiscum esse dicuntur, IV Reg. vi, 16: *Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Josue, v, 14: *Sum princeps exercitus Domini, et nunc venio.*

« Et ministrabant ei. »

Non ex indigentia, sed ex reverentia in capite: nobis autem ex indigentia nostra ministrant. Et dicitur generaliter, *ministrabant*, ut omne ministerium quo indigemus intelligatur. Ad Hebr. i, 14: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?* Unde, II Machab. x, 29 et 30, apparuerunt circa Machabæum quinque viri protegentes Machabæum, et in alios tela ignea jacentes, ex quibus perturbati cadebant. Et quinque viri quinque significabant choros Angelorum, usum exterioris officii circa nos habentes: hoc est, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, et Angeli. Hi enim secundum sua officia ministrant nobis, etiam quando non videmus eos.

Sic ergo dictum sit de tentatione.

« Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam: »

Et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim. »

Postquam in præcedentibus determinatum est de sacramento regenerationis, quo perficitur nostra sanctificatio secundum interiorem hominem, tangit nunc illuminationem, qua docemur de regenerantibus: et durat usque ad capitulum vicesimum sextum, ubi incipit tradere sacramenta Passionis et Resurrectionis, quæ ipse in seipso perfecit: quæ sicut causæ efficientes operantur, et faciunt in sacramentis Ecclesiæ, et dant eis virtutem, qua (alias, quia) nos regenerant. Talis autem ordo congruit: quia sicut medicina nihil operatur, nisi conjuncta calori naturali corporis ejus in quo operatur sanitatem: ita sacramenta Christi et Ecclesiæ nihil omnino operantur, nisi conjuncta animæ per cognitionem et devotionem. Et ideo oportet præmittere sermonem ostendentem sacramenta, et inducentem ad devotionem eorum: et hunc oportet confirmari per miracula. Et hoc fit ab hoc loco usque ad Passionem.

Dividitur autem in partes duas: in quarum prima fit prælibatio totius quod intenditur, et in secunda ponitur executio: et hæc incipit in sequenti capitulo.

Prælibatio autem doctrinæ et confirmationis ejus habet partes tres: ita quod in prima prælibat quod oportet hujus doctrinæ esse initium: in secunda autem prælibat quem oportet esse hujus doctrinæ ministrum convenientem: in tertia autem prælibat quem oportet esse modum et officium. Secunda incipit ibi, ꝯ. 18: « *Ambulans autem Jesus juxta mare.* » Tertia incipit ibi, ꝯ. 23: « *Et circuibat Jesus totam Galilæam.* »

Prima autem harum dividitur in duas:

in quarum prima, conveniens determinat initium quantum ad auditorem, et in secunda determinat conveniens initium quantum ad materiam rei prædicandæ, ibi, *ÿ. 17*: « *Exinde cœpit Jesus prædicare et dicere.* »

Et si dicitur, quod non debet in doctrina determinari initium quantum ad auditorem, Dicendum est, quod secus est in doctrina morali, et in doctrina quæ non est nisi sciendi gratia. In scientiis enim theoreticis (alias, rhetoricis) non quæritur qualis sit auditor, sed in moralibus secundum principium scientiæ oportet determinare auditorem, sicut patet per Aristotelem in I *Ethicorum*. Et ita oportet facere hic.

Circa primum horum sunt duo paragraphi: quorum primus est de inceptioe quoad auditorem, et secundus est de confirmatione hujus per Scripturam, ut patet in littera.

Circa primum horum tangit quinque: quorum primum est occasio, per quam venit ad eos qui primum audire debebant: secundum est locus communis auditus primi suæ prædicationis: tertium est, qualiter declinavit quædam loca, in quibus non conveniebat eum primum prædicare: quartum autem est, qualiter venit ad locum, ubi conveniebat incipere: et quintum est descriptio illorum locorum. Et hæc patent per ordinem in littera.

De primo dicit:

« Cum autem audisset Jesus. »

Attende autem quod Matthæus, sicut et Lucas, et Marcus prætermittit primum adventum Domini in Galilæam postea quam baptizatus est, quando mutavit aquam in vinum, et cum matre et discipulis Capharnaum mansit: a qua civitate propter Pascha Jerusalem ascendit, et inde venit in Judæam, et per discipulos baptizavit: cum etiam Joannes in Ænnon juxta Salim baptizaret, sicut dicitur, *Joan. iii, 23*.

Et tunc primo audiens Jesus,

« Quod Joannes traditus esset. »

Dicitur autem *traditus*, quia a Judæis consentientibus in mortem ejus traditus est Herodi: qui etiam reprehenderunt eum, quod baptizaret, cum nec esset Christus, neque Elias, neque Propheta. Fuit etiam traditus permissive a Deo, ut dicit Chrysostomus. Et cum similem jam invidiam concepissent contra Jesum, eo quod, sicut dicitur, *Joan. iii, 26*, audierunt quod baptizaret, et plures discipulos faceret quam Joannes fecerat, tunc primum

« Secessit in Galilæam. »

Ecce secundum, ubi tangit locum communem in quo initiari convenit prædicationem istam. Et ab isto loco incipiunt tres Evangelistæ intermittentes facta unius anni, quæ solus ponit Joannes, eo quod ultimo scripsit, et vidit ea in aliis deesse. *Luc. xxiii, 5*: *Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.*

« Et relicta civitate Nazareth. »

Ecce tertium, ubi dicit quas civitates reliquit. Licet enim in Nazareth annuntiatus, conceptus, et educatus sit, tamen ibi prædicare non incepit, quia non erat metropolis Galilææ. Nec conveniebat incipere nisi in loco solemnem et publico.

Assignantur autem tres causæ, quare huc secessit a Judæa: una quidem, quæ dicta est, quatenus ad locum aptum in initio suæ prædicationis veniret: alia autem est, ut passionem suam usque ad tempus congruum differret: et tertia, ut nos in periculis secedere doceret. Vivente autem et libero a captivitate existente Joanne, non prædicavit aperte: quia hoc Præcursori debebatur, et ne putaretur Joanni velle derogare.

His ergo de causis,

« Venit »

In Galilæam.

« Et habitavit in Capharnaum. »

Ecce quartum, ubi determinat locum solemnem, unde inceptit. Secundum interpretationem enim nominis sui Capharnaum *villa pulcherrima* dicebatur, et fuit.

Et hanc describit quoad situm dupliciter: secundum locum in quo sita est, et secundum sortes tribuum inter quas fuit: et hoc est quintum.

De loco quidem dicit, quod fuit

« Maritima. »

Et dicitur mare hic stagnum Tiberiædis, sive Genesareth, more Hebræorum, qui quaslibet aquarum congregationes maria vocant: tamen ibi etiam fuerunt quædam salinæ, ex quibus forte maris nomen accepit.

Per sortes autem describit, cum dicit:

« In finibus Zabulon et Nephthalim. »

Quia inter sortes illas, quasi inter gentiles (qui erant in Galilæa gentium) et Judæos fuit sita. Et ibi conveniebat incipere prædicationem, sicut inferius patebit.

14 « Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam:

15 Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium:

16 Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. »

In isto paragrapho probat ibi convenientius incipere.

Et dicit duo, scilicet: Scripturæ impletionem, et ipsam Scripturam impletam. Impletionem dicit *adimpletionem*, quia gratia (quæ per Jesum Christum facta est) et veritas superadimplendo datur¹.

« Per Isaiam Prophetam. »

Isa. IX, 1: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali: et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione mortis, lux orta est eis.*

Ecce Scriptura.

Et tangit tria: primo, descriptionem eorum a quibus incipitur: secundo, qualiter illuxit prædicatio: et tertio, quo fructu. Et hæc patebunt in littera.

Descriptionem eorum a quibus incipit, dicit per sortes, et per situm, sicut in præhabitis dictum est.

Per sortes dicit:

« Terra Zabulon et terra Nephthalim. »

Et est secundum Evangelistam vocativi casus.

Per situm autem eodem casu dicit:

« Via maris. »

Et hunc situm determinat in comparatione ad Jerusalem, quæ fuit civitas sanctificationis, cum dicit:

« Trans Jordanem. »

Ubi Jordanis conjungitur.

« Galilæa gentium. »

Erant enim duæ partes Galilææ: una

¹ Joan. I, 17: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

fuit in sorte Zabulon, et illa fuit juxta Tiberiadim : alia fuit juxta Tyrum in sorte Nephthalim, in qua Salomon viginti oppida dedit Hiram, regi Tyri¹, qui habitare fecit in eis Sidonios gentiles.

Et ex tunc est illa pars Galilææ,

. « Galilæa gentium. »

Attende autem, quod inducens Isaiæ auctoritatem, prætermittit principium et medium. Principium enim est : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, etc.* Et tangit hoc quod habetur, IV Reg. xvii, 3 et seq., ubi per Salmanasar, regem Assyriorum, decem tribus captivantes, primo tempore captivitatis terra Zabulon, et terra Nephthalim est alleviata ab onere habitantium in ea peccatorum : quia illas duas tribus vicinas gentibus prius quam alias captivavit. Medium autem quod omittit, est quod Isaias dicit : *Et novissimo aggravata est via maris, etc.* Et est sensus, quod licet via maris, hoc est, maritima, ut supra dictum est, novissime sit capta, tamen plus aliis fuit gravata et afflicta.

Et his habitis, notantur duæ causæ, propter quas conveniens fuit ibi primum Evangelium sonare. Una fuit, ut ubi primo incepit captivitas servitutis, ibi primo inciperet annuntiatio libertatis. Secunda autem, quia ibi fuit confinium Judæorum et gentilium : et de facili fama Evangelii sonuit ad utrumque populum, quos (alias, quem) Christus conjunxit, sicut lapis angularis : et hoc non fuit alibi.

Sed tunc quæritur, quare Matthæus non adducit prophetiam, sicut jacet, sed omittit quædam ? Et dicendum est, quod scriptum est Judæis : et ideo non tangit nisi locum convenientem, et alia relinquit tamquam nota eis quibus scribebat.

« Populus qui sedebat in tenebris. »

Ecce secundum prophetiæ, ubi dicit qualiter illuxit prædicatio.

Et dicit tria : primo, necessitatem lucis, quia

« Populus sedebat. »

Nesciens quo iret in tenebris umbrarum legis et ignorantia. Joan. xii, 35 : *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Proverb. iv, 19 : *Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant.*

Secundo, dicit lucis perceptionem, cum dicit :

« Vidit. »

Hoc est, fidem acceptavit : et ideo etiam populi credentes, *Galilæi* dicebantur. Act. ii, 7 : *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt ?*

Tertio, dicit magnitudinem lucis :

« Lucem magnam. »

Est enim *lux*, quoad limpidam veritatem : *magna* autem quoad gratiam quam habet sibi conjunctam. Proverb. vi, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ.* Psal. cxviii, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* II Petr. i, 19 : *Habemus firmiorem propheticum sermonem : cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.*

« Et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. »

Ecce tertium, scilicet quo fructu auditur prædicatio.

Et dicit duo : necessitatem, cum dicit : « *Sedentibus in regione umbræ mortis.* »

¹ Cf. III Reg. ix, 11 et seq.

Fructum autem, cum dicit : « *Lux orta est eis.* »

Est autem *sedere*, quiescere in peccato, quod est regio umbræ mortis. Tenebræ enim exteriores (quæ sunt in inferno, in quas projici jubentur servi nequam¹) umbras suas projiciunt in hanc vitam : et hæ umbræ sunt tenebræ interiores ignorantiae et obscuritatis peccati. Ad Ephes. iv, 17 et 18 : *Gentes ambulat in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quæ est in illis.* Sapient. xvii, 3 : *Dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt.* Luc. i, 79 : *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

« Lux orta est eis. »

Hoc est, principium prædicationis Christi luxit eis ad utilitatem. Ezechiel. xliii, 2 : *Ecce gloria Dei Israel ingrediabatur, in templum scilicet, per portam orientalem : et terra splendebat a majestate ejus.*

Chrysostomus tamen hoc quod propheta dicit : « *Populus qui, etc.,* » refert ad Judæos. Et quod dicit : « *Sedentibus, etc.,* » refert ad gentiles. Et dicit, quod « Judæi lucere viderunt tamquam « edocti per legem : gentibus autem tunc « primum orta est. »

« Exinde cœpit Jesus prædicare, et dicere. »

Habito initio prædicationis quoad auditorem, tangit initium quoad materiam prædicandam.

Dicit autem duo circa hoc : primum est, quod sic cœpit Dominus Jesus prædicationem.

Unde sensus est :

¹ Cf. Matth. xxv, 30.

« Exinde. »

Scilicet ex parte auditoris, sive loci et materiæ.

« Cœpit Jesus prædicare, et dicere. »

Differentia est inter prædicare, dicere et docere. *Prædicare* enim est sermone exhortatorio annuntiare ea quæ super nos sunt : sed *dicuntur* ea quæ nota sunt in sensibus, sicut historialia : *docentur* autem, quæ per principia sunt in nobis, sicut virtutes morales et scientiæ, quas per doctrinam, et non per revelationem accipimus. Et hoc demonstrant ipsæ rationes prædicabilium et dicibilium simplici dictione et doctrinalium. Tamen hæc trahuntur a Chrysostomo.

Sic ergo,

« Cœpit Jesus prædicare »

Divina.

« Et dicere »

Sensibilia et parabolica.

Docere autem doctrinalia, dicens :

« Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. »

Ecce secundum, ubi tangit materiam, quæ est, et debet esse initium prædicationis.

Et tangit duo, scilicet primum prædicabile, et utilitatem ejus.

Primum prædicabile est :

« Pœnitentiam agite. »

Dicit autem Chrysostomus, quod « pœnitentia est correctio malæ voluntatis, et non malæ naturæ. » Si enim Christus venisset ad correctionem naturæ, tunc esset ipse culpandus, qui talem na-

turam condidisset, quæ correctione indigeret. Virtutes autem et scientiæ liberales sunt ad perficiendum naturam, et essent de perfectione naturæ, etiamsi homo non peccasset. Cum igitur Christus venerit ad correctionem mali, conveniebat ipsum incipere ab eo quod malum voluntatis corrigit, quia hoc corrigit gratia ipsius. Ergo conveniebat ipsum incipere a pœnitentia. Et sic pœnitentia primum prædicabile est in Evangelio : et est prædicare in Evangelio, ante dicere et docere.

Adhuc autem, Si primum accipiatur id quod est primum in motu materiæ, sive subjecti ad bonum a malo, oportet quod prædicabile primum sit id quod destruit peccatum, in quantum peccatum est : hoc autem est pœnitentia. Igitur pœnitentia est primum in ordine prædicabilium Christi.

Est autem pœnitentia sacramentum destruens peccatum actuale commissum : et hoc quidem in quantum contrarium est gratiæ, *culpa* vocatur : in quantum autem contrarium est virtuti, vocatur *vitium* : et in actu interiori vel exteriori verbi vel facti consideratum, vocatur *peccatum*, habens tres affectus : quorum unus est privatio boni naturalis, et sic vocatur *malum*. Ex illa autem privatione surgit deformitas : et quoad hanc vocatur *macula*, non quidem positive, sicut est nigredo, vel albedo, sed potius, ut dictum est, privative : sicut mutilatio ingerit maculam, vel cæcitas : quia cum peccatum sit defectus, non potest imprimere maculam, quæ positive aliquid sit.

Adhuc, Quoniam omne quod ponitur, est ens : et omne ens est a Deo : si macula positive esset aliquid, esset a Deo. Quod ridiculum et absurdum est. Unde sicut mutilatio et est defectus nasi et deformitas, sive macula faciei : ita peccatum est privatio naturalis boni, et sic est malum : vel deformitas, sive macula animæ, et sic est turpitudine. Tertius autem effectus est in quantum est carens

rectitudine legis, et sic obligat ad pœnam : et vocatur *reatus*.

Pœnitentia igitur, quæ est prædicabile primum, est sacramentum Ecclesiæ, destruens peccatum in se, et omnem peccati effectum. Et hæc consistit in tribus : compunctione, confessione, et satisfactione, quæ sunt partes ejus potestativæ. Et unus istas partes dolor peccati testatur, qui est in omnibus istis, et informans eas omnes. Continent autem se istæ partes, quia compunctio habet confessionem in voto, et satisfactionem in proposito : et confessio habet compunctionis dolorem sicut causam, et satisfactionem in voto : satisfactio autem formatur ex dolore, et proportionatur (alias, proportionabiliter) ex confessione. Per gratiam igitur, quæ est in compunctione deletur culpa : per virtutes quæ sunt subjectæ gratiæ delentur vitia : per actus voluntatis detestantis peccatum, deletur peccatum. Et sic sanatur bonum naturæ, et deletur maculæ turpitudine. Et per satisfactionem in proposito et in re, deletur reatus. Et est perfectum prædicabile pœnitentiæ, secundum quod est perfecta correctio malæ voluntatis. Act. III, 19 : *Pœnitementini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Act. XVII, 30 : *Tempora quidem hujus ignorantix despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant*.

« Appropinquavit enim regnum cœlorum. »

Ecce effectus, sive fructus pœnitentiæ.
Et bene dicit :

« Appropinquavit, »

Quia motus quidam est pœnitentia a peccato ad justitiam.

In motu autem continue abjicitur natura ejus inde, sive a quo motus est. Sicut quando res albat, continue abjicitur nigredo, et inducitur albedo : sic

etiam hic in pœnitentia prout est correctio malæ voluntatis, continue abjicitur turpitudine peccati, et inducitur justitia regni, prout regnum cœlorum est rectitudo, in se ambiens rectitudinem legum et consiliorum et officiorum et graduum divinorum et civilitatum et potestatum : qualis rectitudo est in cœlo indeflexa per conformitatem omnium eorum quæ in cœlo sunt ad voluntatem divinam, quæ est exemplar et causa omnis rectitudinis, ut dicit Augustinus¹. Sic enim oramus, dicentes, Matth. vi, 10 : *Adveniat regnum tuum.* Apocal. v, 10, dicunt Sancti : *Fecisti nos Deo nostro regnum.*

Sic igitur determinatum est de initio prædicabilium in Evangelio.

18 « Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare : erant enim piscatores. »

Hic incipit secunda pars, ubi agitur de vocatione ministrorum, per quos est dispensatio sacramentorum, doctrinæ, officiorum Ecclesiæ. Hoc enim fuit unum de prælibandis.

In potestate autem ministrorum necesse est aliquem esse penes (alias, per) quem consistat universitas potestatis : ita quod in opere sollicitudinis habeat coadjutores, eo quod homo est infirmus, et necesse est quod aliqui in partem sollicitudinis advocentur. Et ideo sunt hic tantum duæ vocationes ministrorum. Et secunda incipit ibi, v. 21 : « *Et procedens inde,* etc. » Quamvis enim multæ vocationes determinantur in Evangelistis, tamen non differunt nisi materialiter : sed istæ duæ formaliter differunt.

Prima autem harum habet partes duas, vocationem scilicet, et obedientiam.

Vocatio autem habet duos paragraphos : primus ponit convenientiam vocationis, et secundus ponit ipsam vocationem.

In convenientia vero vocationis sumit convenientiam a tribus, a loco, a personis vocandis, et ab actu sive arte.

Circa locum autem dicit duo, scilicet inquisitionem pii Domini vocantis, et loci, in quo fit vocatio, convenientiam.

Dispositio (alias, de inquisitione) Christi dicitur, quod erat

« Ambulans. »

Non tam passibus corporalibus, quam irradiatione et ingestione suæ illuminationis. Joan. ix, 5 : *Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi.*

« Jesus, »

Salvator.

« Juxta mare Galilææ. »

Quod est stagnum Genesareth, quod fluiditatem mundi significat, in quo instabilibus studiis laborant hi qui vocandi sunt ad Christi mysterium. Ecce loci congruentia.

« Vidit. »

Sapient. iv, 15 : *Respectus Dei in electos illius.* Oculo enim beneplaciti et oculo misericordiæ respexit intus plus quam extra.

« Duos fratres. »

Congruentiam tangit ex parte personarum. Duo enim sunt : quia quantumcumque sit aliquis magnæ dignitatis et potestatis, necesse est quod in multis innitatur alteri et juvetur ab ipso. Proverb. xviii, 19 : *Frater qui adjuvatur a*

¹ S. AUGUSTINUS, Lib. VIII de Trinitate.

fratre quasi civitas firma. Eccle. iv, 10 et 11 : Væ soli ! quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo, etc.

« Simonem, qui, »

Promisso in futurum nomine,

« Vocatur Petrus. »

Sive Cephas, quod *caput* sonat : qui ad universitatem potestatis vocatur. Unde quod hic Petrus dicitur, promissio est nominis. Matth. autem, xvi, 16 et seq., ubi confitetur solidæ veritatis fidem, ibi datur ei nomen istud, et ædificatur Ecclesia super eum. Hic autem licet solus sit caput, tamen non solus potest portare onera consiliorum et negotiorum.

« Et. »

Ideo ut secum sit, adjungit ei Dominus

« Andream fratrem ejus. »

Secundum suum nomen *fortis*, vel *virilis* vocatus.

« Mittentes rete in mare. »

Ecce convenientia ab actu, vel artificio. Rete enim per metaphoram officium est prædicationis, quod in mare mundi est mittendum, ut extrahantur ad siccum continentiæ hi qui nutriti sunt in aquis voluptatis. Matth. xiii, 47 : *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.*

« Erant enim piscatores, »

Arte: quod erat in eis præsagium officii futuri, sicut dicitur, Jerem. xvi, 16 : *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos.*

Et hoc est, quod sequitur :

« Erant enim piscatores, »

Arte. Non enim elegit Dominus viros nobiles, vel litteratos, vel auctos ingenio, et discretos in lingua. Sed sicut dicit Apostolus, I ad Corinth. 1, 27 et seq. : *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus.*

« Et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. »

Ecce vocatio.

Et tangit duo : vocationem, et officium ad quod vocat.

Vocatio autem, cum dicit :

« Venite post me. »

Hoc est, ad me imitandum : nullus enim umquam in bono eum præcessit, qui non ex accidenti, sed naturaliter bonus est. Nec aliquis potest sibi esse æqualis, qui caput est omnium : sed omnes sequuntur imitando, quantum possunt. Job, xxiii, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi.* I ad Corinth. xi, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Sequendus autem est Christus per virtutem in vita, in officio per actum, in fructu per zelum, in gratia per hoc quod gratis detur quod impenditur, in charitate per affectum.

« Faciam vos fieri piscatores hominum. »

Ecce promissio officiorum, quæ tamen non statim injunxit, quia adhuc instituenti erant per doctrinam, et perficiendi per

virtutem, et exercitandi per probationem operationum et tentationum.

« At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum. »

Ecce obedientia.

Et tangit tria : velocitatem, facilitatem, et perfectionem.

Velocitatem, quia dicit :

« Continuo. »

Ad unius jussionis vocem. Psal. xciv, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Cantic. ii, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.*

Expeditionem notat, cum dicit :

« Relictis retibus. »

Quorum usu, actuque vivebant : et hoc relinquebant actu. Omnia autem reliquerunt voluntate, omnino nihil retinentes. Matth. xix, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, etc.*

« Secuti sunt eum. »

Ecce perfectio, quæ est in sequendo. Job, xxiii, 11 : *Viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea.* Daniel. iii, 41 : *Et nunc sequimur te in toto corde, et timeamus te.* Ad Philip. iii, 12 : *Sequor autem, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum.*

Sed objicitur contra prædicta : quia, Joan. i, 40 et seq., non dicitur ista vocatio sic perfecta esse, sed potius juxta Jordanem ad testimonium Joannis, secutus est Andreas : et hic inveniens Simonem, fratrem suum, adduxit ad Jesum, et in crastinum vocavit Philippum, et hic adduxit Nathanaelem.

Adhuc, Luc. v, 3 et seq., dicitur, quod

ascendit in navim Simonis, et rogavit ut a terra reduceret, et postea dixit ut in altum ducerent, et laxarent retia in capturam : et cum conclusissent ad verbum ejus piscium multitudinem, et innuissent Joanni et Jacobo, sociis eorum, et Petrus procidisset ad genua Jesu, dixit ei : *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum* : et sic iterum aliter vocati sunt, quam hic narratur.

Ad hoc dicunt Sancti, quod ter vocati sunt isti : Primo enim juxta Jordanem vocati sunt, præcipue testimonio Joannis¹ : sed tunc parum manserunt cum Jesu. Dicitur enim, Joan. ii, 39, quod *manserunt apud eum die illo*, et contraxerunt notitiam ejus, et rediverunt ad propria. Audiverunt tamen ab eo futuræ gratiæ in eis quædam præconia a Christo. Postea autem, sicut dicit Lucas, v, 3 et seq., in captura piscium viso miraculo stupefacti, secuti sunt eum animo : et iterum parum manentes cum ipso, rediverunt ad tempus : et jam contraxerant familiaritatem : et iterum futuræ gratiæ in eis jam experti sunt quædam argumenta. Sed tertia vice perfecta est vocatio, quæ hic dicitur. Et tunc ita secuti sunt, quod ad ea quæ reliquerant non amplius rediverunt, nisi post resurrectionem ad tempus, etc.

« Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua. »

21

Ecce secunda vocatio ministrorum qui in partem sollicitudinis vocantur. Et prima quidem figurata est in Moyse (qui dux constitutus est populi) et Aaron, fratre suo, qui datus est ei in adjutorium, non in consortem (alias, sortem) potesta-

¹ Cf. Joan. ii, 35 et seq.

tis. Ista autem vocatio figuratur. Exod. xviii, 14 et seq., ubi ad consilium Jethro electi sunt veri sapientes, qui oderunt avaritiam, et constitui sunt tribuni, et centuriones, et decani : qui tamen magna quæquæ ad Moysen referrent ¹. Numer. xi, 17, dicitur : *Auferam de spiritu tuo, traliamque septuaginta viris.* Sic Moyses qui spiritum Dei habuit ab eo qui habet plenitudinem potestatis, derivatur in eos qui in partem sollicitudinis sunt vocati.

In hac autem vocatione tria dicuntur : idoneitas videlicet, et obedientia vocandorum præcedens in eis, vocatio et omnia.

Idoneitas autem vocandorum describitur a vinculo (alias, adminiculo) fraternitatis, et a nominibus, a genere, ab arte, ab actu, et a pietate.

Ante tamen hoc tangit dispositionem vocantis, cum dicit :

« Et procedens inde »

Pius Dominus, qui omnes ad salutem non sustinens exspectare, donec per se veniant. Luc. xv, 8 : *Quærit diligenter, donec inveniat.*

« Vidit. »

Oculis charitatis et misericordiæ. Psal. xxiv, 16 : *Respice in me, et miserere mei.*

« Alios, »

Ad minora et alia vocandos.

« Duos fratres. »

Fraternæ charitatis æmulatores. Ad

¹ Exod. xviii, 25 et 26 : *Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos, Moyses scilicet, principes populi, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos. Qui judicabant plebem omni tempore : quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes.*

Hebr., iii, 1 : *Fratres sancti, vocationis cælestis participes.*

« Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus. »

A nominibus innuit idoneitatem : quia supplantator et luctator debet esse contra hostem, et in quo est gratia Dei ad Deum et ad hominem, is qui vocatur. Ex gratia enim debet esse potens exhortari in doctrina sana, et ex virtute luctæ debet contradicentes revincere ².

« In navi. »

Ecce idoneitas ab arte. Gubernator enim navis proportionatur gubernatori Ecclesiæ. Act. xx, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

« Cum Zebedæo patre eorum. »

Ecce pietas, quæ secundum Tullium, « est benevolentia in parentes : » quia patrem secum in cura habentes non deseruerunt. I ad Timoth. iii, 5 : *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit ?* I ad Timoth. v, 8 : *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

« Reficientes retia sua. »

Retia enim metaphoram docent (alias, dicunt) artem prædicationis : ut illa reficiatur studiis Scripturarum, et promotione litteratorum virorum. Luc. v, 4 : *Laxate retia vestra in capturam.*

² Ad Titum, i, 7 et seq : *Oportet episcopum esse... amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.*

« Et vocavit eos.

Illi autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum. »

Ecce vocatio.

Est autem duplex, interior, et exterior. Exterior voce facta est, et fit Salvatoris. Interior, appositione gratiæ datæ. Ad Roman. viii, 29 et 30 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ... hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Sic ergo nullus se ingerat : nullus prece, vel obsequio emat : nullus violenter minis, vel precibus armatis introducatur : nullus sanguinis proximitate promoveatur : sed quem vocat Deus. Ad Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.*

« Illi autem statim. »

Ecce obedientia, velox, expedita, spiritualis, et perfecta.

Velox, quia

« Statim. »

Eccli. v, 8 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.*

Expedita, quia

« Relictis retibus. »

Luc. xii, 33 : *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam.* Matth. xix, 21 : *Vende quæ habes, et da pauperibus.*

Spiritualis, quia relicto carnali patre,

« Et patre. »

Sed contra, Exod. xx, 12 : *Honora patrem tuum*, etc. : ergo non est relinquendus pater, sed nutriendus, præcipue cum crescente virtute in filiis, decrescat in patre. Dicendum, quod non sunt relinquendi parentes, cum nec ope amicorum,

nec opibus propriis habeant quid faciant. Iste autem Zebedæus, licet dives non fuerit, tamen secundum suum statum habuit solatia vitæ, unde vivere posset, et hoc sufficit. Non enim tenemur delicias procurare parentibus, quæ nobisipsis prohibentur.

« Secuti sunt eum. »

Ecce perfectio obedientiæ. IV Reg. ii, 2 : *Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te.* I Paralip. xii, 18 : *Tui sumus, o David, et tecum, fili Isai : pax, pax tibi, et pax adjutoribus tuis : te enim adjuvat Deus tuus.* David manu fortis et ad aspectu desiderabilis, Christus est in pugna fortis, in gloria, in aspectu desiderabilis. Isai autem Domini salus. Et est ille, qui est salus Patris, missus in mundum, cujus sunt qui Christum sequuntur, pacem ad se, et ad proximum, et ad Deum invenientes in ipso.

Sic ergo dictum sit de vocatione ministrorum.

« Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni. »

23

Hic incipit pars illa, in qua prælibat modum Evangelii, et effectum.

Habet autem paragraphos quinque : in quorum primo, prælibatur hujus doctrinæ modus : in secundo autem prælibatur modus, per quem probatur veritas ejus : in tertio, prælibatur modus ex parte prædicantis : et in quarto, ponitur modus probationis in particulari : in quinto autem et ultimo, ponitur proprius ejus effectus. Et hæc patebunt per ordinem in littera.

Primo autem prælibat modum ex parte Prædicantis, et ex parte loci doctrinæ, et ex parte ipsius doctrinæ : et sic tria dicuntur.

De modo ex parte Doctoris dicit :

» Circuibat Jesus totam Galilæam. »

Non enim in uno loco sedere debet Doctor Evangelii, sed inferre auribus uniuscujusque. Propter quod *missi* dicuntur Prædicatores. Ad Roman. x, 15 : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur ?* Proverb. vi, 3 : *Discurrere, festina, suscita amicum tuum.*

Modum autem ex parte loci tangit, cum dicit :

« Docens in synagogis eorum. »

Hoc est, in loco publico et solemniter, non in angulis et foveis, sicut hæretici faciunt. Matth. x, 27 : *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Matth. xxvi, 55 : *Quotidie apud vos sedebam docens in templo, etc.*

Deinde tangit modum ex parte Evangelii, cum dicit :

« Et prædicans evangelium regni. »

Evangelium, bonum scilicet nuntium, quod conducit ad regnum. Et ideo, et annuntiative et exhortative, ita quod ad regnum conducatur, debet prædicari et doceri.

« Et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo. »

Ecce modus probationis in universali per miracula : quæ sunt curationes infirmitatum, quia figurantur (alias, figurant) curationes animarum.

Et ideo dicit :

« Sanans omnem languorem. »

Languor enim est affligens cum destitutione corporis.

« Et omnem infirmitatem. »

Infirmitas est defectus corporis, vel membri : sive calor febrilis, per quem corpus, vel membrum non est in naturali et propria sua valetudine, sicut ostendit ipsum nomen. Jerem. xvii, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero.* Psal. cvii, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos : et eripuit eos de interitionibus eorum.* Sapient. xvi, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.*

« Et abiit opinio ejus in totam Syriam. »

Ecce modus, qui supponitur in prædicante, quod sit bonæ opinionis.

Et dicit duo : celebritatem, et famæ latitudinem.

Celebritas notatur in hoc quod dicit :

« Abiit. »

Quasi continue vadens propter celebre nomen ipsius.

Latitudinem autem tangit, cum dicit :

« Per totam Syriam. »

Quæ erat major quam Judæa, conjuncta Judææ. I ad Timoth. iii, 7 : *Oportet illum, scilicet episcopum, et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat.* Et hic modus differt ab eo qui prius habitus. Qui prius habitus, erat Prædicatoris in actu prædicandi : hic autem est, qui in Prædicatore supponitur, quod provideat bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus¹. Et quod curam habeat de bono nomine, sicut dicitur, Eccli. xlix, 1 et 2 : *Memoria Josiæ*

¹ Ad Roman. xii, 17 : *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus*

hominibus.

in compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria.

« Et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos: et curavit eos. »

Hic tangitur modus probationis in speciali.

Et tangit tria: primum est universalis curatio omnium oblatorum: et hoc tangit, cum dicit:

« Et obtulerunt ei omnes male habentes. »

Quacumque infirmitate detinerentur. Et hoc est quod sequitur:

« Variis languoribus et tormentis comprehensos. »

Et est *languor* dictus quasi longus angor, quando homo paulatim destituitur viribus et substantia cum corporis gravitate. *Tormentum* autem est, quando est acris ad sensum vexatio, vel afflictio. Eccli. x, 11 et 12: *Languor prolixior gravat medicum: brevem languorem præcidit medicus.*

Deinde sub infert duas species afflictionum graviores: et illæ sunt aut a principio extrinseco, aut intrinseco.

Si ab extrinseco, aut hoc est extrinsecum loco et subjecto, etsi sit intrinsecum per effectum: et sic sunt « *lunatici.* »

Aut est extrinsecum subjecto, et non loco, per effectum quem imprimit vexans: et sic sunt « *dæmoniacy.* »

Si autem est intrinsecum per causam conjunctam naturalibus, tunc sunt « *paralyticy.* »

Febres autem, et aliæ infirmitates importantur per languores et tormenta.

« Et curavit eos. »

Act. x, 38: *Pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.*

« Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judæa, et de trans Jordanem. »

Istud est effectus, sive utilitas, ut homines sequantur Deum.

Et hic tangit duo: multitudinem videlicet sequentium, et diversitatem.

Multitudinem tangit, cum dicit:

« Secutæ sunt eum turbæ multæ. »

Et tangit Glossa quatuor causas, quibus diversi sequebantur Christum. Alii enim sequebantur propter cœlestem mysterium, ut discipuli: et alii ob curationem infirmitatum: alii sola fama et curiositate experiri volentes si essent vera quæ dicebantur de illo: alii per (alias, propter) invidiam volentes eum accusare, et in aliquo capere.

Differentias autem sequentium tangit, dicendo:

« De Galilæa. »

Per quos significantur transmutationes de vitiis ad virtutes.

« Et Decapoli. »

Per quos significantur instruendi in decem præceptis legis moralibus (alias, moralis): quia Decapolis fuit provincia, in qua erant decem civitates.

« Et de Jerosolymis. »

Per quos significantur per contemplationem studentes ad visionem æternæ pacis.

« Et de Judæa. »

« Et de trans Jordanem. »

Per quos significantur hi, qui relicta pompa mundi, descendunt humiliter ad contemptum mundi et sui ipsorum. Apocal. VII, 9: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis: stantes ante thronum.* Joan. XII, 19: *Ecce mundus totus post eum abiit.* Isa. XLV, 14: *Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt,* hoc est, de tenebris sæculi et nigredine vitiorum, et de eloquentia sapientiæ hujus mundi, qui Sabaim interpretatur, conversi venient ad Filium, et sequentur eum. I Reg. XXII, 2: *Convenerunt*

ad David omnes qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo, et factus est eorum princeps. Angustia est inutilis tristitia sæculi: æs alienum, sensualitas diaboli: amaro enim animo, qui tristitiam et amaritudinem habebant de peccatis præteritis: horum enim omnium est Christus princeps et dux et liberator. Sic enim *multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cælorum*¹.

Dicit autem, quod multi secuti sunt eum, et non omnes, quia non omnes crediderunt: sed de qualibet differentia hominum aliqui, qui præordinati erant ad vitam. Ista igitur debet esse intentio prædicationis Evangelicæ, ut sic turbæ sequantur Christum Dominum.

Et hæc de capitulo quarto.

CAPUT V.

Octo tradit beatitudines: Apostolos salem terræ et lucem mundi dicit: nec venit ut solvat legem aut prophetas, sed adimpleat, docens de non irascendo fratri, sed ut ei reconciliemur, de non concupiscenda muliere, de membro scandalizante abjiciendo, de uxore extra casum adulterii non dimittenda: non jurandum, nec malo resistendum, inimicos diligendos, et de male meritis bene merendum.

1. Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem: et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.
2. Et aperiens os suum docebat eos, dicens:
3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum².
4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram³.
5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur⁴.
6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.
7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.
8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt⁵.
9. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

¹ Matth. VIII, 11.

² Luc. VI, 20.

³ Psal. XXXVI, 11.

⁴ Isa. LXI, 2.

⁵ Psal. XXIII, 4.

10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum ¹.
11. Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me:
12. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis: sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos.
13. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur ²? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.
14. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.
15. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt ³.
16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est ⁴.
17. Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere.
18. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant ⁵.
19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum ⁶.
20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum ⁷.
21. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides ⁸: qui autem occiderit, reus erit iudicio.
22. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis.
23. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te,
24. Relinque ibi [munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offers munus tuum.
25. Esto consentiens adversario tuo citodum es in via cum eo ⁹: ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.
26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.
27. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis ¹⁰.
28. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.
29. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te ¹¹: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.
30. Et si dextra manus tua scandali-

¹ I Petr. II, 20, et III, 14, et IV, 14.

² Marc. IX, 49; Luc. XIV, 34.

³ Marc. IV, 21; Luc. VIII, 16 et XI, 33.

⁴ I Petr. II, 12.

⁵ Luc. XVI, 17.

⁶ Jacob II, 10.

⁷ Luc. XI, 39.

⁸ Exod. XX, 13; Deuter. V, 17.

⁹ Luc. XII, 58.

¹⁰ Exod. XX, 14.

¹¹ Marc. IX, 46; Infra, XVIII, 9.

- zat te, abscide eam, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.
31. Dictum est autem : Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii ¹.
32. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœcham : et qui dimissam duxerit, adulterat ².
33. Iterum audistis quia dictum est antiquis : Non perjurabis ³, reddes autem Domino juramenta tua.
34. Ego autem dico vobis, non jurare omnino : neque per cœlum, quia thronus Dei est :
35. Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus : neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis.
36. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.
37. Sit autem sermo vester : Est, est : Non, non ⁴ : quod autem his abundantius est, a malo est.
38. Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, et dentem pro dente ⁵.
39. Ego autem dico vobis, non resistere malo : sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram ⁶.
40. Et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium ⁷.
41. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.
42. Qui petit a te, da ei : et volenti mutuari a te, ne avertaris ⁸ :
43. Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum ⁹, odio habebis inimicum tuum.
44. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros¹⁰, benefacite his qui oderunt vos ¹¹ : et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos ¹² :
45. Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.
46. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt?
47. Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt?
48. Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.

¹ Deuter. xxiv, 1 ; Infra, xix, 7.

² Marc. x, 11 ; Luc. xvi, 18 ; I ad Corinth. vii, 10.

³ Exod. xx, 7 ; Levit. xix, 12 ; Deuter. v, 11 ; Jacob. v, 12.

⁴ Jacob. v, 12.

⁵ Exod. xxi, 24 ; Levit. xxiv, 20 ; Deuter. xix, 21.

⁶ Luc. vi, 29.

⁷ I ad Corinth. vi, 7.

⁸ Deuter. xv, 8.

⁹ Levit. xix, 18.

¹⁰ Luc. vi, 27.

¹¹ Ad Roman. xii, 20.

¹² Luc. xxiii, 34 ; Act. vii, 59.

IN CAPUT V MATTHÆI

ENARRATIO.

« Videns autem Jesus turbas, ascendit
in montem. »

Hic incipit instructio et illuminatio pertinens ad informationem regenerandorum.

Est autem hæc informatio duplex : una quidem pertinens ad vitæ sanctitatem, quæ præexigitur : et alia, quæ pertinet ad ministrorum eruditionem quantum ad regimen Ecclesiasticum : et illa sequitur. Et postea inducuntur sacramenta Christi, dantia virtutem verbo ministrorum et sacramentis Ecclesiæ, sicut est Passio, et Resurrectio, et Ascensio : per quæ complentur omnia præcedentia, sive ad vitæ sanctitatem pertineant, sive ad dispensationem ministrorum.

Informatio igitur ad vitæ sanctitatem pertinens tangitur ab hoc loco, usque ad decimum capitulum. Et a capitulo decimo usque ad vicesimum sextum tangitur informatio ministrorum : et a capitulo vicesimo sexto usque in finem ponuntur sacramenta quæ Christus in se ipso exhibuit : per quæ implentur omnia præinducta.

Hæc autem pars, quæ est de vitæ sanctitate, habet duas : traditionem videlicet informationis, et probationem : et probatio non est nisi per miraculorum operationem, ut dicit Petrus in *Itinerario Clementis*. Et hæc probatio incipit in octavo capitulo.

Anterior autem informatio duo continet : instructionem videlicet, et commendationem ejus qui informationem ipsam conservat in opere. Et de ista commendatione loquitur parum ante finem septimi

capituli, ubi dicit, VII, 24 : *Omnis ergo qui audit verba hæc, et facit ea*, etc.

Instructio autem anterior secundum rationem moralis doctrinæ dividitur in partes duas : in quarum prima præponit beatitudines tamquam fines, ut magis appetantur : et postea subjungit instructionem, exsequendo eam per partes, ibi, §. 17 : « *Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas.* »

Adhuc autem, pars anterior dividitur in tres partes : in quarum prima tangit opportunitatem sermonum inducendorum. Et in secunda ponit sermones beatitudinum, ibi, §. 3 : « *Beati pauperes spiritu.* » In tertia (scilicet quæ summæ perfectionis est) quod docuit ostendit ista maxime competere Apostolis, ibi, §. 13 : « *Vos estis sal terræ.* »

Ex ista divisione cuilibet patet ordo partium.

Ea autem pars in qua tangitur opportunitas inducendi sermonem, habet tres paragraphos : in quorum primo tangit opportunitatem ex loco : in secundo, opportunitatem ex dispositione debita docentis : in tertio, ex modo docendi. Et hæc patebunt in littera.

Circa loci opportunitatem tria dicit : causam ascensus, ipsum ascensum, et locum in quem ascendit.

Causam tangit, cum dicit :

« Videns autem Jesus turbas. »

1

Sicut enim omnis artifex conspiciens apta suæ arti, incitatur ad operandum : et sicut quædam irrationabilium animalium cum vident opportunitates suorum usuum, feruntur ad eos : sicut equus videns planos campos, incitatur ad currendum, quod est usus equi : ita Prædicator videns aulas plenas desiderantium audire, incitatur ad prædicandum.

Sic ergo et Dominus videns turbas cum devotione desiderantes verbum audire, excitabatur in montem ascendere. Excitat enim auditor studium. Cantic. II,

14: *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, etc.* Psal. XLIV, 3: *Diffusa est gratia in labiis tuis.*

« Ascendit. »

Ecce secundum, quod est ascensus, docens nos ascendere per verbum suum. Psal. xx, 14: *Exaltare, Domine, in virtute tua.* Isa. XL, 9: *Exalta in fortitudine vocem tuam,* hoc est, in fortitudine virtutis fac altam vocem tuam, ad quam ascendat auditor.

« In montem. »

Ecce locus.

Et notat tria: se videlicet esse montem, de quo dicitur, Psal. LXVII, 17: *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem,* quia divinitas habitavit in eo corporaliter. Et quod in montem eminentis vitæ ascendere debet Prædicator justitiæ, Isa. XL, 9: *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion.* Et quod ad montem, hoc est, eminentiam spiritus invitare debeat et trahere auditores, Jerem. xxxi, 23: *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.*

Sed objicitur, quia Luc. VI, 17, ubi ejusdem sermonis ponuntur partes, non dicitur quod factus sit in monte, sed in loco campestri.

Adhuc ibi dicitur, quod turbis factus est: hic autem quod docebat discipulos.

Adhuc ibi multa omittuntur, quæ hic ponuntur.

RESPONSIO. Dicendum secundum Glosam quod probabilius est, quod primo in montem cum discipulis ascenderit, et ibi sermonem, ut hic scribitur, pertractaverit: et deinde, ad locum campestem ad turbas descendens, quædam sermonis repetierit, non omnia. Et hoc ponit Lucas.

Vel, dici potest, quod idem sermo factus sit primo discipulis, et postea tur-

bis: sed Lucas quædam omiserit quæ scivit ante scripta fuisse a Matthæo.

Alii autem quidam dicunt, quod mons in summo sui habuit stricturam, in qua primo fuit cum discipulis: in latere autem habuit quoddam planum, in quo stabat Jesus cum discipulis et turbis. Et hoc vocat Lucas *locum campestem*: et turbis et discipulis simul loquebatur, sed, ad discipulos oculos dirigebat, ostendens eis maxime convenire quæ dicebantur, et minus aliis.

« Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. »

Secundus paragraphus.

Et dicuntur in eo tria: quorum primum est quies docentis: secundum, eorum qui docentur propinquitas: tertium, optima dispositio auditorum ad doctrinam percipiendam.

Primum notatur in hoc quod dicit:

« Cum sedisset. »

Sedere enim quiescentis est: stans enim laborat, et vadens instabilis est. Et cum laborat corpus, non potest in perfecta quiete esse animus, sed abstrahitur: et tunc non bene concipit et confert et ordinat dicenda et causas dicendorum, differentias et accidentia, communia et propria, et alia quæ in dicendo consideranda sunt.

Jacens autem est inordinatus: quia caput non sursum porrigitur. Et ideo grossi fumi et grossi spiritus et sanguis in eo multiplicantur. Quæ non adeo multiplicantur, quando sursum porrigitur, quia grossa non facile elevantur: subtilia autem et levia et clara in calore et sanguine et spiritu, ad ipsum tunc quando elevatur, deveniunt. Et hæc faciunt intellectus bonos, et memorias.

Hæc est causa, quod cathedra ponitur Doctoribus, et thronus vel tribunal Judicibus, quæ cathedra dicitur *ædes catechizantis*, hoc est, docentis. Aristoteles

dicit, quod « in sedendo et quiescendo « fit anima sciens et prudens ¹. » Psal. cvr, 32 : *Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.* Eccli. xi, 1 : *Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere illum faciet.* Hinc est, quod Matth. xxii, 2, dicitur : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei, etc.*

« Accesserunt ad eum. »

Ecce audientium propinquitas. Et est intelligenda non tam loco, quam imitatione doctrinæ, et affectu dilectionis magistri. Eccli. li, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.* Psal. xxxiii, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini.* Deuteron. xxxiii, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.*

« Discipuli ejus. »

Ecce tertium, scilicet optima dispositio auditorum. Non enim sunt in errorem inducti a perversis doctoribus, sed veritatis discipuli dispositi sunt ad magna capienda. I ad Corinth. ii, 6 : *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Joan. viii, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Isa. viii, 16 : *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.*

● « Et aperiens os suum docebat eos, dicens. »

Tertius est paragraphus.

Et dicit duo : reserationem magnorum et subtilium, et formam dicendorum.

Primum notatur, cum dicit :

« Et aperiens os suum. »

Et videtur tria tangere, quæ sunt necessaria ad subtilium reserationem : quorum primum est apertio explanans : secundum, officium oris in eloquentia : et tertium, facultas ex propria sapientia. Quidam enim aperiunt, sed non ore adhibent adhibenda, sed quasi balbutientes cum Moyse, impeditioris sunt linguæ ². Isa. xxxv, 6 : *Aperta erit lingua mutorum.* Alii sunt, qui non suum os, sed alienum aperiunt, qui verba dicunt aliorum. Et dum verba illa non perfecta (alias, perfecte) loquuntur, quia non bene intelligunt, etiam in alios quasi clauso ore derivantur (alias, derivatur.) Hæc ergo tria exiguntur, quod aperias explanando, quod oris eloquentis modos apponas, quod tibi tuum officium sit, ut in potestate sapientiæ tuæ edisseras. Proverb. xxxi, 26 : *Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus.* Non enim aperit os hiatum magnum faciendo, sed magna et alta edisserendo. Eccli. xxiv, 2 : *In ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur.* Psal. lxxx, 11 : *Dilata os tuum, et implebo illud.*

« Docebat eos, dicens. »

Ecce forma dicendorum. Doctrinalia enim sunt, quæ secundum rationalem mentem in nobis aliquo modo consistunt (alias, subsistunt), quæ etiam si nemo doceret, mens rationalis illa verba bona diceret et utilia ad vitam, sicut humilitas, mansuetudo, etc., quæ hic inducuntur. Sapientiæ, viii, 7 : *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Isa. xlviii, 17 : *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.*

¹ ARISTOTELES, Lib. VII Physicorum.

² Cf. Exod. iv, 10.

3 « Beati pauperes spiritu. »

Hic incipit doctrina perfectionis.

Et dividitur in octo status, quos hic docet. Et in quolibet illorum sunt tria : laus beatitudinis, et meritum in quo consistit beatitudo, et proportio præmii, ut magis appetatur.

Attende autem, quod differunt virtus, et felicitas, et beatitudo.

Quoniam *virtus* est illud, quod in unoquoque genere operum voluntariorum et rationabilium bonorum facit attingere optimum. Adulterari enim et fornicari et hujusmodi, licet sint voluntaria, tamen non sunt rationabiliter bona per nos operabilia, sed potius ratio dicit ea esse mala. Uti autem delectabilibus hujus vitæ, resistere oppugnantibus et contrariantibus justitiæ, libertati, et patriæ : similiter autem communicare proximo secundum jura civilitatum, ordinare vitam secundum electionem conferentium ad bonum, et hujusmodi, sunt operabilia per nos voluntaria, et sunt in his rationabiliter bona. Et quisquis est ille habitus qui in uno quodam (alias, unoquoque) generum facit istorum optimum attingere, est virtus in illo genere consistens. Et ideo cum quatuor enumerata sint, in primo attingit optimum *temperantia* : in secundo, *fortitudo* : in tertio, *justitia* : et in quarto, *prudentia*. Et sic est videre in omni genere operabilium per nos, quod in quolibet uno est virtus una, secundum quam attingitur (alias, attingit) optimum in illo genere. Et sic diffinit virtutem Tullius, dicens : « Virtus est dispositio perfecti ad optimum. »

Felicitas perfectior est virtute, quia est actus, sive operatio, quæ fit secundum perfectam animi virtutem. Perfectus autem animus non est ex una virtute, nec ex parva consuetudine virtutis, sed ex virtute antiqua per consuetudinem, et adunata cum omnibus aliis in animo.

Non enim idem est esse perfectam potentiam per virtutem, et perfectum esse animum. Animus enim est ordinator totius vitæ, et motor in omnibus per nos operabilibus : continens in se omnem potentiam, ex qua elicitur aliquid eorum quæ per nos habent fieri : nec est perfectus, quamdiu aliquid inest dispositionis contrariæ, et quamdiu non est facilis effectus per consuetudinem longam.

Propter quod dicit Aristoteles, quod « una clara dies non facit vernum tempus, sed vernum tempus facit clarior dies continue succedens diei claræ. » Si enim clara dies faceret tempus vernum, esset aliquando tempus vernum media hieme. Sic autem virtus, quæ convaluit in subjecto, non senescit in sene, nec destituitur viribus, sicut dicit Tullius². Quia autem omnes virtutes exiguntur ad animi perfectionem : ideo dicit, quod unica hirundo non facit nidum, sed adjuncta per sociam : et sic una virtus animum non facit perfectum, nisi conjuncta sit alii. Licet his duobus perficiatur animus in se, non tamen ad perfectionem optimorum (sicut est gubernare rempublicam in civitatibus et provinciis exteriorum organice ad virtutem deservientium), et sic infortunia contribulant felicem et impediunt : et fortunæ in se et in pronepotibus et conjunctis expediunt felicem ad felicitatis actum. Propter quod etiam est præceptum legislatoris, quod officia publica divitibus committenda sunt, quia pauperes ea expedire non possunt. Sic expedito animo toto, et in se, et organice, sive instrumentaliter deservientibus secundum divinissimum bonum vitæ, erit actus felicitatis. Cum enim divinum quid est gubernare se ipsum in bono hominis : divinius est, quod est gubernare civitatem secundum bonum civitatis : divinissimum autem est, quod est gubernare gentes secundum bonum gentis, quod est Respublica.

Hoc autem fit per actum prudentiæ,

² CICERO, in lib. de Senectute ad Catonem.

prout exit ab animo omni modo dicto perfecto. Et hoc modo felix est dictus operationem agens secundum perfectam animi virtutem in bono hominis, et in bono civitatis et gentis.

Sic autem vitium non dicitur a privatione omnium circumstantiarum virtutis, sed a privatione uniuscujusvis virtutis vitium dicitur, etsi aliis non privet : eo quod per privationem unius recedit ab optimo. Ita dicitur infelix a privatione uniuscujusvis trium : maxime tamen infelix est, qui privatur virtute animi. Et minus illo infelix est, qui privatur felicitate operandi : et minime, qui privatur bonis fortunæ instrumentaliter felici deservientibus. Hunc tamen imperitum vulgus maxime vocat infelicem. Infelicissimus autem est, qui omnibus privatur : infelicio, qui duobus privatur : et infelix, qui uno. Hæc est ergo *felicitas*.

Beatitudo perfectior est utroque istorum : quoniam beatitudo opponitur omni ei quod facit miserum secundum aliquem statum veræ miseræ. Et ideo sive sit impediens statum optimum, sive sit impugnans, sive etiam deficiens, semper impedit beatitudinem, quod non est in virtute, nec in felicitate : quia hæc a multis et impediuntur et impugnantur, et in multis deficiunt, sicut patebit in sequentibus. Et ideo beatitudo potius est status perfectionis, quam actus, vel operatio. Et beatitudo simpliciter et universaliter, est status omnium bonorum congregatione perfectus.

Nec dicuntur hic bona tantum virtutes, sed et omnia conferentia et tenentia in bono, et removentia contraria istorum. Et licet illa bona multa sint et multorum generum, tamen beatitudo unum quid est : quia omnia bona sunt in ordine ad unum, quod est optimum : et hoc est Deus. Et hæc unio sufficit statui : quia status etiam continet multa, nec est status, sed semper motus et progressio, quamdiu non quiescit in optimo.

Sic autem simpliciter et universaliter sumpta beatitudine, sunt beatitudines speciales et particulares secundum statum specialem uniuscujusque generis optimi. Et sic multiplicantur hic a Domino beatitudines secundum status optimos in bonis meritoriis, ultra quod status non est procedere. Et si aliquando inveniatur beatus dici in Scriptura vir sanctus, secundum aliquid imperfectum hoc est, quod dicitur secundum spem ejus quod adhuc adipiscendum est : et non secundum illud in quo jam habet statum.

His igitur sic distinctis, attendendum est, quod in qualibet beatitudine inducta, quæ octo sunt, tria consideranda sunt : præconium videlicet beatitudinis, id in quo consistit beatitudinis meritum, et præmium.

De primo dicit :

« Beati. »

Et est beatitudo ista laus et præconium eorum qui omnino a se excludunt impedimenta status paupertatis.

« Pauperes. »

Hoc est, qui ex omnibus, quæ mundus iste in divitiis, honoribus et deliciis præbere potest, reputant esse se insufficientes ad Deum : et ideo suam recognoscentes insufficientiam, ad Deum solum, sicut ad bonum, in quo est sufficientia, habent recursum. Et hoc est, quod habet translatio de græco facta : « Beati mendici. »

Pauper enim est insufficientis sibi, sed mendicus est, qui omnium (alias, omni) ope et opibus destitutus, rogat ab alio solatia inopiæ : et hoc¹ cum erubescencia. Et ideo dico litteralem esse expositionem. Psal. XL, 2 : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*. Et, Psal. LXIX, 6 : *Ego vero egenus et pauper sum*, etc. Item, Psal. LIV, 23 : *Jacta super Do-*

¹ Chrysostomus et Hieronymus habent *et hanc*.

minum curam tuam, et ipse te enutriet. Item, I Petri, v, 7: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quia ipsi cura est de vobis.* Eccli. iv, 3: *Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti.*

Cum autem dicitur: *Beati pauperes*

« Spiritu, »

Potest spiritus accipi æquivoce. Si enim accipiatur dictus a spiratione corporei spiritus, tunc spiritum habere dicuntur audaces, protervi, et superbi, et arrogantes, quæ omnia ex tumore cordis proveniunt, secundum quod etiam de talibus dicimus, quod habent spiritum in naribus. Sicut etiam, Aristoteles inducens Homerum dicit, quod « fortes efflabant spiritum per nares, et ebullivit sanguis¹. » Isa. ii, 22, secundum expositionem litteræ dicitur: *Quiescite ab homine, cujus spiritus est in naribus ejus*: et, Isa. xxv, 4: *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem.*

Sic ergo sic accipiatur spiritus, et construat cum recto in habitudine causæ materialis: tunc pauperes spiritu sunt destituti, et se insufficientes reputantes in hoc spiritu, et illi qui ad nihil altum se exhibent, de nullo se vindicant, et in omnibus se dejiciunt: et illi sunt qui vere suæ nativitatis habent sensum, et sunt vere humiles, sicut dicitur, ad Romanos, xii, 16: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*, habentes Christum pro exemplo, de quo, propter humilitatem ad nihil altum se exhibentem, nemo, verum judicium protulit quod esset Deus: qui ita permisit se conculcari, quod nunquam spiritus alti, vel resistentiæ, vel fortitudinis apparuit. Act. viii, 33: *In humilitate judicium ejus sublatum est*². Hi sunt, qui dicere possunt illud Psal. xxiv, 18: *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa de-*

licta mea. Isa. lxvi, 2: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum, et contritum spiritu, et tremantem sermones meos?* Propter quod etiam isti beatitudini spiritus timoris adaptatur, quia iste pauper ad omnem altum tremit, et se insufficientem reputat.

Hæc igitur est expositio beati Augustini: et Chrysostomus etiam concordat cum ista expositione secundum aliquem modum. Sed si spiritus accipiatur non sic a spiratione, sed a ratione ejus qui est spiritus, tunc spiritus est dator vitæ, et principium vitæ, et causa vitæ. Et hoc modo Spiritus sanctus est principium primum et verum vitæ, et dator vitæ, et causa, sicut dicitur, Joan. vi, 64: *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam.* Et, II ad Corinth. iii, 6: *Spiritus vivificat*, etc. Ezechiel. xxxvii, 10: *Ingressus est in ossa spiritus, et vixerunt.* Ezechiel. i, 20: *Spiritus vitæ erat in rotis.*

Sic ergo accepto spiritu, cum dicitur:

« Beati pauperes spiritu, »

Potest construi cum re nominativi in habitudine simul triplicis causæ, efficientis scilicet, et formalis, et finalis: sicut et omne efficiens per suam formam est efficiens, et forma, et finis. Quia sic dicitur in II *Physicorum*, quod « tres causæ in unam rem coincidunt: sed materia numquam cum aliis coincidit in rem unam. » Si ergo sic construat, tunc sensus est: Beati pauperes, quos spiritus facit pauperes: et est forma paupertatis eorum et finis. Cum autem pauper sit insufficientis sibi, tunc erit sensus: Beati se videntes ex omnibus interioribus et exterioribus sibi insufficientes, non necessitate, sed spiritu hoc faciente: quorum istam insufficientiam non informat stultitia, aut vanitas, sed spiritus per charitatem: nec faciunt, vel patiuntur paupertatem nisi propter spiritum, qui

sublatus est.

¹ ARISTOTELES, in III Ethicorum.

² Cf. Isa. lxi, 8: *De angustia, et de judicio*

finis est omnis boni. Et hæc videtur expositio esse Hieronymi. Jacob. II, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se?* Isa. XIV, 30 : *Pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent.* Isa. XXV, 4 : *Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab æstu.* Isti enim pauperes nihil petunt in mundo, unde sibi sufficiant, nec recognoscunt in se ipsis, unde ad aliquid sufficientiam altum, vel vindicando, vel inferendo, vel aliquo modo se sufficientes exhibendo : semper dicentes cum Apostolo, II ad Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Isti igitur sunt

« Beati pauperes spiritu. »

Et patet ex prædictis, quod status altissimus est beatitudo ista, qua (alias, quæ) consistit in abdicatione omnium eorum (alias, rerum), sive sint interiora, sive exteriora, ex quibus aliquis vane se putat sufficere sibi. A paupertate autem denominatur, quia, sicut dicunt Tullius et Augustinus in libro II *Confessionum* : Divitiæ sufficientiam promittunt, cum tamen secundum Apostolum sufficientia ex solo summo bono sit, in omnibus sufficientiam exhibenti ¹.

« Quoniam ipsorum est regnum cœlorum. »

Hic tangit proportionem præmii respondentis.

Et dicit tria : rationem congruitatis præmii ad meritum, et præmium, et præmii nobilitatem.

Congruitatem tangit, cum dicit :

« Quoniam ipsorum est. »

Quia congruum est, quod paupères insufficientiam omnium creatorum recognoscentes, sufficientiam in Deo accipiant : sicut e contra quidam homines sufficere sibi temporalia reputantes, in extrema futuri sint egestate. Apocal. III, 17 : *Dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Apocal. XVIII, 8 : *In una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames : et igne comburetur.* Sicut autem per ea per quæ peccat quis, per ea et punietur, sic etiam in his in quibus meretur quis, per congrua illis remuneratur. Et dicitur, Luc. XII, 32 : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

« Regnum »

Est sicut ex superius dictis accipitur, in quo habetur sufficientia regiminis. Illa autem sunt tria, quæ in hoc dant sufficientiam : quorum primum et principale est habitus legum et consiliorum, et scientia distributionis officiorum, et omnis bonæ ordinationis ad regnum pertinentis. Secundum est potestas stans et non nutans, quæ in se inconcussibilis, et contra facientes conterere possit. Tertium est divitiæ organice subservientes, et amici, et subditi : quæ omnia *exteriora bona* vocantur. Et hæc tria conferuntur veris pauperibus, in quibus sufficiant. Primum enim debetur ex hoc, quod in se non invenerunt unde sufficerent, sicut dicitur, Job, VI, 13 : *Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me.* Secundum autem debetur eis ex destitutione proprii spiritus, quo nihil vigoris et audaciæ in se recognoscentes, nulli restiterunt, omnia tremantes et paventes, et ad nihil altum

¹ Cf. II ad Corinth. IX, 8 : *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in*

omnibus super omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.

exhibentes se. Tertium autem debetur eis, eo quod in nullo exteriorum quærebant sufficere. Apocal. v, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes : et regnabimus super terram.* Ideo pauperum pater, et rex, et præmiator Christus. Joan, xviii, 36, coram Pilato confessus est se esse regem, et tamen dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo,*

« Cœlorum. »

Ecce præmii nobilitas. Quia cum cœli non mutantur per inveterationem, nec marcescant, et secundum naturam perpetui sint : et sic sit in tuto quidquid est in eis, ideo dicitur regnum istud esse cœlorum, cum tamen regnent ubique veri pauperes. I Petr. 1, 4 : *In hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cælis.*

4 « Beati mit'es. »

Secunda est beatitudo. Et beatitudo quidem, ut dictum est, notat statum altissimum in hoc genere meriti.

Est autem mititas (quam quidam *mansuetudinem* vocant) trium graduum. Mitis enim est, qui provocatus, etsi turbatur, tamen non abducitur a mentis ratione, ut aliquid perperam agat, non (alias, nec) alium provocat : et hæc mititas est virtus. Secundo, est etiam mitis nec provocans, nec provocatus, sentiens aliquam turbationem. Et hæc est mititas quæ est animi purgati virtus, quasi heroica, vel herilis, ab altitudine animi sui per sensum turbationis (alias, sensuum turbationem) non inclinata.

De prima, dicit Psal. lxxvi, 5 : *Turbatus sum, et non sum locutus.*

De secunda dicitur, Proverb. vi, 32 : *Qui dominatur animo suo, melior est expugnatore urbium.* Ille enim proprie dominatur animo, qui excellentia animi sensibus turbatis non inclinatur.

Tertia mansuetudo, sive mititas est,

quando ad omnia se in malo aliquo tangentia invenitur non solum planus, sed mollis : et quæcumque tangit, non nisi molliter tangit.

Ad hoc intelligendum oportet accipere similitudinem in corporalibus. Manus enim tactus, qui est impulsus, in duro anguloso, angulo acuto, vel angulis, si fortiter tangat, invenit læsionem vulneris. In duro et in plano invenit resistentiam superficiei, sed non vulnus : quia durum est quod resistit tangenti, sicut dicit Philosophus. In molli autem non bene infuso, non invenit aliquid istorum, et in profundum non penetrat, et tactum non circumstat manum tangentis, sed cedit (alias, cadit) in seipsum. In molli vero penetrato per humidum infusum, nec vulnus facit, nec resistentiam invenit, nec impedimentum profundationis : quia statim tactum circumstat manum tangentem adhærens ei, mollificans eam.

Et est similiter in moribus. Quia immitis resistit quasi angulus acutus profundius secans manum tangentis, quam tangatur ab ea. Mitis autem in primo gradu virtutis sensu turbationis, etsi nihil contra agat, tamen nocumento resistit, et a se expellit, licet in alterum non intorqueat. Mitis vero in secundo gradu, nocentem quidem tangit, molliter recipit : sed in profundum tangi non potest, quia cedit, et non adhæret tangenti undique. Sed mitis hic dictus est, qui tanto spiritu pietatis infunditur, quod tactus a nocente, statim locum dat ut in profundum tangat vitam et res, et si vult, auferat : nihil contra faciens, sed etiam pietatem benedictionis et obsequii respondens (alias, rependens). Propter quod etiam spiritus pietatis illi attribuitur magnitudini, quæ (alias, qui) humore pietatis sic tangentibus adhæret, ut eos ad pietatem remolliat : quia, ut dicit Tullius, « pietas est benevolentia in parentes : » sed in donis Spiritus sancti, pietas est benevolentia in omnes, sicut si sint parentes.

Hæc est una pars mititatis principalis.

Alia autem pars est, quod sicut non tangitur, ut dictum est, ita nullum penitus in malo exasperans tangit. De hoc dicitur, Numer. xii, 3 : *Erat Moyses vir mitissimus super omnes qui morabantur in terra.* Et de David, II Regum, xxiii, 8 : *Ipsa est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Hic enim vermiculus ita est mollis, quod non sentitur durities sub digito tangentis, nisi sentiatur per motum. Hæc autem mititas status est potius quam aliquod unum opus : in quo homo omnia quæ mollescere faciunt animum, sic collegit, et ad manum habet, quod nunquam exasperatus, vel induratus dure aliquid tangit : nec e contra tactus dure aliquid duritiei ei respondet (alias, respondit). Et ideo oportet eum prius esse spiritu pauperem : quia sicut diximus, pauper spiritu duritiei aliquid exhibere non sufficit. Et ideo Christus se hujus meriti magistrum facit. Matth. xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Eccli. iii, 19 : *Fili, in mansuetudine opera tua perface, et super hominum gloriam diligere.* II ad Timoth. ii, 24 : *Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Item, ad Tit. iii, 2 : *Admone illos neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem.* I Petri, iii, 4 : *Qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.*

« Quoniam ipsi possidebunt terram. »

Hic tria notantur : proportio præmii, cum dicit : « *Quoniam ipsi.* » Et præmium, cum dicit : « *Terram.* » Et modum habendi, cum dicit : « *Possidebunt.* »

Congruum enim præmium semper dat Dominus, sicut dicitur, Isa. iii, 10 : *Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.*

Præmium nofat, cum dicit :

« Terram. »

Et hoc multipliciter exponunt Sancti. Dicit enim quædam Glossa, quod triplex est terra, quam gerimus, quam terimus, et quam quærimus.

Et datur miti possessio omnium istarum terrarum. Chrysostomus tamen dicit, quod « intelligitur de terra quam « quærimus : » de qua dicitur in Psalmo xxvi, 13 : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Et hæc est cælum, ubi habitabunt sancti in gloria : quia licet cælum sit respectu terræ in qua habitabant morientes, tamen ita dicitur respectu superioris cæli, in quo Trinitas habitat : quod dicitur cælum Trinitatis.

Omnibus his relictis in valore quo dicta sunt, videtur mihi dicendum, quod terra hic dicitur, non ab eo quod *terra* vocatur, sed dicitur hic terra a proprietate qua nomen imponitur, hoc est, a terendo. Quia enim omni terenti se mitis subicitur, justum est ut omne terens et terribile in præmium suscipiat, ita quod terens de cætero terat, et tritum in potestate habeat, ut non possit teri de cætero : et cum Deo terat omne quod obstat. Isa. lvm, 14 : *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob, patris tui.* Deuter. xi, 37 : *Vos transibitis Jordanem, ut possideatis terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis.*

« Possidebunt. »

Possessio in jure vocatur quasi pedis positio : et id possidetur quod sine contradictione ad nutum mites habebunt. Job, xxii, 8 : *In fortitudine brachii tui possidebas terram, et potentissimus obtinebas eam.* Psal. xxxvi, 3 : *Inhabita terram, et pascere in divitiis ejus.* Genes. xxviii, 4 : *Deus det tibi benedictiones Abrahæ, et semini tuo post te, ut possideas terram peregrinationis tuæ,*

5 « Beati qui lugent. »

Hic iterum secundum modum præcedentem tria inducuntur. Præconium, et id in quo est præconium, et causa quæ est meritum proportionatum. Est autem beatitudo, sicut determinatum est, potius status quam actus, vel operatio.

Luctus autem, sicut Glossa dicit, potest esse pro peccatis. Et hic non est beatitudo: sed vocatur irriguum inferius, pro quo suspiravit Axa sedens in asino corporis, et vadens ad spiritum sicut ad meritum¹.

Est etiam luctus pro dilatione cœlestis patriæ, et incolatu miseræ: et vocatur irriguum superius, sicut dicitur in Psalmo cxix, 5: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est*, etc. Hic autem secundus luctus habet gradus: quia est luctus pro causa dilationis patriæ, quæ est, quod peccatum non est emendatum: et hunc habent multi. Et est luctus pro ipsa dilatione, eo quod omne quod non est Deus, venit in tædium ei qui ex corde dicit illud Psalmi lxxii, 23: *Quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram?* Et hic habet unum gradum istius beatitudinis. Et secundus gradus ejus est, quod tangitur dolore cordis intrinsecus, pro eo quod justitiam regni Dei in terra a multis corrumpi conspicit, sicut dicit Psalmus cxviii, 139: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*. Tertius gradus est ex gustu internæ dulcedinis, et cujus memoria in amaritudinem venit omne quod temporaliter delectare videtur: et hic talis luget in omni tempore præsentis malo, propter zelum justitiæ: et præsentis bono, propter memoriam internæ dulcedinis, et in vita tota, propter incolatus prolongationem. Jerem. vi, 26: *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum*. Job, iii, 24: *Antequam comedam suspiro: et tamquam inundantes aquæ, sic rugitus meus*. Psal. cxxxvi, 1: *Super flumina Ba-*

bylonis illic sedimus, et flevimus, cum recordaremur Sion. Isa. xxii, 4: *Nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei*. Isa. xxxiii, 7: *Angeli pacis amare flebunt*.

« Quoniam ipsi consolabuntur. »

Duo tangit: proportionem congruitatis præmii ad meritum, et ipsum præmium. Jerem. xxxi, 16: *Quiescat vox tua a ploratu, oculi tui a lacrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus*.

« Consolabuntur. »

Consolatio illa est, semper cum Patre in patria esse, et numquam videre justitiam occumbere: tantum internæ consolationis habere, quod causa luctus numquam surgere possit. Et hoc est, quod manus consolantis Dei terget lacrymas. Apocalyp. xxi, 4: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt*. Isa. lxvi, 10 et 11: *Gaudete cum ea gaudio, universi qui lugetis super eam: ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus*. Et, ibidem, 13 et 14: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis, et gaudebit cor vestrum*, etc. Psal. xciii, 19: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*. Isa. li, 3: *Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus*. Et, ibidem, 12: *Ego ipse consolabor vos*.

« Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. »

Hic tria sunt sicut et in præhabitis.

¹ Cf. Judicum, i, 14 et seq.

Sed attendendum, quod justitia dicitur duplex : specialis, et generalis.

Specialis est, quæ est jus suum red-dens secundum rationem, æqualis inter plus et minus damni et lucri in distribuendis, et commutandis : sicut dicit Aristoteles¹. Commutans enim cum aliquo in aliquo contractu, et putans se esse deceptum et esse in damno, et ita minus habere quam valeat res quam emit, vel vendidit, venit ad judicem : et ille audiens adversarium, æstimat per rationem æqualitatis valorem rei, et aufert ab eo qui plus habet in lucro, et addit ei qui minus in lucro, et plus habet damni. Similiter autem si aliquid sit distribuendum, judex stipendia distribuit pro merito et dignitate uniuscujusque. Hæc est ergo justitia specialis.

Generalis autem justitia est dicta dupliciter. A generalitate ejus quem justum facit, et a generalitate ipsius justitiæ. Generalis justitia priori modo dicta est, quæ in debitum et rectum statum ponit totum quod est in homine respectu interiorum et exteriorum. Interiorum quidem, ut ratio imperet, et sensualitas imperetur, et corpus subdatur, et omnis animæ vis, et omne membrum corporis debite perficiat opus suum, in proprio gradu consistens, et ordinem suum non confundens. Justitia autem generalis secundo modo dicta est, ut dicit Aristoteles, omnis virtus, prout accipitur ut legi concordans. Omne enim quod lege præcipitur, et ad legis eruditionem (alias, civilitatem) ordinatur, et legis ordinem consequitur, juris, et recti, et debiti habet nomen generalis justitiæ.

Non ergo est beatitudo justitia uno modo dicta, sed in omni modo dicta justitia. Sicut dicitur, Luc. 1, 6 : *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela*. Sine querela autem non essent coram Deo et hominibus, nisi justitiam omni modo dictam observassent.

Adhuc autem, aliud est facere justitiam, et aliud est facere justitiam justitiæ modo, et aliud est appetere facere justitiam, et aliud est justitiam esurire et sitire. Facere enim justitiam potest qui ex timore pœnæ, et facit eam invitus : et ideo non facit eam bene. Dicit enim Augustinus, quod « nemo invitus bene facit, « etsi bonum est quod facit. » Justitiam justitiæ modo facere, est cum gaudio ex habitu justitiam facere : et hoc est bene facere. Sicut faciunt justi qui justitia cardinali sunt justi : et hi non sunt boni bono gratiæ necessario. Appetere autem justitiam facere plus est, quia appetens justitiam requiescit in justitiæ operibus propter bonum. Et hæc melior est, præcipue si appetit justitiam quæ est ordinata lege divina. Sed esurire et sitire justitiam est non quiescere nisi operando justitiam, et affligi si non fiat justitia, et refici sicut in sagina et convivio, quando justitia fit per eum. Et hæc ad beatitudinem pertinet sola.

Adhuc autem, aliud est esurire justitiam, et aliud sitire eam. Quia esuritur quod comeditur : et hoc masticatur divisum et contritum dentibus, ut undique a natura sugi possit interius : quia propter hoc natura dentes invenit. Licet autem istud sic cibet et instauret vitam, sicut corpus quoddam et membra corporis hujus : tamen sicut cibus non per se fluit et currit ad membra, nisi habeat vehens et se portans humidum, cujus desiderium est sitis. Ita etiam sunt rationes juris et sapientiæ, quæ rationes vehunt et portant justa, ex quibus construitur et nutritur totius bonæ vitæ corpus. Desiderium igitur fervens ad justa nutrientia membra vitæ bonæ, est esuries : desiderium autem rationum juris et justorum, est sitis. Homo ideo rationalis est, ut non tantum agat bonum, sed etiam ex ratione sciat propter quid et qualiter agendum est : quia aliter ageret sicut comburit ignis. Et ideo dicit Tullius, quod « virtus

¹ ARISTOTELES, in V Ethicorum.

« est in modum naturæ rationi consentaneus habitus. »

Hæc ergo est beatitudo viri perfecti, ut ferventi, et quiescere non valenti desiderio desideret justum et justitiæ rationem, secundum quod ipsum est in omni recto ponens operantem, et in omni legi (alias, lege) congruum : et omni, qui vivit Deo et homini, superiori et inferiori, et æquali, quod suum est, reddens : et æquum omnino in omni conservans contractu, et distributione.

Et ideo dicit Augustinus, quod « indiget spiritu fortitudinis, ut robore quodam, sic qui ad tot rectitudines se cum desiderio extendit. » Sicut et beatitudo procedens de luctu, indiget spiritu scientiæ : quæ (alias, qui) docet conversari in medio pravæ et perversæ nationis, in quibus multa materia (alias, malitia) et causa luctus invenitur. De hac igitur esurie et siti justitiæ dicitur, Joan. iv, 34 : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Job, xxix, 14 : *Justitia indutus sum, et vestivi me, sicut vestimento et diademate judicio meo.* Proverb. xxi, 21 : *Qui sequitur justitiam et misericordiam, inveniet vitam, justitiam et gloriam.* Sapient. vi, 18 et seq. : *Initium illius, scilicet sapientiæ, verissima est disciplinæ concupiscentia. Cura ergo disciplinæ dilectio est, et dilectio custodia legum illius est : custoditio autem legum consummatio incorruptionis est : incorruptio autem facit esse proximum Deo.* Sapient. xv, 3 : *Nosse te, consummata justitia est : et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Hæc est enim sitis, Psal. lxii, 2 : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea !*

« Quoniam ipsi saturabuntur. »

Satiari justitia est eo modo, sicut justitia est et in mente divina et voluntate

divina, omnia nostra inflexibiliter ab ea imprimi et informari, sicut dicit Augustinus ¹. Hoc enim est chaos magnum, quod sanctos compassionis gressu non permittit transmeare in infernum : quia omnino concordēs justitiæ Dei facti, non possunt non gaudere de hoc, in quo justitia Dei prævalet. Psal. lvi, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Psal. xvi, 15 : *Satiabor cum appa-ruerit gloria tua.* Isa. lxxv, 13 et 14 : *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos sitietis : ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini : ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.* Comedere enim servorum est refectio justitiæ, et bibere eorum est saturari limpidis rationibus juris, quibus vindicabitur in malos. Isa. lx, 2 : *Audite, audientes me : et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.*

« Beati misericordes. »

Ista iterum beatitudo consistit in tribus, sicut patet per antedicta.

Sed attendendum est, quod misericordia est multiplex. Est enim quædam quæ alienas miserias ex compassione facit suas, et hæc est misericordiæ virtus quam Sancti communiter in se experiuntur : et hæc imperfecta est ad beatitudinem. Et est alia misericordia, quæ cūjuscumque (alias, uniuscujusque) sive boni, sive mali miseriam in cordis affectu, et operis effectu prosequitur : quæ est misericordia quæ assimilat nos Patri cœlesti, sicut dicitur, Luc. vi, 36 : *Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Et, Matth. v, 44 et 45 : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persecuten-*

¹ S. AUGUSTINUS, Lib. VIII de Trinitate.

tibus et calumniantibus vos : ut sitis filii Patris vestri qui est in cœlis, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Et hæc misericordia est perfectior quam prima. Tertia est misericordia, quæ miseriam omnem in se, et in alio tamquam propriam sentit, idipsum cum omni misero sentiens, non solum miseriam pœnæ, sed etiam cujuscumque defectus, qui statum impedit gloriæ : incipiens a se, et ambiens omnes quos quicumque defectus impedit ab hoc quod Deo et bono divino perfrui non possunt.

Et hæc est perfectissima habens tria : quorum unum est, quod curat in se defectum, et congregat cor expeditum a defectibus ad Deum. Eccli. xxx, 24 : *Miserere animæ tuæ placens Deo, et contine : congrega cor tuum in sanctitate ejus, scilicet justitiæ.* Secundum est, quod in omnibus sentit et emendat defectus, non solum pœnæ, sed etiam miseriam a Deo retrahentis. Et illa est misericordia simul et miseratio : de qua, Job, vi, 14 : *Qui tollit ab amico misericordiam, timorem Domini derelinquit.* Proverb. xx1, 3 : *Facere misericordiam et judicium magis placet Deo quam victimæ.* Eccli. xvi, 15 : *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Tertium est, quod hæc misericordia omnia misera reputat quæ non beatificant, semper suspirans pro sua et aliorum miseria : dicens illud Psal. xli, 3 : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? sciens quod miseros facit populos peccatum*¹. Mich. vi, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Judicium enim facere, est recte judicare de bonis et malis quæ beatificent, et quæ miserum faciant : et misericordiam facere, est miseriam hujus pati et

abolere, quantum fieri potest : et tunc expeditus est animus, ut sollicite ambulat ad Deum. Jacob. iii, 17 : *Quæ desursum est sapientia, plena est misericordia et fructibus bonis.* Osee, vi, 6 : *Misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.*

Patet autem ex dictis, quod iste est status altissimus in hoc genere, non in uno, sed in multis, in ordine ad unum consistens et perfectus. Et licet misericordia videatur pati miseriam, et sic beatitudini contraire (alias, contrariari), tamen quia non patitur eam nisi abolendo et ad statum beatitudinis tendendo, ideo beatitudo est et vocatur. Et hoc modo dixit Dominus statum miseriam per passionem abolens, Luc. xxiii, 28 : *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Modo etiam qui prædictus est, illa quæ reputantur bona, et miseriam inducunt, maledicit Dominus, ubi de eadem materia loquitur, Luc. vi, 24 : *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* Et, Luc. xix, 41 : *Videns civitatem, gaudentem scilicet, flevit super illam, etc.*

Ex omnibus his patet quæ est misericordiam virtus : et quæ est perfectio virtutis : et quis est status beatitudinis ejusdem.

« Quoniam ipsi misericordiam consequentur. »

Ecce congruum hujus beatitudinis præmium. Et sicut Chrysostomus dicit, « duplex est in Deo misericordia, relaxans videlicet, et liberans. » Relaxans est, quæ quidem punit, sed citra condignum, et minor in pœnis quam præcesserit malum meritum in peccatis : et hæc misericordia Domini superexaltat judicium Dei², quia hoc omnibus fit. Liberans autem est, quæ in toto liberat : deponit enim omnes iniquitates propter

¹ Proverb. xiv, 34.

² Jacob. ii, 13 : *Superexaltat misericordia judi-*

cium.

(alias, per) pœnitentiam et dissimulat, sicut dicitur, Sapient. xi, 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes : et dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiam.* Addit in præmio supra meritum bonum, quod præcessit in opere, vel in gratia : et hæc conceditur omnibus bonis. Tertia est misericordia, quæ omnem passionem defectus tollit propter misericordiam præcedentem, et omnem præsentiam defectus tollit propter præcedentem miserationem, et omnem statum miseriam convertit in beatitudinis æternæ fructum : et hæc est, quæ debetur misericordiae beatitudini. De qua dicitur, in Psalmo cxi, 5 et 6 : *Jucundus homo qui miseretur et commodat : hic enim securus disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commovebitur.* Ita enim in iudicio Dei sunt dispositi sermones ejus, quod optimam consequitur misericordiam, quæ numquam de cætero in sensu, vel præsentia miseriam permittit eum commoveri, sicut dicit Apostolus, II ad Corinth. 1, 3 et 4 : *Benedictus Deus et Pater Domini Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Huic autem beatitudini donum consilii attribuitur, quia ea quæ dicta sunt, non omnes capiunt, et non implentur sine consiliorum observatione.

S « Beati mundo corde. »

Munditia cordis ad plenum tribus perficitur : quorum primum est ab oculis cordis peccatorum et reliquiarum peccati purgatio : secundum est cordis ab onere corporis, qualis, et quantumcumque potest esse liberatio : et tertium est per lumen a Deo descendens illuminatio. Cor enim vocatur hic nostræ animæ intellectuale, quod est cordis oculus : quia dicit Aristoteles, quod « sicut in corpore est oculus, ita in anima est intellectus ¹. »

Primus ergo gradus est a peccati tenebris, et a peccati reliquiis purgatio : et hæc sunt duo. De peccatorum tenebris non purgatur nisi per amarum collyrium pœnitentiæ, sicut dicitur, Apocal. iii, 18 : *Collyrio unge oculos tuos ut videas.* Sed a reliquiis peccati oportet esse multiplicem purgationem, secundum quod multiplices reliquiæ sunt.

Sunt triplices in genere reliquiæ : quarum primæ sunt fumi qui remanent ex peccati memoria et consuetudine, sicut delectationes et cogitationes pravæ, Jerem. iv, 14 : *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Isa. 1, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Et propter istas cogitationes et delectationes, quæ in nolente homine surgunt, clamat Apostolus, ad Roman. vii, 24 : *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et, ibidem, x. 18 : *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum : nam velle, adjacet mihi : perficere autem bonum, non invenio.* Et, ibidem, xx. 22 et 23 : *Condelector legi Dei secundum interiorum hominem : video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis.* Hæc enim lex membrorum, quamdiu membra ligat ad illicita cogitanda, dulciter vel appetenda, non est a peccato purgatus mentis oculus : quia et secundum naturam oculus adhuc lippiens clarum solem non videt, etiamsi digito clarus demonstratur. Hoc conqueritur Tobias, Tob. v, 12 : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video ?*

Secundæ reliquiæ sunt obumbrationes phantasmatum occurrentium, quæ sunt similitudines corporum se ingerentes, quas ex sensuum accipimus consuetudine : et istæ sunt volucres, quæ se ingerentes sederunt super sacrificium Abrahamæ ² : quas Abraham abegit, docens nos quod hujusmodi abigenda sunt a corde,

¹ ARISTOTELES, in I Ethicorum.

² Cf. Genes. xv, 11.

quia talium nihil est in divinis. Joan. iv, 24 : *Spiritus est Deus : et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* I ad Corinth. xiv, 15 : *Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente.* Istæ sunt squamæ, quæ ab oculis Pauli ceciderunt, quando visum spiritualium consecutus est ¹. Et ista est albugo, sive pellis, quæ ab oculis Tobiae exivit, quando per Angelum et filium (qui Filium Dei significat) est illuminatus ².

Tertiæ sunt reliquiæ ipsa visus debilitas et dispersio : quia visus noster ad multa sparsus illicita, non cito coadunatur, quamvis relevatus sit a tenebroso velamine peccati, et a squamis phantasticæ apparitionis specierum et pompæ sæculi. Et hoc significatum est in eo quem Dominus illuminavit, Marc. viii, 24 et seq., quod primo antequam haberet visum adunatum, sparso lumine visus sui, vidit *homines velut arbores ambulantes* : et postea cum adunatus fuit visus ejus, vidit homines in propria quantitate : hæc enim visus divaricatio accidit ex peccato. Proverb. xx, 12 : *Aurem audientem et oculum videntem, Dominus fecit utrumque* : et ideo si non recte videat, ex defectu est peccati.

Obumbratio etiam est ex inhabitatione terreni corporis, quod obumbrat : et speculo et vestigio indigere facit, etiamsi non esset peccatum. Sapientiæ, ix, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam : et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*, hoc est, multa et magna cogitare habentem. Quia si corpus non esset corruptibile, obumbraret quidem, sed non tantum ut modo. Corpus autem gloriosum quod in resurrectione exspectamus, nullo modo obumbrabit, quia de hoc dicitur, Job, xxviii, 17 : *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Et vitrum vocatur corpus gloriosum, quia perspicuum est, et in se clau-

sam Dei gloriam non abscondet : sicut neque vitrum abscondit colorem liquoris infusi. Corpus igitur animale indiget vestigio et imagine, ut his gradibus tamquam scalis ad Deum ascendat. Corpus autem gloriosum nihil abscondit, sed medium inter duo, quod est mortale et animale deprimit. Sapient. ix, 14 : *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ.* Hæc est causa, quod etiam purgatus a peccato, Daniel vidit quæ vidit in visu noctis, et non in visu luminis ³. Et ideo revelari petit David, in Psal. cxviii, 18, dicens : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.*

His autem habitis, exspectatur ad illuminationem oculi lumen descendens triplex : quorum primum est lumen gratiæ oculum aperiens, secundum, lumen internæ revelationis oculum erigens, et tertium est lumen theophaniæ oculum ad Deum videndum dirigens.

De primo dicitur, ad Ephes. i, 18 : *Deus, gloriæ scilicet, det vobis illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus.* Psal. xii, 45 : *Illumina oculos meos ne umquam obdormiam in morte : ne quando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum.*

De secundo dicit, Psal. lxxxviii, 20 : *Locutus es in visione sanctis tuis, etc.* Osee, xii, 10 : *Ego visiones multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilatus sum.* Daniel. ii, 28 : *Est Deus in cælo revelans mysteria, qui tibi indicavit, rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt.* Job, xxviii, 11 : *Abscondita in lucem produxit.*

De tertio dicit Apostolus, II ad Corinth. iii, 18 : *Nos omnes, revelata facie gloriæ Domini speculantes, in eadem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.*

« Theophania enim, secundum Diony-

¹ Cf. Act. ix, 18.

² Cf. Tob. xi, 14.

³ Cf. Daniel. vii, 2.

sium, est lumen a Deo descendens in animam, et visum animæ ampliandis et dirigens, ut sub ipsius luminis confortatione possit videri Deus, qui ante videri non potuit. » Et ideo theophania, hoc est, *Dei apparitio* vocatur. Sicut enim lumen in oculum veniens ampliatur potentiam visus, ut possit clare videre visibilia naturæ secundum Platonem, ita est lumen in animas mundas a Deo descendens : quod perceptum ampliatur virtutem oculorum cordis, et adunando perficit ad intuitum superni solis, sicut dicit Psalmus xxxv, 10 : *In lumine tuo videbimus lumen*. Hi sunt aquilæ ab acumine oculorum dictæ, irreverberato radio solem supernum intuentes. De quibus dicitur, Job, xxxix, 27 et seq. : *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum ? In petris manet, et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, et de longe oculi ejus prospiciunt. Petræ sunt firmitates æternorum luminum quæ micant in Sanctis, prærupti silices fortissimi et altissimi sunt virtutes Angelorum, sed inaccessæ rupes sunt summa juga trium personarum, in quibus esca dulcissima fruitionis (alias, relationis) videtur : et oculi lumen illud haurientes, longe in rem prospiciunt, quod est contemplari. Hinc est, quod dicitur, Ezechiel. i, 11 : *Facies aquilæ extenta desuper*, quia visu acuto alte volat in Dei contemplationes.*

Sic igitur emundatur oculus a tenebris peccati, a fumis reliquiarum peccati, ab umbra corporalium imaginum, ab impotentia naturali : et tunc vere est cor mundum. Psal. xxiii, 3 et 4 : *Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus ? Innocens manibus et mundo corde*, etc. Proverb. xxii, 11 : *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem*. Hanc enim cordis munditiam sapientia perficit : de qua dicitur, Sapient. vii, 27 : *Per nationes in animas sanctas*, hoc est, mundas, *se transfert,*

amicos Dei et Prophetas constituit. Ab hoc vertice munditiæ Balaam vidit, quando dixit, Numer. xxiii, 9 : *De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum*. Calculus enim solidissimus est divina virtus divini luminis radio perillustrata, Psal. lxxv, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*. De beatitudine ista (alias, ita) dicitur, Lucæ, x, 23 : *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis*.

« Quoniam ipsi Deum videbunt. »

Ecce congruitas præmii, Deum sine medio videre et intueri. Sic enim vadunt de virtute in virtutem, quousque videatur Deus Deorum in Sion. Isa. xxxiii, 17 : *Regem in decore suo videbunt*.

Sed notabile est, quod dicit :

« Videbunt. »

Non viderunt, neque vident : quia cum Deus infinitus sit, a nemine comprehenditur : et ideo per eum transiens visio per infinita vadit, et semper nova invenit : quod fieri non posset, si totus simul comprehenderetur. Sic enim dicitur a Sanctis. Quid est Deus ? a nulla creatura videtur : quia, si quid est videretur, totus simul comprehenderetur. Sed visio Angeli et hominis decurrit super pelagus substantiæ ejus in infinitum : et ideo, semper nova invenit, quæ admiretur. Ipse autem suiipsius est et visor et comprehensor, sed omnis creatura quæ sub sua visione est, eum videns, et admirans speculatur : sed non comprehendit. Et hoc est, quod dicitur, Isa. vi, 1 : *Ea quæ sub ipso erant replebant templum*, quia hæc visio totius templi tam triumphantis Ecclesiæ quam militantis, est sub sua visione. Et hoc est, quod dicit Chrysostomus, « Deum, ut est, et quid est, » « nulla umquam vidit creatura : » et Dionysius ad Caium monachum : « Qui dicit » « se vidisse Deum, si cognovit quid vidit, » « non ipsum vidit : quia si ipsum vidisset,

« quid est vidisset, et comprehendisset : « sed vidit aliquid ipsorum quæ sunt sub « ipso, hoc est, aliquid infiniti pelagi « substantiæ ejus ¹. » Et Augustinus ad Probam : « Videre Deum mente possu- « mus : comprehendere vero minime. » Quia igitur Deus sic videtur, ut ad finem visio numquam percurrat : sic videtur, quod semper videbitur. Ipse autem, qui se totum comprehendit, semper ita se videt, quod numquam aliquid extra visionem suam sui aliquid videbit. Et ideo mundi corde ita eum vident, quod semper videbunt. Isa. LXVI, 14 : *Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt.* Et jam patet, quare huic beatitudini spiritus intellectus attribuitur : quia intellectus præcipue in contuitu reficitur æternorum.

❶ « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. »

Pax est multiplex : Una quidem est reconciliatio ad Deum per emendationem peccatorum, Isa. XLVIII, 18 : *Utinam attendisses mandata mea ! facta fuisset sicut flumen pax tua.* Alia est pax, scilicet quies conscientiæ in se ipso : quia (alias, quando) homo in se non habet bellum tentationum. Job, v, 24 : *Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.* Et, Job, XI, 18 : *Defossus, humo scilicet, securus dormies.* Tertia est pax, concordia rationis et voluntatis, quando voluntas nihil appetit, nisi quod ratione determinatum est : et de hac dicitur, Job, XXVII, 6 : *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Ad Hebr. XII, 14 : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit*

Deum. De his tribus, ut ita dicam, pacibus dicitur, Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego de vobis.* Et isti tres gradus sunt primæ pacis.

Est autem alia pax quæ perfectam facit, hoc est, format pacem, per hoc quod omnia interiora assimilant Deo : eo quod quidquid est dissimile, oppugnat : et de hac dicitur, Psal. LXXV, 3 : *Factus est in pace locus ejus.* Ad Philip. IV, 7 : *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras.* Hæc autem nihil aliud est, quam concordia cordis et corporis ad fruendum Deo quantum in hac vita conceditur : et hæc est pax beatitudo. Sed pacem hanc non tantum habet in se ipso, sed derivat eam in omnes alios, quantum potest. Ad Coloss. III, 15 : *Pax Christi exsultet in cordibus vestris.* Ad Ephes. IV, 3 : *Sollicite servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* II ad Thessal. III, 16 : *Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco.* Hæc igitur concordia fruendi Deo, quando nec caro repugnat, nec spiritus dissidet in potentiis, nec Deus se subtrahit, est illa quæ est beatitudo. Et de hac dicitur, Isa. LXVI, 12 : *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.*

Hæc est igitur pax, quæ est beatitudo et pars regni Dei. Psal. IV, 9 : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.* Psal. LXXV, 3 : *Factus est in pace locus ejus, etc.* Quod autem sit pars regni Dei, dicit Apostolus, ad Roman. XIV, 17 : *Non est regnum Dei esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Et quia hæc pax est in gustu dulcedinis Dei, per quam quantum fieri

¹ Hæc sunt verba S. Dionysii ad Caium monachum, ex interpretatione Balth. Corderii : « Et si quis, viso Deo, cognovit hic quod vidit, « nequaquam ipsum vidit, sed aliquid e rebus « ejus quæ existunt et cognoscuntur : ipse « autem supra mentem et substantiam con-

« stanter manens, per hanc ipsam cognitionis « et essentiæ negationem, et supra substan- « tiam existit, et supra mentem cognoscitur. » Cf. Tom. XIV editionis nostræ Opp. D. Alberti Magni, pag. 868.

potest fruimur Deo cognito, ideo attribuitur ei donum sapientiæ, quod est sapor divinorum, et cognitio eorum per saporem experientiæ.

« Quoniam filii Dei vocabuntur. »

In duabus ultimis beatitudinibus ad contemplationem pertinentibus (quæ intellectui et sapientiæ attribuuntur), in præmiis utitur tempore futuro. Ibi enim dixit, *ꝯ. 7* : *Quoniam Deum videbunt* : hic autem : *Quoniam filii Dei vocabuntur*. Videre enim Dei, sicut ante diximus, semper novum est propter infinitatem mirabilium quæ in ipso videntur, et videbuntur. Filiatio autem Dei assimilationem nostram (alias, nostri) ad Deum importat. Et hæc perfecte non manifestabitur nisi in futuro. Et hoc est, quod dicitur, *I Joan. III, 2* : *Charissimi, nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Quasi dicat : Nunc quidem filii sumus per adoptionis gratiam, sed hoc quod ex ipsa filiatione erimus in gloria filiorum, nondum apparuit : et hæc cum apparuerit, ad similitudinem Dei nos provehet in gloria Patris cœlestis : et tunc videbimus eum sine medio, sicuti est, et ipsa visio nos lumine divino implebit, et filios similes patri efficiet : sicut crystallus cum soli opponitur, statim ut lumine impletur, similis, quasi filius solis efficitur : ita filii gloriæ similes Patri cœlesti efficientur in lumine patris, quo implebuntur. Unde, ad *Roman. VIII, 19* et seq. : *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat :... quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Creaturam vocat hominem, eo quod est dignissima creaturarum, aliquid convenientiæ habens cum omni creatura. Et hoc præ-

mium paci debetur, quia etiam pax non est nisi de bono divino omnia nostra obtinenti, et pacem deducenti in concordia et unitate omnium virium Deo perfruendum. Sic enim *in pace factus est locus ejus*¹ : et, *illa quæ sursum est Jerusalem*, scilicet visio pacis, *libera est : quæ est mater nostra*². Tunc enim fines nostros quoad omnes vires ponet pacem, et adipe frumenti æternæ dulcedinis per fruitionem nos satiabit³.

« Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. »

10

Hic incipit octava beatitudo, et illam dupliciter determinat. Primo, in genere sicut alias : secundo, per partes explicat eam in specie. Et hoc patet in littera.

Primo tangit beatitudinis præconium : secundo, beatitudinis istius meritum : et tertio, beatitudinis præmium.

De primo dicit :

« Beati. »

Et videtur contrarium : quia, sicut dicit Glossa : Beatus est qui habet omnia quæ vult : qui autem omnia quæ vult, non habet, est persecutiones patiens.

Et dicendum, quod licet pati sit miserum, tamen pati propter justitiam est gloriosum, et prout attingit gloriam sic, habet beatitudinis præconium. Ad *Philip. I, 29* et *30* : *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale et vidistis in me*, et *nunc audistis de me*. *Act. V, 41* : *Ibant, Apostoli scilicet, gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*.

¹ Psal. LXXV, 3.

² Ad Galat. IV, 26.

³ Psal. CXLVII, 14 : *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te*.

« Qui persecutionem. »

Secundum est, in quo consistit istius beatitudinis meritum. Et ponit duo : persecutionem, et causam.

Persecutionem, dicendo :

« Qui persecutionem patiuntur. »

Sed cum ab alio quodam agere sit : et illud quod ab est alio secundum quod huiusmodi, non sit laudabile, vel meritum, videtur quod male ponatur in hoc beatitudo.

Et ad hoc dicendum, quod licet passio sit effectus illatioque actionis, secundum quod est ab agente, tamen ex parte suscipientis, contingit suscipere passionem ex devotione, et tenere cor in æquanimitate : et illæ sunt interiores actiones animæ. Et in his propter difficultatem, maximum collocatur meritum, et tanto majus, quanto secundum naturam sumus infirmiores. II ad Corinth. XII, 9 : *Virtus in infirmitate perficitur*. Apocal. II, 2 et 3 : *Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos :... et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti*.

« Propter justitiam. »

Ecce causa : quia causa facit Martyrem, non pœna. Dicit autem, *propter justitiam*, et non propter paupertatem, vel mansuetudinem, vel aliud aliquod præmissorum : quia sola justitia generalis per ambitum suæ communitatis concludit in se et fidem et omnia alia bona : ut sciamus quoniam non solum quo (alias, quando) fides quæritur, sed etiam quidquid partium justitiæ quærat, pro Christi nomine sustinere debemus.

Est autem sensus, propter justitiam patientis : quia si pateretur propter justitiam facientis, et pro injustitia patientis, pateretur sicut fur, vel malefactor, et non esset beatus. I Petr. II, 19 et 20 :

Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si beneficientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.

« Quoniam ipsorum est regnum cœlorum. »

Tribus regnum constituentibus destituuntur, qui patiuntur persecutionem. Injuste enim judicantur contra leges et justitiam regni : et sub potestate iniqua cadunt propter tyrannides eorum qui sunt in potestate constituti : et bonis spoliantur propter avaritiam regnantium in regno mundi. Per contrarium igitur, justum est ut regno cœlorum remunerentur.

De primo dicitur, I Machab. II, 37 : *Testes erunt super nos cœlum et terra, quod injuste perditis nos*. Act. XXIII, 3 : *Tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti?*

De secundo dicitur, Joan. XIX, 11 : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper*. Daniel. III, 32 : *Tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, et pessimorum, prævaricatorumque, et regi injusto et pessimo ultra omnem terram*. Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii : vultum judicum ejus operit*.

De tertio, ad Hebr. X, 34 : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam*. Horum igitur est regnum cœlorum, sic et bonorum pauperum : quia quod pauperes faciunt voluntarie in omnibus commutabilibus bonis se inveniunt deficere, hoc isti perferunt in effectu. Et ideo unum est præmium utrorumque. Matth. XI, 12 : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*.

Numerus autem beatitudinum inductarum sic habetur : quia beatitudo status est in genere optimi ad optimum or-

dinantis. Aut igitur ordinat optime ad bonum, aut optime contra malum. Si ad bonum, hoc est, aut ad commutabile, aut incommutabile bonum. Si est bonum commutabile, tunc est deficiens in seipso, et facit deficere in se confidentes : et optima ordinatio ad ipsum est per *paupertatem spiritus*, eo modo quo superius exposita est. Si autem est ad bonum incommutabile, aut hoc est secundum actionem, aut secundum contemplationem. Et secundum actionem quidem est optimus status *esuriendo et sitiendo justitiam*. Si autem est secundum statum contemplationis, aut est secundum ordinationem optimam ad contemplationis objectum, et sic est *cordis munditia* : aut secundum optimam ordinationem ad contemplationis finalem effectum, qui est quietatio cordis in Deo, et assimilatione ad ipsum : et hæc est *pacificatio filiorum Dei*. Si autem est secundum optimum ordinem contra malum, aut hoc est malum culpæ, et sic optimus ordo est *lugere* : aut contra malum pænæ : et hoc dupliciter : aut enim est in alio, et sic optime ordinat *miseriordia* : aut est illata in nobis, et tunc aut oppugnat naturam, et tunc ordinat *mititas* : aut oppugnat gratiam, quæ est in nobis, et tunc est beatitudo eorum *qui persecutionem patiuntur*, etc.

■ ■ « Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. »

Ecce secundum, ubi istam ultimam per partes exsequitur. Tangit autem duo : partes persecutionis, et partes mercedis, ibi, *ÿ. 12 : Gaudete et exultate*, etc.

Partes persecutionis tripliciter. Primo enim tangit partes, secundo modum, quod scilicet mentiando faciant : tertio causam, quod fiat hoc propter Deum.

Partes tangit per tres differentias, quarum prima est :

« Cum maledixerint vobis, »

Homines scilicet. Maledicta sunt increpationes, et vituperia, et opprobria, et cætera hujusmodi. Hæc enim in Sanctos proferunt homines humum sapientes. I ad Corinth. *iv, 12 : Maledicimur, et benedicimus*. I Petri, *iii, 9 : Non reddentes .. maledictum pro maledicto*. Et, ad Roman. *xii, 14 : Benedicite, et nolite maledicere*. I Petr. *ii, 23 : Qui cum malediceretur, non maledicebat*. Psal. *lxxviii, 10 : Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*.

Secundum notat, cum dicit :

« Et persecuti vos fuerint. »

Hoc est, in Sanctis. Persequuntur autem qui non sequuntur, sed insequuntur, et non insequuntur tantum, sed penetrantes quærunt tollere animam. III Reg. *xix, 10 : Derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam*. Exod. *xv, 9 : Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea : evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea*. Psal. *iii, 3 : Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus*.

Tertium est :

« Et dixerint omne malum adversum vos. »

Et hoc est in impositione falsorum criminum, sicut illud quod in Ecclesiastica historia dicitur, quod imposuerunt Sanctis quod comederent pueros hominum, et abuterentur matribus et sororibus. II ad Corinth. *vi, 8 : Ut seductores, et veraces*. I ad Corinth. *iv, 13 : Blasphemamur, et obsecramus*. Psal. *xliv, 20 et 21 : Sedens, adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc feci-*

sti, et tacui. Isa. LVII, 4 : Super quem lusistis? super quem dilatastis os, et ejecistis linguam?

« Mentientes. »

Ecce modus, quod *mentientes* hæc dicant, et non ex veritate. Sapient. x, 14 : *Mendaces ostendit qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam. Joan. VIII, 44 : In veritate non stetit, scilicet diabolus, quia non est veritas in eo : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus.*

« Propter me. »

Ecce tertium, quod est causa. Quia si verum dicat quis, non est causa beatitudinis. Adhuc, si falsum dicant, et temeritate propria, sicut homines, adhuc non est causa beatitudinis : sed si propter Deum dicant et mentiantur, tunc est causa beatitudinis. Isa. LII, 5 : *Jugiter tota die nomen meum blasphematur, scilicet inter gentes. Psal. LXXIII, 6 et 7 : Adversum te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum et Ismahelitæ. Psal. LXVIII, 8 : Propter te sustinui opprobrium : operuit confusio faciem meam. Jerem. xv, 15 : Noli in patientia tua suscipere me : scito quoniam sustinui propter te opprobrium.*

12

« Gaudete et exsultate. »

Ecce tanguntur differentiæ mercedis. Et tanguntur duo, gaudium scilicet, et causam gaudii.

Gaudium autem tangit tripliciter : secundum affectum, quando dicit :

« Gaudete. »

Quia « gaudium, ut dicit Augustinus, « est diffusio animi in conceptione boni, « quoad rationem, aut intellectum. »

Dicit etiam secundum Evangelium Lucæ, VI, 23 : « *In illa die.* » Non autem dicit hoc pro qualitate temporis, vel aeris, sed quia sanctorum est in tribulatione et persecutione non obtenebrari solem et lumen mentis.

Sed quoad corpus dicit :

« Et exsultate. »

Quia exsultatio, ut dicit Cassiodorus, dicitur quasi extra saltatio, quia gaudium cordis proditur in gestu corporis.

De primo et ultimo istorum dicitur Isa. XXXV, 10 : *Gaudium et lætitiā obtinebunt : et fugiet dolor et gemitus.*

De secundo autem dicitur, Job, XXIII, 17 : *Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.*

« Quoniam merces vestra copiosa est in cœlis : sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos. »

Ecce causa, et tangit duo, causam, et causæ confirmationem, ibi, « *Sic enim persecuti sunt, etc.* »

De primo dicit, quod est

« Merces, »

Quia meruerunt maxima difficultate certaminis.

Et quod

« Copiosa est, »

Propter abundantiam, quæ sufficit sibi. Et quod est

« In cœlis, »

Ut intelligatur inamissibilis.

De prima, Matth. XX, 8 : *Voca operarios, et redde illis mercedem. Psal. CXXXVI, 2 et 3 : Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris.*

De copiositate dicit, Genes. xv, 1 : *Ego sum merces tua magna nimis.*

De tertio dicit, Matth. vi, 20 : *Thezaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur.*

« Sic enim persecuti sunt, etc. »

Ecce confirmatio causæ. Scimus enim quod mercedem habuerunt Prophetæ. Et si sumus in simili opere et causa passionis, in simili etiam erimus retributione mercedis. Jacob. v, 10 et 11 : *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris et patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est et miserator.* Luc. vi, 23 : *Secundum hæc faciebant Prophetis patres eorum.* Act. vii, 52 : *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.*

13

« Vos estis sal terræ. »

Hic incipit adaptare specialiter Apostolis et eorum successoribus omnia quæ dixit, et tangit quatuor. Primo enim tangit condimentum morum tam in morali doctrina quam etiam in exemplo. Secundo, tangit lucem veræ sapientiæ. Tertio, tangit munimen rationum in doctrina defensionis subditorum. Quarto et ultimo, tangit modum et intentionem in docendo. Primum accipit ex similitudine salis, secundum, ex similitudine lucis, tertium, ex similitudine civitatis, quartum autem ex similitudine lucernæ.

Circa primum dicit duo : primum est, quod comparat Apostolos et eorum successores sali : secundum est, quod ostendit salis evaniti inutilitatem.

Circa primum horum dicit tria : pri-

mo, Apostolis appropriat, quando dicit :

« Vos estis. »

Hoc est, significatum per salis naturam, proprie convenit vobis.

Secundo, in nomine salis notat proprietates per metaphoram sali convenientes.

Et tertio, tangit quid hoc sale sit salendum, cum dicit :

« Sal terræ. »

Attende autem, quod salis materia, ex qua generatur, est terra. Quod probatur in IV *Meteororum* : quia omne quod liquatur frigido humido, de genere terræ est quantum ad materiam : sicut et omne quod liquatur calido sicco, de genere est aquæ, sicut plumbum et omnia genera metallorum. Terra autem mutatur in salis naturam, quando a fœtulentia lota est in humido et comburente calido sicco potius quam coagulante est exsiccata. Et ideo sal est terrestre siccum per calidum in humido aqueo combustum : et ideo est vicinus sapor amaro, quia amaritudo resultat ex agente calido comburente in terrestre siccum. Ex tali igitur materia ex calido est amarum et siccum, et ex amaro mortificativum est vermium, et ex sicco siccativum humidi putrescentis, et sic impedit putrefactionem, et per consequens impedit fœtorem. Et quia inducit siccitatem et humidi destructionem et incensionem, ideo impedit generationem et terræ fœcunditatem. Et quia acumen habet ex calore adurente, ideo acuit id cui permiscetur. Et quia siccitatem habet amarum, ideo abominabilem habet saporem, et provocat sitim propter siccitatem : propter acumen tamen dissolutivum est, et commistum saporibus aliis, facit eos penetrare in linguam, et sic condit alios sapes.

Penes has igitur proprietates doctrina

morum Ecclesiasticorum Doctorum sal intelligitur : quia et calore igniti eloquii siccare debent omnem terrenum affectum, et per siccitatem mortificationis corporis, omnem destruere malum humorem concupiscentiæ carnalis : et per condimentum discretionis, delectabilem facere gustum operis, quod est secundum virtutem : et per exsiccationem consolationis mundanæ, omnem exsiccare fecunditatem vitiorum. Et quia exsiccanda est carnalis concupiscentia, ideo, Levit. II, 13, præcipitur, quod in omni sacrificio sal offeratur : sacrificium enim laudis est spiritus contribulatus a concupiscentia carnis exsiccatus. Quod si etiam corpus offerimus, sicut docet Apostolus, ad Roman. XII, 1 : *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* : statim subjungitur de sale : *Rationabile sit obsequium vestrum* : quia sancta non est hostia, si fœtens est libidine : nec rationalis est, si immoderata, aut violenta est, sed siccata sit sale, ita ut terra vitiorum, secundum doctrinam Psalmi CVI, 34, convertatur in salsuginem ¹. Et urbes, in quibus diabolus nos expugnavit, subversæ a spiritu sale mortificationis vermium : de quibus dicit Job, XX, 17 : *Qui me comedunt, non dormiunt*. Et de quibus dicitur, Isa. XIV, 11 : *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum vermes*, qui sunt tentationes, et motus concupiscentiæ carnalis : et cum hoc totus sermo eorum ita sit sale discretionis conditus, et boni exempli, quod in gratia et ædificatione semper acceptetur, et sapida faciat omnia quæ dicuntur ad Coloss. IV, 6 : *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus*. Job, VI, 6 : *Numquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?* Omnibus autem his ita in Apostolicis viris quoad doctrinam morum suppositis.

Sciendum est, quod sal adhuc habet

naturam quæ multis videtur mirabilis, quia per similitudinem quam habet, extrahit alium salem : et ideo pisces salsi, vel caro multum salsa posita in aqua recenter salsa efficiuntur minus salsa, et citius sal extrahitur quam per aquam dulcem, sicut dicitur, IV Reg. II, 21 et 22, quod Eliseus misit sal in aquas amaras, et sanavit eas. Et ita est in Prælato, qui in sale optimo, sale scilicet morum conditus est, amaritudinem, si qua est in subditis, extrahit facile. Sicut etiam lignum crucis licet sit amarum, tamen in aquas missum nostrarum tribulationum, omnia nostra convertit in dulcedinem.

« Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. »

Duo dicit : evanitionem salis, et inutilitatem.

De evanitione dicit :

« Quod si sal evanuerit. »

« Vanum est, ut dicit Philosophus in « II *Physicorum*, quod est ad finem alii quem, quem non includit. » Ita sal est vanum, quando putredinem non impedit, sed provocat : quando vermibus ea quæ salit, scatere permittit : et quando non condit, sed provocat abominationem. Sic Prælatus carnali concupiscentiæ subjectus. Eccli. XX, 21 : *Homo acharis quasi fabula vana*. Acharis est sine gratia, qui nullo sale sapientiæ, vel gratiæ est conditus. Luc. XIV, 34 : « Quod si sal infatuatum fuerit ², » hoc est, in fatuitatem convertitur : quia cum de moribus loquitur, qui mores non habet, fabula et fatuitas videtur. Eccli.

¹ Psal. CVI, 34 : *Posuit Deus terram fructiferam in salsuginem*.

² Vulg. habet, Luc. XIV, 34 : *Si autem sal*

evanuerit, in quo condietur? Versio græca utitur verbo $\mu\omega\rho\alpha\lambda\iota\omega$, quod indicat fatuitatem.

xx, 22 : *Ex ore fatui reprobabitur parabola.* Marc. ix, 49 : *Quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis?* Quasi diceret : In nullo, quia populus non condit Presbyterum : et ideo Presbyter insulsus omnino manet insulsus.

« In quo salietur? »

Hic tangit inutilitates salis evacuati.

Et sunt quatuor : prima est, quia perit salsamentum rerum salsandarum : secunda est, quia ad nullum usum omnino erit aptum : tertia est, quia sicut abominabile erit projectum : quarta est, quia sicut res vilis erit conculcatum.

De prima dicit :

« In quo salietur? »

Quasi dicat, salsamentum totius orbis peribit. Et ideo, Marc. ix, 49, præcipitur : *Bonum est sal... Habete in vobis sal.*

« Ad nihilum valet ultra. »

Ecce secunda : quia ad nullum alium usum est aptum : sicut est lignum vitis, quando non fructificat. Ezechiel. xv, 3 : *Nihil ex eo fiet operis.* Jerem. xxii, 30 : *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.*

« Nisi ut mittatur foras. »

Ecce tertia inutilitas : ut tamquam res abominata foras projiciatur. I ad Corinth. v, 13 : *Auferte malum ex vobis ipsis.* I Reg. xvi, 1 : *Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum?* Jerem. lii, 3 : *Furor Domini erat in Jerusalem et in Juda, usquequo projiceret eos a facie sua.* IV Reg. xxiv, 20 : *Irascebatur Dominus contra Jerusalem, et contra Judam, donec projiceret eos a facie sua.*

¹ Act. ix, 15 : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus,*

« Et conculcetur ab hominibus. »

Ecce quarta inutilitas : quia sicut res vilis conculcabitur. Sicut enim in conculcato vestigia sunt calcantium, ita vestigia dæmonum apparent in tali Prælate, quia conculcant eum. Isa. xxviii, 3 : *Pe-dibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim.* Isa. v, 5 et 6 : *Diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam.* Isa. vii, 25 : *Erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris.* Isa. x, 6 : *Ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum.*

« Vos estis lux mundi. »

14

Hic tangit lucem veræ sapientiæ quoad illuminationem fidei de cognitione Dei. Hæc enim sapientia vera est lux. Lux autem et lumen differunt, quia lux est in prima et propria natura, lumen autem est immutatio lucis in medio. Unde lux dicitur cognitio divinæ sapientiæ, sed lumen ab illa resultans, cognitio est omnium aliarum scientiarum. Luminaria autem hanc lucem fundentia et vasa lucis sunt Apostoli, qui a divina sapientia acceperunt verba vitæ donare nobis, sicut dicitur, Act. ix, 15¹. Daniel. xii, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudierunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* II ad Corinth. iv, 6 : *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.* Hoc significatum est, Exodi, xxxiv, 29, ubi resplenduit facies Moysi ex illuminatione Dei. Ad Philip. ii, 15 et 16 : *Inter quos luceatis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.*

et filiis Israel.

« Non potest civitas abscondi supra montem posita. »

Hic tangit munimen rationum sanctorum Doctorum, et refugium quod debent esse subditis.

Et tangit tria : similitudinem videlicet civitatis, et situm, et evidentiam. Habent autem sacri Doctores in docendo similitudinem ad civitatem in duobus præcipue, in conformitate videlicet doctrinæ, quod accipitur ex nomine civitatis, quia *civitas* dicitur quasi civium unitas : alterum est, in munimine civitatis, quod accipitur ex civitatis munitione.

Sicut enim una est fides, una Ecclesia, et unus spiritus, et unum caput, et una tunica inconsutilis perpetuæ civitatis : ita debet esse una doctrina non divisa per hæreses et schismata. I ad Corinth. I, 10 : *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* I ad Corinth. XI, 16 : *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Ambrosius : « Contentio est impugnatio « veritatis cum confidentia clamoris. » II ad Corinth. XII, 18 : *Nonne eodem spiritu ambulavimus ? nonne iisdem vestigiis ?* Ad Galat. I, 9 : *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Joan. XVII, 22 : *Sint unum, sicut et nos unum sumus.* Hæc est ergo civium unitas.

Munitio autem civitatis est in duobus : in turribus, et muris.

Turres autem sunt altæ et firmæ veritatis auctoritates, quibus suas debent munire rationes. Cantic. IV, 4 : *Turris David ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Turris enim est fastigium solidæ veritatis doctrinæ sacræ : propugnacula, expositiones : clypei, auctoritates habentes signa Patriarcharum et Prophetarum et Apostolorum, in hoc quod fidem eorum demonstrant : armatura fortium sunt revelationes et ratio-

nes quibus armantur ad vincendum. I Petr. III, 13 : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe.* Ad Titum, I, 9 : *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Isa. LIV, 12 : *Ponam jaspidem propugnacula tua.* Jaspis ex nitore virentis fidei solidam significat veritatem.

« Munitio ex muris, sicut dicit Chrysostomus, significat munimen Doctorum, quo subditorum et simplicium « sunt refugium. » Isa. XXVI, 1 : *Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale.* Murus enim est præsidium Christi, et antemurale præsidium Prælati, recipiens jactus et impulsus arietum et machinarum, sicut dicit Chrysostomus : et ideo qui tales non sunt, increpantur a Domino. Ezechiel. XIII, 5 : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis, vos scilicet, murum pro domo Israel.*

De situ autem hujus civitatis dicitur, quod est

« Supra montem posita. »

Mons autem est eminentia sanctitatis in activa, et sublimitas spiritus intelligentiæ in contemplativa.

De primo dicitur, Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Isa. II, 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* Psal. LXVII, 17 : *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : etenim Dominus habitabit in finem.* Isa. XL, 9 : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion, etc.*

De secundo, Ezechiel. XL, 2 : *Dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad austrum, hoc est, ad regionem luminis in cognitione, et calore sancti*

Spiritus in affectione. Apocal. XXI, 10 : *Sustulit me in spiritu in montem magnum et altum.*

De utrisque his montibus, in Psal. LXXXVI, 2 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Psal. LXXI, 3 : *Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.*

De evidentia dicit :

« Non potest, etc. »

Omnibus enim patet ad visum, et omnibus ad refugium. Isa. XXXIII, 20 : *Respice Sion, civitatem solemnitatis nostræ : oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit.* De secundo dicitur, Josue, XX, 2 et 3 : *Separate urbes fugitivorum, ... ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius.*

15 « Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. »

Hic tangitur quarta operatio, quæ est in modo et in intentione docendi et regendi Ecclesias.

Et sunt hic duo paragraphi. In primo enim ponit metaphoram : in secundo tangit explanationem, ibi, ꝑ. 16 : « *Sic luceat lux vestra.* »

In primo ponit quinque : lucernæ videlicet accensionem : locum, in quo non ponitur : locum, in quo ponitur : usum, et ad quos refertur utilitas. Et hæc patent in littera.

Lucernæ accensionem innuit, cum dicit :

« Neque accendunt lucernam. »

Non enim negatio refertur ad accensionem, sed ad totum sequens. Lucerna autem ardens et lucens, est Prælatu

lucens scientia, et ardens charitate. Joan. V, 35 : *Ille erat lucerna ardens, et lucens.* Eccli. XXVI, 22 : *Lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super ætatem stabilem.* Perlucida enim debet esse lucerna per corporis castitatem, et bonæ famæ claritatem. Luc. XV, 8 : *Accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat :* quia de talibus Prælati multi inveniuntur, qui perditii fuerant. Sophon. I, 12 : *Scrutabor Jerusalem in lucernis.*

Locus autem ubi non est ponenda tangitur, cum dicit :

« Et ponunt eam sub modio. »

Modius autem tria notat : in se enim non est perspicuus, sed tenebrosus : et significat vitam opacam tenebris peccatorum. Sed in quantitate est mensura quædam aridorum : et significat terminis unius gentis vel hominis limitatam doctrinam, quæ omnibus prodesse debet, et poterit. Usu autem modius est, quo redditur reditus agrorum : et quoad hoc significat pretium, sub quo ponitur regnum, quod gratis est exhibendum. Quoad primum, modius impedit lumen : quoad secundum, cohibet : quoad tertium, vendit, et impretiabile sub pretio ponit.

De primo dicitur, Sapient. XVII, 5 : *Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.*

De secundo, Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Ad Ephes. III, 8 et 9 : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes.*

De tertio, Matth. X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Isa. LV, 1 : *Qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite : venite, emite absque argento et abs-*

que ulla commutatione vinum et lac. Act. viii, 20 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

« Sed super candelabrum. »

Ecce tertium, ubi lucerna ponenda est.

Candelabrum autem est fastigium Ecclesiasticæ dignitatis significatæ, Exod. xxv, 31 et seq., ubi præcipitur fieri candelabrum aureum cum septem hastilibus et septem lucernis. Et hastilia quidem sunt dona Spiritus sancti : lucernæ autem septem illuminationes quas debet habere, historiam videlicet, moralem, allegoricam, et anagogicam. Et tres per se, unam per industriam, alteram per saporem divinatorum, et tertiam per revelationem orationum. Item est, Zachar. iv, 2, ubi similiter loquitur de tali candelabro. Et, Apocal. i, 13, ubi ambulans Dominum vidit Joannes in medio septem candelabrorum aureorum.

« Ut luceat. »

Ecce usus lucernæ, ut lumen spargat : sine lumine enim doctrinæ et exempli est simia in tecto. Genes. i, 17 : *Posuit luminaria in firmamento cæli, ut luceant super terram.* Eccli. xliii, 10 : *Mundum illuminans in excelsis Dominus.* Baruch, iii, 33 : *Stellæ luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.*

« Omnibus qui in domo sunt. »

Ecce quintum, ad quos refertur usus luminis. Et est generalis omnibus qui sunt in Ecclesia : et verius omnibus qui sunt in mundo. Et ideo confunditur nova hæresis, quæ dicit aliquos repelli posse ab auditu doctrinæ sacræ. Joan. i, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Nullam enim stellarum fecit Dominus, quæ non nisi unam partem mundi illuminaret : et licet una illuminet unam

partem, tamen omnes alias partes tandem præcepit illuminare. Eccli. xxiv, 44 : *Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et narrabo illam usque in longinquum.* Sapient. xvii, 19 et 20 : *Omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, et non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum quæ superventura illis erat.* Eccli. xxxii, 18 : *Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam.*

« Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. »

Ecce expositio.

Et dicit quatuor : Primo, præcipit quod lux luceat : secundo, quibus : tertio, in quo : et quarto, quo fine.

De primo igitur præcipiens dicit, quod

« Sic luceat lux vestra. »

Lux doctrinæ et exempli. Psal. ciii, 2 : *Amictus lumine sicut vestimento.* Proverb. iv, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque in perfectum diem.*

« Coram hominibus. »

Ecce secundum : quibus debent lucere, quia hominibus. Psal. xlii, 3 : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt,* etc. Job, xxxviii, 24 : *Indica mihi per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram.* Job, xxix, 3 : *Splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris.* Joan. viii, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

« Ut videant opera vestra bona. »

Ecce tertium, in quo potissime lucere debent. I Petri, II, 12 : *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam : ut in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Ad Roman. XII, 17 : *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Sapient. XVIII, 24, dicitur, quod in veste poderis Aaron, totus erat pictus orbis terrarum, et parentum magnalia : quia nullus fuit qui non inveniret in eo quod imitaretur, et insuper magna facta sanctitatis patrum erant in eo¹ : in quibus eum subditi imitari non poterant, sed admirari.

« Et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. »

Ecce quartum, scilicet quo fine ista debeant fieri : quia non propriæ gloriæ intuitu, nec lucri prætextu, vel ambitionis intentione, sed ut glorificetur Pater cœlestis, qui (alias, quia) tales sibi filios genuit suæ dignitatis in Ecclesia successores : ut merito dicatur Ecclesiæ illud Psal. XLIV, 17 et 18 : *Pro patribus tuis, Apostolis, nati sunt tibi filii, Apostolorum veri successores : constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui, Domine.* Isa. LX, 21 : *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Eccli. XLIII, 33 : *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude.* I ad Timoth. I, 17 : *Regi sæculorum immortalis, invisibilis, soli Deo honor, et gloria in sæcula sæculorum.*

¹ Sapient. XVIII, 24 : *In veste poderis quam habebat, Aaron scilicet, totus erat orbis terrarum : et parentum magnalia in quatuor ordinibus la-*

« Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere. »

Hic incipit agere de impletione legis.

Et dividitur in tres partes : in quarum prima docet legis impletionem, eo quod spiritus implet litteram occidentem. In secunda, docet modum impletionis per rectam intentionem, ibi, VI, 1 : « *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* » In tertia hujus impletionis removet impedimenta, ibi, VI, 24 : « *Nemo potest duobus dominis servire.* »

Prima harum partium habet duas particulas, in quarum prima in genere dicit, quod venit legem implere : in secunda, in particulari in quibusdam docet qualiter lex implenda est, ibi, ꝑ. 21 : « *Audistis quia dictum est antiquis : Non occides.* »

Adhuc prior harum habet tres paragraphos : in quorum primo adstruit legem esse implendam, non solvendam. In secundo, simul ostendit qualiter, et in quibus, et quo merito solvitur et impletur, ibi, ꝑ. 19 : « *Qui ergo solverit.* » In tertio, ostendit ex comparatione ad non implentes, quantum adimplenda sit lex, ibi, ꝑ. 20 : « *Dico autem vobis nisi abundaverit, etc.* »

In primo horum paragraphorum duo dicit, scilicet, se legem impleturum, et quam sit hoc inevitabile.

Circa primum horum dicit duo : in quorum primo malam de se removet suspicionem : in secundo vero veram de se instruit fidem.

Circa primum tria inducit, remotionem malæ suspicionis, negationem solutionis, et quia solvere non venit.

De remotione malæ suspicionis dicit :

pidum erant sculpta, et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.

« Nolite putare. »

Quasi diceret : Licet vos ad majorem, quam in lege videatur esse, invitaverim perfectionem, per condimentum salis in Doctoribus, per altissimæ doctrinæ fulgorem in cognitione divinorum, per munimen civitatis et modum accendendi lucernam, tamen non putetis, quod venerim antiqua solvere, et nova quæ in veteribus non continentur, instituere.

Et hoc est :

« Nolite. »

Vel sic : Licet pœnitentiam prædicem, infirmos curem, in die sabbati animæ opus, non corporis perficiam, quod non est servile, sed liberale : lepram tangam curando lepram, et sic contra legem facere carnalibus videar, tamen vos spirituales,

« Nolite, etc. »

Aliæ autem actiones, secundum Chrysostomum, sunt quæ pertinent ad salutem animæ, ut curationes infirmitatum solo præcepto perficere, orationes, et hujusmodi, in quibus corpus ad operandum nihil laborat : tactus autem, qui non potest infici, non prohibetur in lege a tactu immunditiarum. Talis autem fuit tactus Christi, qui non immundabatur, sed potius munditiam ex se profudit, ut mundaret omne quod tetigit.

Sic igitur dicit :

« Nolite. »

In toto declinio (alias, condeclinio) ejus, quod est : *Nolo, non vis*, voluntas manet affirmata, et negatio refertur ad volitum. Ut, *Nolo currere*, hoc est, *volo non currere*.

Hoc modo dicit :

« Nolite putare. »

Putatio est hæsiō animi ex inductu

phantasiæ, vel sensus deceptorii. Et ideo est aliud putare, et aliud dubitare : aliud ambigere, et aliud opinari : et aliud credere, et aliud scire : aliud existimare, et aliud conjicere. *Putare* enim est hoc quod dictum est : et ideo hæsiō rationis est ad sensus, vel imaginationis signa reflexæ : *dubitatio* autem est interminatus motus rationis inter utramque partem rationis, eo quod ad neutrum habeat rationem : et ideo quasi quærendo interminate movetur. Sed *ambigere*, ut dicit Boetius in libro *Divisionum*, est ambire utramque partem, sive ambas partes contradictionis per æquivalentes rationes, et nescire quibus consentiatur. Unde *dubitatio* dicitur quasi inter duos viatio (alias, viatatio), eo quod v sæpe pro v ponatur, sicut *superbia* dicitur quasi *superbia* : ita *dubitatio* quasi duorum viatio (alias, viatatio), et ambiguum quasi ambivium, quia ambo ambit contradictoria. Sed *opinio* est, quando ad unam partem rationes habentur cum formidine partis alterius. Et hæc formido contingit ex infirmitate rationum quæ ad alteram partem habentur. *Fides* autem sive *credere* est, quando rationes ad unam partem incipiunt prævalere, et altera pars contradictionis quasi non timeri. Unde dicit Philosophus quod « opinio juvenata rationibus sit fides. » Sed hæc non est fidei (alias, fides) virtus : sed fides, quæ est credulitas rationis. *Scire* autem est causam essentialem et immediatam cognoscere, et quia illius, et non alterius causa est : et quod non contingit aliter se habere, propter immediationem causæ ad effectum. Attende autem, quod *existimare* et *conjicere* est in alia via : quia existimatio proprie est, quando ex aliquibus pluribus signis sensibilibus aliquid concipitur. Et conjicere est ex signis remotis, fallacem, sed in pluribus tenentem accipere conceptionem.

Attendendum igitur, quod inter omnia hæc suspicio putationis est debilior. Et quando de infidelitate est, tunc est quasi primus motus infidelitatis, qui propter

multiplices phantasias, vel sensuum similitudines quasi non est in nostra potestate. Et ideo non prohibet apparentiam ejus, sed voluntatem dicit habendam in contrarium. Et ideo sensus est : Velitis non habere putationem, quamvis forte surgat : quia surgere talem motum, vel non surgere, non est in potestate vestra, sed voluntas est in potestate vestra : et hoc est excludere infidelitatis primum motum. Genes. III, 15 : *Ipsa conteret caput tuum.*

« Nolite putare. »

Quasi animales inducti ex aliquibus signis corporalibus. Quia, I ad Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.*

Sed potius corporum phantasias transcendentes, videte

« Quoniam non veni. »

Qui nascendo factus sum sub lege (alias, legis) Circumcisione, et oblatione facta pro me in templo 1.

« Solvere legem aut prophetas. »

Videtur, quod insufficienter dividat. Quia Hieronymus in *Prologo galeato* libri Regum, dicit quatuor ordines esse sacrorum voluminum Veteris Testamenti, scilicet, Legis, et Prophetarum, et Hagiographorum, et Apocryphorum.

Adhuc autem, Luc. XXIV, 44, dicit : *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et psalmis de me.* Et ibi videtur ponere tres ordines : ergo hoc est insuficiens.

Dicendum autem, quod lex dicitur a ligando : quia « coactivo sermone, ut dicit « Philosophus, ligat ad implendum ea « quæ præcipiuntur a legislatore : » et sic dicitur lex mandatorum, sicut dicitur, Eccli. XXIV, 33 : *Legem mandavit vobis*

Moyses in præceptis justiciarum. Prophetia autem dicitur large et stricte. Large quidem dicitur Prophetia omne quod dicto, vel facto significat aliquid de veritate futura : et hoc modo Hagiographa et Apocrypha continentur sub prophetia : et hoc modo sumitur hic. Alio modo dicitur Prophetia enuntiatio, divina inspiratione facta, rerum eventus sub immobili veritate denuntians : et hoc modo sedecim Prophetæ et Psalmi dicuntur prophetia. Hoc modo non sumitur hic. Prophetia autem ultimo modo dicta duos habet modos : quoniam quædam per modum laudis et hymnorum omnia congerit, quæ futura denuntiant : et hoc modo Psalmi sunt prophetia : et hæc est etiam causa, quod frequentantur in Ecclesia, quia in eis in modo laudis omnia alia, futura, præcedentia, congregantur : et sic dividitur (alias, accipitur) Prophetia, Luc. XXIV, 44. Alio modo dicitur Prophetia strictissimo modo, per modum enuntiationis, veritates futurorum immobili veritate denuntians : et sic sumitur Prophetia, quoniam dividitur in sedecim Prophetas. Patet igitur, quod omnia quæ sunt de futuris, continentur in his duobus, Lege scilicet, et Prophetis.

De Lege dicitur, Isa. XXXIII, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos.* I ad Timoth. I, 8 : *Scimus quia bona est lex, si quis ea legitime utatur.*

De Prophetis dicit, Eccli. XXXVI, 18 : *Da mercedem, Domine, sustentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur.*

De his igitur dicit : « *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, etc.* »

Sed contra, ad Ephes. II, 15 : *Legem mandatorum decretis evacuans.* Ibi dicit Glossa, hoc est, præceptis evangelicis, quæ sunt ex ratione : et ideo *decreta* dicuntur. Et idem Apostolus dicit ad Galat. III, 23 : *Ubi venit fides, jam non sumus sub pedagogo,* hoc est, sub lege.

RESPONSIO. Dupliciter evacuatur ali-

- Cf. Luc. II, 24.

quid : uno modo a fine, et altero modo ab eo quod continetur, vel videtur in ipso contineri. Lex ergo a fine non evacuatur, qui est Christus, et justitia ejus. Ad Roman. x, 4 : *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.* Sed ab hoc, quod videbatur in ipsa contineri, evacuata est a Christo, hoc est, vacua esse ostensa est. Salus enim credebatur esse in lege, cum a salute sit vacua. Ad Galat. ii, 16 : *Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi : et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis.*

« Non veni solvere. »

Ecce secundum, ubi dicit negationem solutionis, et affirmationem impletionis.

Et hoc est :

« Non veni solvere. »

Glossa dicit, quod solvere est, vel non agere quod recte intelligit, vel non intelligere quod depravavit per malam assertionem, vel minuere integritatem superadditionis Christi. Solvitur enim quod ligatum est. Lex autem dicitur a ligando, quia ligat pœnis et præmiis ad implendum : et hoc modo non attendens vinculum legis, vel torpore, vel negligentia non considerans, et dimittens quod lex imperat, solvit legem quo modo lex non est solvenda. Quia, Eccli. vi, 31, dicitur : *Vincula illius alligatura salutaris.* Isa. xlv, 14 : *Vincti mancis pergunt : et te adorabunt, teque deprecabuntur.*

« Sed adimplere. »

Hoc est, superabundanter implere : quia minima legis addam super magna, et gratiam implendi super mandata, et

intentionem legislatoris super opera, formam super informia, et spiritum super litteram. Et sic non solum implebo, sed addens gratiam gratiæ, adimplebo : quia *gratia et veritas per Jesum Christum facta est* ¹.

De parvis additis ad magna, Joan. vi, 12 : *Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.* Matth. xv, 27 : *Catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.*

De gratia addita super mandata, Zachar. iv, 7 : *Exæquabit* (alias, æquabit) *gratiam gratiæ ejus.* Joan. i, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*

Intentionem legislatoris addit, quia implet eam, secundum quod Deus, qui dedit eam, intendit. Joan. viii, 29 : *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Marc. i, 11 : *Tu es Filius meus dilectus : in te complacui.* Psal. xxxix, 8 et 9 : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Hic autem talis, qui legem secundum intentionem legislatoris servat, non solum justus, sed etiam ἐπιεικής hoc est, *superjustus* ab Aristotele vocatur ².

De forma, quæ additur super informia, dicitur, ad Roman. xiii, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Et quia est forma, est finis, sicut dicitur, I ad Timoth. i, 5 : *Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.*

De spiritu addito supra litteram dicitur, II ad Corinth. iii, 6 : *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Joan. vi, 64 : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt,* hoc est, spiritualiter intellecta sunt vita.

Attendendum tamen, quod quinque sunt in lege : moralia videlicet, et judicialia, ceremonialia, sacramentalia, et promissa : et hæc omnia implevit Christus.

¹ Joan. i, 17.

² ARISTOTELES, Lib. V Ethicorum.

Moralia sunt, quæ sunt de per se expectendis, vel per se vitandis imperata : quæ ubique et semper sunt tenenda : quæ ratio naturalis dictat homini, etiam si nulla lex ea imperaret, inscripta (alias, in scripto) sicut decem præcepta quæ sunt scripta in tabulis ¹. Et hæc implevit Christus, ad ea quæ intus erant addendo explicite extrinsecus.

Judicialia sunt, per quæ judicantur homines secundum communicationes contractuum, vel damnorum, vel utilitatum, et tenentur in civilitate et pace : sicut sunt de quibus dicitur, Exod. XXI, 1 et 2 : *Hæc sunt judicia quæ propones eis : Si emeris servum hebræum, sex annis serviet tibi : in septimo egredietur libere*, etc. Sicut de furto bovis et ovis reddendo, de lege talionis, et hujusmodi. Et hæc variabantur pro diversitate locorum, temporum, et personarum. Et hæc implevit Christus, duritiam eorum mitigando.

Ceremonialia dicuntur quasi munia Cereris, quæ est dea frugum : cui primum Saturnus, qui seminare triticum docuit, munia pro incremento frugum impendi præcepit. Et exinde translatum est nomen in omne munium sive cultum qui diis, vel Deo exhibetur. In lege autem, *ceremonialia* dicuntur, quorum nulla utilitas secundum se est ad mores, nulla ad judicia civilitatum, sed totus usus et utilitas eorum est in significando aliquid, non in sacramentis quidem, sed circa mores hominum. Sicut illud quod dicitur de discretione ciborum ex animalibus mundis vel immundis, Levit. XI, 1 et seq. Et de discretione immunditiarum, Ibid. XII et seq. Et quod non induenda est vestis lana, linoque contexta, Levit. XIX, 19, et hujusmodi.

Sacramentalia autem sunt significantia gratiam sacramentalem quam nostra sacramenta causant, et non conferentia eam. Et ideo dicit Augustinus, quod « totus usus horum fuit in significando,

« et non in causando gratiam. » Sicut est de Agno paschali, Exod. XII, 1 et seq. : et de vitulo et hirco expiationis, Levit. XVI, 1 et seq., et de aliis similibus.

Promissiones sunt, quæ futura promittebant sub figura terrenorum, sicut, Exod. III, 8, quod promittit terram lacte et melle manantem, et hujusmodi.

Cum igitur dicat, Joan. I, 17, quod *gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, moralia implet per gratiam juvantem ad implendum : judicialia per gratiam temperantem severitatem iudicii : ceremonialia per veritatem morum significatam : et sacramentalia per veritatem simul et gratiam. Veritas enim respondet signo, et gratia sacramento. Promissa autem per veritatem sui dicti. Ad Hebr. VI, 18 : *Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendum propositam spem.*

Adhuc, moralia implet addendo, judicialia corrigendo, ceremonialia virtutes significatas docendo, sacramentalia sanctificando sacramenta, et promissa in seipso per rei collationem exhibendo. Et omnibus his perfectis, dicit : *Consummatum est* ². Et ideo, ad Galat. IV, 4, dicitur tempus gratiæ, *plenitudo temporis*. Et ea virgo, ex qua profunditur, *gratia plena* dicitur, Luc. I, 28. Et sancti ex tunc pleni dicuntur, Act. II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*, etc.

Sed objicitur de littera. Primo enim dixit, quod non venit solvere legem, aut Prophetas : et postea non repetit nisi legem, et tacet de Prophetis, cum dicit : « *Non veni solvere, legem scilicet, sed adimplere.* Et quæritur quare hoc ?

Et dicendum, quod Prophetæ non habent nisi promissiones futurorum, aut significationes quæ non implentur, nisi rei exhibitione. Et si sit mandatorum mentio in aliquo eorum, sicut in Ezechiele, XVIII, 3, non fit hoc per modum

¹ Exod. XX, 2 et seq.

² Joan. XIX, 30.

prophetiæ, sed per modum inductionis, qua prophetia inducit legem. Et quia hic de tali impletione non loquitur, quia illa non potest fieri statim, sed de legis additione, ideo non repetit Prophetas.

Sequitur :

18 « Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. »

Hic ostendit quam inevitabile sit, quin lex sit implenda.

Et tangit quatuor : Primum est, confirmatio veritatis in Deo. Secundum, confirmatio per confirmationem eorum quæ firmissima sunt inter cætera (alias, creata) corporalia, quæ mobilia sunt quam lex ab impletione. Tertium est, quod minima legis necesse est impleri, innuens quod multo magis magna legis implebuntur. Quartum est, quod universaliter lex implebitur.

« Amen dico vobis. »

Hoc est, vere dico vobis : et est adverbium confirmandi neque Græcum, neque Latinum, sed relictum est Hebræum, sic ut *Alleluia* pro reverentia verbi, ne vilesceret nudatum, et in aliam linguam transfusum. Aliquando autem ponitur nominaliter pro vero, vel veritate, sicut, Apocal. III, 14 : *Hæc dicit Amen, testis fidelis*, hoc est, verus, vel ipsa veritas. Aliquando ponitur verbaliter pro *fiat*, sicut, Matth. VI, 13 : *Libera nos a malo. Amen* : hoc est, fiat. Unde versus :

Pro vero vere : pro fiat dicitur Amen.

Cum ergo dicitur :

« Amen dico vobis, »

Idem est, ac si dicatur, vere, vel fide-

liter dico vobis. Nec utitur Christus hac confirmatione propter se, sed propter infirmitatem audientium, ut sciant Deum esse immobilem.

« Donec transeat cœlum et terra. »

Attende, quod sicut dicitur, Matth. XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* : transitus iste innovatio mundi vocatur.

In qua mundi innovatione notandum est, an mundus sit innovandus, quo innovandus, ad quam speciem innovandus, et utrum totus innovandus, et qualiter innovandus.

De primo scias, quod mundus est innovandus : quia necesse est in omnibus esse convenientiam habitatoris et habitaculi. Unde sicut mundus melior fuit in primo statu, in quo homo plantis fuisset vegetatus, quam fuerit post peccatum, propter formam meliorem quam habuit habitator mundi ante peccatum : ita in gloria resurrectionis, propter eandem proportionem, necesse est quod totus mundus induat formam gloriæ hominis respondentem. Hujus etiam alia causa assignatur in Glossa super illud Apostoli, ad Roman. VIII, 22 : *Omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc*. Ibi enim dicitur, quod peccatum hominis non solum mutavit naturam hominis, sed statum omnis creaturæ deterioravit. Et ideo quæ ante peccatum sine labore sua expleverunt officia, post peccatum laborem habent in explendo, ex inobedientia mobilis ad motores. Et de hoc labore, cum fiat ordinante Deo propter electos, creatura est remuneranda : et ita cum glorificatur homo, erit etiam mundus sibi proportionabili modo glorificandus.

De hoc autem, quod secundo quæritur, quo sit innovandus? Dicendum, quod cum nihil agat ultra suam speciem, non potest hæc innovatio fieri per ignem solum : sed quia duo sunt termini, inter quos est motus innovationis, scilicet a

quo, et ad quem, erit ignis disponens (alias, deponens) dispositiones contrarias innovationi. Creator autem rerum et reparator rei per propagationem erit de sua luce inducens formam luminis et gloriæ innovati mundi : sicut et in corpore hominis inferior natura, quæ est Angelus, operabitur ad cinerum collectionem : et tamen superior natura inducet vitam et gloriam.

Si autem quæritur, unde ignis habeat hanc formam actionis, cum omnis scilicet actio sit a forma, et forma ignis non sit causa hujus purgationis, Dicendum, quod est actio ignis ut naturæ (alias, natura) corporis cujusdam : et est actio ignis, ut instrumenti naturæ superioris moventis et informantis ignem. Actio autem ignis ut naturæ corporis cujusdam, non est ultra permissionem suæ formæ : nec agit in aliquid, nisi quod suæ formæ communicabilem habet materiam, et transmutabile in ipsum : sed actio ignis ut instrumenti, agit secundum formam naturæ, quæ movet et informat ipsum, sicut est videre in calore digestivo, qui agit secundum exigentiam animæ, et non secundum naturam ignis. Et ideo quæ terminat (alias, nutrit) et digerit, deducit non ad ignem vel cineres, sed ad speciem animatorum ut carnis et ossis, et hujusmodi. Ita etiam ignis, qui præcedet faciem judicis, quo exuret facies mundi, agit secundum virtutem et formam justitiæ vindicantis : et ideo insequitur peccatum et peccati infectiones tam in mundo, quam in inferno, quam etiam in purgatorio. Licet enim anima et spiritus de natura sua superior sit igne et omni corpore, nec subjiciatur ei ut patiens agenti, nec habeat materiam communicabilem formæ ignis, prout ignis est natura quædam : tamen in quantum ignis agit in virtute justitiæ vindicantis, et spiritus cadit a nobilitate naturæ per peccatum, ignis agit in spiritum et mundum purgando et puniendo, sicut dictum est : et sic remouet dispositiones contrarias innovationi.

Ex hoc habetur, quod totus mundus non conflagrabitur, licet totus innovetur. Conflagratio enim non erit nisi in partibus, in quibus infectio est peccati ex hominum opere. Et ideo dicitur, quod tantum ascendit ignis, quantum aquæ diluuii. Et quod dicit Petrus in II canon. III, 7, quod *cæli qui nunc sunt, ... igni reservati* sunt, et quod elementa calore liquescent : intelligitur de cælis inferioribus aeris, et elementa liquescent deponendo infectiones peccati tam in se quam in elementatis in quibus commista sunt, et deponendo qualitates debitas generationi quæ est secundum legem peccati, et retinendo qualitates debitas gloriæ, quas habent in conformitate ad cælum. Et ideo quia aqua erit continuæ perspicuitatis, et similiter aer turbulentus, ideo dicitur, quod hæc transibunt, quia cæli naturam induent : non amittendo ergo substantiam transibunt, sed amittendo eas quas nunc habent qualitates. Licet autem terra etiam amittat opacitatem quam nunc habet, et retineat soliditatem, tamen illa non dicitur non esse : quia superioris cœlestis proprietatem non omnino induet, sed perspicua sicut crystalus innovata dicitur. Similiter intercidetur (ut dicit Basilius) flamma, ut calidum ustivum detur inferno, et lucidum perspicuum remaneat superius, quia hoc congruit innovationi. Hæc tamen tria elementa ut aer, aqua, et ignis, a diversis sanctis dicuntur desinere esse, non quidem secundum substantiam, sed quia, ut diximus, superioris corporis induent qualitatem.

Sed ex his relinquitur, quod cælum et stellæ luminosiora efficientur quam modo sint : quoniam sicut dicit Isaias, xxx, 26 : *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septemplex sicut lux septem dierum*, scilicet reducta ultra statum primorum sex dierum, quem habuit ante peccatum septemplex : et lux trium elementorum erit sicut lux cæli est nunc, proportionabiliter tamen, minus scilicet in aqua, et plus in aere, et maxime in igne. Et ideo tunc quantum ad fi-

guram non dicuntur manere nisi cœlum novum et terra nova¹ : licet quoad substantiam omnia maneant simplicia corpora. *Sol et luna*, sicut dicitur, Habac. III, 11, *steterunt in habitaculo suo*, et tunc in fine temporum stabunt in eisdem habitaculis suis in quibus creata sunt, et similiter aliæ stellæ : et non circumibunt, quia circumitus est ad statum generationis, qui tunc non erit.

Ad hoc autem, quod ultimo quæritur, qualiter erit ista glorificatio, sive innovatio, dicendum, quod nequaquam erit per rarefactionem, ut quidam male opinati sunt, quia multa sequerentur inconvenientia : quorum unum hic sufficit nobis, quod oporteret ampliari locum totius mundi, vel violenter elementa comprimi ab aliquo continente ea, quod absurdum est : sed erit per separationem ignobilium qualitatum a substantia, et induitione nobilium, quod terra deponat opacitatem, et induat perspicuitatem, et retineat soliditatem : et aqua deponat frigiditatem et fluiditatem, et retenta limpидitate, et induta lumine, et sic de aliis : cœlum etiam amittat motum et ampliori vestiatur lumine, et hujusmodi.

Et hæc de innovatione mundi et transitu dicta sint a nobis.

De hujusmodi ergo transitu dicit Dominus :

« Donec transeat cœlum et terra. »

Ostendens inevitabiliter legem esse implendam.

« Iota unum. »

Hic innuit ex quo minima plus habent firmitatis secundum impletionem quam cœlum et terra, quod multo magis implebuntur maxima et majora et magna. Tangendo autem minima, tangit dupliciter, scilicet, secundum substantiæ quantitatem, et secundum particularum substantiarum quantitatem.

Quantitatem tangit per similitudinem *iota* sumptam : quæ licet sit littera græca, tamen Dominus nominavit eam, et non *iota* (ι) litteram hebræam, propter suæ figuræ minimam quantitatem continuam. Et quia decima est in ordine litterarum græcarum, quæ sui ordinis numerum apud Græcos significant a prima usque ad decem : et ideo *iota* decem significans, decalogum significat mandatorum.

Apex autem non est littera, sed appunctatio litteræ superius vel inferius facta : quia mos est Hebræis appunctare litteras, ut diversa sonent. Sicut sola *Aleph* (א) per diversas appunctiones sonat omnes vocales : et secundum metaphoram significat minimas particulas mandatorum, quas omnes habet mandatum in ordine ad actum qui præcipitur, sicut patet, quando aliquis ex odio, vel ira occidit : particula prima hujus est ira, secunda maledicta et comminationes, tertia insultus, quarta verbera, quinta occisio : et adhuc præter has commotio animi, et multa alia, quæ omnia ad præceptum de non occidendo reducuntur.

Et similiter est in affirmativo præcepto, quod est honorare parentes. Particula enim est diligere parentes, benevole et reverenter alloqui, assurgere, subvenire, et hujusmodi : et sic facile est videre in omnibus. Magnum igitur mandatum est, quod est de magno : sicut sunt magna omnia quæ partes habent honestatis et virtutis : et tanto majora, quanto majorem rationem habent honestatis et virtutis. Quia, sicut dicit Augustinus, « in his quæ « non mole magna sunt, idem est majus « esse, quod melius esse : maxima autem « sunt, quæ maximam attingunt partem « et rationem honestatis. » Et ideo quæcumque sunt in operando opus virtutis, majora sunt quam illa quæ sunt in vitatione sola, ut actus peccati, quod (alias, qui) secundum actum vitari potest sine virtute : et tunc evitat pœnam legis, sed non consequitur præmium a legislatore :

¹ Cf. Isa. LXV, 7, et Apocal. XXI, 1.

sicut majus est mandatum honorare parentes, quam non occidere, vel non furari : et maximum, quod est diligere Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex omnibus viribus, Matth. xxii, 38 : *Hoc est primum et maximum mandatum.* Et similiter est in legibus mundanis, majus mandatum est de pugnando pro libertate patriæ, quam non furari, vel non mœchari : quia illud habet honoris magni præmium, ista autem non habent nisi pœnæ evitacionem, sicut dicitur,

Non furtum facies : non pasces in cruce corvos.

Parva igitur mandata ista, quæ impleri necesse est per gratiam Christi, per iota significantur : per apicem autem significantur minimæ particulæ, sicut dictum est, quæ ad eadem mandata antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter reducuntur : sicut in *non mœchaberis*, est « non comptum et politum esse, non oculos figere, non domum frequentare dilectæ, non jocari, non loqui, non tonsorem diligere, non scapulas molliter gestare, » non composito gradu incedere, » ut dicit Cyprianus : et hujusmodi. Hæc enim omnia parva sunt respectu ultimi super quod cadit mandatum, vel præceptum, licet difficilius, et fortius, et majoris gratiæ sit ea observare, quam id super quod cadit præceptum : quia difficilius est non irasci, quam non occidere : quia per se occidere horret homo, sed irasci ita complantatum est in natura, quod vix evitari potest : et in his tamen minimis tollitur via ad majora in prohibitionibus : et in affirmativis præparatur via ad majora : quia qui non irascitur, non occidit ex ira : et qui benevolentiam habet ad parentes, etiam facile subvenit in necessitate.

Hæc igitur minima sunt in genere operum præceptorum, vel prohibitorum, sed maxima in observatione : et ideo maximi meriti sunt observantibus, et minimi peccati in transgredientibus. Et hoc con-

tingit, quia quanto difficilius aliquid vitatur, tanto minus est peccatum, si committitur, et majus est meritum, si vitatur. Et ideo Christus dans legem perfectionis, quæ ad perfectum deducit, has particulas, quasi apices præceptorum apponit : et hæc est expositio Chrysostomi, et litteralis.

Hoc igitur modo,

« Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege. »

Isa. x, 23 : *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet, quia consummatio abbreviata inundabit justitiam.* Isa. lv, 11 : *Verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.*

« Donec omnia fiant. »

Ecce generalitas impletionis. Aut enim omnia impleri necesse est : aut non valet ad salutem, quod aliqua implentur, licet valeat ad minorem pœnam. Jacob. ii, 10 : *Quicumque offendat in uno, factus est omnium reus.*

« Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. »

Hic simul ostenditur qualiter, et in quibus, et quo merito solvuntur et implentur, quæ dixit.

Et tangit duo : solventes, et implentes.

De solventibus dicit duo : solutionem in opere, et propagationem solutionis in alterum per doctrinam.

De solutione dicit :

« Qui ergo solverit. »

Tria tangit : solutionem, et quid solvitur, et in quo solvitur, seu quo demerito.

De solutione dicit :

« Qui ergo solverit. »

Secundum superius dicta solvere est vinculum legis non attendere, et se a vinculo legis enodare, et sic omittere, vel transgredi. Contra quod dicitur, Eccli. vi, 30 : *Erunt tibi compedes ejus*, scilicet legis vel sapientiæ, *in protectionem fortitudinis et bases virtutis*.

« Unum. »

Ecce quid solvitur, mandatum « unum » scilicet, ex cujus solutione labefactatur tota virtus gratiæ: quia, II ad Corinth. vi, 15, dicitur quod non est *conventio Christi ad Belial* : et ideo non potest homo esse justus in uno, et in alio injustus ¹: quia filii Job convivantur, et vocantur simul sorores, eo quod dona et virtutes simul volunt, ut sibi omnes adsint, vel omnes desint.

« De mandatis istis minimis. »

Ecce in quo solvitur, quia in uno minimo de mandatis : quæ sunt minima quidem in genere illius actus super quem cadit præceptum, et minima in reatu solvantis : sed maxima in perfectione, et merito observantium, sicut dictum est, Eccli. xix, 1 : *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Apocal. iii, 8 : *Modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum*. Modica dicitur virtus, non quantitate, sed quia est circa modica servanda. Luc. xvi, 10 : *Qui in*

modico iniquus est, et in majori iniquus est.

« Et docuerit sic homines. »

Videtur notare tres ordines solventium : solventem scilicet non docentem, cujus peccatum est occultum : et solventem et docentem exemplo, vel verbo, cujus peccatum est manifestum : et docentem, et non solventem, qui ea quæ non intelligit, depravat, hæresim docendo alium. Et primum quidem tetigit in præcedentibus : duos autem simul tangit hic, quando dicit : « *Et docuerit sic homines*, » exemplo pravo, vel vitiosa doctrina, qui malum quod est in se, derivat in alium.

Contra quod dicitur, Ezechiel. xliv, 6 : *Sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israel*. I Reg. ii, 17 : *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines a sacrificio Domini*.

« Minimus vocabitur in regno cælorum. »

Ecce quo demerito solvitur. Et est locutio duplex ex hoc : quod hoc quod dico : « *In regno cælorum*, » potest determinare hoc quod dico : « *Minimus*, » vel hoc quod dico : « *Vocabitur*. »

Et si primo modo accipitur, tunc intelligitur de his qui solvunt minimas particulas præceptorum, et non docent nisi per exemplum. Illi quia peccant ex infirmitate, vel negligentia circa minima præceptorum, venialiter peccant, et ædificant ligna, fœnum, stipulam : et secundum justitiam regni cælorum et leges et mandata sunt minimi in regno : tamen sunt manentes, et merito fundamenti salvandi per ignem, sicut dicitur, I ad Corinth. iii, 12 et seq. ².

¹ Cf. Matth. vi, 24.

² I ad Corinth. iii, 12 et seq.: *Si quis superædificat super fundamentum hoc, scilicet super Christum Jesum, aurum, argentum, lapides pretiosos,*

ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit : dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit quod

Si autem secundo modo fiat determinatio, tunc peccantes in minimis, non particulis, sed ipsis substantiis mandatorum, ab his qui per justitiam sunt et per meritum, in regno cœlorum vocantur *minimi*: quia non connumerantur his qui sunt in regno nisi numero, et non merito. Tunc enim maximi sunt, qui sunt in regno, observatione consiliorum et præceptorum, et supererogationum: majores, qui observatione præceptorum et consiliorum: magni, qui observatione præceptorum: et minimi, qui non nisi fide informi connumerantur.

Vel dicatur, quod minimi, secundum Glossam sunt nulli, quia omnes magni sunt qui sunt in regno. Abdiæ, §. 2: *Ecce parvulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es valde*, secundum primam expositionem, quæ est in Chrysostomi concordantia. I ad Corinth. xiii, 11: *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus cogitabam ut parvulus*, etc. Ad Hebr. v, 13: *Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ: parvulus enim est.*

« Qui autem fecerit et docuerit. »

Ecce iterum tres simul innuit ordines hominum: facientes scilicet, et docentes: et facientes, et non docentes verbo, sed exemplo: et docentes, et non facientes.

Sed isti non sunt magni, quia os suum eos esse pravos comprobat. Luc. xix, 22: *De ore tuo te judico, serve nequam*. Præmittit autem facere, et subinfert docere: quia in omnibus moralibus non venit ad doctrinam nisi per opus. Act. i, 1: *Cœpit Jesus facere, et docere*. Luc. xxiv, 19: *Fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo*.

superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

« Hic magnus vocabitur in regno cœlorum. »

Quia, sicut diximus supra, facere minima magnæ est virtutis. Job, i, 3: *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*. I Machab. ii, 64, cum feceritis quæ vobis præcepta sunt in lege a Domino Deo vestro, in ipsa gloriosi eritis ¹.

« Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. »

Hic in isto tertio paragrafo, in comparatione ad non implentes minima, ostendit legem esse implendam: tangit autem tria.

Primo enim dicit confirmationem, cum dicit:

« Dico autem vobis. »

Quasi dicat: Ego veritas, dico vobis, qui non mentiri possum. Numer. xxxiii, 19: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur*.

« Nisi abundaverit justitia vestra, etc. »

Ecce secundum, in quo fit comparatio ad eos qui minima legis solverunt, et non nisi magna impleverunt, putantes quod lex cohiberet manum, non animum. Erat autem justitia Phariseorum in observando magna, et non parva, et in apparentia hominum, et in observatione traditionum plus quam mandatorum Dei, et in intentione terrenorum. Et hæc omnia manifeste accipiuntur, Matth. xxiii, 2 et seq., ubi loquitur de

¹ I Machab. ii, 64: *Viriliter agite in lege, quia in ipsa gloriosi eritis.*

Pharisæis. Justitia autem Scribarum erat in magna prophetia legis, et parum in opere. Luc. xi, 52: *Væ vobis, legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis.* In multis tamen conveniebant cum Pharisæis: sed amborum erat intentio minima negligere, et magna facere secundum doctrinam Scribarum, quæ fuit, quod lex animum non cohiberet, sed manum: et *justitia* Apostolorum et christianorum plus abundat quam Scribarum et Pharisæorum.

« Non intrabitis in regnum cœlorum. »

Et attende, quod aliud est esse in regno cœlorum, et aliud intrare, vel non intrare in regnum cœlorum, secundum Chrysostomum: quia esse, vel non esse in regno, est secundum meritum, vel demeritum stans quietum: intrare autem est continuis profectibus proficisci. Et ideo intrat qui per minimorum observantiam continue proficiscitur ad profectum, Matth. xxv, 21: *Intra in gaudium domini tui.* Jerem. li, 50: *Venite, nolite stare: recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.* Hi ergo, qui legem factorum tantum implent, non intrant, sed stant in cohibitione manus, et non proficiscuntur ad superationem passionum cordis, sicut faciunt qui minima observant. Et hoc est, quod dicere intendit.

❶ « Audistis quia dictum antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. »

Hic secundum doctrinam præcedentem incipit implere legem.

Et dividitur in duas partes secundum ea, quæ sunt in lege. Quædam sunt in lege sicut materia legis, et quædam sicut forma. Et de impletione formæ legis,

tangit in secunda parte, ibi, x. 43: « *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, etc.* »

Adhuc autem, præcedens pars dividitur in duas partes secundum duo quæ ut operanda in lege præcipiuntur: quæ sunt moralia et judicialia: ceremonialia enim significandi habent usum, et sacramentalia. Promissa autem in Christo sunt exhibita, et non proposita ad operandum, sicut patet ex præmissis. Primo ergo agit de impletione moralium: et secundo, de impletione judicialium, ibi, x. 38: « *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, etc.* »

Prior autem harum partium, in qua agit de impletione moralium dividitur secundum id quod est in operibus, et secundum id quod est in verbis de mandatis moralibus. In prima enim agit de impletione eorum quæ sunt in opere: et in secunda, de impletione eorum quæ sunt in verbis, ibi, x. 33: *Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis.* »

Sed tunc incidit quæstio, cum quædam moralium etiam sint in concupiscentia, sicut duo ultima, quæ enumerantur, Exod. xx, 17: « *Non concupisces, etc.,* » quare non agit de illis?

Et dicendum ad hoc, quod illa in nova lege adjunguntur quasi impletiones ad ea quæ sunt in factis: et sunt apices adjuncti secundum supra dicta.

Et si quæretur, quare hoc etiam non factum est in lege veteri? Dicendum, quod hoc factum est propter carnalem intellectum illorum antiquorum, inter quos licet quidam fuerint spirituales, tamen communitas, cui lex dabatur, carnalis fuit: et non putabant concupiscentiam esse prohibitam, nisi lex diceret: *Non concupisces.* Ad Roman. vii, 7: *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces:* et cum toto hoc putabant non esse prohibitam concupiscentiam, nisi eam quæ manifestatur in signis exterioribus. Et ideo etiam in impletione legis Christus removet et

signum exterius, et interius passionem.

Prior autem partium inductarum dividitur in duas: in quarum prima implet prohibitionem, quæ est contra nocumentum proximi in substantia individui. In secunda implet prohibitionem, quæ est contra nocumentum proximi in adiutorio sibi adjuncto ad salutem speciei, ibi, *ÿ. 27*: « *Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis.* »

Incidit autem quæstio, cum adhuc sit una prohibitio in opere de nocumento proximi in bonis fortunæ, quæ data sunt naturæ ad sustentationem, quare de illa nullam facit mentionem?

Et dicendum, quod non oportuit, quia ordinata dilectione proximi, quæ pertinet ad formam præceptorum, sufficienter ordinata est prohibitio illa. Non autem sic est de ira: quia etiam posito ordine dilectionis, remanet ira nobis connaturalis, aliquando rationabilis: et ideo illam oportuit specialiter ordinari. Posito autem ordine charitatis, sublatus est omnino appetitus damni proximi: et ideo non oportuit de ipso specialem fieri ordinationem. Vel, dicatur melius, quod damnum dupliciter infertur proximo: aut enim infertur ei ex concupiscentia rerum quas habet, aut ex malevolentia. Si ex cupiditate rerum, tunc ordinatur in ordine mandati de dilectione proximi: si autem ex malevolentia, tunc ordinatur, quando ordinatur ira quæ circumstat nocumentum personæ proximi. Quod autem ordinatur concupiscentia venereorum, ideo est, quia delectatio illa contemporanea est vitæ et maximæ adhærentiæ, et trahit ad eam non tantum corruptio naturæ, sed etiam infectio objecti, quod profunde inficit: et ideo speciali indiget ordinatione.

Sed tunc objicitur, quare non loquitur de impletionem primi mandati de secunda tabula, quod est: *Honora parentes*?

Et dicendum, quod ad hoc inclinatur natura, et naturæ ordinem perficit gratia: et ideo cum natura adsit et charitas hoc

ordinet, non oportuit de hoc fieri ordinem specialem.

Si autem quæritur, quare non facit mentionem de primo et de tertio mandato primæ tabulæ? Dicendum, quod illa mandata sunt in Deum, quoad veritatem, primum, et quoad bonitatem, tertium: quorum modus semper fuit sine modo in omni lege. Credidit semper fides in Deum propter se, et super omnia: et quies cordis et sabbatum semper fuit in Deo propter se et super omnia: et ideo non habent hujusmodi gradus minimorum (alias, minorum) et maximorum sicut alia. Ista enim sunt prima et maxima mandata, sicut diximus in antehabitis: et ideo tali non indigent impletionem. Medium autem cum illo simul ordinatur, quod est: *Non falsum testimonium dices*: quia conjuncta sunt in materia, sicut in sequentibus patebit. Ordo autem istarum impletionum est secundum ordinem præceptorum, sive prohibitionum, quæ ordinantur secundum quod sunt remotivæ majorum nocumentorum.

Dicit igitur:

« *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides.* »

Istud autem mandatum cum sua impletionem dividitur in duas partes: in quarum prima, dicit id quod implendum et ordinandum est: et in secunda, ponit impletionem ordinem, ibi, *ÿ. 22*: « *Ego autem dico vobis, etc.* »

Circa primum dicit tria: quorum primum est, quibus datum est: secundum, prohibitio facta: tertium, pœna transgredientium.

De primo dicit:

« *Audistis quia dictum est antiquis.* »

Duo tangit: auditum legis, et quibus est data.

Attende, quod auditus est triplex: rei ipsius, et Dei, et referentis. Rei auditus

est, quia ipsa res per sui naturam aliquid loquitur, sicut faciunt ipsa moralia, quæ ipsa sua natura omnes homines alloquantur: sicut omnis homo ex ipsa natura audit non esse occidendum, non esse mœchandum, non esse furandum, et hujusmodi. Et hoc significatum est, Exodi, xx, 18, ubi dicitur, quod *cunctus populus videbat voces*, quando Dominus dedit decalogum: quod non dicitur, quando dedit alia præcepta judicialia et ceremonialia, quia illa non ita ex ipsis rebus loquuntur ad rationem: Deus autem auditur in his. Exod. xx, 22: *De cælo locutus sum vobis*. Psal. XLIX, 1: *Deus deorum Dominus locutus est*. Referentes etiam patres locuti sunt filiis. Psal. LXXVII, 5 et 6: *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis: ut cognoscat generatio altera*.

« Audistis quia dictum est antiquis. »

Hoc est, antiquo et carnali populo. Novum enim est, quod quantum ad suum principium est propinquum: et antiquum est, quod longitudine dissimilitudinis potius quam temporis a suo principio est remotum. Populus ergo carnalis damnatus sub peccato antiquus est, qui non sustinebat aliud audire: quia ceciderat a similitudine sui principii, in quo fuit creatus ad imaginem et similitudinem Dei. Baruch, III, 11 et 12: *Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum. Dereliquisti fontem sapientiæ*. Ad Hebr. VIII, 3: *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est*.

« Non occides. »

Hoc est igitur quod dictum est antiquo populo, qui non recipit prohibitiones, nisi eorum quæ per se horret natura: quia lex de se et in sacramentis, implendi non conferebat gratiam gratum fa-

cientem: et ideo si aliquid ultra naturam prohibitum fuisset, gratiam implendi non habuissent antiqui ex sacramentis legis. Propter quod dicitur, ad Hebr. IX, 1: *Habuit quidem et prius justificationes culturæ, et sanctum sæculare*, hoc est, ut dicit Glossa, justificationes carnales pro modo culturæ carnalis. Et hoc est secundum quod dicit.

Et habet duo in se: prohibitionem, et comminationem.

Et prohibitio quidem est, quæ dicta est, Exodi, xx, 13.

Comminatio autem est, quam infert:

« Qui autem occiderit, reus erit iudicio. »

Hoc est, ut iudicio legis puniatur, postquam inventum est. Exod. XXI, 23: *Si mors fuerit subsecuta, reddet animam pro anima*. Matth. XXVI, 52: *Qui acceperint gladium gladio peribunt*. Sic igitur non prohibebatur nisi horrendum per se flagitium homicidii.

« Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. »

Impletio incipit hic.

Et dicit duo: auditum impletionis, et ipsam impletionem.

Circa auditum dicit duo: dicentem, et audientem.

Dicentem tangit, cum dicit:

« Ego autem, »

Qui novi testamenti sum mediator, ad Hebr. IX, 15: *Ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori testamento, reprobationem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis*.

« Ego, »

Inquam, per quem gratia et veritas facta est ¹.

« Dico vobis, »

Novatis auditoribus, qui ad propinquitatem reducti estis principii. Ad Ephes. II, 13 : *Qui aliquando eratis longe, facti estis prope*. Unde, supra, III, 2 : *Appropinquavit enim regnum cœlorum*.

« Quia omnis qui irascitur. »

Hic incipit impletio.

Attende igitur, quia omnis legislator intendit eum, cui dat legem, producere ad legislatoris intentionem. Est autem intentio legislatoris duplex in communitate : una est beatitudo pacis in statu reipublicæ : altera est pax exterior ad minus, ut non turbetur qui studet laudabilibus studiis. Primam intentionem non consequitur, nisi faciat eos quibus legem dat, interioris lege informatos : ut ipsi sibi sint lex ², etiamsi nemo poneret legem, sicut et ipse legislator lex est viva, sive animata. Aliam autem intentionem consequitur per pœnas, ut per cruces, taliones : quia illi, qui non sunt informati justitia legis, turbarent pietatem et justitiam colentes, nisi essent cruces, et taliones, et alia genera tormentorum. Sic igitur implens legem secundum intentionem legislatoris primam, *superjustus* vocatur ab Aristotele ³, qui græce dicitur ἐπιεχθς. Et hoc modo noster legifer implet legem, quando nos informat secundum formam legislatoris : ut simus nos ipsi nobis lex, tendendo ad honestum legis per conscientie informationem. Ad Roman. II, 14 et 15 : *Ipsi sibi sunt lex,*

qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Jerem. XXXI, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam* ⁴.

Et hoc quidem facit in ira hic specialiter : unde ad hæc tria exiguntur : et secundum hoc in tria dividitur pars ista. Primum quidem est eductio a nobis dispositionis contrariæ, quæ non permittit nos lege informari de non nocendo proximo : et hoc facit in prima parte. Secundum autem est, cum proximo ex animo facta reconciliatio : et hoc facit, ibi, ꝯ. 23 : « *Si ergo offers*. » Tertium autem est informatio amicitie ad omnimodum consensum : et hunc docet, ibi, ꝯ. 25 : « *Esto consentiens adversario*. » Quo facto, ipsa conscientia in modum naturæ tendit ad non nocendum proximo ex virtute amicitie.

Circa primum igitur, primo inducit hoc, quod facit ad iræ exclusionem : quia ira est passio et commotio animi, per quam procuratur nocendum proximi : et circa hoc dicit tria in gradibus iræ, et tria in gradibus pœnæ. Si enim ira sit in corde tantum, commotio animi ad nocendum meretur iudicium : si autem, cum hoc procedat exterius ad indignationis et nocimenti signum, sit sine convicio et nocimento, meretur concilium : si autem procedat extra ad convicium cum præcedente commotione animi, et cum indignationis et nocimenti signo, tunc meretur gehennam.

Per iudicium autem et concilium et gehennam, gradus notantur pœnarum : quia in *judicio* discussio fit an pœna vel absolute dignus sit : et cum pœna quæritur, ad reddendam rationem sistitur. II ad Corinth. V, 10 : *Omnes manifestari nos oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis,*

¹ Cf. Joan. I, 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*.

² Ad Roman. II, 14 : *Legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, etc.*

³ ARISTOTELES, Lib. V Ethicorum.

⁴ Ad Hebr. X, 16 : *Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus : dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas*.

prout gessit. « Consilium » autem, sive *concilium* secundum aliam litteram, est quando jam constat de pœna merita et deliberatur ex consilio qua et quanta pœna feriat : et hoc fit, quando convictus de peccato pœnam exspectat. Sed *gehenna* est acerba et inflicta a iudice pœna, quando jam de crimine mortali convictus est.

Primo igitur, duo simul tangens, dicit :

« Omnis qui irascitur, etc. »

Et tangit tria : passionem iræ, et causam, et pœnam.

Passionem iræ tangit, cum dicit :

« Omnis qui irascitur. »

Est autem duplex ira : *propassio*, et *passio* : et similiter est in aliis generibus passionum. *Propassio* dicitur quasi *prot-passio* : primus instinctus passionis, qui est subitus animi motus deliberationem et molitionem præveniens nocumenti : et hic est primus motus, qui etiam in sanctis surgit : sed non punitur aliqua pœna, quia minima est differentia venialis peccati, sicut supra diximus, ubi locuti sumus de primis motibus. Ira autem *passio* est de tertia specie qualitatis, quæ est *passio* et *passibilis* qualitas, secundum quam quales dicimur, et informamur, et mutamur : et hic est non subitus, sed deliberatus animi motus ad nocendum cum molitione et consensu nocumenti, sicut dicit Glossa super hæc verba Jacobi, 1, 20 : *Ira viri, justitiam Dei non operatur.* Proverb. xv, 18 : *Vir iracundus provocat rixas.* Proverb. xxvi, 21 : *Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitatur rixas.*

« Fratri suo. »

Ecce secundum, in quo tangit causam rixæ, quæ vocatur *ira* per vitium. Est

enim ira per zelum, et est ira per vitium. *Ira per zelum* est conturbatio et commotio animi contra vitium quod videt in persona impedire justitiam Dei. Et hæc ira est mater disciplinæ. Numer. xxv, 11 : *Phinees, filius Eleazari, filii Aaron sacerdotis, avertit iram meam a filiis Israel : quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse deleterem filios Israel in zelo meo.* I Machab. 11, 24 : *Vidit Mathathias, et doluit, et contremuerunt renes ejus : et accensus est furor ejus secundum iudicium legis, et insiliens trucidavit eum super aram.* Psal. lxxviii, 10 : *Zelus domus tuæ comedit me.* Ira autem per vitium commotio est animi, quia quis molitur nocumentum fratri non propter vitium quod est in eo. Et ideo talis irascitur naturæ, non vitio. Frater autem hic dicitur omnis conjunctus religione et conformitate naturæ : et religione conjunctus dicitur actu, vel potentia : quia licet non sit actu Christianus, tamen potest fieri per gratiam, quam forte sibi dabit Dominus. Malach. 11, 10 : *Numquid non pater unus omnium nostrum ? numquid non Deus unus creavit nos ? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum ?* Sic igitur qui nullam causam iræ habet, irascitur fratri. Et ideo Chrysostomus, in omnibus istis sermonibus dicit esse supplendum : *sine causa*, ut dicatur, qui irascitur fratri suo sine causa : et qui dixerit, *Raca sine causa* : et qui dixerit, *Fatue sine causa* : si enim hæc cum causa dixerit, non peccat, sed corrigit. Et si sine causa fecerit, tunc vere fratri, et non peccato, irascitur, vel indignatur.

Sed videtur hoc inconveniens, quia irasci vitio est Prælati : hic autem loquitur Dominus generaliter de omnibus.

Et ad hoc dicendum, quod est correctio charitatis, quæ *fraterna* dicitur : et hæc est omnium ad omnes : et hæc indignatur vitio. Et est correctio ex auctoritate, quæ citat, et convenit, et cogit per censuram Ecclesiasticam : et hæc etiam commove-

tur per iram, per zelum. Et hæc etiam si modum excessisse se sentit (ut dicit Augustinus in *Regula*) non tamen ab eo exigitur, ut a sibi subditis veniam petat : ne dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed in correctione fraterna, si corrigens modum excesserit, veniam petere debet, ut sibi dimittat, cui se fecisse sentit injuriam. Et in illa ira per zelum, non fit correctio, sive admonitio, nisi præsumatur probabiliter correctio. Si autem hoc non præsumitur, tunc admonendo non nisi conturbationem faceret : et tunc quiescit, et mala gemendo tolerat, quæ corrigere non valet : et hæc est sententia Bedæ et Hieronymi.

« Reus erit iudicio. »

Hoc est, discussione iudicii, in qua de errato tenetur reddere rationem. Et hoc non mirum : quia dictum est, quod hæc ira licet sit in corde, tamen est deliberata commotio animi cum consensu in nocumentum fratris, si potest : et si non adsit facultas, tamen completa non deest voluntas. Et cum dicitur, *nocumentum proximi*, intelligitur grave corporis, vel rerum, vel honorum dispendium : quia parvum nocumentum esse non reputatur. Mich. vi, 1 : *Surge, contende iudicio adversum montes*. Jacob, ii, 13 : *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam*.

« Qui autem dixerit fratri suo : Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit : Fatue, reus erit gehennæ ignis. »

Ecce secundum, in quo duo facit : tangit gradum iræ, et gradum pænæ.

Gradum autem iræ tangit dupliciter : ex parte irati, et ex parte causæ ejus, cui irascitur.

Ex parte irati dicit :

« Qui dixerit. »

Ex commotione animi.

« Raca. »

Augustinus dicit, quod « Raca verbum hebræum est, interjectio indignantis, et nullius rei significativum « nisi indignationis. » Et tunc est iste gradus iræ, quando aliquis commotionem animi deliberatam cum molimine nocumenti profert in sonum confusum nihil impii (alias, improprii) inferentem fratri, sed tantum indignationem suam ostendentem, sicut fit, quando clamore confuso proferimus animi motionem : et hæc est indignatio canis latrantis, qui latrando non facit nisi suam iram ostendere. Raca autem secundum alios dicitur verbum hebræum, quod interpretatur *κενός*, hoc est, vacuus, quod est excerebratus ¹, quod est verbum magnæ contumeliæ dicere fratri, qui Spiritu sancto est plenus. Sed tamen non sonat aliquod crimen in fratrem commissum : et ideo est signum indignationis cum contumelia sine criminis impositione. Job, xviii, 4 : *Qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid, etc. ?* Proverb. xviii, 14 : *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere ?*

« Reus erit concilio. »

Et (alias, vel) *consilio*. Ecce pœna gravior quam præcedens. Concilium est conventio consiliariorum. Consilium autem est diffinitio, qua et quanta pœna dignus sit, quem constat peccasse, et est sensus : Ita reus erit, et (alias, quod) cum tremore sustinebit pœnam a senatu cœli diffinitam. Isa. iii, 14 : *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui*. Matth. xix, 28 : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes, etc.* Hæc autem duo prædicta dicit Chrysostomus,

¹ *Raca* non differt a verbo Chaldaico ריקא,

vacuus, id est, caput vacuum, homo minimi.

exposita in *Synodo Apostolorum*, ut cum dicitur, « *reus erit iudicio,* » hoc est, ita reus erit, sicut illi qui adstiterunt iudicio, quando quærebatur causa contra Dominum : quia irascens sine causa fratri, quærit falsam causam contra membrum Christi, sicut illi quæsierunt causam contra Christum. Et, « *reus erit consilio,* » hoc est, ita reus erit, sicut illi qui dederunt consilium contra Christum : quia et indignationem proferens contra fratrem sine causa, quærit jam consilium apud se, qualiter in membrum Christi proferat nocumenta. Et hoc invenitur in antiquis libris quorundam cœnobiorum, in quibus consilium scribitur Apostolorum : in quibus etiam plura dicta Apostolorum inveniuntur, sicut quod Thomas dixerit paradisum ad lunarem globum attingere : et quod Bartholomæus dixit Evangelium esse longum et breve. Et hæc ego jam legi, sed non sunt authentica.

« Qui autem dixerit. »

Ecce tertium : et dividitur ad modum promissorum in culpam et pœnam. Culpam autem tangitur, cum dicit :

« Qui dixerit : Fatue. »

Supple, fratri irascendo sine causa, non vitio. Et hoc est, qui et animo (alias, omnino) commotus est cum deliberatione et molimine nocumenti, et indignationem extra cum contumelia ostendit et crimen fratri imponit : non enim modicus furor est, quem Deus sale sapientiæ condivit infatuatum dicere, et salienti Deo derogare, ut dicit Glossa. Fatuus enim dicitur, qui ex destituto regimine rationis, sapore caret bonorum morum. Et hoc est impositio magni criminis, cum completa voluntate nocendi. Job, v, 2 : *Vere stultum interficit iracundia.* Job, xxxvi, 18 : *Non te superet iracundia tua, ut aliquem opprimas.* Proverb. xxvii, 4 : *Ira non habet misericor-*

diam, nec erumpens furor : et impetum concitati spiritus ferre quis poterit ?

« Reus erit gehennæ ignis. »

Ecce pœna. Et duo tangit : locum, et genus tormenti. Locum, cum dicit :

« Gehennæ. »

Genus tormenti, cum dicit :

« Ignis. »

Isa. l, 11 : *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis.* Hoc dicitur his qui succensi sunt flammis iræ. Deuter. xxxii, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.*

Sic ergo quatuor sunt in ira : unum dictum antiquis, quod est illatio nocumenti per opus : et tria addita novo populo, quorum majus est, in voce improprium dicente : medium, in signo indignationis sine convicio : tertium, deliberata cum voluntate nocendi commotio animi interior. Ex quibus quatuor componitur perfectum iræ peccatum.

« Si ergo offers munus tuum ad altare. »

Ecce secunda pars illius impletionis, in qua post exclusam iram, quæ non permittebat agere bonum proximi, suadet reconciliari. Est autem reconciliatio iterata conciliatio eorum qui ex ira divisi fuerunt.

Dicit autem hic quatuor : in quorum primo, tangit Deo dignum cultum in oblatione muneris. Secundo, hunc tam dignum cultum odio fratris dicit inacceptabilem fieri. Tertio, docet reconciliari, ex quo odium tantum apud Deum habet nocumentum. Quarto et ultimo, probat amicitiam Deo gratam ex hoc, quod tunc probat acceptando munus oblatum :

Et hæc patent per ordinem in litera.

De primo autem dicit :

« Si ergo. »

Et tangit circa hoc sex.

Per conjunctionem enim rationalem ergo, vel illativam, quam ponit, notat illationem hujus ex præmissis, quasi dicat : Ergo si vis scire quantum nocuum est ira fratris apud Deum habeat, considera in oblatione munerum : quia, Eccli. xxxiv, 23 : *Dona iniquorum non probat Altissimus*. Considera hoc in eo qui iram fratris moliebatur in corde, Cain dico, ad cujus munera Deus non respexit¹. Et hoc est, quod dicit : « Ergo, » rationabiliter ex præmissis inferendo.

Per hoc autem quod conditionalem conjunctionem si ponit, notat quod oblatio debet esse voluntaria. Vovere enim est voluntatis, et reddere necessitatis II ad Corinth. ix, 7 : *Non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus*. Exod. xxxv, 5 : *Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius et prono animo offerat eas Domino*. I Paralip. xxix, 17 et 18 : *Populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum*. Hoc est ergo, quod dicit :

« Si offers. »

Ecce dicatio muneris Deo : oblatio enim Deo vovetur, et dicatur. I Paralip. xxix, 17 : *Lætus obtuli universa*. Isa. lx, 7 : *Offerentur super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo*. Et hoc ergo est tertium.

¹ Cf. Genes iv, 5.

« Munus. »

Ecce quartum, valor. Magno enim Regi non offertur munus, nisi nobile sit, et valeat. Malach. 1, 14 : *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino*. Genes. xliii, 11 : *Sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, et deferte viro munera*.

« Tuum. »

Ecce quintum, ex quo debet fieri oblatio et eleemosyna, quia de tuo. Proverb. iii, 9 : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei*. « De tua » dicit, non de aliena : quia, Eccli. xxxiv, 21 : *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata*.

« Ad altare. »

Hic sexto tangit locum. Est autem altare hic intelligendum non solum materiale, sed etiam spirituale : quia allegorice est fides Ecclesiæ : moraliter autem cor devotum et fidele non in conventiculis et errore hæreticorum offerendum est, nec in fastu et perversitate cordis. Exod. xx, 24 : *Altare de terra* (hoc est, de stabili et humili corde, et fœcundo) *facietis mihi, et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, oves vestras et boves, in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei*. Deuter. xii, 13 et 14 : *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris : sed in eo, quem elegerit Dominus*. Psal. xxvi, 6 : *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus*. Psal. lxxxiii, 4 : *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos*. *Altaria tua, Domine virtutum*. Passer fuit sacrificium leprosi, et turtur significat innocentiam : et significat oblata pro peccatis, et oblata pro devotione laudis divinæ.

« Et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te. »

Hic secundo tangit recordationem odii fraterni impediens acceptabilitatem voti oblatis.

Et tangit circa hoc : duo recordationem odii, et relictionem muneris.

Circa primum notantur tria : discussio videlicet conscientiæ, ut sit pura quæ offert : secundo, inventum in discussione odium, cui dedisti causam : et tertio, quia non de hoc satisfacisti.

De primo dicit :

« Recordatus fueris. »

« Recordatio non est actus memoriæ, « sed reminiscentiæ, » ut dicit Philosophus. Reminiscentia autem est cum ratione, et est discussio conscientiæ secundum vitam præteritam. I ad Corinth. XI, 31 : *Si nosmetipsos dijudicavimus, non utique judicavimus.* Isa. xxxviii, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

« Quia frater tuus. »

In quo non est causa odii, nisi quia frater est, et ideo tu es in culpa. Cantic. I, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Psal. lrv, 13 : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc.* Et sequitur, 14 : *Tu vero homo unanimes, dux meus, et notus meus, etc.*

« Habet aliquid adversum te. »

Et tria dicit : quod, « *habet* : » et in hoc notatur, quod adhuc mansit implacatus a te. Et quod hoc est, « *aliquid* : » notabilis scilicet quantitatis in nocumento, et de quo merito debeas eum placare iudicio sapientis. Et quod hoc habet, « *adversum te* : » non tu adversus illum : et sic tu fuisti causa. Si enim tu adversus illum haberes, non tu eum, sed ipse te placare deberet. Chrysostomus tamen legit hoc

indifferentem et inconsideranter quis causam odii, vel divisionis dederit. Sed primum magis est secundum litteram, et secundum rationem : et est Augustini. Ad Roman. xii, 18 : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Psal. cxix, 7 : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* I ad Corinth. vii, 15 : *In pace vocavit nos Deus.* Et, I ad Corinth. xiv, 33 : *Non est dissensionis Deus, sed pacis.*

Et ideo sequitur secundum hujus particulæ :

« Relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo. »

24

Et notat tria : relinquendum scilicet munus, et ipsum munus, et justitiam oblationis.

De primo dicit :

« Relinque ibi. »

Hoc est, ubi primum obstulisti, hoc est, in potestate Dei et ministri Ecclesiæ, in quos dominium transtulisti per oblationem : quia non licet tibi retrahere quod obtulisti. Sicut enim vovere est voluntatis, ita reddere est necessitatis. Proverb. xx, 25 : *Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare.* Eccli. v, 3 : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.*

« Munus. »

Isa. xix, 21 : *Colent Deum in hostiis et in muneribus.*

Tertio, dicit justitiam muneris, cum dicit :

« Tuum. »

Quia non de alieno, sed de tuo. Eccli. xxxiv, 24 : *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat*

filium in conspectu patris sui. Isa. III, 14 : Rapina pauperum in domo vestra.

« Ante altare. »

Non referas domum. Unde, Daniel, v, 1 et seq., damnatur Balthassar a regno simul, et vita depositus, eo quod vasa Deo oblata in usus suos deputavit.

« Et vade. »

Hic tangit reconciliationem, quæ facit oblationem placabilem. Quamdiu enim adversarium tuum juste audit lamentantem, non recipit munus tuum : quia aliter assisteret duobus adversariis, et esset divisus in seipso, quod fieri non potest. Imo dicet tibi illud Malach. I, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra.* Et illud, ibidem, II, 13 : *Operiebatis lacrymis altare Domini, quando adversarius lamentatur ante me.*

« Vade prius. »

Hic tangit duo : quæstionem adversarii, et reconciliationem.

Quæstionem dicit :

« Vade prius. »

Hoc est, vade prior ad eum : prius passibus pedis, si presens, vel vicinus est. Passibus autem devotionis et firmi propositi placationis, si est absens, et longe est : quia ridiculum esset tamdiu dimittere oblationem, donec redires a longe agente fratre adversario. Vade ergo, ut dictum est, prior ad eum. Genes. I, 17 : *Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te.* Augustinus in *Regula* : « Melior est, qui quamvis ira sæpe tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi « dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam,

« quam qui tardius irascitur, et ad veniam petendam difficilius inclinatur. »

« Reconciliari fratri tuo. »

Satisfaciendo, si potes : vel saltem petendo veniam, si aliter satisfacere non vales. Nam cum possis satisfacere, ridiculum est per solam veniam peccatum putare abolere. Si enim tunc reconciliari nollet offensus frater, non ipse ex tunc adversus te, sed tu inciperes habere aliquid adversus eum. Matth. XVII, 22 : *Non dico tibi, Petre, usque septies, sed usque septuagies septies.* Luc. XI, 4 : *Siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis*¹. Luc. VII, 42 : *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque.*

« Et tunc veniens offeres munus tuum. »

Ecce depositio odii fraterni facit oblationem placabilem.

Et hoc est :

« Et tunc veniens. »

Et notantur duo : appropinquatio Dei per amorem fraternum, et acceptabilitas muneris.

De primo dicit :

« Et tunc veniens, »

Accedendo ad Deum, qui prius per odium fraternum recessisti. I Joan. II, 11 : *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat : quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Et de hoc dicit in ista eadem epistola, III, 15, quod *homicida est*, ad minus voluntate : quia vel quærit suscipere vitam, aut id quod sustentat vitam, bona fortunæ, aut id sine quo non valet vita, quod est honor, vel fama.

Tunc ergo deposito odio,

¹ Matth. VI, 12 : *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

« Offeres munus tuum, »

« Cito. »

Et acceptabile erit : quia tunc est sacrificium justitiæ, quando fueris justificatus. Psal. L, 21 : *Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta.* Isa. LVI, 7 : *Holocausta eorum, et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo.*

Ut non quæras moram, et procrastines consensum. Eccli. v, 8 et 9 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* Sophon. II, 14 : *Vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo roborem ejus.* Corvus cantat *cras cras* in superliminari ostii sensuum, donec robur attenuatur, ita quod converti non poterit.

95 « Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo. »

« *Esto consentiens.* » Exclusa ira, et deposito odio per reconciliationem. Ad hoc quod ex corde numquam procuretur nocumentum proximi, oportet perfectum intervenire amicitie consensum : et de hoc loquitur hic, et tangit duo : invitationem ad consensum amicitie : et quia lex cogit per pœnam, ideo in secundo inducit pœnam, si non consentiat, ibi, « *Ne forte.* »

Circa primum tangit duo : invitationem ad consensum, et quando valet consensus cum adversario.

De primo dicit :

« *Esto consentiens.* »

Et subjungit cui : quia,

« *Adversario tuo.* »

Hoc est, ei qui habuit adversum te aliquid : et est consensus iste per exhibitionem amicitie. Quia sicut dicit Tullius in libro de *Amicitia* : « Amicorum est idem « velle et idem nolle. » Ad Roman. XII, 16 : *Idipsum invicem sentientes,* etc. Ad Hebr. XIII, 1 et 2 : *Charitas fraternitatis maneat in vobis : et hospitalitatem nolite oblivisci :* talibus enim hostiis promeretur Deus. Quædam tamen Glossæ dicunt, *adversarium,* sermonem divinum, qui monet nos de charitate fraterna, cui non debemus recalcitrare, sed consentire. Act. IX, 5 : *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Sed prima expositio litteralior est, et melior.

« *Dum es in via cum eo.* »

In via esse est in hac luce adhuc cum eo vivere : quia in nocte mortis itur ad domum æternitatis. Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Joan. IX, 4 : *Venit nox, quando nemo potest operari.* Luce ergo hujus mundi adhuc lucente reconciliare ei. Ad Ephes. IV, 26 : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Levit. XIX, 17 : *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Genes. XLV, 24 : *Ne irascamini in via.*

« *Ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro et in carcerem mittaris.* »

Ecce tangit comminationem pœnæ.

Et tangit tria : scilicet reatum iudici tradentem, iudicem tortori committentem, et carcerem.

Reatum tangit duobus modis : innuit enim in casu possibilitatem eminere per hoc quod dicit :

« *Ne forte.* »

Si enim adversarius ante reconciliationem a via decedit per mortem, qui tamen in veritate aliquid adversum nos habuit, posset aliquis credere quod tunc neces-

sario iudici propter injuriam illatam essemus tradendi. Et ideo per adverbium eventum significans, dicit : « *Ne forte* : » quia potest contingere, si non doles (alias, deles) per pœnitentiam, quod tradet : si autem pœnitueris, non tradet, Sic enim multi Christo homini injurias inferentes pœnitentia diluerunt, sicut dixit Petrus ad Judæos, Act. III, 19 : *Pœnitementi igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Isa. LV, 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserabitur ejus : et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum* : præcipue autem quando homo deposita ira et inimicitia convertitur ad charitatem : quia, I Petr. IV, 8, dicitur, quod *charitas operit multitudinem peccatorum*. Proverb. X, 12 : *Universa delicta operit charitas*. Luc. VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit*.

« Tradat te adversarius iudici. »

Hæc traditio intelligitur per interpellationem apud iudicem de injuria illata, de qua non satisfacimus per consensum adversarii, nec per pœnitentiam, si cum adversario propter absentiam, vel mortem consentire non potuimus. Luc. XVIII, 7 et 8 : *Deus non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis ? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum*. Apocal. VI, 10 : *Usquequo, Domine, (sanctus et verus) non iudicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra ?*

« Et iudex tradat te ministro. »

Ecce secundum, ubi condemnatus a iudice traditur tortori ministro pœnarum. Est autem duplex minister secun-

dum duplicis pœnæ condemnationem : condemnatur enim ad pœnam, quæ est in separatione a Deo et consortio electorum et omnis boni : et hoc fit per ministrum bonum Angelum. Matth. XIII, 41 : *Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala*. Condemnatur etiam ad pœnam carceris et ignis inferni : et hoc per malos Angelos, ministros pœnarum, quibus traditur, cum dicitur : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus*¹.

« Et in carcerem mittaris. »

Ecce tertium, conclusio carceris.

Tangit duo : conclusionem carceris, et diuturnitatem detentionis.

Primum tangit, cum dicit :

« In carcerem mittaris. »

Hoc est, in infernum detrudaris. Isa. XXIV, 22 : *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcerem*. Matth. XXII, 13 : *Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium*, hoc est, in carcerem tenebrosam.

« Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. »

Secundum est, in quo tangit diuturnitatem detentionis.

Et dicit duo : confirmationem dicti, ut magis timeatur, cum dicit : « *Amen dico tibi*. »

Apocal. XXII, 6 : *Hæc verba fidelissima sunt, et vera*. II ad Corinth. I, 18 : *Non est in illo Est, et Non* : sed est in illo Est, hoc est, conformata veritas est in illo.

¹ Matth. XXV, 41.

« Non exies inde. »

Secundo, tangit firmitatem carceris. Unde, Isa. xxx, 33, dicitur quod Tophet, quæ est infernus, est *profunda, et dilatata*¹.

« Donec reddas. »

Si carcer est infernus purgatorii, tunc reddes luendo pœnas : si autem carcer est infernus gehennæ, tunc reddes in æternum pœnas luendo, sicut fur luendo pœnas reddit furtum, in cruce pendendo. Job, xx, 18 : *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur : juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit*. Apocal. xviii, 6 et 7 : *Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis : et duplicate duplicia secundum opera ejus : in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*.

« Novissimum quadrantem. »

Exponitur in Glossa pro eo quod novissimum est in nobis, quod est causa peccandi : et hoc est terrenitas cordis nostri. Primum enim est ignis, quo significatur charitas, qua mundamur, et non inquinamur delictis. Matth. iii, 11 : *Ipsè vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*. Secundum est aer, quo significatur Spiritus a quo est vita spiritualis : quia *Spiritus est qui vivificat*². A quo iterum non inquinamur, sed mundamur : quia *Spiritu condelectamur legi Dei secundum interiorem hominem*³. Tertium est aqua, qua abluimur. Joan. iii, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Quartum relinquitur, terra, nullius sacramenti materia, nec aliquid faciens in sacramentis : quæ sua gravitate deprimat in peccatum, secundum quod dicitur,

Genes. iii, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris* : passibus peccatorum. Psal. iv, 3 : *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium?* Job, iv, 19 : *Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tineâ*. Terrena igitur materies, quæ quarta est, in nobis causat peccata : et illa solvere per pœnas habemus in inferno, nisi dum in via sumus, charitate Dei et proximi ea operiamus.

Et licet hæc sit expositio Sanctorum, tamen litteraliter exponi potest, dicendo quod quadrans est quarta pars peccati, de quo locutus est Dominus. Et hic quadrans est commotio animi, ad signum indignationis non procedens : quem dixit esse reum iudicio. Alius autem quadrans est ira, ad signum indignationis procedens, sive indignatio (alias, commotio). Et tertius quadrans est ira, inferens extra in verbis convicium. Et quartus quadrans est ira, nocumentum inferens per opus post convicium. Sed et in omni peccato sunt isti quadrantes constituentes ipsum, quando perficitur. Primus enim est conceptio cum appetitu illiciti : secundus est suavis appetitus et delectatio in libidine illiciti : tertius est consensus : et quartus, opus, si adsit facultas : vel plena voluntas, si non sit facultas perficiendi. Et in his quadrantibus *novissimus* dicitur, qui levius est peccatum : et ille est primus, quem tamen luere oportet in pœnis.

Attende autem, quod quadrans componitur ex duobus minutis, ut dicit Glossa, quia conceptio cum appetitu illiciti habet unum minutum, conceptum qui nuntiat illicitum, et alterum minutum, appetitum qui protendit desiderium in rem illicitam.

Et hoc est, quod dicitur.

¹ Isa. xxx, 33 : *Præparata est ab heri Tophet, a rege præparata, profunda, et dilatata*.

² Joan. vi, 64.

³ Ad Roman. vii, 22.

27 « Audistis quia dictum est anti-
quis : Non mœchaberis. »

Ordinat hic, et implet secundo prohibitionem mœchiæ : et patet ordo ex superius dictis. Est autem intentio una in omnibus his verbis legislatoris, videlicet intentionem sigillare in cordibus nostris, ut tunc ex virtute informante animum tendamus contra illicitum.

Cum autem matrimonium sit conjunctio maris et fœminæ legitima, individua vitæ consuetudinem retinens : actus prohibitus (quia contra leges est matrimonii) dupliciter fuit matrimonio contrarius. Legitimæ enim conjunctioni repugnat mœchia : et individua vitæ consuetudini repugnat repudium : et ideo duo hic inducuntur, impletio scilicet prohibitionis mœchiæ, et impletio repudii, ibi, ʒ. 31 : « *Dictum est autem : Quicumque dimiserit uxorem.* »

Adhuc, prima pars dividitur in duas : in prohibitionem implendam, et in ipsam impletionem, quam tangit, ibi, ʒ. 28 : « *Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem.* »

In prima harum sunt duo paragraphi : mentio videlicet præcepti, et ipsum præceptum prohibitionis.

Mentionem autem facit dicendo :

« Audistis, etc. »

Et in hoc notantur tria : inexcusabilitas peccantium, modus et evidentia dicti, et dispositio audientium. Inexcusabilitas, quia ab antiquo dictum non poterat ignorari, et ideo nemo se per ignorantiam excusare. Joan. xv, 22 : *Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Modus autem dicendi et evidentia accipitur in hoc quod dicit :

« Dictum est. »

Ipsa rei evidentia, et clamore de cœlis facto. Et ipsa rei evidentia dicit hoc omni homini : sed quia exemplatum est ad justitiam cœli, ideo dictum est istud de cœlo, quia nullus dubitat quin contineat in se cœli justitiam quæ Deo placet. Quod non est ita evidens in aliis. Ad Roman. i, 20 et 21 : *Ita ut sint inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Et, ibidem, paulo infra, ʒ. 32 : *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.*

Justitia enim Dei in decalogo ita est evidens, quod omnis homo cognoscit eam.

« Antiquis. »

Antiqui sunt carnales, ut in præhabitis est ostensum, qui licet generatione carnali fuerint Israelitæ, tamen tota conversatione fuerunt Egyptii : et ideo talia conveniebat eis dari mandata, quæ manum cohiberent. Isa. xlviii, 4 : *Scivi quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea.*

« Non mœchaberis. »

Ecce prohibitio, quæ cadebat super actum quem per se horret natura : quia alia mandata non servassent. Et ideo, Jerem. xxxi, 32, ubi littera Hieronymi habet : *Pactum quod irritum fecerunt* : habet alia littera : « Ego neglexi eos. » Et hanc inducit Apostolus, ad Hebr. viii, 9¹. Quia pro certo neglecti sunt, non ex negligentia legislatoris, sed ex conniventia qua transivit cohibendo manum propter carnalitatem eorum.

Attende autem, quod licet horribilior actus sit sodomix, vel mollitiei, quam mœchiæ, tamen super illum non cadit

¹ Ad Hebr. viii, 9 : *Quoniam ipsi non manserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit*

Dominus.

prohibitio : quia natura etiam bestialis inclinatur ad non faciendum illum : et ideo de illo non oportet fieri mentionem, sed de inordinatione mœchiæ, ubi servatur sexus, et corrumpitur ordo legis matrimonii.

98 « Ego autem dico vobis. »

Hic incipit implere prohibitionem : et sicut in præhabitis, ita tangit hic tria, exclusionem videlicet concupiscentiæ, quæ afficit suaviter in corde : et exclusionem illius, quæ manifestatur in signo sine opere inclinante ad mœchiam : et exclusionem ejus, quæ jam operatur aliquid ad mœchandam : verbi gratia, est concupiscentia cordis, et est signum adulterii in oculis, et est aliquid operis in corporalibus contactibus amplexuum et osculorum et tactuum. De primo igitur dicit in prima parte. De secundo, ibi, *ŷ. 29* : « *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te.* » De tertia, ibi, *ŷ. 30* : « *Et si dextra manus,* etc. » Et ista sunt circa opus coitus, et cum coitu faciunt quatuor quadrantes ex quibus est peccatum, sicut habitum est in præhabitis de ira.

Circa primum dicit duo : primo enim tangit dicendorum auctoritatem, et secundo, prohibitionis ponit impletionem.

De primo :

« Ego autem dico. »

Quasi dicat : Illud dictum est, qua auctoritate? Mea : tamen non per me immediate, sed per Angelos. Sed,

« Ego dico. »

Isa. LII, 6 : *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa : quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.*

¹ Isa. xxv, 7 : *Dominus præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes popu-*

Ad Hebr. I, 2 : *Novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio.* Ad Galat. III, 19 : *Ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Ad Hebr. II, 2 et 3 : *Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem : quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?*

Sic ergo,

« Ego dico vobis, »

Novo et spirituali populo. Apocal. II, 29 et III, 22 : *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.*

« Quia omnis qui viderit mulierem. »

Hic ponit prohibitionis expletionem.

Et tangit duo : primo enim tangit concupiscentiam quam excludere intendit : secundo, excludit per exaggerationem concupiscentiam quam excludere intendit.

Circa primum tangit duo : per formam moventem, et per motum, quia est a forma.

Tangendo autem formam moventem, tangit quinque :

Primo, generalitatem eorum quæ passioni subjacent, cum dicit :

« Omnis. »

Quasi dicat : Non distinguitur aliquis, nec ex gradu honoris, nec conditione, nec sexu, nec ætate : quia omnes circumdati sunt hac infirmitate concupisibilitatis, et similes sunt in ea. Quia peccati effectus, qui est fomes, est in corpore sicut languor naturæ : hæc enim est facies vinculi colligati, quod præcipitavit Dominus super omnes populos¹. II Paralip. in oratione Manassæ, in medio :

los, etc.

Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ... et non est respiratio mihi.

Secundo, dicit id quod nuntiat formam concupiscentiæ, cum dicit :

« Qui viderit. »

Visus enim nuntiat formam, quæ movet ad concupiscentiam : auditus enim non nuntiat formam, sed nomen : et hoc de se non movet, sed in quantum est significans formam quæ movet. Et ideo non dicit : Qui audierit, nec dicit : Qui olfecerit, quia olfactus circa mulieres nihil nuntiat appetibile : et similiter gustus. Tactus autem habet delectationem in cooperatione corporali, vel in ipso opere coitus : sed solus visus nuntiat formam pulchritudinis mulieris, quæ movet libidinem.

Hujusmodi autem et alia causa est : quia videlicet visus plures differentias repræsentat delectabilium, quam aliquis aliorum sensuum : per visum enim videmus colorem, figuram, compositionem membrorum, ornatum vestium, modum incessus, gestus, et multa hujusmodi : quæ omnia movent concupiscentiam : et hoc non fit per alium aliquem sensum.

Adhuc autem, quia visus etiam vocatur interior imaginatio et cogitatio fœminarum, quæ non sunt similia auditui, vel alii sensui. His igitur de causis dicitur : « *Qui viderit.* »

Sed incidit quæstio, quare potius loquitur de viro, dicens : « *Qui viderit,* » quam de muliere dicendo : quæ viderit ? Et dicit Chrysostomus ad hoc, quod « in hoc ad paria judicantur vir et mulier, « sed propter dignitatem complexionis, « omnis legislator præcepta dat viris, ut « per viros ad mulieres transeant. » I ad Corinth. xiv, 35 : *Si quid volunt discere, domi viros suos interrogent.* Posset tamen dici, quod tentatio major est in viro quam in muliere, licet in muliere resistentia sit minor : et ubi

major est tentatio, ibi ponit Dominus instructionem. Sic etiam per visum prima peccati incepit tentatio, Genes. iii, 6 : *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, adpectuque delectabile, etc.* Psal. cxviii, 37 : *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Sic David vidit, quod male concupivit ¹. Quia, sicut dicit Gregorius : « Non licet intueri, quod « non licet concupiscere. »

« Mulierem. »

Ecce tertium, quod est forma quæ per se movet ad concupiscentiam : et hoc patet : quia statim imaginata forma mulieris, diffunditur calor concupiscentiæ, et laxantur membra ad coitum, sive homo dormiat, sive vigilet. Et dicit *mulierem*, et non fœminam, vel virginem : quia mulier a molliendo dicitur : et hic sumit eam secundum quod emollit forma ejus in concupiscentia. Thren. iii, 51 : *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Job, xxxi, 1 : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* II Petr. ii, 14 : *Oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti : pellicientes animas instabiles, hoc est, pulchritudine pellis decipientes.*

« Ad concupiscendum eam. »

Ecce quartum, et in hoc notantur duo. Per præpositionem enim *ad* notatur finis : et quia finem non præordinat nisi ratio, oportet quod ratio in hac concupiscentia consentiat ad minus ad delectandum suaviter in corde, si negetur perficiendi facultas in opere.

Per hoc autem, quod dicit,

« Concupiscendum, »

Et non cupiendum simpliciter, notat

¹ Cf. II Reg. xi, 2 et seq.

conventum potentiarum animæ ad cupidinem, ut voluntas velit hoc quod sensualitas suggerit. Unde Glossa Augustini dicit, quod « hic loquitur de concupiscentia deliberata et volita, quæ « passio et qualitas animi est, et non de « illa quæ prima titillatio est ante rationis iudicium et deliberationem. » Sicut enim diximus in præcedentibus de ira, talis concupiscentia magis propassio est quam passio : et hoc vocatur post concupiscentias ire et intrare in concupiscentiam, Eccli. xviii, 30 et 31 : *Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Exod. xx, 17 : *Non desiderabis uxorem proximi tui.*

« Eam. »

Ecce quintum, ubi tangitur materia concupiscentiæ : unde sensus est, ut habeat eam, si potest, ad fruendum concubitu ejus : et si non potest, ad minus ut habeat eam ad delectandum in ea : hoc enim fit, quando transit passibus suis concupiscentia ad perfectionem completæ voluntatis. Daniel. xiii, 8 : *Videbant eam senes quotidie ingredientem, et deambulantem in pomario : et exarserunt in concupiscentiam ejus.* Et, in eodem, v. 20 : *In concupiscentia tui sumus.*

Sic ergo describit concupiscentiam, quam excludere hic intendit.

« Jam mœchatus est eam in corde suo. »

Hic ponit exclusionem peccati per aggravationem.

Et tangit duo : unum (quod primum est) est, quod completa voluntas reputatur pro opere : et hoc est, quod dicit : « *Jam mœchatus est eam.* » Aliud (quod credebat carnalis populus) quod est mœchia spiritualis : et hanc tangit, cum dicit : « *In corde suo.* » Non enim pu-

tabant aliquam esse mœchiam, quæ in solo corde perficeretur.

De primo, II ad Corinth. viii, 12 : *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.* Osee, iv, 19 : *Ligavit eum spiritus in alis suis.* Glossa dicit : « Spiritus fornicationis ligavit cor « intus in alis dissolute volantis concupiscentiæ. »

De secundo, Osee, vii, 4 : *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente.*

Attende autem in hoc, quod dicit, « mulierem, » et prohibet quod minus est, intelligitur prohibitio facta omnis innaturalis libidinis. In hoc autem, quod dicit, « mulierem, » non uxorem, vel conjugem, intelligitur prohibitio fornicationis, et non tantum mœchiæ, sive adulterii. Aliter enim non totam a corde excluderet concupiscentiam : et sic lex non perfecte impleretur. Sic igitur a corde excludit concupiscentiam.

« Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. »

Hic incipit secundum, in quo excludit concupiscentiam, quæ manifestatur in signo corporis, non operante ad perfectionem actus corporalis, sed ostendente concupiscentiam cordis.

Et dicit hic tria : signum videlicet in quo manifestatur concupiscentia : et medicinam, ibi, « *Erue eum* : » et rationem medicinæ, sive curæ, ibi, « *Expedit enim tibi.* »

Sed antequam aliquid de primo exponatur, oportet quærere, quare dicat Christus : Si dexter oculus offenderit, cum sinister sit causa offensionis, sicut et dexter?

Et ad hoc sciendum quod dextera, ut dicit Philosophus in secundo de *Cælo et Mundo*, est unde motus, et sinistra trahitur in motu. Ubi enim virtus mo-

ventis est, ibi incipit motus, et ibi est dextra : et secundum hoc prospectus cordis, unde est ordo et motus totius vitæ, est dexter oculus. Sinister autem, qui trahitur et obedit, est prospectus corporis in organis sensualis motus. Sensualis autem motus ligari quidem potest, sed curari perfecte non potest, quia ille est animalis : quia, sicut dicit Augustinus : « Fertur dissoluta lascivia « in delectabilia sensuum : » quia, sicut dicitur, ad Galat. v, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum*. Et, ad Roman. vii, 18 : *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum*. Et ideo de illo sinistro nihil dicitur : quia supponitur, quod quantumcumque est de se, semper scandalizat. Sed de dextro, quia illius scandalum pervertit hominem, et cura scandali ejus perfecte implet legem.

Hoc habito, dico quod circa primum dicuntur duo : primum, quod commemorat oculum dextrum, qui in ordinem suum, vel suam inordinationem et perversitatem trahit sinistrum : secundum est, quod dicit sub conditione : *Si ille scandalizat te*.

Dicit igitur :

« Quod si oculus tuus dexter. »

Hoc est, prospectus cordis, qui est principium totius motus vitæ, et qui secum circumtrahit et circumducit sinistrum, hoc est, prospectum corporis. De hoc prospectu cordis dicitur, ad Ephes. i, 17 et 18 : *Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus : illuminatos oculos cordis vestri : et isti sunt oculi dextri, quos maxime nititur excæcare diabolus*. I Reg. xi, 2 : *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros*.

« Scandalizat te. »

Ecce tertium.

Est autem græce σκάνδαλον obex, sive obstaculum quod objicitur in via plana, ad quod cum pes impingit, cadit ambulans : et hoc ponitur pro forma concupiscentiæ carnalis, sicut est forma decipientis mulieris subvertens prospectum a via recta per casum libidinis. Et ideo vituperantur mulieres tales formas prospectibus hominum objicientes : quia primo, forma venit ad prospectum corporis, qui est oculus sinister, et hoc non multum nocet : sed quando transit ad prospectum mentis, tunc scandalizat. Unde, Augustinus in *Regula* : « Neque « enim cum inceditis, fœminas videre « prohibemini : sed appetere, vel ab « ipsis appeti velle, criminis est. » Et præmittit dicens : « Oculi vestri etsi « jaciantur in aliquam fœminarum, in « nullam figantur. » Et, ibidem, iterum in *Regula* : « Impudicus oculus impudici « cordis est nuntius. Et cum se sibi mu- « tuo tacente lingua corda nuntiant im- « pudica, etiam intactis ab immunda vio- « latione corporibus, fugit castitas ipsa « de moribus. » Ideo, ut dixi, vituperantur fœminæ tales formas objicientes. Isa. iii, 16 et 17 : *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant : decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit*. Proverb. vii, 10 et seq. : *Ecce occurrit juveni mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas : garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis : nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. Apprehensumque deosculatur juvenem, etc.* Eccle. vii, 27 : *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam : qui autem peccator est, capietur ab illa*. Ab hujusmodi ergo formis informatus visus dexter scandalizat et impingit ad ruinam totius hominis.

« Erue eum. »

Ecce medicina : quia cum posuit scandalum primo, secundo ponit medicinam, et tertio, medicinæ rationem.

In medicina autem duo dicit : morbi videlicet eductionem, et perfectæ sanitatis restitutionem.

Morbi eductionem tangit, cum dicit :

« Erue eum. »

Quod autem eruendus sit oculus corporis, secundum quod est in via illiciti ad oculum cordis, probant quidam per simile in morbo corporis : quoniam si membrum putrescat in corpore, et timeatur per collimitationem destrui corpus, vel aliud membrum, præcipitur amputari membrum putridum. Cum igitur melior sit anima quam corpus, si ex membro corporali perdi timeatur anima, debet amputari membrum corporis.

Adhuc, Origenes ex amore castitatis dicitur emutilasse seipsum : et similiter duo juvenes in *Vitas patrum*.

Adhuc, quidam Philosophus exoculavit se, ut magis haberet cor congregatum ad sapientiam.

Ex omnibus his concluditur, quod oculus scandalizans corporaliter sit eruendus.

Et dicendum, quod hoc est stultitia, quia ex hoc non curaretur morbus : quia eruto oculo, non propter hoc cessat concupiscentia, nisi etiam imago eruatur, quæ erui non potest. Et ideo cum Dominus doceat curare morbum, constat quod de erutione corporali non intelligitur. Nec est simile de membro putrido in corpore, quia ex continuatione, et collimitatione illius cum aliis de necessitate putrescunt alia : et ideo non est cura nisi per amputationem : in anima autem non est sic, et est possibilis alia cura. Nec commendatur Origenes, quod se emutilavit : imo tales sunt postea irregulares ad ordines Ecclesiasticos. De

illis autem, qui se emutilaverunt in *Vitas patrum*, dicitur ibidem, quod propter hoc usque ad condignam pœnitentiam fuerunt excommunicati. De Philosopho autem dicendum, quod hoc in eo fuit stultitia : Philosophi enim in multis erraverunt.

Attendendum igitur, quod oculus dupliciter eruitur : materialiter, quando pupilla excutitur : et hoc modo non valet ad morbi curationem eruere oculum. Alio modo eruitur secundum formam : oculus enim sicut et cæteræ potentiæ animæ nihil omnino agunt, nisi per formas apprehensas : et illæ sunt perficientes eas ad operationem. Et tunc oculus dexter eruitur, quando fœmina (alias, forma) movens illicitas concupiscentias amputatur. Ideo dicit Apostolus, I ad Corinth. VI, 18 : *Fugite fornicationem* : quia non est vincere nisi fugiendo tales formas. Psal. LIV, 8 : *Ecce elongavi fugiens : et mansi in solitudine*. Genes. XX, 16 : *Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, et quorumque perrexeris : mementoque te deprehensam*. Proverb. XXX, 17 : *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ !* Oculus subsannans patrem est oculus lasciviens in subsannationem Patris cœlestis : et hic despicit partum matris Ecclesiæ, quia scandalizat eum. Corvi autem sunt humiles, nigri exterius mortificati, in torrentibus pœnarum pœnitentiæ habitantes, et de torrente passionum in via cum viro beato bibentes, qui suffodiunt eum eruendo formas concupiscentiæ : et filii magnæ aquilæ, qui Christus est, comedunt eum sibi incorporantes. Sic ergo eruitur oculus in curam morbi concupiscentiæ.

« Projice eum abs te. »

Ecce restitutio plenæ sanitatis. *Abs te* autem *projicere* est hujusmodi species peccatorum a te elongare. Proverb. XXX,

8 : *Vanitatem et verba mendacia longe fac a me.* Projectio enim est motus ab eo qui projicit. Osee, iv, 17 et 18 : *Dimitte eum. Separatum est convivium eorum.* Isa. xxxvii, 22 : *Despexit te, et subsannavit te, virgo filia Sion.* Hoc est ergo projicere oculum : et patet, quod loquitur de concupiscentia quæ manifestatur in oculis, sicut dicitur, Eccli. xxvi, 12 : *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum ejus.*

« Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. »

Ecce tertium, ubi tangit curæ inductæ rationem.

Et dicit comparisonem, quæ in duobus consistit, de quibus hic facit mentionem. Et in utroque comparatorum sunt duo : in una parte ponitur membrum cum perditione sua : in altera autem totum corpus cum interitu in gehennam.

De primo dicit :

« Expedit enim tibi. »

Quantum ad vitam gratiæ.

« Ut pereat unum membrorum tuorum. »

Secundum vitam voluptatis. De qua dicitur, Job, xxi, 11 et seq. : *Egrediantur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exsultant lusibus. Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos,* etc. Secundum hanc enim vitam necesse est perire membrum : quia dicitur, I ad Timoth. v, 6 : *Quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Ad Coloss. iii, 5 : *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam,* etc. Ad Galat. ii, 20 : *Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus.*

« Quam totum corpus tuum. »

Hoc est, tota congeries membrorum spiritualium.

« Mittatur in gehennam, »

Æterni incendii. Luc. xvi, 24 : *Crucior in hac flamma,* dixit is qui sepultus est in inferno : eo quod unum membrum linguæ secundum formam gulæ nolebat eruere.

« Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. »

30

Hic incipit tertia pars, ubi docet excludere concupiscentiam secundum hoc quod manifestatur in proximo opere ad coitum ordinato.

Et dicit tria : morbum concupiscentiæ, medicinam, et medicinæ rationem.

De morbo dicit sicut de oculo. Est autem dextera manus, unde est motus operationis, et operandi principium : hæc autem est virtus cordis : quia, sicut probatur in libro de *Principiis motus voluntarii* ab Aristotele, « motus omnium membrorum, et operatio principiatur a corde : » et illa manu scandalizante, necesse est quod subvertatur totum regnum vitæ. Sinistra autem est quæ trahitur, et servit, virtus operans affixa membris : et licet illa sit de se semper scandalizans, tamen ex illa regnum vitæ non subvertitur, quia est in potestate alterius. Unde, in Proverb. iv, 23 : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.*

Sed quare non facit mentionem de pede ? Dicendum, quod pes non est operans per se ad concupiscentiam : quia etsi portat concupiscentem ad locum concupiscentiæ, tamen tactus præcedentes coitum pede non perficiuntur, sed

potius manu amplexante, et loca pudenda tangente. Unde, Proverb. vii, 18: *Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus.* Et, Ezechiel. xxiii, 17, dicitur, quod ingressi sunt amatores *ad cubile mammaram*, propter contactus immundos uberum et pudendorum.

Hoc est ergo, quod vult dicere :

« Si dextra manus tua scandalizat te. »

Manus enim organum est aptum in multas operationes : et tactus immundi præcedentes coitum magis manu quam alio membro perficiuntur. Unde, Hieronymus : « Risus et sibili, tactus et joci « morituræ virginitatis solent esse principia. »

« Abscide eam, et projice abs te. »

Ecce medicina : et exponendum est sicut superius.

Necesse est ergo ut eruatur dextera secundum formam per quam operatur, et longe per alienationem suam ab ea projiciatur : quia tunc nec sinistra scandalizat, sed sub potentia dextræ comprimitur, et trahitur ad serviendum in operibus castitatis. Et hoc significatum est, Judicum, iii, 13, ubi dicitur, quod *Aod utraque manu pro dextera utebatur.* Psal. cxvii, 16 et 17 : *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me : dextera Domini fecit virtutem. Non moriar, sed vivam.* Dextera enim Domini est dextera forma Dei informata : et hæc facit virtutem per formam virtutis operans, exaltat per magnifica opera, et iterum facit virtutem, scandalum iniquitatis excludens : et ideo talis non morietur, quia projecit a se dexteram scandalizantem. Exod. xv, 6 et 7 : *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine : dextera tua, Domine, percussit inimi-*

cum. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos.

« Expedit enim tibi, etc. »

Ratio est medicinæ : et exponendum est sicut superius. Marc. ix, 42 : *Si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam : bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam* ¹. Hæc est ergo expositio litteræ.

Sunt autem aliæ expositiones multæ traditæ a Sanctis consolantes locum istum : quæ sunt per metaphoras diversas ad mores introductæ : quas in hunc modum possumus congregare. Quod occasio scandali aut sit in nobis, aut in his quæ nobis junguntur, ut oculus, et manus. Si autem est in nobis, est duplex vitæ : una oculi, quæ est theoretica, sive contemplativa : altera manus, quæ est practica, sive activa : et tunc si oculus per tædium contemplationis scandalizat, eruiamus oculum, et transimus ad vitæ activæ exercitium. Contemplatio autem æternorum per dextrum significatur oculus : et si dextra manus per torporem bonæ actionis scandalizat, eo quod in agendis multas invenit difficultates, abscindatur actio exterior, et transeamus ad quietem contemplationis. Si autem occasio scandali est in his quæ nobis junguntur, tunc oculus dexter est amicus, doctor, vel consiliarius, vel procurator, qui nobis prospicit sicut dexter oculus. Manus autem est amicus minister subserviens, œconomus, benefactor, qui nobis operatur sicut manus dextera. Et si in his scandalum invenitur, abscindendi sunt quantumcumque conjuncti, et projiciendi : quia qui aliquem talium amat plus quam Christum, non est eo dignus ². Deuter. xxxiii, 9 et 10 : *Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum et pactum*

¹ Vide etiam, paulo infra, Marc. ix, 44.

² Matth. x, 37 : *Qui amat patrem aut matrem*

plus quam me, non est me dignus, etc.

tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel. Mich. vii, 6 : *Inimici hominis domestici ejus.* Tales enim dicuntur et oculi et manus, sicut dicitur, Job, xxix, 15 : *Oculus fui cæco, et pes claudo.* Hoc est ergo, quod dicit.

Sed secundum superiorem expositionem, quæ litteralis est, quæritur : Quia supra, de ira loquens, non docuit tantum excludere iram, sed post exclusam iram præcepit reconciliari fratri, et post reconciliationem ad concordiam redire : hic autem nihil horum facit, sed tantum docet excludere concupiscentiam.

Et ad hoc dicendum, quod concupiscentiæ malum non vincitur nisi fugiendo, et ideo in hoc non est nisi exclusio facienda : sed malum iræ non perfecte vincitur nisi beneficia inimico impendendo, et ideo ibi exiguntur plura quam hic. Ad Roman. xii, 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.*

31 « Dictum est autem. »

Hic tangit impletionem prohibitionis mœchiæ, in quantum est contraria individuæ vitæ consuetudini, quæ est inter legitimos conjuges.

Et dicit duo : primo, ordinabile, et secundo, ordinationem. Secundum est, ibi, x. 32 : « *Ego autem dico vobis,* etc. »

Circa primum modo consueto dicit duo : scilicet modum edicti, et edictum legis.

Modus edicti tangitur, cum dicitur.

« Dictum est autem. »

Et non addit, *antiquis* : quia hoc non sonuit ad omnes : eo quod non est naturale, sed potius contra rationem. Nec

dicitur, quod Deus dixerit, sed sicut dicitur, Matth. xix, 8 : *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.*

Et ideo quæritur, utrum Moyses hoc permisit sine peccato ? Et videtur quod peccaverit : quia qui occasionem damni dat, damnum intulisse videtur : ipse autem per hoc occasionem dedit multis mortaliter peccandi. Si dicas cum Glossa, quod permisit malum, ne eveniret majus malum, hoc est, occisio conjugum, videtur hoc nihil esse : quia non sunt mala facienda ut eveniant bona, ad Roman. iii, 8 : *Non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona : quorum damnatio justa est.*

Ad hæc omnia solvenda, nota, quod aliud est in factis personalibus, aliud in legislatoribus : quia sicut dicitur, Sapient. vi, 3, continere habet legislator populos diversarum voluntatum in una pace communi ¹. In factis enim personalibus non est faciendum malum ut alius faciat bonum, vel evitet quantumcumque malum (quia simpliciter nullus debet facere malum propter aliquem) : quia malum quod facit, aut erit mortale, et tunc ipse moritur ut alium juvet, quod est contra ordinem charitatis : aut erit veniale malum, et hoc est dispositio ad malum, et remittit fervorem charitatis, et illo remisso et dispositione ad malum posita, pronus erit ad casum, et sic ponit se in discrimine : quod iterum stultius est propter alium facere. Sed in legislatoribus et Principibus secus est. Illi enim non malum faciunt, sed continere non possunt multitudines, nisi tribus se modis habeant ad multitudinem populi : quædam enim concedunt et præcipiunt, et quædam indulgent et volunt, et quædam permittunt et ordinant. Concedunt autem et præcipiunt omnia quæ justitiam sapiunt, et beate vivere faciunt cives in pace cunctis mortalibus desiderata, ut dicit Assuerus. Sed indulgent et volunt

¹ Sapient. vi, 3 : *Præbete aures, vos qui continetis multitudines,* etc. Lege caput integrum.

ea quæ infirmitati sunt adhærentia, quæ tamen justa non sunt, sed nec ita injusta quod lædatur civilitas. Permittunt autem et ordinant mala quæ necesse est fieri propter malas multorum voluntates, sicut est usura in legibus mundanis, quam non præcipit legislator, sed cum gratis accommodare non vult, ordinat limitando quid (alias, quod) ultra sortem accipiat.

Similiter est in lege Moysi : moralia enim et civilia concessit et præcepit, et infirma indulgit, et voluit ea fieri. Sic cum homo sit in concupiscentia, quamvis non faciat intuitu fidei thori vel intuitu justitiæ reddendi debiti, tamen cognoscat uxorem, et vult quod uxor consentiat ei, cum non moveat eum nisi libido, quia aliter concupiscentia prona ad ruinam caderet, nisi honestate nuptiarum sic exciperetur. Unde in tali casu dicit Apostolus, I ad Corinth. vii, 6 : *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Et dicit Augustinus, ibidem, in Glossa, quod « hoc « quod indulgentiam habet, peccatum « est, sed tantum non est peccatum, « quod accusatione sit dignum : et ideo « vult, quod conjuges sibi in hoc subser- « viant. » Permittit autem lex Dei quæ sunt mala, quæ propter multitudinem ad hoc inclinatum punire non potest : sed cum permittit ea, ordinat ea : sicut aliquando lex imperatoria permisit usuras, sed ordinavit eas, sicut diximus. Ita propter duritiam cordium Judæorum, qui semiægyptii fuerunt, permisit : et cum permisit, ordinavit quod quando dimitteretur, daretur ei libellus in quo causa dimissionis poneretur, ut saltem aliqua servaretur forma justitiæ. Propter quod non legitur umquam aliquis Sanctorum uxorem dimisisse.

Dicit autem hic quædam Glossa Chrysostomi : « Moyses permisit libellum repudii, sicut Apostoli secundas nuptias. » Et hoc non videtur : quia secundæ nuptiæ non damnantur. I ad Corinth. vii, 39 : *Quod si dormierit vir ejus,*

liberata est. Cui vult nubat, tantum in Domino. Libellus autem repudii semper fuit damnabilis, nec a lege mittebatur, nisi quia non puniebatur, sed lex non auferebat peccatum.

Et dicendum ad hoc, quod est similitudo in causa in genere : quia sicut libellus repudii mittebatur, ne propter concupiscentiam mœchiæ occiderent conjuges : ita indultæ sunt secundæ nuptiæ, ne propter concupiscentiam ruerent in fornicationem.

« Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii. »

Ecce id, quod est ordinandum.

Tangit duo : primo enim tangit id quod permisit lex non vindicando : et secundo, dicit ordinem legis, quæ circa permissum ordinavit.

De primo dicit infinite :

« Quicumque dimiserit uxorem suam, »

Propria sponte, non præcepto legis.

« Det illi libellum repudii. »

Ecce id, quod ordinat lex in aliquod mali remedium : quia sicut est, quando permittit Deus aliquod malum fieri, numquam voluntas Dei est de malo quod fit, sed potius de bono quod inordinatur : sicut quando permisit Martyres occidi, non voluit occisionem activam, sed voluit patientiam Martyrum, et constantiæ fidei relinquere exemplum : ita etiam lex numquam vult id quod permittit, sed cum sine voluntate legis fit aliquid, vult circa hoc fieri, ne omnino appareat fœdum et injustum. Sicut etiam in arte non præcipiuntur fieri mala artis, sicut quod male incidatur corium calcei, sed cum contingit hoc malum, ars quantum potest, subvenit et ordinat ne omnino pereat. Deuter. xxiv, 1 : *Si acceperit homo uxorem, et habue-*

rit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fæditatem, scribet libellum repudiî, et dabit in manu illius.

32 « Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœcham : et qui dimissam duxerit, adulterat. »

« *Ego autem dico vobis,* » qui sum novi populi Legislator, non modo per Angelum dico, sed per me ipsum :

« Quia omnis qui, etc. »

Ecce impletio legis, quando tollitur quod injuste permissum est.

Et tangit tria : quorum primum est, in qua causa, et non in alia potest fieri repudium : secundum est reatus dimittentis, si ex alia causa dimiserit : tertium autem est peccatum ducentis dimissam, quod etiam permissum fuerat, Deuter. xxiv, 2 et seq.

« Omnis qui dimiserit, »

A thoro, non a societate matrimonii : quia illa inviolabilis, quamdiu vivunt legitimi conjuges.

Et hoc notat, quando addit :

« Uxorem suam. »

Quia uxor non est, nisi sit legitime conjuncta. Et hujus causa est, quia omne quod commune est plurium, oportet lege ordinari : quia aliter amor privati boni induceret ad hoc quod unus faceret injuriam alteri : matrimonium autem commune est plurium, et ideo lege determinandum est quæ sit legitima conjunctio. Super privatum autem bonum, in quantum hominis est, nulla cadit legum ordinatio.

« Excepta fornicationis causa. »

Fornicationis dicit, cum tamen sit adulterium : quia transgrediens thorum non habet finem nisi fomitis, cujus finis est delectatio, et nihil honestatis habet in intentione : et propter similitudinem finis ponitur fornicatio pro adulterio. Qui autem dimittit propter causam fornicationis, non repudiat, nisi a thoro, quia aliam ducere non potest.

Et attende, quod intelligitur de ea quæ adhuc agit libidines fornicationis : in illa enim non est via correctionis : qui enim talem tenet, patronus est turpitudinis. Proverb. xviii, 22 : *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum : qui autem tenet adulteram, stultus est et impius.* Sic enim pro peccato dimittere, et non innocentem, neque pœnitentem innuit Dominus, loquens ad Synagogam, Isa. l, 1 et 2 : *Quis est hic liber repudiî matris vestræ, quo dimisi eam ? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos ? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Quia veni, et non erat vir : vocavi, et non erat qui audiret.* Eccli. vii, 28 : *Mulier si est tibi secundum animam tuam, non projicias illam : et odibili non credas te.* Pœnitens autem mulier debet esse fidelis viro secundum animam : et hujus exemplum dat Dominus, Jerem. iii, 1 : *Tu fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.* Et ideo decretum est Sanctorum, quod adultera recipienda est, sed non sæpe. Sed per jus non potest cogi alter conjugum, qui separat ob fornicationem conjugem a thoro, nisi ex pietate velit. Et hoc est quod dicit.

Hic autem dicit Glossa, quod etiam propter fornicationem spiritualem, ut si cogat ad idololatriam, vel avaritiam, vel alias concupiscentias, potest dimitti a thoro. Sed hoc non videtur, quia tunc sæpe fieret repudium. Et dicendum, quod in talibus non potest dimitti conjux a

thoro, quia non peccat contra matrimonium, sicut facit adulterium, sed cohabitatione separantur, ita tamen quod solvat et reddat debitum. Si enim alter est fur, vel raptor, vel aliquid hujusmodi, et ad usum talium cogat conjugem, debet non obedire, et in usu talium lucrorum non cohabitare.

Hoc est ergo quod dicit :

« Facit eam mœcham. »

Ecce secundum, ubi exaggerat peccatum : quia per hoc, quod fraudat debitum eum qui propter timorem concupiscentiæ contraxit matrimonium, dat ei causam adulterandi : et hoc modo facit, quod non facit qui propter fornicationem dimittit : quia tunc ille qui dimittit, causa est suæ dimissionis.

« Et qui dimissam duxerit, adulterat. »

Ecce tertium peccatum ejus qui ducit dimissam propter fornicationem. I ad Corinth. vii, 10 et 11 : *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et ideo qui ducit eam, adulteratur : mulier autem sic adulterans, ut dicit Chrysostomus, quatuor peccata comittit, quæ sunt, exhæredatio verorum filiorum, fidei violatio, virum dimittit, et adulteratur. Et horum tria ultima facit etiam vir adulterans. Eccli. xxiii, 32 et 33 : *Sic et mulier omnis relinquens virum suum, scilicet peccabit, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio : primo enim in lege Altissimi incredibilis fuit : secundo in virum suum deliquit : tertio in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi, scilicet hæredes.* Malach. ii, 15 : *Custodite spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli despiciere.*

« Iterum audistis quia dictum est antiquis. »

Hic inducit prohibitionem quæ est in verbis, et implet eam : et ordo patet ex superioribus. Est autem ista prohibitio generaliter ordinata super omne in quo communicant sibi homines.

Dividitur autem in partes duas : primo, docet implere prohibitionem perjurii : sed quia perjurium omne, vel juramentum cadit super omnes sermones in quibus communicant sibi homines, ideo in secundo, docet implere illam partem quæ est in sermone simplici, ibi, x. 37 : « *Sit autem sermo vester : Est, etc.* »

Adhuc, in priori duo facit : proponit enim id quod est implendum : et secundo, ponit ipsam impletionem, ibi, x. 34 : « *Ego autem dico vobis, etc.* »

Adhuc, modo superiori in primo facit duo : primo, ponit modum prohibitionis, et postea proponit id quod est ordinandum.

Modum autem prohibitionis tangens tria dicit : quorum primum est iteratio dictionis, cum dicit : « *Iterum.* » Conformitas dicti ad materiam, cum dicitur : « *Dictum est.* » Approbatio veritatis per auctoritatem antiquorum, cum dicit : « *Antiquis.* »

Circa primum nota, quod ea quæ in præhabitis sunt determinata, dictionem habuerunt rei tantum : istud autem est invocatio divinæ veritatis super dictum hominis. Et ideo est hic alia manifestatio, vel alius modus quam in præcedentibus. Et geminatio illa auditus rectitudinis in invocatione immobilis veritatis super dictum hominis notatur per iterationem, quam importat, cum dicit :

« Iterum audistis. »

Interiori aure.

« Quia dictum est. »

In auditu totius mundi, et omnium

hominum: omnium enim hominum (alias, omni enim homini) dictat ratio, quod divina veritas (quæ immobilis et indeflexa est) non debet invocari in testem dicti hominis falsi: quia, ad Roman. III, 4: *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* Numer. XXII, 19: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* Ad Tit. I, 2: *Quam promisit qui non mentitur, Deus.* Sicut ergo curvum, et rectum non adæquantur: ita etiam divina veritas non adæquatur verbis falsis hominis.

Hoc igitur dictum est omnibus

« Antiquis, »

Non solum corruptioni proximis (quorum non sunt prohibitiones nisi super horribilia secundum se), sed etiam his quorum experientia sapientiæ est multa et plurima agendorum circumspectio: a quibus hoc (propter multum periculum quod est in jurando) est approbatum. Job, XII, 12: *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Sic igitur istud « dictum est antiquis. »

Et hoc intus auditum dicit nobis:

« Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. »

Hic tangit illud, quod est implendum. Et dicit duo: prohibitionem perjurii, et id quod indulgetur infirmitati, ibi, « *Reddes autem Domino.* »

De perjurio dicit:

« Non perjurabis. »

Exod. XX, 7: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Levit. XIX, 12: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.*

Ad hoc quod bene sciatur quid sit *perjurium*, oportet videre quid juramentum, et quæ necessitas a qua oritur juramentum, et quæ exiguntur ad juramentum, et quod juramentum sit licitum, et qualiter sit intelligendum, et utrum

semper sit observandum: deinde qui sint modi jurandi, deinde quare a jure nominetur potius quam ab alio: et ex omnibus dictis videndum quid sit perjurium, et quare perjurium est in prohibitione legis, et non juramentum: et de omnibus his diffiniendo potius quam disputando dicemus.

Ad primum ergo dicimus, quod juramentum est invocatio immobilis veritatis ad testificandum et confirmandum veritatem mobilem quæ est in dicto hominis, ut melius aliquis veritati dicti hominis inniti possit. Hoc autem accipitur ab eo quod dicitur, ad Hebr. VI, 16: *Homines per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum.*

Necessitas autem quæ cogit ad juramentum, et a qua ortum est juramentum, est quod homines necesse habent communicare in contractibus et pactis: quia aliter cohabitare civiliter non possent. Contractus autem et pacta non possunt fieri nisi in actionibus voluntariis: et voluntates non sibi mutuo innotescunt nisi per verba. Verba igitur faciunt obligationes et pacta et contractus, secundum quod indicia sunt voluntatis. Nihil autem mobilius et instabilius et dubitabilius et ignorantia permixtius est quam voluntas. Igitur de se verba nuntia voluntatis nihil habent stabilitatis cui aliquis inniti possit: oportet autem inniti tam in judiciis quam in contractibus et pactis et aliis obligationibus. Ergo veritatem dicti hominis oportet fulciri aliquo immobili: non est autem immobile aliquid (alias, aliquid) quod ei applicari possit, nisi exemplar ejus quod est divina veritas. Illam ergo oportet facere fidem ad confirmationem dicti hominis. Et hæc duo simul tangit Apostolus, ad Roman. III, 4: *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* Et quia sic mendax est homo, oportet quod firmitas dicti sui roboretur superiori veritate confirmante.

Illam autem quæ exiguntur ad juramentum, tanguntur, Jerem. IV 2: *Jurabis:*

Vivit Dominus in veritate, et in iudicio, et in justitia. Et hæc tria dicit Hieronymus esse tres comites juramenti : et horum comitum unus format juramentum ex parte jurantis : alter, ex parte rei quæ asseritur : et tertius, ex parte causæ per quam juratur. Iudicium enim est iudicium rationis, quo discernere habet jurans quid, et quando, et ad quid jurat, qualiter certificatus sit, et hujusmodi, et quam discrete juret. Et hic comes comitatur juramentum secundum quod est actus jurantis, ut diximus. Sed quia in eo quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa est : et ideo *veritas* est comes, quæ informare habet juramentum ex parte rei quæ juratur. Non autem facienda justa semper, quinimo juste quod justum est exsequendum est : et ideo causa propter quam juratur, debet esse *justa*, et juste postulata. Juratio ergo non debet esse vel coacta, vel non voluntarie oblata, nec sponte facta.

Exiguntur ergo ad juramentum sex : quorum unum est, quod invocatio non sit super rem vanam. Secundum est, quod testificatio fiat per divinam veritatem, et non per aliud, Deuteron. vi, 13 : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.* Tertium est, quod sit de his in quibus incredulitas adversarii, vel nobiscum communicantis expostulat. Quartum est iudicium. Quintum est veritas. Et sextum, justitia.

Ex his accipitur quod omne illud juramentum sit licitum, sicut dicit Beda, quod « observatum in deteriorem non vergit exitum : » quia hæc omnia sex habet quæ sunt enumerata.

Quod autem fit de re illicita, ut de furto, vel adulterio, vel non manifestando crimine (cum Augustinus dicat, quod qui crimen celat, consentit) est illicitum : unde in omnibus talibus statim jurando homo efficitur perjurus : et ideo « debet rescindere pactum et mutare decretum, » ut dicit Beda.

Quia vero homo non jurat propter seipsum, quia conscientia sufficit ei ad seipsum, ideo oportet quod quacumque arte verborum utatur, quod juramentum semper in illo sensu intelligatur factum, in quo accipit ille cui fit, et propter quem fit juramentum.

• Ex his patet etiam, quod juramentum semper est observandum : quia non est juramentum, nisi sit licitum : et tunc est observandum : alioquin in iuratione esset perjurium.

Modi autem duo sunt, quibus juratur in genere : modus testificationis, et modus execrationis. Modus *testificationis* est, quando simplex fit testificatio dicti per divinæ veritatis invocationem : et hic habet multos modos secundum consuetudines juramenti. Aliquando enim jurabatur, *Vivit Dominus* : et hic erat per vitam infallibilis veritatis Dei : aliquando autem per Deum, et aliquando testem invocando in animam suam, sic, II ad Corinth. i, 23 : *Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni ultra Corinthum.* Et aliis diversis modis. Juramentum autem *execrationis* fit per interminationem pœnæ, sicut, Si non faciam, mala mors me apprehendat : sicut juramentum quod fuit inter Jacob et Laban ¹. Hæc autem pœna apponitur, quando homo jurat : quando (alias, quia) in hominem cadere potest pœna, sicut, Job, xxxi, 17 : *Si comedi buccellam meam solus, etc.* et subinfert, ꝑ. 8 : *Seram, et alius comedat.* Et, ibidem, infra, ꝑ. 40 : *Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.* Quando autem Deus jurat execrando, pœna determinari non potest, quia pœna non cadit in Deum, sicut, Psal. xciv, 11 : *Quibus juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam.*

A jure autem denominatur : quia « cum omne jus, ut dicit Tullius, a iudicio, « vel pacto, vel a pari oriatur, » juramentum non nisi in iudicio, vel pacto, vel pari, sive æquali (quod inter contra

¹ Cf. Genes. xxxi, 44 et seq.

ctus facientes attenditur) exhibetur : in omni enim contractu attenditur æquale, quod uterque contrahentium æquali gaudeat valore, et neuter decipiatur : et ita non præstatur juramentum nisi super juris originem. Et ideo a jure etiam *jusjurandum*, vel *juramentum* appellatur.

Ex omnibus autem inductis, et præcipue ab illis sex quæ exiguntur, accipitur quid sit *perjurium*. Sicut enim virtus constat ex una tota et sola causa, quæ est omnes circumstantiæ in debito actu cum fine : et si aliquid horum singulum corrumpatur, nascitur vitium : ita etiam juramentum verum conficitur omnibus simul supradictis sex convenientibus : perjurium autem est, si unum solum ex omnibus omittatur. Sed tunc de multis dicitur *perjurium* per prius et posterius : ei illud maxime nomen habet perjurii, in quo omnia simul corrumpuntur : et post hoc, illud in quo deest veritas : et post hoc, quod caret justitia : et sub illo est, quod caret judicio : et omnia alia habet : et sic de aliis quod plus habet deformitatis, habet etiam plus de nomine et ratione perjurii. Hinc patet quare perjurium in lege prohibetur.

Juramentum non præcipitur, sed cum fit, indulgetur infirmitati non credentis aliter proximo : et hoc fit ideo, quia licet juramentum ex duobus componitur, quorum utrumque est bonum, quod est enuntiatio veritatis in sermone humano, et invocatio veritatis divinæ, tamen conjunctio istorum duorum est periculosa propter incertitudinem dicti humani : quia homo est ignorantia permistus et dubietati, et ideo periculum est suo dicto testimonium divinæ veritatis invocare. Et hæc est causa, quod perjurium prohibetur : sed juramentum non præcipitur, sed indulgetur infirmitati, et ordinatur, sicut patebit inferius.

Hoc est ergo quod dicit :

« Reddes autem Domino juramenta tua. »

Eccli. xxiii, 9 : *Jurationi non assuescat os tuum : multi enim casus in illa*. Et, ibidem, subditur, x. 12 : *Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga*. Quamvis enim legatur, Psal. cix, 4, quod *juravit Dominus, et non pœnitebit eum* : et quod Sancti juraverunt : tamen periculosum est jurare : et assuescens jurare, antequam sciat, labitur in perjurium aliquod de supradictis. Jacob. v, 12 : *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare*, etc. Prohibet enim Dominus jurare falso, scilicet sine veritate : dubie, sine teste conscientia : superflue, sine necessitate causæ : sive temere, sive præcipitanter, sine judicio deliberationis. Hac igitur de causa non dicit lex : Jura, et cum juras, « *redde Domino juramenta tua* : » sed tacet de præcepto juramenti, et relinquit tamen indultum. Et quando fit, præcipit quod reddatur Domino.

Reddere autem Domino est referre Domino : et hoc fit, quando juratur per Deum, et non per aliquem alium deum, vel aliquam creaturam : quia illi creditur inesse immobilis veritas, per quod juratur, in quantum est de ratione juramenti, ut patet per antedicta.

Non debet autem aliquis significare talem veritatem esse nisi in Deo : tamen huic videtur esse contrarium, quod Joseph juravit per salutem Pharaonis¹. Et dicendum, quod Joseph non juravit per salutem Pharaonis ibi sistendo, sed referendo illud quod dixit, ad Deum salvantem, cujus salus in salute Pharaonis apparebat.

« Ego autem dico vobis, non jurare omnino : neque per cœlum, quia thronus Dei est :

Neque per terram, quia scabellum

¹ Cf. Genes. xlii, 13.

est pedum ejus : neque per Jerosoly-
mam, quia civitas est magni regis :

36 Neque per caput tuum juraveris,
quia non potes unum capillum album
facere, aut nigrum.

37 Sit autem sermo vester : Est, est :
Non, non : quod autem his abundan-
tius est, a malo est. »

« *Ego autem dico vobis,* » qui per me-
ipsum, non per Angelum loquor vobis.

« Non jurare omnino. »

Hic docet implendo perficere prohibi-
tionem eo modo quo alia docuit.

Et dividitur in duos paragraphos : pri-
mus loquitur de impletionem prohibitionis,
et secundus, de impletionem indulgentiæ
jurandi, qua ad Dominum præcepit reddi
juramenta, ibi, « *Neque per cælum,*
etc. »

De primo attende, sicut antedictum est,
quod non est impletio legis in addendo,
vel minuendo, sed potius in reducendo
eam, quod inscribatur cordibus et visce-
ribus audientium, sicut in ante habitis
expositum est.

Et ideo dicit :

« Non jurare omnino. »

Et dicitur, quod ista oratio duplex est :
eo quod signum distributionis potest a
negatione respici formaliter, vel materia-
liter. Si *formaliter*, tunc negatio refer-
tur ad totum : et est sensus : Dico vobis
non omnino jurare, hoc est, non ex qua-
cumque causa, vel levitate jurare : et
tunc non prohibet quin ex aliqua causa
jurari possit. Si autem respiciatur *mate-
rialiter*, tunc est sensus : Dico vobis om-
nino jurare, hoc est, ex nulla causa
jurare : et in hoc sensu videtur accipere

Chrysostomus, qui dicit, quod « jurare
« omnino sit illicitum : » et arguit Cle-
ricos, « qui Evangelia porrigunt et
« tenent jurantibus : » et hoc non tenet
Ecclesia.

Unde notandum, quod revera sensus
litteræ est, quem dicit Chrysostomus sed
quia jurare est actus jurantis, cujus prin-
cipium est voluntas et non natura, pro-
hibetur iste actus, secundum quod erit a
voluntate. Et sensus est : Nullam omnino
voluntatem habeatis jurandi, sed semper
sit vobis voluntas contraria juramento :
et ideo, quando contingit propter neces-
sitate jurare, indulgetur : sicut quando
contingit ex concupiscentia sola uxorem
cognoscere : et talem indulgentiam dans
lex vult in casu fieri, quod indulget : et
non præcipit, vel suadet, sicut diximus
in præcedentibus. Et hoc modo tunc pro-
hibitio inscribitur cordi : quia in nullam
habet jurandi voluntatem, sed necessita-
tem, nullo modo pejerat : et tunc com-
pleta est lex prohibitionis perjurii. Et in
eodem sensu dicit Jacobus, v, 12 : *Ante
omnia, fratres mei, nolite jurare.*

« Neque per cælum. »

Ecce tangit impletionem juramenti,
scilicet quod si juratur, juretur per eum
qui veritas est immobilis.

Attende autem causam dicti : duo enim
genera hominum jurabant per creaturas,
videlicet fideles, et infideles. Fideles sim-
plices ideo per creaturas jurabant, quia
putabant talibus juramenti non obligari,
eo quod nulla in creaturis esset divinitas,
nulla esset testificata per eas veritas, cum
de omnibus dictum sit, Eccle. I, 14, quod
cuncta subjacent vanitati ¹. Et hi arguun-
tur ab Augustino, quia licet creatura in
se vana sit, tamen veritatem habet exem-
platam a divina veritate, et hoc, quando
juratur ipsa intentione juramenti, et re-
fertur ad divinam veritatem : sicut in
veneratione adorationis, imago refertur

¹ Eccle. I, 14 : *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole,*

et ecce universa vanitas et afflictio spiritus.

ad sanctum, cujus est imago : et tunc sic relata ad Dei veritatem, obligat juramentum quod fit per creaturas. Infideles autem jurabant per creaturas, quia putabant aliquid numinis esse in creaturis, et attribuerunt eis venerationem immobilis veritatis. Et hoc arguit Chrysostomus : littera autem consentit utrique expositioni, sicut patebit.

Attende ergo, quod creatura, per quam jurare non debemus (et quæ non habens divinitatem, ut Chrysostomus dicit, habet tamen veritatis Dei exemplationem), aut est imago, aut est vestigium. Et si est vestigium, aut imitatur in gratia et sanctitate, aut in natura. Et si in natura, aut in repræsentatione imitatur pulchritudinis gloriæ, aut in ultima exigua similitudine. Et si imitatur in repræsentatione pulchritudinis et gloriæ, tunc dicit : « *Neque per cælum,* » quia non Deus, sed

« Thronus Dei est. »

Et ideo repræsentans pulchritudinem gloriæ suæ, per quam jurans exemplari illius pulchritudinis (quod est in Deo) obligatur.

Scias autem, quod sicut in naturis lux emittens lumen in purum et clarum aërem serenando eum, facit ipsum sedem et locum pulchritudinis lucis, quia omnes colorum species depuratæ et a fæce materiæ remotæ, stant in ipso, et repræsentantur in ipso, et agunt in oculos videntium ex ipso : et sic etiam luce increata per candorem lucis suæ serenatur cæli per metonymiam dicti (qui sunt Angeli), et serenati candore lucis æternæ, locus efficiuntur omnium pulchritudinum veritatis divinæ : et ideo dicuntur *throni*. Propter hoc attribuitur Thronis a beato Dionysio esse elevatos a scabellari subjectione propter depurationem et serenationem naturæ, et thearchici (hoc est, divini principalis) adventus esse immaterialiter susceptivos : sic etiam anima hominis lucem habet intellectus

agentis. Cum infunditur lux increata, commiscetur, et emissionem luminis serenat et immaterialem facit animam in ea parte qua recipere habet veritatem : et hæc pars vocatur *intellectus passibilis* (alias, possibilis), et tunc efficitur locus et thronus pulchritudinum veritatum divinarum altissimarum. Sicut perspicuum serenatum lumine efficitur locus specierum lucis, ut diximus, et sic anima justi sedes est sapientiæ : non enim recipit aliquid horum trium species pulchritudinis, ut materia, vel subjectum : quia si sic reciperet, tunc afficeretur illis, et denominaretur ab eis, et esset perspicuum aeris album, vel rutilum, vel aliquod hujusmodi, quod absurdum est. Recipiunt ergo ista sicut locus specierum, et non sicut materia : et hoc jam a nobis in operibus philosophicis est demonstratum. Tales autem species *pulchritudines* vocantur proprie, quia nihil de fæce materiali retinentes in pulchritudine, qua in mente Dei candent, sunt in talibus thronis immaterialiter susceptæ, in perspicuo minus et particulariter, et in anima plus et universaliter, in Angelis autem maxime et universaliter et simpliciter. Sic ergo cælum Dei thronus est : et anima justi sedes sapientiæ : et hoc modo sedet super Cherubim plenitudinem scientiæ, cujus plenitudo nusquam est nisi in tali pulchritudine veritatis.

Tangens autem creaturam propter oppositum, quæ exigui vestigii per naturam est repræsentativa, dicit :

« Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, »

Et non Deus. In scabello pedum non resultat nisi figura plantæ pedis, quæ est similitudo non sedentis, nec pedis, sed ultimi termini pedis. Et hoc modo terrena materialia ultimam habent et minimam imitationem Dei, non in pulchritudine : sed materialibus formis in materiam dejectis et calcatis quædam indicia repræsentant Creatoris, et non enarrant

gloriam Dei, sicut cœlum ¹. Tamen qui jurat per terram, non erit innocens : quia illa ipsa imitatio relata est in Dei veritatem, et per illam obligabitur. Isa. LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.*

« Neque per Jerosolymam. »

Ecce tangit imitans in gratia : quia ab illa civitate processit regimen utrumque, spirituale videlicet in sacerdotio, et mundanum in regno : quæ duo exemplata fuerunt a justitia regente in sanctitate gratiæ, et regente in legum urbanitatibus : et ideo non est jurandum per illam.

« Quia civitas est magni regis. »

Non Deus, sed exemplum regni ejus. Et ideo obligatur, qui jurat per eam. Psal. cxxi, 3 : *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.*

« Neque per caput tuum juraveris. »

Ecce tangit creaturam, quæ est imago. Et tangit caput, quia ibi vigent operationes animæ, secundum quam homo est imago Dei ².

Et subjungit causam :

« Quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. »

Quasi dicat : Quia non es Deus : si enim tu esses Deus per quem jurandum est, omnia tua in tua caderent potestate : et hoc non est verum, quod patet in minimis. Capillus enim minimum est quod adhæret capiti, et albescit in canitie

¹ Psal. xviii, 2 : *Cœli enarrant gloriam Dei, etc.*

² Genes. i, 27 : *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, etc.*

³ Apostolus in epistola II ad Corinth. i, 15 et seq., loquitur de desiderio quod habuit ad eos transire, et ait : *Cum ergo hoc voluissem, num-*

potius ex defectu quam ex virtute : et iste tamen defectus tuæ non subjacet potestati : imago tamen Dei est, et ideo obligatur qui per ipsum jurat.

Sed attende, quod Ecclesia jurando tenet modum istum, quod jurat per Evangelia, et reliquias Sanctorum : quod est jurare per creaturas, cum hoc hic videatur prohiberi. Et dicendum, quod Evangelium non habet veritatem nisi divinam, et reliquiæ Sanctorum expresse demonstrant virtutem divinam in eis miracula operantem : et ideo per illas juratur.

« Sit autem sermo vester : Est, est : Non, non.

Ecce impletio alterius partis, quæ est, non falsum testimonium dicere, et non mentiri. Et, « *Est, est* » dictum est, quod si est affirmatio in corde, sit etiam in ore : et sicut est negatio in corde, sit etiam in ore.

Vel melius dicatur, quod per modum stipulationis accipitur. Quia enim sermo est ad alterum, cui pandere volumus intentiones nostras, si ille quærit : « *Est,* » dicant simpliciter : « *Est,* » si ita est in re. Et si petit : « *Non,* » dicamus : « *Non,* » si ita se res non habet. Il ad Corinth. i, 18 : *Sermo noster, qui fuit apud vos, non fuit in illo Est et Non* ³. Jacob. v, 12 : *Sit sermo vester : Est, est : Non, non.* Psal. xi, 3 : *In corde et corde locuti sunt,* etc. Isa. xxviii, 15 : *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.*

« Quod autem his abundantius est, »

In confirmatione, vel juramento, vel mendacio.

quid levitate usus sum ? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est et Non ? Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est illo Est et Non ? Dei enim Filius, Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, et Silvanum, et Timotheum, non fuit Est et Non : sed Est in illo fuit, etc.

« A malo est, »

Tuo, vel alieno : tuo si usum habes jurandi, vel mentiendi : alieno autem, si non credit tibi is cum quo loqueris, nisi jures, vel confirmes ea quæ dicis. Hoc enim est malum incredulitatis, quæ provenit ex fallacia sermonis humani.

38

« Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, et dentem pro dente. »

Hic incipit ordinare et implere judicia.

Et dividitur in partes duas : primo enim proponit id, quod implendum est : et deinde impletionem subjungit, ibi, *ŷ. 39* : « *Ego autem dico vobis, non resistere malo.* »

Adhuc autem circa primum, modo consueto dicit duo : modum videlicet quod dictum est loquendo de judicio, et ipsum judicium.

Circa primum alium habet modum quam habuerat in præmissis : quia in quibusdam naturalibus, dixerat, supra, *ŷŷ. 21, 27 et 33* : « *Audistis, quia dictum est antiquis.* » In quo et auditus rei sonabat ad omnes, et antiquitas sonabat inexcusabilitatem, et ad probationem et futuram impletionem propter corruptionem (alias, correctionem) antiquæ gentis. Ubi autem nihil naturalium sonabat, non dixit de auditu aliquid, sed simpliciter, supra, *ŷ. 31* : « *Dictum est autem,* » sicut in libello repudii : hic autem medio modo utitur inter utrumque, quia dicit :

« Audistis quia dictum est. »

Eo quod hoc sonat ad omnes. Et non dicit, *antiquis* : quia hoc in judiciis, et continenda justitia semper servari est necesse, nec antiquatur, nec senescit, neque est prope interitum : quia diu in mundo dominatur malitia. Unde Apostolus loquens de principe dicit, ad Roman.

xiii, 4 : *Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Et hoc, ut in I Petri, *ii, 14*, dicitur, est *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Hæc igitur est causa, quod in tali hoc utitur modo loquendi. Exod. *xxii, 18* : *Maleficos non patieris vivere.*

« Oculum pro oculo. »

« Hic incidit quæstio, cum alia præter istud fuerint judicia notata in Exod. *xxi* et *xxii*, quare de sola lege talionis hic ponit impletionem, et non facit mentionem de aliquo aliorum ? Sed ad hæc plana est responsio secundum ante dicta : quia nullum aliorum ordinabile est ad viscera et cor secundum naturæ ordinem, nisi istud : et cum ille solus modus sit perfectæ impletionis legis, sicut sæpe diximus, de isto solo hic facit mentionem.

In lege autem talionis, cujus impletionem ponit hic, non facit mentionem nisi de duobus membris, dicens :

« Oculum pro oculo, et dentem pro dente. »

Horum unum est formalioris sensus organi, et quod plus habet de ratione sensus, et minus de ratione naturæ : et hoc est oculus. Alterum est, quod minus inter omnia membra aliquid sensus habentia participat : nullum enim ossium aliquid participat de vi sensus nisi dentes, secundum Galenum, qui dicit, quod « propter vicinitatem cerebri, et complexionem dentis, aliquid est in dente « de vi tactus. » Per supremum ergo in sensu et infimum comprehendit omnia in medio contenta, ut tantum recipiat quisque, quantum intulit. Deuter. *xxv, 2* : *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Isa. *xxvii, 8* : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam* : nisi enim ita fieret, cohabitatio et civilitas inter homines dissolveretur.

30

« Ego autem dico vobis, non resistere malo. »

Ecce tangit impletionem, et tangit duo :

Auctoritatem dicti, cum dicit :

« Ego autem dico vobis. »

Qui sum fons misericordiæ in isto primo adventu. Ezechiel. xviii, 21 et 22 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, ... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* II ad Corinth. v, 19 : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Isa. liii, 12 : *Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.*

« Non resistere malo. »

Hic tangit impletionem. Et tangit impletionem secundum duos ordines : contra malum, et in ordine ad bonum, ibi, ꝯ. 42 : *« Qui petit a te, da ei, etc. »*

Contra malum ordinat dupliciter : in universali, et in generibus mali illati secundum materiæ diversitatem, ibi, *« Sed si quis te percusserit, etc. »*

In universali dicit :

« Non resistere malo. »

Et malum de quo dicit, est malum violentiæ quod infert pœnam damni, vel sensus.

Sed contra : Si nullus resistat malo, mali crescent in nocumentum bonorum : et hoc est Ecclesiæ destructivum. Dicendum, quod Christus non vetat hic iudicium debere fieri contra malos, quia hoc esset malum. Eccle. viii, 11 : *Quia non profertur cito sententia contra malos, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Sed legem benignitatis vult

ponere in visceribus, et patientiæ in propriis injuriis. Amor enim vindictæ in propria injuria facit lites, et suscitatas lites non permittit reconciliari : et hunc patientia Christi, et benignitas omnino excludit, et tunc cessant lites : et hunc sensum confirmat Apostolus dicens, ad Roman. xii, 19 : *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ.* Scriptum est enim, Deuter. xxxii, 35 : *Mea est ultio, et ego retribuam.* Auxilium iræ judicis non prohibet Christus, sed perfectionem docet, quæ est perfectæ pacis, non resistere malo, sed potius mali desiderare correctionem.

Videtur autem et hoc ipsum inconvenienter dici : quia vim vi repellere licet, ut dicit Isaias ¹. Nulli umquam non licuit : et est de lege naturali. Christus autem naturam, quam condidit, non venit subvertere : ergo videtur, quod inconvenienter dicit malo non esse resistendum. Ad hoc dici potest, quod licet quidem vim vi repellere cum moderamine talis tutelæ, quæ culpari non possit, quæ non sit ad inferendum, vel cumulandum malum, sed ad repulsam mali quod intendit infligere adversarius : sed hoc non vocatur *resistere malo* : resistere enim est contrapugnare : et hoc est plusquam malum repellere, quia contrapugnare est pugnando velle malum inferre, quod sonat appetitum vindictæ, et libidinem destruendi inimicum.

Sed tunc quæritur, utrum quod hic dicit, sit præceptum, vel consilium ? Si est præceptum, tunc omnes tenentur ad istud, et hoc esset grave. Si autem est consilium, tunc videtur quod nullus ad hoc tenetur, nisi qui ad hoc consilium, se specialiter obligavit : quia ex hoc quod homo obligat se ad unum consilium, non propter hoc tenetur ad aliud, nisi specialiter se obliget ad illud : et tunc hoc non erit impletio legis, quia lex proponitur omnibus, sed erit instructio paucorum. RESPONSIO est, quod est præce-

¹ Per totum caput v Isaiæ.

ptum hoc modo quo expositum est : quia etiam quando aliquis vim repellendo excludit malum, non facit hoc resistendo malo secundum animum, sed potius ut illi (alias, ille) caveat qui malum inferre nititur, et sibi : illi specialiter, ne incidat in grande peccatum : et sibi temporaliter, ne amittat vel corpus, vel alia in obsequium Christi conservanda.

Sic igitur Christus dicit : « *Non restitere malo.* » I Machab. II, 40 : *Si non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris, et justificationibus nostris, nunc citius disperdent nos a terra.* Numer. XXV, 17 et 18 : *Hostes vos sentiant Madianitæ, et percutite eos : quia et ipsi hostiliter egerunt contra vos.* Ad Roman. XIII, 3 et 4 : *Vis non timere potestatem ? Bonum fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.*

Ex omnibus his accipitur, quod aliud est resistere malo, et aliud repellere violentiam : quia resistere malo est ex libidine se vindicandi contrapugnare usque ad perfectæ vindictæ consecutionem : unde etiam sæpe pugnat posteaquam cessavit violentia adversarii : sed vim repellere est nocumentum tam adversarii quam proprium declinare ex compassione adversarii et suiipsius : et ideo non contrapugnat (alias, repugnat) nisi quando fit violentia, et non habetur alia nisi manus defensio.

« Sed si quis te percuserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. »

Hic tangit malum, quod inferri potest secundum triplicem differentiam, sicut dicit Glossa : secundum læsionem corporum, secundum angariam servitiorum, et secundum oblationem rerum. Et hæc patent per ordinem in littera.

De læsione autem corporum dicit, quæ major est :

« Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam. »

Hic quæritur, quare in læsione corporis potius tangit percussorem maxillæ, quam alterius partis corporis ? Et dicendum, quod monendo ad patientiam omnes, nominat maxillam : quia in facie est, et percussio est ibi, et probrum, et pœna, et visa : quia si retro percuteret, non videretur ictus. Sed modo percutitur ante oculos, et prævidetur ictus : et in illa prævisione componitur animus ad patientiam pœnæ et ad sustinentiam vituperii. Thren. III, 30 : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Job, XVI, 11 : *Exprobrantes percusserunt maxillam meam.*

« Præbe ei et alteram. »

Isa. L, 6 : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.* II ad Corinth. XI, 20 : *Sustinetis si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.*

Sed contra, Joan. XIX, 23, non præbuit Christus alteram, sed corripuit percutientem, dicens : *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me cædis ?* Act. XXIII, 2 et 3 : *Princeps Sacerdotum Ananias præcepit adstantibus sibi percutere os ejus. Tunc Paulus dixit ad eum : Percutiet te Deus, paries dealbate.* Cum igitur Christi actio sit nobis instructio, et exempla Sanctorum imitari debeamus, videtur quod non debemus præbere alteram, sed corripere percutientem, et contra maledicere.

Ad hoc dicendum quod ex æquanimitate animi semper debemus esse parati recipere ictum secundum, et tertium, et sic deinceps. Sed in exteriori exhibitione distinguendum : aut enim prævalet malitia, aut non. Si non prævalet possumus excludere violentiam : si autem prævalet malitia, ex charitate corripienda est,

quia in hoc bene fit adversario, sicut fecit Christus

Ad hoc autem, quod de Paulo dicitur, dicendum, quod ex revelatione comminatus est iudicium futurum percutienti : quod etiam nos facere possemus, si revelationem acciperemus. Et quod per modum imprecationis dixit, hoc fuit ex conformitate voluntatis cum iustitia divina. Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam*. Et hoc non est, nisi quando desperatur de correctione : tunc enim velle debemus, ut de his fiat voluntas Dei justa, qui nolunt subijci iustitiæ Dei.

Secundum litteram autem videtur mirabiliter loqui Dominus : quia in maxillam nullus percutitur, nisi a contra stante contra faciem. Contra stantis autem dextera est contra maxillam sinistram, nec potest cum dextera manu percutere maxillam dexteram, nisi percutiat exteriori parte manus, quæ vocatur *silvestre manus*, et girando brachium contra latus sinistrum, et tunc dat ictum debilem : si autem cum sinistra percutiat, tunc non fortem dabit ictum.

Ad hoc dicendum, quod Dominus non attendit hic dextrum, vel sinistrum in situ corporis : quia hoc nihil facit ad tolerantiam patientiæ et æquanimitatis : sed vocat dextram, sicut supra, quæ semper exhibet sustentiam, ad hoc quod victus benignitate adversarius reducatur ad pacem.

Et hoc notat, cum dicit :

« Præbe illi et alteram. »

Non dixit, sinistram, sed « *alteram* » dextram : quia, sicut dicit Glossa, Justus totus est dexter : sicut, Judicum, III, 15, de Aod legitur, *qui utraque manu pro dextera utebatur* : dum tam interior quam exterior virtus Deo offertur. II Machab. VI, 18 et seq. : *Eleazarus... gloriosam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium. Intuens, autem quemadmodum*

oporteret accedere, patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. Quando enim videbit aliquis, quod malitia prævalente ita oportet accedere, cum devotione et præparatione carnificem ad pœnas debet præire : et hoc docet Christus, quia tunc talia non quærit rependere, sed iustitiam patientiæ conservare, et sic adversarium ad pacem revocare.

« Et ei qui vult tecum in iudicio contendere. »

40

Ecce tertium de damno rerum.

Et dicit duo : scilicet de iudicio contentioso, et de patientia contra opponenda.

De primo dicit quatuor : Primo enim innuit adversarii obstinatam voluntatem, cum dicit :

« Qui vult. »

Non enim dicit : Qui putat se justam causam habere, sed potius ille qui pro ratione utitur voluntate, et non attendens iustitiam, voluntatem tua auferendi habet obstinatam.

Secundo, tangit apparentem formam iustitiæ, cum dicit :

« In iudicio. »

Quia non aperta (alias, aperte) utitur violentia, sicut prædo : sed ad iudicium vadit injustum, ubi legibus iniquis opprimuntur iusti, defensionem non habentes. Isa. X, 1 et 2 : *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustiam scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei !* Et tale iudicium præcipue fuit apud infideles contra fideles, et adhuc apud multos contra Deum timentes. I ad Corinth. VI, 1 : *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, et non*

apud sanctos ? hoc est, apud infideles, qui iniqui sunt fidelibus, quocumque modo possunt, quasi diceret : hoc est audacia facere. Et, ibidem, §. 6 : *Frater cum fratre iudicio contendit, et hoc apud infideles ?*

Tertio, tangit iudicii perversitatem, cum dicit :

« Contendere. »

Non enim dicit discerni, vel ex ordine iustitiæ diffiniri : quia « contentio, ut dicit Ambrosius, est impugnatio veritatis « cum confidentia clamoris. » Ad Roman. I, 30 : *Plenos... contentione, dolo, malignitate.* Hoc modo mulieres meretrices quærunt apud Salomonem iudicium ¹.

Quarto, dicit nocuenti, sive damni injustam intentionem, cum subjungit :

« Et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. »

Et in hoc tria notantur : ablati necessitas, quia « *tunica* » est vestis interior, corpori tegendo necessaria, quam quilibet potest desiderare, acquirere, et retinere acquisitam.

Secundo, tangitur ablati proprietas, cum dicit, « *tuam*, » quia proprium mihi injuste aufertur.

Tertio, tangitur injusta ablatio, cum dicit, « *tollere.* » Non enim dicit : repetere, vel petere, vel adjudicatam per iudicium vindicare, sed « *tollere.* »

In quo notatur, quod licet quædam apparentia sit iudicii, tamen ex toto est violentia. Isa. LIX, 4 : *Non est qui invocet iustitiam, neque est qui iudicet vere.* Et, ibidem, infra, §. 14 : *Conversum est retrorsum iudicium, et iustitia longe stetit, quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi.*

« Dimitte ei et pallium. »

Pallium est hic vestis exterior, non adeo necessaria ut tunica : et docet hic patientiam contra contentiosum et calumniosum et permistum violentiæ iudicium opponere. Ad Hebr. x, 34 : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam.*

Sed ex prædictis quæritur, si aliquis potest sua repetere coram iudice ? Ad hoc bene dicit Glossa, quod « infirmis « indulgetur repetere sua. »

Sed tunc quæritur, qui sunt infirmi, et qui sunt perfecti, et an licet perfectis ? Et dicendum, quod infirmus est, qui adhuc timet cadere, si solatium subtrahatur bonorum fortunæ : ille enim tamquam infirmus nititur solatio terrenorum, sicut sustentatus baculo. Cantic. II, 6 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Illis ergo secundum quamdam Glossam hic positam licet repetere sua in iudicio justo modo et sine contentione : cum contentione autem eo modo quo contentio diffinita est, nulli licet : quia scandalum præstat videntibus, et scandalum activum : scandalum enim activum nullus debet facere pro quacumque causa : et scandalum activum est dictum, vel factum minus rectum, quod præstat occasionem ruinæ : clamor autem, et contentio sunt talia facta minus recta. Propter scandalum autem passivum non tenetur aliquis dimittere repetere sua, quia tunc non præstat scandalum, sed ille scandalizatur ex seipso.

Perfecti autem sunt dupliciter : facto, et signo. Facto perfecti sunt, qui virtute perfecti sunt, et sanctitate : signo autem perfecti sunt, qui habitum perfectionis susceperunt : et illi sine contentione petere possunt sua, extra iudicium non contentiosum, et apud iudicium justum et pium, et sine dispendio perfectionis suæ. Nec facio vim, utrum habeant pro-

¹ Cf. III Reg. III, 16.

prium nomine Capituli in communi, et non in singulari : vel nec nomine Capituli, nec singulari : quia videtur mihi deceptio et trupha esse de quibusdam, qui dicunt se repetere nomine cujusdam, cujus sit proprietas, et eorum sit usus : et est umbra ejus, de qua (alias, quo) scriptum est : *Protegent umbræ umbram ejus*¹. Et ideo cum contentione et clamore nulli licet. Sine clamore et contentione, omnibus licet eo modo quo habent proprium : qui enim suum repetit, nulli injuriatur, nisi ex repetitione sciat provenire majus malum : hic igitur jure suo utitur. Quando autem contentio communis surgit, debet dimittere : sicut alia licite dimitti debent propter hominum conturbationem, quæ scandalum vocatur. I ad Corinth. vii, 13 : *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem* : dico autem scandalum commune passivum, non singulare, quia aliter numquam aliquid repeteretur : quia semper aliqui protervi et injusti dicunt se conturbari.

41 « Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. »

Ecce tertium de angaria operum.

Angaria est coactio ad servilia opera, non peccati, sed servitutis. Mille autem passus sunt iter sabbati, quantum sabbato ire licebat. Act. i, 12 : *Sabbati habens iter*. Et est sensus : Quicumque coegerit te ad servitutem itineris sabbati, non cures fregisse sabbatum : quia patientia angariæ plus prodest tibi quam religio sabbati.

Et ut ostendas te esse patientem, et servum Christi,

« Vade cum illo et alia duo : »

Quia, sicut dicit Chrysostomus, si non

vadis nisi quantum angariat, putatur esse ex timore servili : sed ut exemplum des virtutis, per te vade alios mille. Et ad ostendendam perfectionem Christi, iterum vade mille, quæ sunt duo millia, et hoc prompto animo : et tunc implevisti legem scriptam in visceribus. I ad Corinth. vii, 21 : *Servus vocatus es ? non sit tibi curæ : sed et si potes fieri liber, magis utere*, supple, servitute. I Petr. ii, 18 : *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis* : dyscoli enim sunt angariantes.

« Qui petit a te, da ei. »

42

Hic incipit instruere pacem inter homines secundum ordinem in bonum, et per duo : per gratis collatum beneficium, et per accommodatum.

De gratis collato breviter dicit duo : determinat enim petitionem indigentis, cum dicit :

« Qui petit a te. »

Et loquitur indefinite propter curiosos, qui scrutari volunt quis sit qui petit, utrum fortis, vel sanus, vel indigens, si idoneus, si notus : Christus autem indefinite loquitur : « *Qui petit*, » hoc est, qui se indigentem demonstrat, qualiscumque sit. Matth. x, 41 : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justî, mercedem justî accipiet*.

« Da ei. »

Luc. vi, 30 : *Omni petenti te, tribue*.

Sed quomodo impletur hoc à pauperibus ?

Dicendum, quod est spiritualis elemosyna, et corporalis : spiritalem omnes

¹ Job, xl, 17.

dare possunt, Tob. iv, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude.* Detur autem munus de corde, quod est compassio, Isa. LVIII, 10 : *Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Et ab hoc munere vocatur *eleemosyna*. Cum hilaritate dandum, II ad Corinth. IX, 7 : *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Cum verbo dulci dandum, Eccli. XVIII, 13 : *In omni dato non des tristitiam verbi mali.* Sine imperio dandum, Eccli. XX, 14 et 15 : *Datus incipientis non erit utilis tibi : oculi enim illius septemplexes sunt. Exigua dabit, et multa improperabit : et apertio oris illius inflammatio est.* Cito dandum, Eccli. IV, 3 : *Non protrahas datum angustianti.* Cantic. V, 14 : *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Multis dandum, Psal. CXI, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Cum jucunditate dandum, Eccli. XXXI, 28 : *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* Sic ergo dandum est. Dandum etiam est manu aperta, largiter, et non contracta, avare, Eccli. IV, 36 : *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum contracta.* Proverb. XXXI, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* Deuter. XV, 11 : *Præcipio tibi ut aperias manum tuam fratri tuo egeno.* Dandum etiam est opportune, ut necessitatem bonorum maxime sublevet, Ad Roman. XII, 13 : *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Dandum discrete, II ad Corinth. VIII, 13 et 14 : *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. In præsentem tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ*

sit supplementum. Indiscrete autem dat, qui se ipsum depauperat, ut alterius inopiam relevet.

Attende autem, quod Lucas dicit, Luc. XI, 41 : *Quod superest*¹, esse dandum. Glossa autem hic dicit, quod omne illud dare debeo, quod honeste possum dare : et ille cui do, potest honeste accipere. Et ex his duobus determinatur quæstio dandorum : Quia est considerare hominem in se singularem : et est considerare hominem in gradu, vel statu, in quo est constitutus : et multa quæ supersunt homini secundum se, non supersunt homini secundum gradum, in quo est in regimine familiæ : et tunc curam secundum Apostolum², et provisionem debet habere domesticorum. Aut forte est in prælatione et regimine magno vel parvo : et tunc oportet eum habere bona temporalia, quæ organice regimini suo subserviant : et hoc secundum conservationem sui honoris non potest dare, nec alius præter ea honeste petere : respondetur enim taliter petentibus illud Matth. XXV, 9 : *Ne forte non sufficiat nobis, et vobis.* Et ordo charitatis dicit : Ut mihi et meis primum, et tibi postea fac³. Et illud, quod supra induximus, II ad Corinth. VIII, 13 : *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, scilicet paupertatis.*

Et ex hoc terminantur omnia, quæcumque quæri possunt de hac materia.

« Et volenti mutuare a te, ne avertaris. »

Ecce secundum. De accommodato docet optimam et pacatissimam concivilitatem. Et est sensus :

« Volenti mutuare a te » pecuniam, vel aliquid aliud, « ne avertaris, » in voluntate mutuandi quod postulat, si poteris : quia in omnibus hoc Apostoli ver-

¹ Luc. XI, 41 : *Quod superest, date eleemosynam.*

² Cf. I ad Timoth. V, 8.

³ Cf. III Reg. XVII, 13, ubi Elias dicit viduæ

Sareptanæ : *Mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me : tibi autem et filio tuo facies postea.*

bum, II ad Corinth. vii, 13, subintelligitur: *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Et hoc quod dicitur, Luc. xi, 41: *Quod superest, date.* Et hoc quod dicit Glossa: « Quod honeste dare possum, et alius honeste accipere. » Et hoc quod dicit Apostolus, II ad Corinth. viii, 14: *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat.*

Non enim vult Dominus, ut necessarium, cujus lucro vivo, et provideo mihi et commisso mihi regimini, accommodem alii: et ego subeam tribulationem indigentiae, et destruat domus mea, vel regimen mihi commissum. Nec ordo charitatis hoc vult, quia dicit Apostolus, I ad Timoth. v, 8: *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

His ergo ita suppositis, accommodare debeo. Psal. cxi, 5: *Jucundus homo qui miseretur et commodat,* etc. Deuter. xxiii, 20: *Fratri tuo absque usura id quo indiget, commodabis.* Ezechiel. xviii, 8 et 9: *Vir si ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit, ... vita vivet.* Psal. xiv, 5: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.* Luc. vi, 35: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* E contra de usurariis dicitur, Isa. lix, 5: *Ova aspidum ruperunt, et telas aranæ texuerunt.* Secundum Chrysostomum enim, « Usura est venenum aspidis, quod latenter ad se omnes facultates domus, ad quam intrat, convertit: et lucrum est tela aranæ, quæ vento febris et mortis dissipatur. »

Utrum autem in usura transferatur dominium, vel non: et unde competit repetitio usurarum his qui solverunt eas: et utrum de usura possit fieri elemosyna: et utrum conjuncti usurario, sicut uxor et nati, de usuris vivere possint: quæstio est non pertinens ad istam intentionem.

Ex omnibus autem inductis hic est advertendum, quod lex talionis inventa est pro pace, *ut quietam, et tranquillam*

vitam agamus ut dicit Apostolus, I ad Timoth. ii, 2. Sed quia non facit pacem nisi exterius tantum, Christus implet eam, quod veniat in viscera et cor movendo, non resistere malo et impendere beneficium: hoc enim quietat corda, et pacem interiorem confert, ex qua procedit pax dulcis exterior. Sicut ipse dicit, Joan. xiv, 27: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego de vobis.* Quia lex mundi et vetus lex Moysi non potest cohibere nisi manum: Christus autem cor ponit in tranquillo pacis, ex qua procedit etiam pax exterior: et hoc est quod intendit.

« Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. »

43

Hic post omnia moralia et judicialia, inducit de ordine ejus, quod est finis et forma omnium mandatorum et consummatio.

Ad modum præcedentium dividitur pars ista in partes duas: ita quod primum præmittit id quod ab ipso implendum est de lege veteri: et subjungit novæ gratiæ congruentem impletionem, ibi, v. 44: *Ego autem dico vobis.* »

In primo horum duo dicuntur: modus scilicet, quo istud in lege propositum est: et secundo, id quod propositum est in lege.

Modus autem quo propositum est in lege, idem est cum præcedenti immediato: quia licet auditum omnis habeat de dilectione proximi, tamen non est antiquis dictum, nec naturale, quod est odire inimicum, quia in lege non est scriptum: et ideo non additur hic quod dictum sit antiquis, et hæc est causa, quod tali modo utitur hic loquendi.

« Diliges proximum tuum. »

Ecce lex quam proponit implendam: et continet duo, quorum unum est audi-

tum per naturam : alterum autem acceptum ut consequens ex illo.

Auditum per naturam dicit tria : dilectionem, dilectionis objectum et causam, et dilectionis privationem.

Et dilectionem dicit :

« Diliges. »

Est autem differentia inter amorem, dilectionem, et charitatem. Quia omnis quidem dilectio amor est, sed non convertitur : et omnis charitas amor est et dilectio, sed non convertitur. *Amor* enim est fluxus voluntatis, vel desiderii secundum velle bonum alicui : et est duplex, concupiscentiæ, et amicitiae. Amor concupiscentiæ est, quando aliquis vult bonum alicui propter concupiscentiam alicujus privati, et delectationis quam sibi inde putat provenire : sicut amantur cibi, vel mulieres propter concupiscentiam. Amor autem amicitiae est, quando aliquis bonum vult alicui propter se, vel propter utilitatem, vel delectationem quam habet in societate sua. *Dilectio* autem et secundum nomen dicitur quasi dilectio, quando cum ratione aliquid eligitur ad diligendum propter causas quæ in ipso ex ratione inveniuntur. *Charitas* autem est, quando dilectum sub charo ponitur pretio.

De amore proprie accipitur illud David, II Reg. I, 26 : *Doleo super te, frater mi Jonatha, decore nimis et amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium, ita te diligebam.* De dilectione proprie accipitur illud Sapientiae, Eccli. xxiv, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis.* De charitate illud Cantic. viii, 7 : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, scilicet charitate, quasi nihil despiciet eam.* Et, ad Roman. viii, 35 : *Quis nos separabit a charitate Christi ?* Tamen unum accipitur abusive in Scriptura sæpe pro alio : et tunc sic generaliter ac-

ciendo, amor est vis unitiva voluntatum ad idem velle et idem nolle. Tamen quia lex vetus imperfecta est, et cum facto ponit hic, « *diliges,* » quia causam quærit quare diligit, et non diligit gratis.

Et ideo sequitur :

« Proximum. »

In quo notatur et objectum et causa dilectionis. Objectum, quia diligitur, et in ipsum transit dilectio : causa autem est proximitas et conjunctio sanguinis, vel beneficii vel redilectionis secundum rem, vel secundum spem. Luc. x, 37 : *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones ? At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum.* Levit. xix, 18 : *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Matth. xxii, 39 : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Ad Roman. xiii, 10 : *Dilectio proximi malum non operatur.*

Et ponit privatam circa hanc dilectionem, quando dicit :

« Tuum. »

Non enim dicit omnem hominem : et primus uni non est proximus alteri, et sic erit (alias, erat) imperfectum, quinimo ex verbis Domini arguebant non proximum non esse diligendum. Exod. xxiii, 32 : *Inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te.* Unde, I Reg. xv, 11 et seq., abjecit Saul, qui pepercit Agag, regi Amalec, qui erat inimicus antiqui populi, et duxit ex eo prædam, cum exiret de Ægypto¹.

Et ideo cum nusquam scriptum sit in lege, arguebant tamen carnales, quod Dominus corde licet non verbo præciperet :

« Et odio habebis inimicum tuum. »

Et in suis traditionibus hoc posue-

¹ Cf. Exod. xvii, 8 et seq.

runt divinum esse præceptum. Dicebant enim Rab. Vasse, et Rab. Josue, et Rab. Joanna, et alii Scribæ, quod Deus dedit duplicem legem: unam scriptam in lapidibus, et aliam scriptam in cordibus sapientium: et in illa quæ scripta erat in cordibus sapientium, unum mandatum arguebatur ex alio: et secundum illam, quando Dominus dixit: *Diliges proximum*, scilicet appropinquantem tibi per amicitiam, ex consequenti dixit: « *Odio habebis inimicum*, » scilicet recedentem a te, et elongantem per inimicitiam. Unde ad proximantem diligere, opponitur elongantem se et longinquum odire: quia si unum contrarium est causa contrarii per se, alterum contrarium erit causa alterius contrarii etiam per se: sicut si album est causa disgregativa visus, nigrum erit causa congregativa ejusdem: sunt enim contraria album et nigrum: et contraria sunt similiter congregare visum, et disgregare. Et sic in lege sapientium dicunt esse, et tenebant, ac si scriptum esset, « *odio habebis inimicum*: » cum tamen, Levit. xix, 18, scriptum sit: *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Et constat, quod ultio non quæritur nisi de illis qui inimica nobis agunt: et illi sunt inimici: et illi sunt quos vocamus inimicos nobis, qui (alias, quia) injuriam nobis inferunt: et sic patet, quod nusquam lex continebat de odio inimici. Exod. xxiii, 5: *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo*. Ex hoc accipitur, quod lex præcipit quod etiam inimicis beneficiamus.

Sed objiciunt illud Deuter. vii, 2: *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum*. Sed hoc non valet, quia lex illa loquitur de inimicis Dei, sicut dicitur, Sapient. xii, 3 et 4: *Illos antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant*: et illis numquam debemus fœderari, nec misereri eorum, quando sunt obstinati, sed exterminandi sunt tales.

Nec valet, quod quidam objiciunt de lege talionis: quia illa solis iudicibus gladium portantibus conceditur: istud autem dicitur omnibus.

Constat igitur illam partem, « *Odio habebis inimicum tuum*, » lege non contineri.

Sed hoc fecit Judæis errorem, quod cum dicebatur: « *Diliges proximum tuum*, » proximum acceperunt ut causam dilectionis, eo quod proximus nullus diceretur nisi propinquans secundum actum beneficii, vel secundum gradum naturæ: et hoc patet per responsionem, quam Domino fecerunt, Luc. x, 37, ubi dicunt, quod proximus fuit, *qui fecit misericordiam* in sauciatum, et verum dixerunt quoad hoc: sed quia hoc non nisi ad corporalem propinquitatem retulerunt, et non ad spiritualem, falsum dixerunt.

Unde attendendum est, quod tam in spiritualibus quam in corporalibus, aliqui sunt conjunctiores nobis quam proximi. Et hoc patet in corporalibus: quia proximus est, qui est in proximo gradu conjunctus, et ille est frater et soror. Sed vicinius quam in gradu sunt parentes, quoniam parentes nostri sui aliquid habent in nobis: et ideo illi diligendi sunt plus quam proximi. Ab illis accipitur omnis propinquitatis ratio: quia frater et soror non conjunguntur nobis lateraliter, nisi quia sunt ab eisdem parentibus: et sic est deinceps in omnibus conjunctis. Unde etiam omnis propinquitatis a primo stipite et trunco ramorum computatur: et sic proximus non diligitur ut causa dilectionis, sed quia parentum qui sui aliquid habent in nobis, aliquid est etiam in illis: et tunc consequenter nostrum simile diligimus in proximis. Et ideo dicitur, Levit. xix, 18: *Diliges amicum tuum sicut teipsum*: quia aliquid simile tuiipsius, et ab eodem unde tu es, est in ipso: et quanto illud vicinius est, tanto plus secundum ordinem charitatis diligendum est: et si hoc est secundum corporalem propinquitatem,

multo magis hoc secundum propinquitatem spiritualem : *genus enim sumus Dei*, sicut dicitur, Act. xvii, 29. Et pater noster est Deus, formans nos ad imaginem et similitudinem suam : et consequitur ex hoc, quod ipse sit nobis conjunctissimus, et maxime diligendus. Malach. ii, 10 : *Numquid non pater unus omnium nostrum ?*

Secundum proportionem (alias, propagationem) igitur divinæ imaginis est sumenda causa dilectionis : et tunc cum omnis homo immediate sit a Deo imaginem participans, omnis homo est proximus. Et consequitur ex hoc, quod homo omnis sit secundum naturam diligendus, et nullus odiendus. Sapient. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.*

Eodem autem modo est intelligendum de proximo secundum impensionem beneficium : quia beneficium non impenditur nisi ex benignitate et pietate : et illa non sunt nisi ex actuali imitatione Patris cœlestis, sicut inferius ostendet Dominus. Similitudo ergo Patris cœlestis causa dilectionis est, non propinquatio per beneficium. Ratio enim non permittit, quod cum una sit dilectio Dei et proximi, quod non una et eadem sit ratio dilectionis. Nemo ergo odiendus est, similitudinem et gradum Christi in se repræsentans. Unde, Deuter. xxxiii, 3 : *Dilexit populos : omnes sancti in manu illius sunt.* Psal. xviii, 7 : *Nec est qui se abscondat a calore ejus.*

44 « Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros. »

Duo tangit in ista legis impletionem, sicut in aliis : auctoritatem dicti, et impletionem :

Auctoritatem dicti, cum dicit :

Ego autem dico vobis, »

Qui hoc per exemplum ostendo : quoniam ego dilexi vos, non prius propinquantes mihi, sed gratis. I Joan. iv, 10 : *In hoc est charitas non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Quinimo elongantes a me per inimicitiam ego dilexi propter imaginem Patris mei in ipsis, ad Roman. v, 8 et 9 : *Commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Si enim, Joan. xv, 19, mundo conceditur, ut quod suum est, diligit : multo magis conceditur Deo, ut quod suum est, diligit in omnibus : unde etiam sepultum in inferno Filium vocavit¹.

Sic ergo dico vobis,

« Diligite inimicos vestros, etc. »

Hic ponit ipsam impletionem.

Et dividitur in partes duas : in quarum prima dat impletionem : et quia difficilis est, in secunda persuadet per rationem, quod aliter lex ista non ducit ad perfectionem, quam legislator intendit, ibi, ꝯ. 45 : « *Ut sitis filii Patris vestri.* »

Primam harum partium dividit Glossa in tres paragraphos : quia dicit, quod contra Ecclesiam pugnatur tribus modis : odio, verbis, cruciatu corporis : et e contra Ecclesia diligit, benefacit, orat.

Et dilectionem quam opponit odio inimicorum tangit, dicens :

« Diligite inimicos vestros, »

Quia jam ostensum est, quod proximi sunt, et quod causa dilectionis est in eis secundum naturam, licet non agant secundum illud ex perversitate peccati superducta. « *Diligite* » ergo quod Patris vestri est in eis, et non quod perversitas superduxit. Unde Glossa dicit, quod est

Cf. Luc. xv, 20.

novum mandatum. Joan. xiii, 34 : *Mandatum novum do vobis*. Et, I Joan, ii, 7, dicitur mandatum vetus, et mandatum novum. Vetus enim est in causa dilectionis, quæ una est in omnibus qui diliguntur : sed novum est in modo, quia gratis diliguntur. Hoc secundum antiquum populum non intelligebatur, quia non habebant nisi mercatam dilectionem in proximo, appropinquante eis per obsequium, vel munus. Ad Roman. xii, 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbonem ignis congeres super caput ejus*. Proverb. xxv, 21 et 22 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitierit, da ei aquam bibere : prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi*.

« Benefacite his qui oderunt vos. »

Ecce secundum, ubi Ecclesia docetur benefacere his qui oderunt eam, exemplo Elisei, IV Reg. vi, 23, qui eos, qui venerant ad capiendum eum, magna præparatione ciborum procurari præcepit, et conduci ad locum tutum. Exemplo etiam David, qui Saul inimicum suum non occidit, sed ad vitam traditum in manibus ejus reservavit, quando præcidit partem vestimenti ejus in spelunca ¹ : et quando descendens in castra Saul invenit eum dormientem ². Job, xxxi, 31 : *Si non dixerunt viri tabernaculi mei : Quis det de carnibus ejus ut saturemur ?* Hos enim collegit in tabernaculo, et hospitalitatem exhibuit : qui si potuissent, carnes ejus devorassent ex odio. Exemplo etiam Christi, qui in ultima cœna propria manu cibavit traditorem. Ad Roman. xii, 21 : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*.

« Et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. »

Ecce tertium, et dicit duo : orandum

scilicet pro persequentibus aperte lædentibus, et pro calumniantibus qui sunt sub simulatione justitiæ lædentes. Jerem. xvii, 20 : *Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis*. Psal. cviii, 4 : *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam*. Psal. xxxiv, 13 : *Ego autem, cum mihi molesti essent, induer bar cilicio : humiliabam in jejuniis animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur*. I ad Corinth. iv, 13 : *Blasphemamur, et obsecramus*. Luc. xxiii, 34 : *Pater, mitte illis : non enim sciunt quid faciunt*. Act. vii, 60 : *Ne statuas illis hoc peccatum*.

« Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. »

Hic persuadet ex ratione, sicut docuit esse faciendum.

Et inducit primo duas rationes : et secundo, inducit conclusionem intentam, ibi, ̄. 48 : « *Estote ergo perfecti, etc.* »

Duarum autem rationum prima est divina, secunda est humana : et patent in littera.

In divina duo dicit : rationem imitationis nostræ ad Deum, et opus in quo imitari debemus.

Ratio imitationis est, quod nos filii : Deus autem Pater noster est. Hoc enim probandum est per imitationem : unde dicit :

« Ut sitis filii, »

Formati, et regenerati ex deformitate. Jacob. i, 18 : *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus* : creati enim ab ipso sumus in operibus bonis imitando ipsum. Joan. i, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*.

¹ Cf. I Reg. xxiv, ̄.

² Cf. I Reg. xxvi, ̄.

« Patris vestri. »

Joan. VIII, 41 : *Unum Patrem habemus, Deum.* Isa. LXIV, 8 : *Pater noster es tu, nos vero lutum : et fctor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.*

« Qui in cœlis est. »

Et ideo non movetur passionibus iræ, vel inimicitiae. Matth. VI, 9 : *Pater noster, qui es in cœlis.* Matth. XXIII, 9 : *Patrem nolite vobis vocare super terram : unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* Ad Hebr. XII, 9 et 10 : *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos : non multo magis obtemporabimus Patri spirituum, et vivemus ? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos : hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.*

« Qui solem suum oriri facit super bonos et malos. »

Ecce opus, in quo Patrem cœlestem imitari debemus, non quidem in specie operis, quia hoc non possumus, sed in genere, quod est providere omnibus lucra, et amicis et inimicis.

Unde in hoc opere tangit duo : unum, quod est effectivum et manifestativum omnis boni, quo indigent mortales : quia non sufficeret facere, nisi manifestaretur factum, eo quod occultum et invisum nesciretur : et hoc est :

« Qui solem suum, etc. »

Sol enim in obliquo circulo veniens et recedens causa est generationis eorum quibus nutrimur et vescimur : et lumine suo manifestat ea, et ingerit etiam nolentibus et non petentibus. Alterum autem est pluvia, quæ est materia generationis et nutrimenti omnium eorum quibus cibamur et potamur, et in aliis usi-

bus indigemus : et ingerit etiam se non petentibus.

Dicit ego primo :

« Qui solem suum, etc. »

Et dicit quatuor : quorum primum est vas universaliter fundens beneficium : et hoc est, quod dicit : « *Solem.* »

Secundum est, unde beneficium habet virtutem : et hoc notat, cum dicit : « *Suum,* » quia nisi Dei esset, sterile haberet lumen.

Tertium est fusionis beneficium modus : quod notat, cum dicit :

« Oriri facit. »

Quia nisi oriretur tam in circulis æque distantibus ab æquinociali, quam etiam in gradibus circuli obliqui, nihil faceret : quia si semper esset supra hemisphærium, dissolveret ea quæ nascuntur : et si semper esset sub hemisphærio, frigiditas vinceret, et nihil oriretur : nunc autem ortibus suis venit movendo et evocando : et occasibus recedit reprimendo, ne dissolvatur quod evocatum est, sed in interioribus repressa virtus confortata revocetur ad amplius incrementum in ortu posteriori.

Quarto tangit, quibus benefacit, cum dicit :

« Super bonos et malos. »

De vase ergo, per quod fundit beneficium, dicit :

« Qui solem. »

Sol dicitur solus lucens : quia, ut dicunt præcipui philosophi, in cœlo nihil lucet, nisi ab ipso : et ipse est vas lucis in omnes stellas fundens, et illis ad terram. Eccli. XLII, 2 : *Sol in adspectu annuntians in exitu, vas admirabile opus Excelsi.* I Reg. XI, 9 : *Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol.* Habac. III, 11 :

Sol et luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

« Suum. »

In hoc est omnis virtus solis, quod Dei, sicut omnis virtus sagittæ est in sagittante, et omnis virtus securis est in ædificante (alias, secante). Psal. xviii, 6 : *Ipse sole posuit tabernaculum suum : et ipse tamquam sponsus etc.* Baruch, iii, 35 et 36 : *Luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum.* Genes. i, 16 : *Fecit Deus duo magna luminaria : luminare majus, ut præesset diei.* Psal. xxxii, 6 : *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omni virtus eorum.* Eccli. xlvi, 5 : *Magnus Dominus qui fecit solem, et in sermonibus ejus festinavit iter.*

« Oriri facit. »

Ecce modus conferendi beneficium. Eccli. i, 5 et 6 : *Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur : ibique renascens, gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem.* Hic tangit utrumque ortum solis supra inductum : per unum enim facit distinctionem diei et noctis, et per alium distinguit quatuor anni tempora. Psal. ciii, 22 et 23 : *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur. Exhibet homo ad opus suum, etc.*

« Super bonos et malos. »

Hoc est, ad utilitatem bonorum et malorum : sed tamen propter bonos, quia, licet temporalia dentur bonis et malis a Deo, tamen propter bonos dantur, sicut patet, Genes. xviii, 23 et seq., ubi parvum fuisset multis malis propter paucos bonos, si inventi fuissent in Sodomis. Jacob. i, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non impropertat.* Psal. cxliv,

16 : *Aperis tu manum tuam, et implebis omne animal benedictione.* In eodem Psalmo, x. 15 : *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno.*

« Et pluit super justos et injustos. »

Secundum opus est, ubi ministrat materiam fructuum nascentium, et nutrimentum sine labore hominum.

Et dicit duo : ministerium, et communitatem suæ charitatis.

Ministerium est, quod pluit. Isa. lv, 10 : *Quomodo descendit imber et nix de cælo, et illic ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti.* Isa. xlv, 8 : *Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant justum : aperiat terra, et germinet Salvatorem.* Job, xxxvii, 11 et 12 : *Fruentum desiderat nubes, et nubes spargunt lumen suum : quæ lustrant cuncta per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis direxerit.*

« Super justos et injustos. »

Ecce beneficium communitas. Job, xxxvi, 31 : *Per hæc judicat populos, et dat escas multis mortalibus.* Ad Roman. x, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Joel, iii, 18 : *Fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum, hoc est, habitationem malorum : fons enim de domo Domini veniens est pluvia.* Job, xxxvi, 29 et 30 : *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.* Ex his accipitur quod si Deus de muneribus suis tam nobilibus et tam utilibus sic dat manifeste et indistincte bonis et malis, quod multo magis nos de muneribus ejus commune et manifestum et indistinctum debemus habere dilectionis effectum.

46 « Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt? »

Rationes hic inducit humanas, et sunt duæ : prima penes communitatem affectus : et secunda penes communitatem effectus.

Sumpta penes affectum est ista :

« Si enim diligitis, etc. »

Et tria facit : proponit enim antecedens, quod est diligere dilectione mercenaria, cum dicit :

« Si diligitis eos qui vos diligunt : »

Ita quod nobis sit causa dilectionis, quia diligimur.

Secundo, subinfert per interrogationem consequens, quod hæc dilectio non habet mercedem in cœlesti patria : et hoc est, quod dicit :

« Quam mercedem habebitis. »

Tertio, probat hoc a simili per dilectionem sæcularem, quæ fundata est super utile, vel delectabile, quando dicit :

« Nonne et publicani hoc faciunt? »

Qui tamen vacui sunt a mercede.

Sed videtur, quod diligentes nos debemus diligere : quia de hoc est in Proverb. vii, 17 : *Ego diligentes me diligo*. Ergo videtur, quod hæc dilectio non careat mercede.

Et dicendum, quia cum de Deo dicitur, hoc intelligitur, quod ipse diligit eos quibus dat gratiam diligendi se : et tunc quod diligunt, venit a Deo, et non ab eis. Osee. xiv, 5 : *Diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis*. Jerem. xxxi, 3 : *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans*. Jacob. iv, 4 : *Amicitia hujus mundi inimica est Deo. Quicumque ergo voluerit amicus*

esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. Non ergo est diligendum sicut publicani faciunt, quia illi diligunt potius lucrum mundi quam homines.

« Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt? » **47**

Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » **48**

Tria dicit hic, sicut in præmisso : quia præmittit antecedens conditionale, cum dicit :

« Si salutaveritis fratres vestros tantum. »

Et *fratres* dicuntur hic homines appropinquantes ad gradum proximi : salutatio autem vocatur exhibitio beneficii : quia de isto dicitur, Proverb. xviii, 16 : *Donum hominis dilatat viam ejus* : hæc enim est salutatio quam quærunt sæculares.

« Quid amplius facitis? »

Hoc est, super naturam quid additis? Et est secundum, in quo notat talem beneficentiam non esse remunerabilem.

Et hoc tertio probat de consimili, cum dicit :

« Nonne et ethnici hoc faciunt? »

Hoc est, gentiles notitiam Dei non habentes : natura enim hoc modo curva est in se ipsa, et diligit delectabilia et utilia sibi, sicut et asinus et bos : et hoc non est commendabile : quia dicit Aristoteles, quod « benefici est velle benefacere, et non recipere beneficium ab alio quo. » I ad Corinth. xii, 5 : *Charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum*. II ad Corinth. xii, 13 : *Libentissime impendam, et superimpendar ipse pro*

animabus vestris. II Reg. xix, 36 : Non indigeo hac vicissitudine.

« Estote ergo perfecti. »

Conclusio est intenta ex omnibus inductis. Et dicit duo : primo movet ad perfectionem : et secundo, perfectionis dat formam.

Primo enim movens dicit :

« Estote ergo perfecti. »

Perfectum est, quod extra se nullo alio indiget ad agendum : et sic est charitas gratuita, quæ nec delectabile quærit, quo juvetur ad diligendum, sed in se gratuita dilectione sibi sufficit, et perfecta est. I ad Corinth. xiii, 10 : *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Sic, Genes. vi, 9 : *Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis : cum Deo ambulavit, gratis diligendo, sicut Deus.* Ad Ephes. iv, 13 : *Occurramus omnes in virum perfectum, et mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

« Sicut et Pater vester, etc. »

Quatuor dicit : proponit Patrem, subjungit imitationis debitum, adjungit affectus serenitatem, conjungitque in his perfectionem quæ nostræ perfectionis est forma, et exemplum.

Ex hoc enim quod dicit :

« Sicut et Pater, »

Accipitur constans ad nos affectus, qui

etiam illata injuria non provocatur, neque beneficia subtrahit. Ad Hebr. i, 5 : *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Luc. xv, 22, dixit ad filium prodigum, qui iram meruerat : *Cito proferte stolam primam, etc.*

Debitum autem imitandi tangit, cum dicit :

« Vester. »

Malach. i, 6 : *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus ?* Jerem. iii, 19 : *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis.* Ad Hebr. xii, 9 : *Non multo magis obtemporabimus patri spirituum, et vivemus ?*

Serenitatem affectus autem inflexam dicit, jungendo :

« Cœlestis. »

Quia cœlestia nulla commoventur turbulentia, sicut et Pater Deus peccatis in se factis non turbatur ad inimicitias iræ, ut non beneficiat. I ad Corinth. xv, 48 : *Qualis cœlestis, tales et cœlestes.* Joan. iii, 31 : *Qui de cœlo venit, super omnes est.*

In his ergo

« Perfectus est, »

Quia semper in honestate quieti cordis permanens, largitatis beneficia non subtrahens. II ad Timoth. ii, 13 : *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ipsum non potest : nullus enim omnino perfectus est, quem injuria provocat, et extra sui ipsius removet potestatem.*

CAPUT VI.

Docet Christus quo modo faciendæ sint eleemosyna et oratio, traditque discipulis formam orandi, et offensas aliis condonandi : item quo modo sit jejunandum : quod non in terra sed in cœlo thesaurizandum, oculus mundandus, non serviendum duobus dominis : vitat itaque sollicitudinem de victu, vestitu, et de crastino.

1. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem, civitatem qui in cœlis est.
2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.
3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua,
4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito : et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.
5. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.
6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito : et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.
7. Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici : putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.
8. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.
9. Sic ergo vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum ¹.
10. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.
11. Panem nostrum supersubstantialium da nobis hodie.
12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
13. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.
14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra ².
15. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.
16. Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes : exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.
17. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava,
18. Ne videaris hominibus jejunans,

¹ Luc. xi, 2.

² Eccli. xxviii, 3-8 ; Infra, xviii, 35 ; Marc.

xi, 28.

- sed Patri tuo qui est in abscondito : et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.
19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur.
20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur ¹.
21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.
22. Lucerna corporis tui est oculus tuus ². Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.
23. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt!
24. Nemo potest duobus dominis servire ³ : aut enim unum odio habebit et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ.
25. Ideo dico vobis : ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum ⁴ ?
26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea : et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis ?
27. Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ?
28. Et de vestimento quid solliciti estis ? Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant, neque nent.
29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut unum ex istis.
30. Si autem fœnum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei !
31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ?
32. Hæc enim omnia gentes inquirent. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.
33. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.
34. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi : sufficit diei malitia sua.

¹ Luc. xii, 33 ; I ad Timoth. vi, 19.

² Luc. xi, 34.

³ Luc. xvi, 13.

⁴ Psal. liv, 23 ; Luc. xii, 22 ; ad Philip. iv, 6 ; I ad Timoth. vi, 7 ; I Petri. v. 7.

IN CAPUT VI MATTHÆI

ENARRATIO.

« Attendite. »

Hic incipit pars illa, quæ est de modo justitiæ impletæ et abundantis. Virtutis enim opus consistit plus in modo quam in factis, secundum quod dicitur, Deuter. xvi, 20 : *Juste quod justum est persequeris*. Omnis autem modus abundantis justitiæ consistit in recta operis intentione, secundum quod intentio sumitur pro ea quæ tendit in finem : quia quantum est de natura operis, non tendit in finem, nisi substantialiter fini debitis circumstantiis proportionetur : hoc autem in sequentibus istius particulæ ostendetur.

Dividitur hæc pars in partes duas : in quarum prima docet modum abundantis justitiæ : et in secunda, istius modi ostendit utilitatem, ibi, 22 : « *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* »

Anterior autem harum partium dividitur in duas partes : ita quod in prima docet modum recti finis in justitia abundante specialiter : in secunda, generaliter, ibi, 19 : « *Nolite thesaurizare vobis.* » Ibi enim hoc quod dixerat de justitia, ad omne docet referre opus virtutis.

Ubi autem in priori loquitur de justitiæ modo, duo dicit : ponit enim justitiæ generalis modum primo, et secundo, ponit modum partium justitiæ satisfaciens, ibi, 2 : « *Cum ergo facis eleemosynam.* »

Circa primum ergo dicit tria : monet enim attendere, ponit mali modi prohibitionem, et prohibitionis inducit persuasionem. Et hæc patent in littera.

Dicit igitur :

« Attendite. »

Cum enim impleta sit justitia omnis, et inscripta visceribus, et in naturæ modum incipit operari justa.

« Attendite, »

Hoc est, vosmetipsos ex toto tendite observando : quia superbia (quæ est in appetitu laudis) non solum in malis operibus exercetur, ut fiant, sed etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant, ut dicit Augustinus in *Regula*. Psal. ci, 9 : *Qui laudabant me, adversum me jurabant*. Attentione ergo opus est, ne perfecta justitia, cum de visceribus prodire incipit, mox in ortu suo per inanem laudem destruat. Deuter. xxvii, 9 et 10 : *Attende, et audi, Israel : hodie factus es populus Domini Dei tui : audies vocem ejus, et facies mandata atque justitias, quas ego præcipio tibi.*

« Ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est. »

In ista prohibitionem tria dicit : supponit enim duo, est prohibet tertium. Primum quod supponit, est quod justitiam suam secundum quod supponit, est quod coram hominibus faciendo exemplum ostendant : tertium prohibet, ne oculo beneplaciti videri ab hominibus appetant.

Dicit ergo :

« Ne justitiam vestram faciatis. »

Tria dicit : rectitudinem, rectitudinis voluntatem, et rectitudinis opus. Justitia enim dicit rectitudinem. Psal. xviii, 9 : *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda*. Isa. xxvi, 7 : *Semita justi recta est, rectus callis justi*. Hæc justitia vestra est, quando de vestro habet : quod autem li-

bere vestrum est, sola voluntas cordis est, quando ex dilectione fit justitia. Canticor. I, 3 : *Recti diligunt te.*

Sed contra hoc esse videtur, quod dicit Apostolus, ad Philip. III, 9 : *Et inveniar in illo, non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu.*

Et dicendum, quod aliter dicitur *recta mea justitia quæ ex lege est*, quam hic dicitur, *justitiam vestram* : quia legis justitia dicitur Pauli, sed quod ante conversionem considerabat in lege, tamquam salus esset in ea. Hic autem vult quod justitia Evangelii sit *nostra* per voluntatis liberæ applicationem : quæ tamen Christi est sicut auctoris et datoris. Ad Roman. X, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Sic igitur justitia Dei (non legis) dicitur *nostra*, Isa. LVIII, 8 : *Anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te.*

« Coram hominibus. »

Matth. V, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Luc. XII, 35 : *Lucernæ ardentes in manibus vestris.*

« Ut videamini ab eis. »

Hoc est, ne faciatis hoc fine, ut videamini oculo beneplaciti, sed potius ut Deus videatur, et laudetur, qui mirabilis est in sanctis suis. Ad Galat. I, 10 : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Psal. LII, 6 : *Confusi sunt qui hominibus placent, quoniam Deus sprexit eos.*

« Alioquin. »

Hic prohibitionis inductæ inducit persuasionem : quia opus relatam ut ad fi-

nem, ad laudem et ad placentiam hominum caret mercede apud Deum.

Et hoc est :

« Alioquin, »

Id est, si aliter retuleritis opus,

« Mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. »

Hoc est, in beatitudine : quia mercedem posuistis in linguis adulantium. Ad Roman. IV, 2 : *Habet gloriam, sed non apud Deum.* Matth. VI, 2 et 3 et 16 : *Receperunt mercedem suam*¹.

Et attende, quod notat tria : primo, mercedis perditionem, cum dicit : « *Alioquin mercedem non habebitis.* » Et ne aliquis credat, quod hoc sit ex ingratitude Dei, cui non sit acceptum, dicit : « *Apud Patrem vestrum,* » qui pro affectu quem habet ad nos, libenter acceptaret, et remuneraret, si ad ipsum referretur. Sed ne adhuc credatur, quod ex mutabilitate passionum agitatus non acceptet, dicit tertio : « *Qui in cœlis est,* » ubi nihil subjacet hujusmodi immutabilitati passionum. Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur,* etc.

« Cum ergo facis eleemosynam. »

Hic incipit ponere de partibus justitiæ satisfaciens, de commissis exterius bonis, et de spiritu, et de corpore. Et secundum hæc tria, sunt tres partes istius partis, et ordinantur secundum quod magis laus de ipsis quæri consuevit.

Circa primam partem dicit duo : primo enim excludit mali finis intentionem : et secundo, inducit qualiter fiat bono fine, ibi, V, 3 : *Te autem faciente eleemosynam.* »

In prima harum sunt tres differentiæ :

¹ *Receperunt mercedem suam* : et addit S. Au-

gustinus : « Vani vanam. »

in quarum prima eleemosynam innuit esse voluntariam : in secunda, malæ intentionis ponit prohibitionem : in tertia, ut melius vitetur, adjungit prohibitionis persuasionem.

De prima harum dicit :

« Cum ergo facis eleemosynam. »

Tria dicit : innuit enim non semper fieri, cum dicit :

« Cum. »

Quasi dicat : Non semper poteris facere, quia facultates non suppetunt, nec semper adest voluntas. Marc. xiv, 7 : *Semper pauperes habetis vobiscum : et cum volueritis, potestis illis benefacere.* II ad Corinth. viii, 13 : *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Tribulatio autem paupertatis fieret dantibus, si semper darent.

Secundo, eleemosynæ innuit voluntatem in effectu, cum dicit :

« Facis, »

Quia non sufficit verbum, si adest facultas : sed oportet juxta facultates ostendere in opere. II ad Corinth. viii, 11 : *Nunc vero et facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo quod habetis.* Jacob. ii, 15 et 16 : *Si frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini : non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit, vobis scilicet ?*

Tertio eleemosynæ innuit causam et radicem, cum dicit :

« Eleemosynam. »

Dicitur enim ab ἔλεος, quod est *misericordia* : quia ex misericordia debet procedere. I Joan. iii, 17 : *Qui habuerit sub-*

stantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo Dei manet in eo ? Job, xxx, 25 : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* Hoc est communicare necessitatibus pauperum. Ad Roman. xii, 13 : *Necessitatibus sanctorum communicantes.*

Sed contra dicta objicitur, Tob. iv, 7 : *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere* : ergo semper et omnibus est dandum. Lucæ, vi, 30 : *Omni petenti te, tribue.*

Adhuc, habentes hujus mundi copias, Dei sunt œconomi : ergo quoties venit filius Patris cœlestis, toties dare debent, vel impietatis et crudelitatis vitio arguuntur.

Adhuc, præceptum est ut dent : ergo non dantes, cum petitur, transgrediuntur.

RESPONSIO. Non potest fieri, quod semper et omnibus detur, quia ultra necessitatem non suppetunt copiæ facultatum : sed cor omnibus dandum est, et indignatio nulli est ostendenda. Et ideo non dicit Tobias, quod omnibus det, sed quod vultum non avertat indignanter ab aliquo. Et hoc est, quod Lucas dicit, quod omni petenti nos tribuamus, quando facultates non habemus.

Ad aliud dicendum, quod ita fidelis debet esse œconomus, quod etiam sit prudens : imprudens autem est, si de remissione aliorum sibi tribulationem fecerit. Matth. xxiv, 45 : *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam ?*

Ad ultimum dicendum, quod præceptum est affirmativum, et licet semper obliget, tamen non obligat ad semper faciendum, sed in tempore opportuno, hoc est, cum adest facultas ex copiis, et præsens est indigentia sine aliquo alio sublevamine petentis.

« Noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt. »

Ecce prohibitio. Et dicit quatuor : quorum primum est sonitus manifestati (alias, manifesti) operis : secundum, modus falsæ et apparentis sanctitatis : tertium, locus oportunus humanæ laudis : quartum, finis intentus humani favoris. Et hæc patent in littera.

In primo notantur quatuor : quorum primum est modus prohibitionis, cum dicit :

« Noli. »

In verbo enim *nolo, non vis*, per totum condeclinium actus voluntatis manet affirmatus, et negatio refertur ad volitum. Unde sensus est :

« Noli. »

Hoc est, velis non fieri. Ad Hebr. iii, 12 : *Ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo.*

Secundum est sonus manifestati (alias, manifesti) operis, qui notatur, cum dicit :

« Tuba. »

Quidquid enim ex intentione propalat opus ad laudem, *tuba* vocatur. Daniel. iii, 5 : *In hora qua audieritis sonitum tubæ, et fistulæ, et citharæ, ... cadentes adorate statuam*, etc. Psal. ix, 7 : *Periit memoria eorum cum sonitu* : sonus autem tubæ ad communitatem pertinet.

Tertium est placencia talis soni : et hanc notat, cum dicit :

« Canere. »

Quia delectatur in tali sono, sicut in cantu musico. Amos, v, 5 : *Sicut David putaverunt se habere vasa cantici.* Job, xxi, 12 : *Tenant tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi.*

Quartum est respectus ad hoc, sicut ad primum et præcipuum sui operis fructum : et hoc notat, cum dicit :

« Ante te. »

Si enim post se esset, quod videlicet tentaret, et non præcederet, humana hæc esset tentatio : sed quando præcedit, diabolica est elatio. Osee, xii, 1 : *Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum : tota die mendacium et vastitatem multiplicat.* Ventum enim pascere est auras laudis per dona muneris provocare, et gloriam illam æstu humanæ laudis sitire. Et sic multiplicantur adulantium mendacia, et vastantur bona in æternum (si non esset laus humana) valitura. Isa. xxiii, 16 : *Bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.*

« Sicut hypocritæ faciunt. »

« Ecce modus falsæ et apparentis sanctitatis. Est enim hypocrita idem quod *subresponsor*, ut dicit Chrysostomus, quia personas extraneas allegantes responsa dabant reboantes in boatu : quia hypocrita fuit antiquitus dictus, qui in theatris sibi heroum circumligabant larvatas imagines, et sonabant per illas : et dum spiritus sonans ab ore loquentis repercutiebatur ad larvam, fiebat boatu magnus, propter quem boatum, ut dicit Boetius in libro de *Duabus naturis et una persona Christi*, « *persona media* » syllaba circumflecti debet, cum tamen « ex compositione mediam deberet habere correptam. » Idem autem est hypocrita in græco, quod *persona* in latino, hoc modo dicta¹ : et hoc modo translatum est vocabulum ad eos qui reboant ex auctoritate dignitatis, vel prælationis alicujus, quos *personas* appellamus. Horum ergo magnorum facies alligant, qui boatum laudis ab hominibus desiderant. Dicunt autem quidam, quod dicitur ab

¹ Ἰποκριτής (R. ὑπό, κρίνομαι).

ὑπό, quod est *sub*, et χρώσις, quod est *aurum*, vel conversione latet. Hoc tamen non videtur verum, sed potius ab ὑπό, quod est *sub*, et κριτής, quod est *larva*, vel *facies*. Isa. xxxiii, 14 : *Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas*. Job, xx, 5 : *Gaudium hypocritæ ad instar puncti*. Sapient. 1, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*.

« In synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. »

Ecce loca laudi congruentia. Tangit autem duo : locum, in quo confluunt ad cultum Dei multitudines, et hæ laudant apparentem sanctitatem, ibi, « *In synagogis* : » et locum ubi confluunt ad negotia propria, et hæ laudant apparentem largitatem, ibi, « *Et in vicis*. » Matth. xxiii, 5 : *Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus*.

Et attende, quod etiam si nullus intersit dationi, tamen dum hæc intendunt, non nisi multitudines imaginantur, et corde vident : et ideo etiam quando soli sunt, coram multitudine et turbis faciunt hoc quod faciunt. Sapient. vi, 3 : *Placetis vobis in turbis*. »

« Ut honorificentur ab hominibus. »

Ecce finis intentus, laus et honor. Honor enim, ut dicit Philosophus in I *Ethi-corum*, est præmium virtutis, et hunc quærunt fieri sibi, non tantum dari : et ideo dicit, *honorificari*. Honor fit, quando ex hoc facto in honoris gradu ponitur : quia ideo seminant pecuniam ut amplius crescat multiplicato fructu in gradu honoris quem assequi intendunt. Joan. v, 44 : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis?* II ad Corinthi. xii, 1 : *Si gloriari oportet (non expedit quidem), quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor*. I ad Timoth. i, 17 : *Soli Deo honor et gloria*.

« Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. »

Et ideo in futuro nihil recipient.

Hic enim inducit persuasionem, ut vitetur intentio laudis : qui enim intentione pietatis dat, habebit mercedem in æternum durantem. Psal. cx1, 9, et II ad Corinth. ix, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi*. Ad Hebr. x, 34 : *Cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam*. Hi autem receperunt, quod receptum perdiderunt : quia in ipsa receptione fugit aura laudantis. Aggæi, i, 6 : *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum*. Hoc notatur, Eccli. xxxi, 8 : *Beatus dives... qui post aurum non abiit*. Abit enim aurum in largitate munerum, et cum ipso abit, qui in dando quærit auram favoris : sed permanet, qui sperat mercedem justitiæ immortalis.

« Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. »

Hic tangit verum modum faciendi eleemosynam.

Et dicit duo : eleemosynæ videlicet perfectionem, et eleemosynæ mercedem.

In perfectione eleemosynæ sunt tria : opus, et spiritualitas quæ est causa operis, et intentio : et hæc omnia patent in littera.

De opere dicit :

« Te autem faciente eleemosynam. »

Et notantur tria : discretio facientis, perfectio facti, et compassio ejus cui fit. Discretio notatur, cum dicit :

« Te. »

Quasi dicat : Non alio quodam. Cum

enim laude emptā est, non facimus, sed vendimus : similiter cum instantia peccantis extorta est, non facimus, sed cogimur. Sed non facimus, quando sola gratia facimus, et voluntarie : ideo etiam eleemosyna vocatur *omnis gratia*, quia gratis vult dari in causa, et in dato, et intentione. II ad Corinth. ix, 8 : *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.*

« Faciente. »

In hoc notatur perfectio eleemosynæ.

Est autem ejus perfectio ex profusione et largitate muneris, et lenitate sermonis, et expeditione collationis, et discretione ejus, cui dandum est, pauperis. Et ab his quatuor operis istius resultat perfectio.

De profusione muneris, Proverb. iii, 9 : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei, in sinu scilicet pauperum.* Non enim honorat qui non Deo dignum dat, nec de primitiis offert qui vilia dat. Unde Abel, Genes. iv, 4, obtulit de adipibus gregis sui. II ad Corinth. ix, 5 : *Præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tamquam avaritiam.*

De lenitate sermonis, Eccli. xviii, 16 : *Nonne ardorem refrigerabit ros ? sic et verbum melius quam datum.*

De expeditione collationis, Proverb. iii, 28 : *Ne dicas amico tuo : Vade, et revertere, cras dabo tibi : cum statim possis dare.*

De discretione ejus cui dandum est, Eccli. xii, 1 : *Si benefeceris, scito cui feceris, et erit gratia in bonis tuis multa.* Ad Roman. xii, 1 : *Rationabile sit obsequium vestrum.*

« Eleemosynam. »

Hic tangitur compassio : quia non est

dandum ei qui non habet indigentiam : quia misericordiam non impendit opportunam, qui non attendit ejus, cui dat, miseriam. Isa. lviii, 7 : *Frangere esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum.* Unde etiam semini appropriatur eleemosyna : nec umquam semen super semen seminatur, vel ager bis seminatur. Psal. cxxv, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.* Flebant ex compassione, seminabant eleemosynæ collatione.

« Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. »

Ecce eleemosynæ causa, sive spiritualitas. Si enim dextera est unde motus, sicut in præhabitis diximus, et sinistra defectus carnis, damnose sciret sinistra eleemosynam, quia retraheret ab ea. Unde consulenda est dextera de eleemosyna, quæ secundum Apostolum, ad Roman. vii, 22, *condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem*, et est conscia et condelectata operi virtutis. Sinistra autem est id non bonum, quod habitat in carne nostra, quod incendit (alias, intendit) ad æstum et flammam vitiorum. Mich. vii, 5 : *Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Genes. xxi, 5 : *Expectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Puer est spiritus qui ab homine assumendus est : servi sunt curæ carnales, et asinus corpus, qui relinquendi sunt ad tempus, quia retrahunt a bono. Unde etiam famulis erat occultum Patriarchæ sacrificium.

« Ut sit eleemosyna tua in abscondito. »

Ecce intentio. In abscondito enim debet esse quoad intentionem. Eccli. xxix, 15 : *Conclude eleemosynam in sinu pau-*

peris, et hæc pro te exorabit ab omni malo.

« Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. »

Ecce merces, per quam invitat ad occultum intentionis.

Et dicit tria : Dei affectum propter assimilationes, et Dei acceptabilitatem, et eleemosynæ retributionem.

Affectum ex assimilatione tangit, cum dicit :

« Pater tuus, »

Quem imitaris, qui etiam sine jactantia dona confert plurima. Jacob. I, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat* : et ideo dicitur *pater luminum*, Ibidem, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* : eaque mera liberalitate dat, et non ob gratiam favoris. Ad Ephes. IV, 8 : *Dedit dona hominibus.*

« Qui videt in abscondito. »

Ecce acceptabilitas. Non enim loquitur de simplicis notitiæ visione : de qua dicit, Proverb. V, 21 : *Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat* : sed de visione beneplaciti, quando cordis amorem indicat oculus, Psal. XXXIII, 16 : *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* I Reg. XVI, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

« Reddet tibi. »

Ecce retributio. Isa. III, 11 : *Retributio manuum ejus fiet ei.* Luc. XIV, 13 et 14 : *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos : et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.*

Illud autem, quod dictum est supra, quod *nesciat sinistra tua*, etc., in libro qui intitatur *Canones Apostolici*, aliter exponitur ab ipsis Apostolis. Dicunt enim, quod dextra sunt qui erunt ad dextram in judicio, hoc est, boni Christiani : et sinistra sunt qui erunt ad sinistram, mali omnes, et maxime infideles : et hi non debent scire de factis, scilicet de eleemosyna bonorum Christianorum Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Joan. II, 24 et 25 : *Ipse Jesus non credebatur semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine.*

Sic ergo terminatum est de prima parte justitiæ, quæ est in distributione eorum quæ commissa sunt nobis.

« Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ. »

Hæc est secunda pars, quæ est de parte justitiæ, quæ est oratio.

Et objicitur : Tullius enim qui determinat partes justitiæ, non ista ponit inter partes, sed potius obedientiam, veritatem, severitatem, vindicationem, et religionem, et cæteras hujusmodi partes. Sed ad hoc dicendum, quod Tullius ponit partes formales justitiæ, quæ sunt specificantes modos debiti : quod reddit justitia hic autem partes materiales, in quibus justitia reddit unicuique quod suum est.

Sed tunc iterum quæritur, quia materialis multiplicatio non pertinet ad artem, quia infinita est, neque de talibus potest fieri disciplina, sicut dicit Plato. Et ad hoc dicendum, quod non sunt materiales omnino partes istæ, sed sunt genera eorum, in quibus, et de quibus justitia unicuique reddit quod suum est. Hoc enim (alias, autem) non potest facere nisi aut de interioribus pertinen-

tibus ad nos, aut de exterioribus : et tunc erunt illa aut spiritus, aut corporis : et hæc tria in littera exsequitur.

Tangens ergo rectam intentionem orationis duo dicit : intentionem videlicet in orando, et quid petendum, ibi, §. 9 : « *Sic ergo vos orabitur.* »

In prima harum adhuc duo docet : vitare videlicet malam intentionem, et cavere errorem, ibi, §. 7 : « *Orantes autem nolite multum loqui.* »

Docendo autem vitare malam intentionem duo tangit : vitiationem scilicet malæ intentionis, et qualiter orandum ut excludatur mala intentio, ibi, §. 6 : « *Tu autem cum oraveris,* etc. »

Adhuc, in priori duo facit : prohibitionem enim ponit malæ intentionis, et persuasionem prohibitionis, ibi, « *Amen dico vobis, receperunt,* etc. »

Circa primum horum dicit quinque : quorum primum est perfectio orationis, circa quam excludenda est mala intentio : secundum est exclusio malæ intentionis ex forma male intendentium : tertium est locus congruens male intendentibus : quartum est superba rigiditas sic orantium, quæ intelligitur ex positione corporis : quintum est intentio humanæ laudis.

De primo igitur dicit :

« Et cum oratis. »

« Oratio, ut dicit Damascenus, est petitio decentium a Deo, et ascensus intellectus in Deum. » Oratio enim dupliciter dicitur : aut enim est expositio et effusio petitionis, sive precum : aut est ea quæ in oratione est invocatio divina. Et primo quidem modo, oratio est petitio decentium a Deo : et dicuntur decentia, quæcumque Deus dat, quæ ad decorem regni perducunt. Infra, §. 33 : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Invocatio autem orationis est potius secundum orationis virtutem, quando vocatur Deus

in nos : non enim tunc ad nos, ut dicit Dionysius, attrahimus Deum, sed potius exaltamus nos in Deum : et hoc est, quando intellectus ab exterioribus revocatur, et tota virtute interioribus convolutus, adhærens Deo pietate et devotione in Deum elevatur, sicut dicit secunda diffinitio.

Augustinus autem considerans, quod oratio declarat affectum, et non intellectum, dicit quod « oratio est pius affectus » mentis in Deum directus. » Cum autem dicitur pius affectus, pietas notat tria : cultum, devotionem, et dulcedinem liquefacti cordis ex calore charitatis ad cultum Dei, in quo est. Affectus autem notat voluntatis affectionem (alias, affectivæ) desiderium. Directio autem in Deum, rectitudinem intentionis, et ascensum cordis in Deum : hæc est enim virtus orationis. Et sic dicitur, Luc. xviii, 1 : *Quoniam oportet semper orare, et non deficere* : hæc enim orationis est perfectio.

Per hoc autem, quod dicit :

« Cum oratis, »

Notat, quod non semper orare tenemur.

Sed si objicitur, quod dicit Apostolus, I ad Thessal. v, 17 : *Sine intermissione orate.* Dicendum, quod sine intermissione orat, qui contrarium orationi nihil interponit. Hoc autem peccatum est mortale. Act. 1, 14 : *Erant perseverantes unanimiter in oratione.* Ad Coloss. iv, 2 : *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.*

« Non eritis sicut hypocritæ. »

Quid sit hypocrita, dictum est in præhabitis¹ : et excludit formam falsam vanæ orationis. Job, viii, 13 et 14 : *Spes hypocritæ peribit, et sicut tela aranearum fiducia ejus.* Isa. ix, 17 : *Omnis hypocrita est et nequam,* etc.

¹ Cf. enarrationem in §. 2 hujusce capituli,

« Qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. »

Locum tangit simulationi congruum ex duobus : ex cultu, et ex similitudine occultationis. Ad synagogas enim multi causa cultus Dei conveniunt, qui opera divina laudant : et ibi ostendit se hypocrita. Platea autem dicitur a græco πλατὺ, quod est *latum* : et sunt latæ strætæ angulariter se intersecantes, ubi e diversis viis plurimorum est transitus : et angulus quidem ex hoc quod in puncto terminat lineas, et adstringit, præterdit apprens occultum : ex hoc autem quod est superficiei planæ inter lineas, patulum transeuntibus præbet adspæctum, habet locum observatum. « *Ut videantur* » quidem ad laudem orationis, et videantur velle non videri ad laudem etiam falsæ intentionis. Job, xxxvi, 13 : *Simulatores et callidi provocant iram Dei.* Matth., xxiii, 27 : *Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia.* Ossa mortuorum sunt virtutes apparentes, quæ intus fœtent in conscientia.

« Stantes orare. »

Ecce superba rigiditas sic orantium, qui humiliari nolunt. Job, xv, 26 : *Cucurrit adversus eum, scilicet Deum, extento collo, et pingui cervice armatus est.* Luc. xviii, 11 et 12 : *Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in sabbato, etc.* Orans enim genua flectit, vel totum se prosternit in humilitate coram Deo. III Reg. viii, 54, Salomon cum oraret, *utrumque genu in terram fixerat.* Exod. iv, 31, Hebræi adoraverunt proni in ter-

ram. II Paralip. in oratione Manassæ, sub finem : *Flecto genua cordis mei, precans a te bonitatem. Peccavi, Domine, etc.*

« Ut videantur ab hominibus. »

Ecce intentio humanæ laudis.

Attende autem, quod est duplex visio, rei scilicet et videntis. Visio rei est, quæ a re causatur : et illa non est peccatum in bono opere, sed potius est ædificationis exemplum. Alia est visio videntis hominis, et hæc est quam deceptus habet homo de eo quod apparet, et non est : et hæc est quam desiderant hypocritæ. Job, xv, 34 : *Congregatio hypocritæ sterilis.* Joan. xii, 43 : *Dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei.*

« Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. »

Persuasio est præcedentium.

Et tangit duo : confirmationem, cum dicit :

« Amen dico vobis. »

Proverb. xii, 19 : *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.*

« Receperunt mercedem suam. »

Mercedem quidem operis receperunt, quoniam perdiderunt, sed mercedem peccati recipiunt in suppliciis æternis. Ea enim merces operis quæ est in verbis, perditur, quando recipitur in laude verborum : quia, ut dicit Horatius,

Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

Sicut dicit Aristoteles : « Quod semel dictum est, amplius resumere non potest : non enim habet aliquam in suis partibus permanentiam, sicut aliæ quantitates. » Ad Roman. i, 27 : *Mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.*

« Tu autem cum oraveris. »

Hic dicit qualiter orandum, ut excludatur mala intentio.

Et dicit duo : qualiter orandum bona intentione, et qualiter cavendus est error gentium, ibi, *7* : *Orantes autem nolite multa loqui.* »

In primo sunt duo paragraphi : in quorum primo ponit ea quæ faciunt ad bonam intentionem : et in secundo, huic orationi conjungit mercedem.

In primo horum sunt quatuor : quorum primum est orationis perfectio in opere : secundum est id quod facit ad orationis occultum : tertium, quod dirigit orationem in Deum : quartum, quod dat rectam orationi intentionem.

De primo horum dicit :

« Tu autem cum oraveris. »

Quasi dicat : « *Tu,* » qui non carnem, non aulam sequeris, « *cum oraveris,* » vere in spiritu. Joan. *iv*, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* I ad Corinth. *xiv*, 15 : *Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente.* I ad Timoth. *ii*, 8 : *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira et disceptatione.*

« Intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito : et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. »

Tangit orationis secretum.

Et tangit duo : locum secreti, et custodiam.

« Intra in cubiculum tuum. »

Locum tangit per cubile, ubi in secreto mentis cum Deo cubandum est. Cantic. *iii*, 4 : *Introducā illum in cu-*

biculum genitricis meæ, hoc est, sapientiæ. Sapient. viii, 16 : Intrans in domum meam, conquiescam cum illa.

« Et clauso ostio. »

Ecce tutela secretorum cordium. Sicut autem cubiculum est secretum cordis et spiritus, ita clausura ostii est firmatio sensuum ab ingressu phantasmatum. Licet enim sensus particulares quinque sint, tamen sensus communis, qui in corde est, unus est : et ille componendo phantasias sensibilium turbat cordis secretum : et istæ phantasiæ sunt aves, quæ descendebant super sacrificium Abrahæ, quas abegit¹. Et sunt muscæ morientes, quæ perdunt suavitatem unguenti². Ab his ergo ostium cordis firmandum est, et intra cubiculum manendum. Et hoc significatum est, Judith, *viii*, 5, ubi dicitur, quod in superioribus domus suæ, longe a strepitu sensuum in altitudinem spiritus, fecerat sibi secretum cubiculum, et ibi morabatur mente cum puellis doni (alias, domus) sapientiæ et intellectus, contemplationi et orationi dedita. Isa. *xxvi*, 20 : *Vade, popule meus, intra in cubacula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio, scilicet mea.* Indignatio enim transit, ut non nisi serenum se exhibeat, cum orat (alias, oratur) in cubili.

« Ora Patrem tuum. »

Ecce directio orationis ad Patrem. Ad neminem enim alium dirigendus est pius orationis affectus. Apocal. *viii*, 4 : *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Psal. *cxl*, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, etc.* Cantic. *iii*, 6 : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris ?*

¹ Cf. Genes. *xv*, 11.

² Cf. Eccle. *x*, 1.

« In abscondito. »

Ecce finis bonæ intentionis. quæ ab omnibus abscondita soli Deo se repræsentat. I Reg. i, 13 : *Anna loquebatur ad Deum in corde suo, et vox penitus non audiebatur.* Psal. xxxiv, 13 : *Oratio mea in sinu meo convertetur.* II Reg. vii, 27 : *Invenit servus tuus cor suum ut oraret te oratione hac.* Tob. xii, 12 : *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Tob. iii, 10 et 11 : *Sara perrexit in superius cubiculum domus suæ, et tribus diebus et tribus noctibus non manducavit neque bibit, sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum.*

« Et Pater tuus. »

Ecce persuasio dictorum ex mercede. Et dicit tria : affectum remuneratoris, cum dicit :

« Pater tuus. »

Luc. xi, 13 : *Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se.*

Acceptabilitatem orationis, cum dicit :

« Qui videt in abscondito, »

Ubi exclusa est turbans et inquieta multitudo. Et ideo dicitur, Genes. xxi, 14 : *In monte Dominus videbit,* ubi solus fuit Abraham cum puero suo (alias, in Spiritu sancto). Exod. xxxiii, 21 et 22 : *Est locus apud me, et stabis super petram. Cumque transierit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea.* Locus apud Dominum solidus est veritatis spiritus, in quo oportet orare : foramen autem est secretum intentionis, qua soli Deo intenditur : et qui ibi stat « *in abscondito,* » dextra divinæ virtutis protegatur ab hominum turbationibus. Psal. xxx, 21 : *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum. Proteges eos in taber-*

naculo tuo, a contradictione linguarum. III Reg. xix, 11 et 12 : *Egredere, et sta in monte coram Domino, et ecce Dominus transit. Et spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras ante Dominum : non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio : non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis : non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis.* Spiritus est ventus mundanæ ambitionis : commotio, tumultus mundanæ turbationis : ignis, ardor concupiscentiæ carnalis, et in nullo illorum est Dominus. Sibilus autem est sancti Spiritus susurrum, et ibi est Dominus. Et hoc videt Elias in spelunca super montem Dei in abscondito, ubi visus est a Domino.

« Reddet tibi, »

In futuro. II ad Timoth. i, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Et, II ad Timoth. iv, 8 : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex.*

« Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici : putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.

Nolite ergo assimilari eis. Scitenim Pater vester quid opus vobis sit, antequam petatis eum. »

Hic ab orando excludit modum erroris ethnicorum.

Et dicit tria : quorum primum est quod non in multiloquio confidamus : secundum, quod in errore illo ethnicis non similes simus : tertium, propter quid.

Circa primum dicit tria : prohibitionem, exemplum, rationem erroris.

Prohibitionem ponit, cum dicit :

« Orantes autem nolite multum loqui. »

Aliud est multum orare, et assidue, et diu : et aliud est in oratione multum loqui. Multum enim loqui est ad loquendi modos mulcentes et persuadentes se per colores rhetoricos ostendere : ut Deo tamquam homini, qui ignorans (ad quælibet induci possit) persuadeatur. I ad Corinth. II, 4 : *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.* Proverb. X, 19 : *In multiloquio non deerit peccatum : qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* Gentiles enim habebant deos, quos secundum Epicurum putabant humana pati, et hominibus esse similes, et illis putabant multis allegationibus persuaderi. III Reg. XVIII, 27 : *Illudebat illis, scilicet sacerdotibus Baal, Elias, dicens : Clamate voce majore : deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.*

Et hoc est, quod pro exemplo subjungit :

« Sicut ethnici, »

Supple, faciunt. Omnes enim dii gentium dæmonia¹. Ethnici enim sunt gentiles. I ad Corinth. X, 20 : *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo.* Hos enim dicebant humana pati in ira, in coitu, in deceptione judiciorum, et hujusmodi.

Et hoc est, quod sequitur :

« Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. »

Proverb. XIII, 3 : *Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Proverb. XV, 4 : *Lingua quæ immoderata est, conteret spiritum.* Proverb. XXV, 28 : *Sicut urbs patens et absque murorum*

ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Unde isti quærebant esse genus præternecessariarum orationum, sive ad decorem lepidæ orationis, sive ad explanationem, sive ad probationem propositi, sive etiam ad persuasionem inductarum.

« Nolite ergo assimilari eis, »

Ut sic in multiloquio confidatis. Eccli. IX, 25 : *Terribilis in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis erit.* Psal. CXXXIX, 12 : *Vir linguosus non dirigetur in terra.*

Hujus autem in ultimo paragrapho subjungit causam, dicens :

« Scit enim Pater vester, etc. »

Et dicit tria : præscientiam certam, affectum persuasione non indigentem, et præparationem exauditionis ante orationem.

Dicit ergo :

« Scit enim. »

Ad Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.*

« Pater vester. »

Ecce secundum. Patri enim sufficit affectus, et non indiget persuasione. Unde, Luc. XV, 20, antequam loqueretur filius prodigus, pater cucurrit obviam ei, etc.

« Quid opus sit vobis. »

Ad Roman. VIII, 26 : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc est, docet nos postulare : propterea non exaudivit Paulum orantem,*

¹ Psal. XCV, 5 : *Quoniam omnes dii gentium dæmonia.*

ut discederet ab eo stimulus carnis suæ, quia non expediebat ei¹.

« Antequam petatis eum. »

.Psal. x secundum Hebræos, 17: *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

Sed tunc quæritur, quare rogamus eum? Respondeo cum Gregorio: « Quia « sic præscit, ut hoc non fiat nisi per « orationes Sanctorum. » Et hoc modo quoad appositionem effectus, prædestinatio juvatur orationibus Sanctorum. Hujus etiam alia causa est in Glossa: Quia oratores esse volumus, non narratores: et orando affectum nostrum coram Deo sibi servientes exercemus. Sed multiloquium prohibens, longas orationes non prohibuit, quæ diu, et sæpe, et multum affectum pium coram eo effundant, et offerant in laudem suam. Psal. XLIX, 23: *Sacrificium laudis honorificabit me: et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Jacob. v, 16: *Multum valet deprecatio justis assidua.* Luc. VI, 12: *Jesus erat pernoctans in oratione Dei.* Luc. XXII, 43: *Factus in agonia, prolixius orabat.*

Hoc est ergo quod dicit:

① « Sic ergo vos orabitis, etc. »

Hic incipit pars illa, in qua docet qualiter et quid orandum sit.

Et tangit duo: generalem videlicet modum, et numerum, et ordinem petibilium.

Generalis modus tangitur, cum dicitur:

« Sic ergo vos orabitis. »

Et innuit quatuor: modum omnium orationum, dispositionem orantium, exclusionem modorum orationi contrariorum, et conditionem precum.

Modus importatur, cum dicitur:

« Sic. »

Quia, sicut dicit Glossa: Licet non eisdem verbis quæ hic dicuntur semper oremus in orationibus personalibus, vel ecclesiasticis, tamen sic oramus: quia sensum contentum in istis et modum orantes retinemus, et observamus. Et ideo dicitur, Jacob. v, 17, et III Reg. xvii, 1, quod Elias oravit, ut non plueret super terram annos tres et menses sex: et tamen sic oravit, quia sensum hujus orationis non excessit, quia per hoc regnum et potestas Dei apparuit. Sic etiam, Genes. xxv, 21: *Deprecatus est Isaac pro uxore sua, eo quod esset sterilis:* et tamen sic oravit, quia per illam orationem prædestinantis Dei, sicut in cælo dispositum fuit, voluntas in terra facta fuit. Et sic est in aliis fidelium orationibus.

« Vos, »

Qui discipuli estis, et idonei ad exauditionem: quia, Joan. ix, 31: *Scimus quia peccatores Deus non audit: si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* II Machab. ix, 13: *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Et talibus dicitur, Isa. i, 15: *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Amos, v, 23: *Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam.*

Per rationalem autem conjunctionem concludentem ex præmissis, cum dicit:

« Ergo, »

Excludit modum orationi contrarium. Jerem. xii, 2: *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.* Isa. xxix, 13:

¹ Cf. II ad Corinth. xii, 9.

Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.

Cum dicit:

« Orabitur, »

Conditiones notat precum. Non enim dicitur hic oratio oris ratio, sive narratio, sed potius oratio est petitio supplex et deprecativa pro bonis impetrandis et amovendis malis. Ad Philip. iv, 6 : *In omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* I ad Timoth. ii, 1 : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.*

Sunt autem *obsecrationes* illæ preces, quæ fiunt cum adjuratione per aliquod sacram, sicut cum dicimus : « Per nativitatem tuam, adjuva nos. » *Orationes* autem sunt præcipue pietatis affectus in communi pro quocumque impetrando. *Postulationes* autem, quæ fiunt quasi ex debito divinæ promissionis, vel largitatis : licet hoc non sit debitum obligationis, sed congruitatis. *Petitiones* autem nominatim et expresse pro aliquo quod desideratur. His additur *deprecatio*, quam ponit Esther, xiii, 17 : *Exaudi deprecationem meam* : et illa est pro amovendis malis. *Gratiarum* autem *actio* est de acceptis beneficiis.

« Pater noster. »

Hic ponitur numerus et ordo petibilium : et habet partes duas.

In priori enim captando benevolentiam præmittit ad quem oratio dirigitur : in secunda, petitiones ponuntur, ibi, « *Sanctificetur nomen tuum.* »

Adhuc autem in priori tria dicuntur, quæ dirigunt orantem, scilicet quis orandus, respectus orantis ad eum qui rogandus est, et in quæ petita dirigatur intentio petentis. Quis orandus, quia, « *Pater.* » Per hoc autem, quod dicitur

« *noster,* » respectus est orantis ad Patrem. Petitio autem omnis dirigitur ad Deum, « *Qui es in cælis.* »

Cum autem dicimus :

« *Pater.* »

Actus patris sunt sex, quibus sibi facit filium : et tres, quibus perficit ipsum. Primo enim generationis dat semen, secundo trahit per illud, tertio distinguit tractum, quarto format distinctum, quinto vivificat formatum, sexto confortat et educit vivificatum. Ex his facit filios, factos autem nutrit secundum indigentiam substantiæ, enutritos educat secundum formam disciplinæ, educatos in disciplina facit hæredes secundum formam suæ magnificentiæ. Et primum quidem horum facit Pater Deus per gratiam, quæ est similitudo suæ bonitatis : secundum autem, per amorem suæ charitatis : tertium, per lumen suæ cognitionis : quartum, per imitationem suæ imaginis : quintum, per spiritum suæ adoptionis : sextum autem, per conformationem suæ virtutis : septimum, per nutrimentum edulii cœlestis : octavum, per eruditionem castigationis : et ultimum, per possessionem et participationem dulcissimæ beatitudinis suæ.

Per primum igitur accipimus potestatem et generationem, ut filii Dei, Deo generante, (alias, generati) efficiamur. Joan. i, 12 : *Quotquot autem receperunt eum, supple, per gratiam, dedit eis potestatem filios Dei fieri* : et sequitur, x. 13 : *His qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Isa. lxvi, 9 : *Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero ? ait Dominus Deus tuus.* Psal. cix, 3 : *In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genuite.* Uterus est fœcunda deitas, semen hujus generationis semper emittens : splendor sanctitatis est fulgens gratia, quæ similitudo est, et virtutem habet bonitatis suæ : sicut semen naturæ simi-

litudo est et virtus bonæ naturæ patris naturalis.

Per secundum autem trahit, quod fit per amorem suæ charitatis. Osee, xi, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Jerem. xxxi, 3 : *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans.* Ideo dicit Filius : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*¹. Sic Verbum Dei fit caro quasi trahendo incarnans se, et spiritualiter habitavit in nobis². Joan. xii, 32 : *Omnia traham ad meipsum.* Cantic. i, 3 : *Trahe me, post te curemus,* etc.

Tertium autem (quod fit per lumen suæ cognitionis) significatur, Job, xxxviii, 24 : *Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram ?* Distinctio enim fit spargendo et dividendo. I ad Corinth. xii, 11 : *Dividens singulis prout vult.* Sapient. xi, 21 : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* Quibusdam enim dat coercere passiones innatas, aliis autem sustinere illatas, et aliis ordinare agenda, et aliis distribuere recepta. Psal. iv, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*

De quarto autem (quod fit per imitationem suæ imaginis) dicitur, Genes. i, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* I ad Corinth. xv, 49 : *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis.* Ezechiel. xxviii, 12 et 13 : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti.* Cantic. viii, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* I Joan. iii, 2 : *Cum apparuerit, similes ei erimus.*

De quinto (quod fit per spiritum suæ adoptionis) dicitur, ad Galat. iv, 6 : *Quoniam estis filii, Dei scilicet, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater.* Et, ad Roman.

viii, 15 : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater).* Ezechiel. xxxvii, 9 : *A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.* Psal. ciii, 30 : *Emittes spiritum tuum, et creabuntur : et renovabis faciem terræ.* Genes. ii, 7 : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Isa. lvii, 16 : *Spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam.*

De sexto autem (quod fit per conformationem suæ virtutis) dicit, Luc. xxiv, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Ad Ephes. iii, 16 : *Det vobis Deus secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem.* Isa. xl, 29 : *Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat.*

In his ergo Pater cælestis magis proprie nos complet per gratiam, quam compleat nos pater terrenus per naturam. Et ideo paternitas naturalis, et paternitas spiritualis qua Angeli patres dicuntur eorum quos paterno affectu diligunt, sunt resultationes et imitationes quædam paternitatis divinæ. Unde dicitur, ad Ephes. iii, 14 et 15 : *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis et in terra nominatur.* Et sicut videmus in naturis, quod in semine est virtus patris, quæ per totam materiam filii diffunditur spiritualiter, et sic complet ipsam, et deducit ad esse humanum : ita in semine gratiæ (quod virtutem habet Dei Patris, et est similitudo nobilissima suæ bonitatis, cum qua et ipse habitat in filiis) spiritualiter diffunditur in Dei natis, et deducit complendo ad esse divinum. Propter quod dicitur, Psal. lxxxii, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Et ideo utrumque semen tam

¹ Joan. vi, 44.

² Joan. i, 14 : *Et Verbum caro factum est, et*

habitavit in nobis.

corporalis patris quam spiritualis fermento comparatur : quia calor fermenti vaporabiliter diffundit fermentum per totam pastam, et sic fermentatur tota, et in omnibus panibus virtus fermenti invenitur per spiritualem evaporationem, et in nullo invenitur per molem quantitatis : ita etiam semen corporeum carnalis patris vaporabiliter in totum corpus, et omnia membra nati diffunditur, et nusquam per quantitatem molis invenitur. Et sic infunditur (alias, diffunditur) in nobis vapor virtutis divinæ, gratiæ scilicet, et undique spiritualiter nos complet et format. Ad Roman. v, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Matth. XIII, 13 : *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum*. Regnum cælorum hic vocatur gratia regnum conferens : sata tria sunt tria quæ sunt in anima nobili, vis scilicet intellectiva veritatis, vis divina capax divinæ participationis, vis animativa vitam operans : mulier autem est sapientia æterna : absconditio autem est immistio gratiæ in hæc tria : et fermentatum est totum, quando totus intellectus levatur in verum primum, tota vis divina levatur in Dei conceptum, et tota vis animæ impletur vita virtutis et gratiæ.

De septimo (quod fit per nutrimentum edulii cœlestis in verbo et sacramento, in quibus pascuntur parvuli et fortes) dicitur, I Petr. II, 2 : *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem*. Deuter. VIII, 3 : *Non in solo pane vivit homo*, etc. Genes. XLVII, 15 : *Deus qui pascit me ab adolescentia mea*. Psal. LIV, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet*. Genes. XLV, 11, mandat Joseph patri suo Jacob ut veniat ad se in terra Gessen, et addit : *Ibique te pascam* : sic Salvator mundi vocat omnes.

De octavo (quod fit per eruditionem

difficilem castigationis) dicitur, ad Hebr. XII, 7 et 8 : *Quis filius, quem non corripit pater ? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis*. Proverb. III, 11 et 12 : *Disciplinam Domini, filii mi, ne abjicias : nec deficias cum ab eo corripieris : quem enim diligit Dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi*. Apocal. III, 19 : *Ego quos amo, arguo et castigo*.

De nono (quod fit per possessionem et collationem ditissimæ beatitudinis) dicitur, Psal. XV, 6 : *Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi*. Numer. XVIII, 20 : *Dixit Dominus ad Aaron :... Ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel*. Genes. XXI, 2 : *Peperit Sara, uxor domini mei, filium domino meo in senectute sua* : dedit ei omnia quæ habuerat. Sara *princeps* interpretata, Ecclesia est : Filius æterni gaudii, flos et hæres, ille est quem ex gratia per Ecclesiam Deus Pater generat : in senectute novissimorum temporum : cui etiam omnia in hæreditate dat quæcumque umquam habuerat, quia se dando, omnia donat quæ sua sunt. Ad Hebr. XI, 16 : *Non confunditur Deus vocari Deus eorum*. Thren. III, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum*.

Hæc igitur sunt, quæ sunt actus paterni indicia, in his quos Pater summus generat per gratiam.

Iterum autem adhuc, si attendanturea quæ conveniunt Patri, in quantum genuit nos, inveniuntur esse tria : notitia Patris, unio ejus ad natum, et hæc duo consequens affectus Patris in filium. Notitia quidem in sua imagine et similitudine, quæ est filius : unio in naturæ consanguinitate : affectus in vinculo, sive nexu cordis ad id quod suum esse videt in filio. Sic enim etiam homo pater noscitur a nato, per hoc quod hic est ejus similitudo : quia semen imprimit in natum similitudinem patris, et notamen (alias, notitiam) patris facit in eo : pro-

pter quod etiam filius dicitur nomen patris, si naturæ nomen accipiatur. Et ideo etiam puer in principiis locutionis suæ nominat patrem, antequam multa alia sciat nominare : quia similitudo naturalis patris afficit eum ad nominandum. Secundum autem ostenditur, quod natus delectatur esse in sinu patris, et abhorret sinum aliorum virorum. Tertium autem quod ex his causatur, est fervens et constans affectus circa natum : quia licet in matre sit fervens affectus circa natum, tamen in muliere vix invenitur constans affectus, qui natum nullo modo metu, vel amore lucri alicujus derelinquat.

De primo dicitur, I Petr. 1, 23 : *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi.* Jacob. 1, 18 : *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus* : in hoc enim nobis suæ naturæ impressit notam, et per consequens notitiam, quia omne quod cognoscitur, nota sua et notitia quam in anima facit, cognoscitur. Hac enim de causa dicit, Joan. x, 14 : *Cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Exod. xxxiii, 17 : *Te ipsum novi ex nomine.* Quod (alias, quia) notamen noscit, quod ipse impressit, et cognoscitur ex illo. Jerem. xxxi, 34 : *Omnes cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum.*

De secundo, quod est affinitas naturæ, qua pater de suo habet in filio : et ideo sine gradu conjungitur pater filio, et proximior est pater filio quam filius patri : quoniam pater de suo habet in filio, et filius de suo nihil habet in patre. Act. xvii, 28 : *Ipsius et genus sumus.* II Petr. 1, 4 : *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* I Joan. iii, 9 : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet : et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* : hoc est dicere : Per naturam Dei

generantis quam habet in se, habet potestatem peccandi (alias, non peccandi), et non peccabit, nisi degenerans naturam abiciat : quoniam generatio quæ est est a natura Dei in ipso, quantum est de ipsa, conservat semper eum.

De constantia autem affectus dicitur, Isa. xlix, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Ideo tangitur dolore cordis intrinsecus, quando exorbitant filii. Jerem. xxxi, 20 : *Conturbata sunt viscera mea super eum : miserans miserebor ejus.*

Ex his autem tribus causantur tria in nobis, quæ fiduciam dant impetrandi ex ipso nomine Patris. Ex notitia enim causatur fides, quæ ad Patrem aperit oculos : ex conjunctione charitas, quæ in Patrem figit oculos : ex affectu quem ad nos habet, spes, quæ ad alta petenda erigit oculos : non enim sumus contenti parvis, sperantes in affectu Patris. Quia sicut dicit Glossa : « Nec (alias, nihil) negabit, qui jam quod pater est, donavit. » Fides ostendit veritatem, charitas stringit bonitatem, et spes Patris attendit largitatem. Nec potest esse petitionis repulsa, ubi tot occurrunt pii Patris pietatis et benevolentiae indicia. De primo dicitur, Sapient. xvi, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebat.* De secundo, Cantic. ii, 6 : *Dextera illius amplexabitur me.* De tertio, ad Roman. vii, 32 : *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?*

Adhuc,

« Pater »

Dicit, non Dominus, non Deus, non Magister, ut videtur quædam Glossa tangere. Quoniam si diceret : Domine, qui es in cælis, non haberemus fiduciam nisi ad parva quæ pertinent ad servos. Joan. xv, 15 : *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus.*

Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Amicitia enim illa est maxima, quam naturalis conjunctio deitatis efficit, Joan. III, 33 : *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.*

Magister autem dicit etiam nomen timoris et auctoritatis, et deterret (alias, deterreret) a petendo. Et ideo utrumque istorum nominum habuit quidem Christus, sed neutrum exhibuit in actu. Joan. XIII, 13 : *Vos vocatis me : Magister, et Domine, etc.*

Deus autem non dixit, quia Deus est nomen cuncta videntis, et erubesceremus petere, si Deum præmitteremus in petitione. I Reg. XVI, 7 : *Deus intuetur cor.* Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem circumspicientes* (alias, in) *omnes vias hominum.* Unde θεός græcum, quod latine sonat *Deus*, dicitur a θεωρεω-ω, quod est *video vides*¹ : eo quod dicit Apostolus ad Hebr. IV, 13 : *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.*

His ergo de causis dicitur :

« Pater. »

Nec potest non esse dulcis et familiaris oratio, quæ a familiarissimo incipit. Propter hoc in præcedentibus dicitur esse nobiscum, et videre nos in abscondito, quia et familiaris est et dulcis : quia aliter ad ipsum non haberemus accessum. Et ideo Unigenitus, cujus spiritu adoptamur, dicitur esse in sinu patris².

« Noster. »

Istud est secundum, in quo notatur respectus orantis ad eum qui exoratur.

Ante litteræ expositionem quatuor occurrunt inquirenda : quorum primum est, quid supponit nomen patris, quando

dicitur, « *Pater noster* ? » Secundo autem quæritur, quare non ita benedicimus, *Filius noster*, vel *Spiritus sanctus*, vel *Spiritus sancte noster*, sicut dicimus, *Pater noster* : cum communia sunt beneficia Trinitatis? Tertium est, utrum in modo et in significato per pronomen, associatur nobis in paternitate Filius, ut dicimus, quod communis Pater sit nobis et Christo? Quartum est, quare non ponimus aliquas proprietates, ut diceremus : *Pater misericordiarum*, vel *Pater large*, vel *magnifice*, sed simpliciter dicimus : *Pater noster* ?

Ad primum autem horum dicendum, quod nomen Patris supponit pro tota Trinitate, eo quod opera creationis et recreationis sunt communia : et ideo cum notet effectum filiationis gratiæ in nobis, et hic effectus communis sit, oportet quod nomen Patris pro tota simul supponat Trinitate. Quia tamen generatio filiorum per adoptionem imitatur generationem per naturam, ideo appropriatur Patri, quod tamen simul convenit Trinitati. Isa. LXIV, 8 : *Nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Ad Hebr. I, 5 : *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium.*

Ad aliud dicendum, quod omnibus divinis non potest alicui adjungi *meus*, vel *noster*, nisi quod ipso nomine importat respectum ad nos per effectum quem ponit, et efficit in nobis : Filius autem ipso nomine non dicit respectum nisi ad Patrem, et non ad nos, quia filius non dicit respectum nisi ad eum a quo procedit per generationem : a nobis autem non procedit per generationem : et ideo non potest dici, *Fili noster*, sicut bene dicitur, *Pater noster.*

Sed contra hanc solutionem videtur esse quod dicitur, Matth. XII, 50 : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei*

¹ Vel melius radicem habet θεός a Δις, quod implicat ideam splendoris, lucis, divinitatis.

² Joan I, 18 : *Deum nemo vidit umquam : uni-*

genitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.

qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. Si ergo matres suæ sumus, tunc vere dicere possumus: Fili noster.

Ad hoc dicendum, quod licet matres metaphorice Christi dicamur, quia Christus formatur in nobis, sicut dicit Apostolus, ad Galat. iv, 19: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*: tamen quia hæc formatio non dat esse Christo, sed potius nobis, ideo propter hanc formationem Christus non dicitur filius noster. Aliud est enim informari Christum in nobis, sicut aliud est figurare sigillum in cera: Christus enim non figuratur per nos, quia in se a Patre figuram habet, ad Hebr. i, 3: *Cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*: sed figuratur in nobis sicut sigillum in cera, quando nos figurat ad conformitatem suam. Ad Roman. vi. i, 29 et 30: *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, hos et vocavit*, etc. Sicut etiam sigillum non est effectus, vel, ut ita dicam, filius ceræ, sed potius e converso, cera figurata est quasi filius sigilli: et ideo in tali formatione Filius potius est Pater noster quam filius: nec nomen matris habemus proprie, sed translative, ratione ejus quod talis formatio fit in nobis.

Similiter autem licet Spiritus sanctus sit persona, per quem (alias, quam), sicut dicit Augustinus, dona gratiarum distribuuntur, tamen ipso nomine non importat nisi respectum processionis passivæ: et ideo non ad nos sub hoc nomine, sed ad Patrem et Filium secundum quod principium spirandi sunt, refertur. Et ideo dicitur Spiritus sanctus Patris et Filii spirantium spiritum, et non Spiritus sanctus. Cum autem absolute dicitur *spiritus*, tunc essentialiter dicitur, et tunc dicitur noster spiritus, et Moysi spiritus: quia tunc non ponit respectum nisi ad effectum suæ spirationis in nobis. Sed tamen non convenienter tunc in oratione diceremus: Spiritus noster, qui es in cœ-

lis: quia tunc Spiritus dicitur spirans in nobis opus virtutis et gratiæ, et non dicit nomine suo curam et regnum divinum, quod habetur de (alias, in) nobis: nec dicitur formans secundum primam rationem formantis, sed potius dicit id quod a primo formante nos in esse spirituali nobis immisum est, sicut pro quo conjuncto nobis formemur et vivificemur. Ad Roman. viii, 11: *Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*. Ad hoc ergo redit solutio, quod quia Spiritus dicit illud quod mittitur nobis ad formam et vitam sanctitatis, dicit Spiritus potius id quod petitur, quam a quo petitur. Pater autem cum a nullo sit, non mittitur, sed dicit principium totius divinitatis: et ideo potius a Deo petitur sub nomine Patris quam sub nomine Spiritus. Sic ergo dicitur: Pater noster, et non Spiritus noster.

Ad id quod quæritur, utrum communis Pater nobis et Filio consignificetur in pronomine noster? Dicendum, quod aliquo modo significatur, et aliquo modo non significatur. Secundum proprietatem enim grammaticæ in pronomine supponuntur plures relati ad unum: et hoc modo non veniunt in unum pluraliter consignificatum numerum, quæ non habent unius communis modum. Unde quia procedere a Patre per conformitatem imaginis et similitudinis, sicut dicit Basilius, Filius in genere commune habet cum hominibus, et præcipue cum Sanctis, ideo dicitur, ad Roman. viii, 29: *Primogenitus in multis fratribus*.

Adhuc, quia hoc ipsum procedere per imitationem vestigii habet etiam creatura quæcumque, ideo dicitur *primogenitus omnis creaturæ*¹. Si autem modus specialis inspiciatur, quia in identitate procedit essentiæ, Sancti autem et creaturæ in diversitate essentiæ, tunc dicitur uni-

¹ Ad Coloss. i, 15: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ.*

genitus a Patre ¹. Primo ergo modo dicendo dicetur communis pater, et possumus dicere, quod est Pater noster et suus. Secundo autem modo non possemus dicere. Et hoc dicit quædam Glossa, quæ dicit, quod meus pater non potest dicere nisi Christus, quia singularem ad eum solum habet paternitatem. Hanc convenientiam paternitatis simul et differentiam notat Christus, Joan. xx, 19, dicens : *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum*, etc.

Ad ultimum dicendum, quod quæcumque talia apponerentur adjectiva ad Patrem, minus dicerent inclinantia ad impetrandum, quam *Pater noster* simpliciter : quia largitas et benignitas et misericordia et hujusmodi sunt non ita profundantia affectum, sicut quod est Pater noster, de suo habens in nobis, ut pater ex his quæ de proprietatibus patris inducta sunt.

Dicit igitur :

« Noster, »

Notans in hoc suam quam ad nos habet, communicationem, quam nos inter nos habemus communitatem, et qua nobis invicem obligamur fraternitatem, eam qua sibi obligamur reverentiam, et illam quam habemus in ipso confidentiam, et in quam nati sumus dignitatem, et quam ad postulandum habemus æquitatem, et quam ex ipso habemus in ipso et cum ipso commansionem.

Suam autem quam ad nos habet communicationem perficit per inhabitationis gratiam : sed quam ex hoc inter nos habemus communitatem, perficit per spiritus unanimitatem. Eam vero qua nobis invicem obligamur fraternitatem facit per suæ paternitatis charitatem : eam autem qua sibi obligamur reverentiam, ex hoc facit quod suæ paternitatis in nos tamquam in filios ostendit auctoritatem. Sed ea quam in ipso habemus, confidentia

causatur ex hoc quod suæ divinitatis ex paternitatis benignitate habemus consortium : illam vero in quam nati sumus, dignitatem accipimus per natorum ad generantem conformitatem : ex participatione autem profusæ in nos paternæ naturæ et gratiæ postulandi accipimus quamdam æquitatem : ex profluxu vero nostri ab ipso sicut a principio naturæ et gratiæ, non alibi quam cum ipso habemus commansionem.

Noster ergo Pater est per communicationem inhabitantis gratiæ. Ezechiel. XLIII, 7 : *Locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel*. II ad Corinth. VI, 16 : *Inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos*. Psal. LXXV, 3 : *Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion* : pax autem est effectus Dei per inhabitantem gratiam.

Noster etiam est per eam quam in eo habemus communitatem factam per spiritus unitatem. Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una*. Psal. LIV, 13 : *In domo Dei ambulavimus cum consensu*. Psal. LXVII, 7 : *Deus qui inhabitare facit unius moris in domo*. Augustinus in *Regula* : « Sit vobis cor « unum, et anima una in Domino. » Joan. XVII, 21 : *Omnes sint unum, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi nobis in unum sint*. Ad Ephes. IV, 4 et seq : *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis*.

Noster est etiam per eam qua nobis invicem obligamur fraternitatem, quæ fit per suæ paternitatis charitatem : fratres enim sunt qui ex uno patre sunt nati. Ad Hebr. XII, 1 : *Charitas fraternitatis maneat in vobis*. I Joan. III, 14 : *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*.

¹ Joan. I, 14.

Joan. XIII, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. XVII, 26 : *Ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.* Levit. XIX, 18 : *Diligens amicum tuum sicut teipsum.* Ideo dicit Glossa, quod dicitur « *Pater noster,* » et non *Pater meus,* ut in orando fraternæ admoneamur charitatis, sive dilectionis.

De reverentia autem quam habere debemus ad ipsum, quæ fit propter paternitatis auctoritatem, dicitur, ad Hebr. XII, 9 : *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et verebamur eos : non multo magis obediemus Patri spirituum, et vivemus ?* Exod. XX, 12 : *Honora patrem,* etc. Malach. I, 6 : *Si pater ego sum, ubi est honor meus ?* Exod. XV, 2 : *Iste Deus meus, et glorificabo eum.* Secundum Septuaginta : « *Deus patris mei, et exaltabo eum.* » Eccli. XLIII, 33 : *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude.*

De confidentia impetrandi, quæ resultat ex hoc quod dedit suæ deitatis consortium, dicitur, ad Hebr. IV, 16 : *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus.* I Joan. III, 21 et 22 : *Fiduciam habemus ad Deum : et quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* III Reg. II, 20 : *Pete, mater mea : neque enim fas est ut avertam faciem tuam.* Per eandem rationem dicit hic Pater ad Filium : quia, sicut dicit Chrysostomus : « *Filius non petit nisi quod est ad honorem patris : quod non facit servus.* Unde Filius « *in persona eorum, qui vere dicunt Pater noster dicit,* Joan. XI, 42 : *Ego sciebam quia semper me audis : qualiter « ejus Pater non exaudiret viscera sua ? sicut dicit Chrysostomus. Osee, XI, 8 et 9 : Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ.* Si ergo sic se habet ad peccantem, multo magis non avertit faciem a petente et obsequente. Genes. XLIII, 30 : *Commota sunt viscera Joseph super fratre suo, multo magis commo-*

ventur viscera Patris pii super filiis peccantibus.

De dignitate autem in quam ab ipso nati sumus, ut jam non simus homines, sed dii quidem (alias, quidam) in carne apparentes. Ad Ephes. II, 10 : *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Exod. IV, 22 : *Filius meus primogenitus Israel.* Psal. LXXXVIII, 28 : *Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus.* I Joan. III, 1 : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Isa. LX, 21 : *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Jerem. XXXI, 20 : *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus !*

De profusa autem gratia paternitatis in nos, postulandi quamdam accipimus æquitatem, de qua dicitur, III Reg. III, 5 : *Postula quod vis ut dem tibi.* IV Reg. II, 9 : *Postula quod vis ut faciam tibi.* Matth. VII, 7 : *Petite, et dabitur vobis : querite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis.* Lucæ, XI, 13 : *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater de cælo dabit spiritum bonum petentibus se ?* Jam enim ex filiatione quodammodo nostra sunt quæ postulavimus. I ad Corinth. III, 22 et 23 : *Omnia vobis vestra sunt : vos autem Christi, Christus autem Dei.* Joan. XVI, 26 : *Non dico quia ego rogabo Patrem de vobis.* Luc. XV, 31 : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.*

De commansione autem cum ipso, quæ debetur nobis ex hoc quod fluximus ex ipsius bonitate, sicut quælibet res salvatur, et manet in his a quibus procedit, Apocal. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Joan. XV, 5 : *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere.* Psal. LXIV, 5 : *Beatus quem elegisti et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis.* Psal. XXV, 8 : *Dilexi decorem*

domus tuæ. Matth. xvii, 4: *Bonum est noch hic esse : si vis, faciamus,* etc. Matth. xxviii, 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ezechiel. xlviii, 35: *Nomen civitatis ex die illa : Dominus ibidem.* Isa. lxii, 4: *Et non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata : sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te : et terra tua inhabitabitur.*

Sic igitur cum *noster* dicat plura supposita participantia : unum participamus Patrem per gratiam qua nobis se communicat, per communitatem sui qua nos adjuvat, per generationem qua nos omnes in fratres generat, per auctoritatem qua nos sibi subjicit, per affectum quod id quod suum est, in nobis diligit, per similitudinem suam quam in nobis, ut dii simus, gignit, per jus naturæ quo se nobis et sua concedit, per conservationem et collectionem qua nos conservans in se manere præcepit.

Noster etiam dicitur ad usum, et ad fructum : ad usum quidem in adiutorio gratiæ, ad fructum autem in exhibitione gloriæ : et sic sui usum referimus ad sui fructum. Secundum primum dicitur, Psal. xlv, 2: *Deus noster refugium et virtus : adiutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* Secundum dicitur, Isa. iv, 2, quod *fructus terræ sublimis.* Isa. lxvi, 11: *Ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.*

Sed cum sic dicatur uniuscujusque nostrum, et oratio sit pro diversis defectibus et singularibus, quia id quod petit unus, non petit alius : videretur debere dici : *Pater mi, vel meus.*

Sed ad hoc dicendum, quod omnia quæ impetrantur, ex charitate dantur : et charitas duplex habet mandatum, dilectionis Dei, et proximi : et dilectio Dei importatur in nomine Patris : dilectio autem proximi oportet quod importetur per *noster* : et ideo non potest dici *meus.*

Sed secundum hoc peccator non potest dicere hanc orationem.

Et dicendum, quod potest, quia natura est filius, et spe filius gratiæ, et sic dicit *Pater noster* : vel dicit in persona Ecclesiæ, ut quidam dicunt, sed primum melius est.

« Qui es. »

Ecce tertium, ubi notatur intentionis directio ad id quod solum est petendum. Psal. xxvi, 4: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

Duo autem notantur in verbo « *Es* : » esse videlicet divinum, quod omnibus desiderabile est, et verus illius esse locus, ibi, « *In cælis.* »

Primum intelligitur per hoc, quod dicit, « *Qui es* : » ita quod verbum *es*, non sit tertium adjacens orationis, sed potius sit alterum extremorum : ut sit sensus : « *Qui es*, » id est, qui habes entitatem veram.

Et secundum hunc intellectum, in eo quod dicit, « *Qui es*, » quinque notantur : ens videlicet primum, simplex, fontale, immutabile, perfectissimum. Ex primitate est influentissimum, ex simplicitate communissimum et intimum, ex fontalitate causalissimum, ex immutabilitate conservatissimum, ex perfectissimitate desideratissimum omnium.

Primum enim influit omnibus, et a nullo influitur ei : et est liberalitatis et magnificentiæ profusæ. Influit enim nullo indigens : et nullum aliorum aliquid alicui influere potest, nisi per hoc quod accipit, et habet ab ipso : et hic *Pater* sic influens merito est orandus. Jacob. i, 17: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Non enim mutatur, ut quandoque fluat, et quandoque non : neque vicissitudinem donorum recipit. Ad Roman. xi, 35: *Quis prior dedit illi,*

et retribuetur ei? Esther, II, 18: *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Eccli. XXIV, 43: *Factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare.* Infinitatem enim maris excedit influentia primi Patris. Isa. LX, 5: *Videbis, et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Hic ergo Pater, qui tale esse est, merito orandus (alias, adorandus) est, quia omnibus largiter influit, nullo indigens. Primum enim est, ut dicit Philosophus quod influit, non supposito quodam alio quod sibi det influere. Aristoteles: « Causa primaria plus est influens quam secundaria. »

Per simplicitatem autem est communissimum et intimum: quia, sicut dicit Philosophus, « Quanto aliquid simplicius est, tanto in pluribus invenitur, et sui ad plura indiget. » Et per (alias, propter) hoc invocatur hic Pater, ut animabus illabatur, ut dicit Beda. Ad Roman. X, 12: *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Malach. I, 11: *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus.* Isa. XLIX, 6: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Hæc est lucerna accensa, quæ sub nullo modio concludi potest. Job, XI, 8 et 9: *Excelsior cælo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus et latior mari.* Ad Ephes. IV, 6: *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.* III Reg. VIII, 27: *Cælum et cæli cælorum te capere non possunt.* Jerem. XXII, 24: *Cælum et terram ego impleo.* Act. XVII, 28: *In ipso vivimus, et movemur, et sumus:* et sic intelligitur, quod *velociter currit sermo ejus*¹: omnia enim, et per omnia, et in omnibus, et ante omnia præveniens semper invenitur. Et sicut dicit Dionysius, « proportionabiliter expandit se per

« omnes intellectuales vultus, sicut sol
« materialis per omnes vultus corporeos
« se expandit. » Job, XXV, 3: *Super quem non surget lumen illius?* Sapient. VIII, 1: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*

De fontalitate causalitatis inebriat omnia bonis suis, et numquam siccitatem patitur, vel arefactionem, et omnibus ministrat virorem et germen, et refrigerium et ablutionem, et infusionem. Genes. II, 10: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* Psal. XXXV, 10: *Domine, apud te est fons vitæ:* fons autem fundens vitam est Pater. Ezechiel. XLVII, 1, Aquæ egrediebantur de templo in latus dextrum templi: quia fluxus iste nihil habet facere cum sinistra. Psal. XLV, 5: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei,* virorem ministrans virtutis, florem honestatis, fructum internæ dulcedinis. Hæc enim sunt ex humore quem infundit his qui plantantur super ipsum. Jerem. XVII, 8: *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas... Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* In aquis autem quas affluit, lavat sordes, et refrigerat tentationes, advehit divitias, revehit ad ortum sui et ad patriam tendentes. Isa. LXVI, 12: *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.*

Immutabilitate fundat, et continet, et conservat ea quibus se influit: ideo dicitur, Sapient. III, 1, quod *justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.* Joan. X, 28: *Non rapiet eas quisquam de manu mea,* scilicet Patris. I ad Timoth. VI, 16: *Solus habet immortalitatem.* Glossa, hoc est, immutabilitatem. Psal. CI, 28: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* « In hoc enim Patre, ut dicit Augustinus, « manet æternitas, nulla mutabilitate con-

¹ Psal. CXLVII, 15.

« cessa. » Cupientes igitur interminabilem vitam, orare debent ad hunc Patrem, qui est : quia æternitas est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. Sicut enim dicitur, Exod. xv, 18 : *Dominus regnabit in æternum et ultra*, suum æternum est in æterno quod filiis confert.

Perfectissimum autem est hoc esse, et ideo desideratissimum. Unde dicit Philosophus, quod « omnia appetunt esse « divinum, et propter illud agunt quid- « quid agunt. » Aggæi, II, 8 : *Veniet Desideratus cunctis gentibus*. Omnia enim istius Patris desiderant superadventum. Proverb. viii, 11 : *Omne desiderabile ei non potest comparari* : esse enim datur ab eo, quo accepto nihil desideratur amplius, eo quod hoc est omnis naturæ bonum et optimum. Exod. xxxiii, 17 et seq., dixit Dominus ad Moysen : *Invenisti gratiam coram me... Ego ostendam omne bonum tibi*. In hoc est gaudium plenum, ut hoc comprehendamus ut possumus. Joan. xvi, 24 : *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*. Matth. v, 48 : *Pater vester cælestis perfectus est*.

« In cœlis. »

Hic tangit petibulum locum. Et accipiuntur in cœlo quinque, ad quæ reducuntur expositiones Sanctorum. Primum enim est cœli natura, secundum est cœli species et forma, tertium est cœli usus in contemplationis gloria, quartum est cœli proprietas in hoc quod est quies regia, quintum est cœli similitudo in significanda Sanctorum gratia. Sexto etiam per metonymiam secundum Rabanum, per cœlos hi qui in cœlo sunt, pro orante intercedentes accipiuntur.

Quinque igitur sunt in ipso cœlo accepta : et primum est cœli natura, quæ est nobilis, et per naturam ingenerabilis et incorruptibilis, ut probat Philosophus. Et ideo omnes antiqui convenerunt in

hoc, quod cœlum esset locus Dei, ut dicit Philosophus, « tamquam primi generato- « ris (alias, genitoris) et datoris omnis « esse entitatis (alias, entitatis, et esse) « eorum quæ quocumque modo esse ac- « cipiunt. » Unde, Psal. cxliii, 16 : *Cælum cœli Domino : terram autem dedit filiis hominum*. Job, xxii, 14 : *Circa cardines cœli perambulat*. Ibidem, x, 12 : *Excelsior cœlo est, et super stellarum verticem sublimatur*. Hoc igitur modo propter loci congruitatem in cœlis esse dicitur. Daniel. iii, 56 : *Benedictus est in firmamento cœli, et laudabilis et gloriosus in sæcula*.

Cœli autem species et forma est pulchritudo, cui nihil potest admisceri fœdum : et hoc modo per cœlum pulchritudo accipitur cœlestium donorum, quia quæcumque de terris sunt, commiscibilia sunt et fœdibilia : ita quod Isa. lxiv, 6, dicit : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ*. Sed de cœlis et in cœlis est pulchritudo pura. Eccli. xliii, 10 : *Species cœli gloria stellarum*. Et, ibidem, x, 20 : *Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus*. Hæc enim est pulchritudo quæ laudatur, Cantic. vi, 9 : *Pulchra ut luna, electa ut sol*. Et, ibidem, iv, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*.

Usus vero cœli est ad splendorem contemplationis in gloria : et laudem cœlestis regis in hymnodia. Unde de Angelis dicit Damascenus : « In cœlis conver- « santur, et unum opus habent, hymnis « laudare Deum. » Unde, II ad Corinth. xii, 2, cum Paulus vellet exprimere modum limpidissimum suæ contemplationis, dixit quoniam *raptus est in tertium cœlum*, hoc est, in contemplationis modum, qui est in tertio cœlo ascendendo, hoc est, in altissima Hierarchia. Isa. vi, 1 : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*. Ibi enim sine turbulentia hujus mundi serenus apparet. Isa. xviii, 4 : *Quiescam, et considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est*. In cœlo enim *lucem inhabitat inac-*

cessibilem ¹. Cantic. 1, 6 : *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Eccli. XLIII, 3 et 4 : *In meridiano exurit terram : et refluxens radiis suis obcæcat oculos*. Meridiana enim linea est unicuique homini altior linea : et circulus cœli, quem potest accipere, sive invenire : et ibi lumen est in omnipotentia sua, totum implens orbem, et nusquam alibi. Psal. XVIII, 7 : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus*. Quia « calidum et incentivum est lumen « contemplationis, » ut dicit Dionysius. Eccli. XLIII, 3 : *Fornacem custodiens in operibus ardoris*. Isa. XXXI, 9 : *Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem*.

Cœlum etiam dicitur quies et sedes regia. Unde, supra, v, 34, cœlum est thronus magni Regis ². Et ibi expositum invenies qualiter dicitur *thronus*. Ad Hebr. 1, 8, et Psal. XLIV, 7 : *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi : virga directionis, virga regni tui*. In cœlo enim, hoc est, cœlestium vertice summæ resident pulchritudines suæ lucis et suæ veritatis. Isa. LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*. Alta enim sua insignit pulchritudine, et infirma non derelinquit, quin aliquid sui impertiatur in vestigii imitatione. Hoc igitur modo cœli dicuntur cœlestes mentes, quiete et alte ab omni scabellari subjectione in cœli pulchritudines veritatis æternæ elevatæ. Et ideo Philosophus dicit, quod « intellectus est locus specierum intelligibilium : non enim sunt « in eo sicut in materia, quia sic distinguerent in denominarent eum : et habens unam non posset habere aliam. « Nunc autem sunt in ipso ubique et « semper sicut in loco, et non denominant ipsum : nec una impedit aliam, « cum intellectus sit locus communis

« omnium. Et sicut generans locum dat « ei quod generat, ita intellectus agens « generando veritates rerum, et locum « dat eis ubi sint, et in quo fiant, et ad « quem moveantur suo modo in intellectu. » Et hoc modo veritas et lux prima sedem habet mentes cœlestes : quia, sicut dicitur, Sapient. VII, 7 et seq., anima justi sedes est sapientiæ.

Cœlum etiam habet similitudinem quamdam in significanda Sanctorum gratia : quia cœli alti sunt, sicut Sancti per desiderium. Psal. LXIII, 7 et 8 : *Accedet homo ad cor altum*, etc. Isa. LV, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris*, etc. Stellati sunt, sicut Sancti præferunt stellas virtutum. Ad Philip. II, 15 : *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*. Daniel. XII, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti*. Et lucent sicut Sancti per sapientiam. Sapient. VII, 29 : *Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum : luci comparata*, etc. Tonant laude (alias, laudem) hymnorum, et pluunt lacrymis devotionis. Job, XXXVIII, 25 : *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitruum ? Rorant autem pinguedine devotionis*. Osee, XIV, 16 : *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium*. Genes. XXVII, 39 : *In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper erit benedictio tua*.

De hoc autem, quod dicit Rabanus per cœlum accipi Sanctos in cœlo contentos, ut habeat orans intercessores, dicitur, ad Hebr. IX, 24 : *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*. Hinc est quod dicitur : *Lætentur cœli*³, quando cœlestes lætantur obtinendo nobis gratiam a Deo. Job, v, 1 : *Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum conver-*

¹ I ad Timoth. VI, 16.

² Matth. v, 34 : *Ego dico vobis non jurare omnino : neque per cœlum, quia thronus Dei est*.

Cf. expositionem supra factam in hunc locum, pag. 211.

³ I Parapalip. XVI, 31, et Psal. XCV, 11.

tere. Sicut enim obstupescunt in malis nostris, ita etiam juvant ad bona nostra, et gaudent, quando obtinemus ea. Jerem. II, 12 et 13 : *Obstupescite, cœli, super hoc, et, portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

Resumentes igitur quæ de cœlis dicta sunt, « *In cœlis* » est « *Pater*, » hoc est, in cœlestibus locis et sanctis refulgens, per incorruptionis æternitatem, per decoris purissimi et spiritualis gloriæ, per continentiam spiritualium et altarum (in quibus totus quiescit intellectus) veritatum, et delectationum, et contemplationum : per splendoris spiritualis in luce inaccessibili usum et laudum hymnodiam : per omnis virtutis excellentiam : per Sanctorum cœlestium frequentiam. Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* In his omnia nostra continentur petibilia, quæcumque a Patre petere habemus.

Sed incidit quæstio, quare non dicit : *Pater noster*, qui es in cœlo : sicut, *qui es in cœlis* ?

Et ad hoc dicendum, quod *cœli* hic vocantur continentia intellectualium et invisibilium creaturarum, quæ sunt Sancti et Sanctorum splendor in gratia et gloria. Et quia hæ continentia sunt in tribus hierarchiis, et ter trinis ordinibus : et secundum illas continentias sunt etiam nostræ sortes et gratiæ et gloriæ in cœlis, ideo melius dicitur « *in cœlis* » quam in cœlo. Quia sicut dicitur, Deuter. XXXII, 8 : *Constituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei* ¹. Et quidam indigent et petunt, qui (alias, quæ sunt in cœlo inferiori : quidam autem ea quæ sunt in medio : et quidam quæ sunt in summo (alias, et supremo), licet Pater no-

ster in cœlo sit Trinitatis per suæ majestatis ambitum et continentiam, tamen in omnibus est cœlis, per hac quod est causa et objectum beatitudinis omnium. Job, XXV, 3 : *Numquid est numerus militum ejus ? est super quem non surget lumen illius ?*

Resumamus igitur ab initio et determinemus sermonem dicentes, quod hic sensus est : « *Pater noster, qui es in cœlis*, » hoc est, in cœlestibus vere es secundum omnem primi entis proprietatem. Ens enim in omnibus (alias, ante omnia) est primum, et ante ens nihil potest intelligi. Sed quæcumque sunt, post ipsum intelliguntur. Et ideo est nomen Patris primi, qui principium est totius divinitatis, et omnium quæ sunt. Exod. III, 14 : *Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos.* « *Pater* » igitur est in esse spirituali, semen dans gratiæ, ad quod trahit omnia nostra, intellectum, affectum, liberum arbitrium per amorem, et tractum distinguit : quia aliter pes staret in capite, et oculus in manu, et esset confusio in membris spiritualibus nostræ naturæ. Distinctum format in figura divina, et vivificat, et corroborat virtute, educit ad opera, educat edulio suæ alimonie, erudiendo convertit ab errore, et ditat hæreditate. « *Noster* » autem est per hoc quod de suo dat, ut noster sit, nobis communicat : et per hoc quod idem multis dat, nos communes in suo, et similes facit : per modum autem dandi efficitur fratres : per hoc quod suum dat in nos, sequitur ejus effectus generans confidentiam : et quia de suo habemus, juris cujusdam ad sua accipienda generatur æquitas : et per hoc quod ipse dat, et nos accipimus, nostra ad ipsum debetur reverentia : et quia de suo dedit, et suum ubicumque sit, secum manere debet, domus suæ acquirimus cohabitationem : et in omnibus his vere est « *noster*, » quia pronomen hic plures dicit in una re possessa parti-

¹ Vulgata habet, Deuter. XXXII, 8 : *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Is-*

rael.

cupantes, ex cujus participio omnia causantur, quæ dicta sunt.

Sic igitur dicitur : « *Pater noster, qui es in cælis.* »

« Sanctificetur nomen tuum. »

Hic ponuntur petitiones, quæ secundum omnes Expositores (alias, Doctores) sunt septem. Quarum quatuor primæ pro adipiscendis bonis, tres autem ultimæ sunt deprecationes pro amovendis malis.

Illæ autem quæ sunt pro adipiscendis bonis divinis, aut sunt de bono divino adipiscendo secundum quod pertinet ad vitam divinam : aut sunt de bono conservante, et sustentante aut confortante nos in illo. Et de bono quidem pertinente ad vitam divinam sunt tres primæ : de conservante autem nos in illo et sustentante et confortante est quarta, quæ petit edulium, sive viaticum ad sustentationem et confortationem.

Tres autem primæ multiplicantur secundum ea quæ exiguntur ad vitam divinam et perfectam : hæc enim sunt tria, esse videlicet divinum in nobis perfectum et completum, posse, et ordinatum agere. Ad esse autem petitur sanctificatio nominis, ad posse autem adventus regni, et ad agere perfectio divinæ voluntatis in terra, sicut fit in cælo. Et ideo sicut dicit Augustinus : « Prima regitur spiritu sapientiæ, qui est sapor divinus ex esse divino in nobis : et perficitur pacificatione cordis, quando illi esse divino nihil in nobis repugnat. Secunda autem regitur spiritu intellectus, qui regnum Dei mentis illustratione declarat : et perficitur munditia cordis, quæ scandala de regno Dei eliminat. Tertia autem regitur spiritu consilii, qui agenda secundum Dei voluntatem persuadet : et perficitur misericordia, quæ incipit a seipsa, miseriam omnis inordinati

actus propellente. Quarta autem regitur spiritu fortitudinis, spiritu ad portanda onera confortante cum cibo sumpto : et perficitur esurie et siti justitiæ, quæ magis in esse divino sustentat, quam panis quem quotidie sumimus. »

Tres autem ultimæ sunt de amovendis malis : quæ mala aut transierunt actu et remanent reatu, et de his amovendis est quinta : aut sunt imminencia per causam, et futura per actum, et de his amovendis est sexta : aut sunt imminencia per causam et actum, et de his amovendis est ultima. Et ideo dicit Augustinus, quod « quinta regitur spiritu scientiæ, qui docet bene conversari et ostendit quæ sunt debita, quibus tenemur : et perficitur luctu, qui lavat delicta commissa. Sexta autem regitur pietate cultus Dei, qui (alias, quæ) vitat tentamenta, ne in tentationem inducatur : et perficitur mititate Christi, quæ (alias, qui) non permittit provocari a tentatore ad inducendum in tentationem. Septima autem regitur spiritu timoris, qui retrahit a malo : et perficitur paupertate spiritus in omnibus temporalibus humiliter se sentiente insufficientem, dicendo quoniam sufficientia sua ex solo Deo est ¹. Et sic petitionibus dona spiritus impetrantur, et donis virtutes et perfectiones beatitudinum acquiruntur. » Et hæc est sententia Glossæ Augustini.

Nunc autem restat de singulis secundum inductam divisionem exsequi petitionibus.

« Sanctificetur nomen tuum. »

Ex quo ista petitio dirigitur ad Patrem, nomen quod petitur in ea sanctificari, nomen est Patris. Est autem nomen duplex, personæ et naturæ. Personæ nomen est, quod personam quamcumque demonstrat in esse personali distincto,

¹ II ad Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

sive illa persona sit divina, sive humana, sive angelica : et hoc nomen non est communicabile alicui, sicut nec ipsa discretio personalis, a qua imponitur : et hoc vocatur nomen proprium uni soli conveniens : et in hoc nomine non communicant generans et genitus, nec communicare possunt propter causam inductam. Est autem nomen naturæ sub qua fit personalis discretio : et hoc est nomen communicabile illis, quibus datur natura per modum quo datur eis : et hoc dicitur, Genes. v, 2, quod *masculum et fœminam creavit eos, ... et vocavit nomen eorum Adam*, hoc est, homo : quod (alias, quia) Adam *homo* interpretatur. Sicut enim mulier naturam de viro accepit, ita accepit et naturæ nomen, et rationem. Et ita in divinis. Sic dicit Apostolus, ad Philip. II, 9 et 10 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, etc. Pater enim gignendo Filium dat ei naturam divinam, et per consequens dat ei nomen naturæ et rationem, quod vere Deus dicatur et sit : et ex hoc non habet quod rapinam se arbitratur æqualem Deo, et quod non blasphemat, cum dicit se Deum, et quod in nomine illo omne genu flectendum est ei sicut Patri, et quod non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri nisi illud¹. Sic ergo etiam dicitur (quoad naturam Patris, quæ nobis in generatione spirituali confertur ad esse divinum) dicitur Patris nomen nobis datum. Joan. x, 35 : *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura : sermo enim Dei est : sermo de communicatione Dei, qui (alias, quæ) est nota, quam facit natura communicata : sicut omnis res a natura sua denominatur et determinatur : et hæc Scriptura nullo modo solvi potest, quia realiter inscri-*

pta est, et inscribitur continue omnibus.

Hoc igitur est

« Nomen tuum, »

O Pater, qui es in cœlis.

Huic nomini statim in ipso fieri ante sanctificationem octo conveniunt, quæ sunt proprii hujus nominis effectus : quorum primum est, rem notare et declarare cui datur : secundum est, super rem esse cui datur : tertium est, hoc nomen non imponi, sed dari : quartum est, hoc nomen bono et optimo semper esse conjunctum : quintum est, hoc nomen innovare eum cui datur : sextum est, hoc nomen habere alietatem et differentiam ad alia quæcumque nomina : septimum est, hoc nomine consequi benedictionem : octavum est, hoc nomen facere communionem inter omnes uno patre genitos. Hæc autem plane inscripta inveniuntur, et ratione demonstrantur, et ipsa re etiam a parum scientibus denotantur.

Cum enim nomen dicatur quasi notamen, nisi cadat a significatione quam importat, oportet quod notando declarat rem cui datur. Et ideo dicitur : *Superscribe eis quibus datur, ut in ipso nomine sicut in Scriptura legatur notitia eorum*². Sic enim scribuntur in libro vitæ. Malach. III, 16 : *Scriptus est liber monumenti*. Apocal. III, 12 : *Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei, novæ Jerusalem*. Et, ibidem, paulo ante, §. 5 : *Non delebo nomen ejus de Libro vitæ*, hoc est, signaculum profundatum super nos, quo declaramur esse Dei. Propter quod nomen Domini fuit in lamina pendente in fronte Ponticis³. Apocal. VII, 3 : *Signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*. Et, ibidem, §. 4 : *Audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati, ex*

¹ Act. VI, 2 : *Non est in alio aliquo salus : nec enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

² Cf. ad Hebr. VII, 10 et X, 16.

³ Cf. Exod. XXVIII, 38

omni tribu filiorum Israel. Sicut dicitur, Exod. xxxiii, 17 : *Invenisti gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine.*

Declarans autem rem est super rem : et ideo invocatur in eos quibus datur. Semper enim eminent, et exaltat, et deprimi non potest : sed si deprimere aliquis conetur, nomen deletur : et tunc dicitur nomen eorum deleri de libro vitæ. Jerem. xiv, 9 : *Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos.* Et quando invocatur hoc nomen, in nos vocatur : et cum fortius sit omnibus, tunc nos ad se trahit fortiter, et unit sibi. Psal. lxxxviii, 16 et 17 : *In lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die.* Psal. lxxiv, 2 : *Confitebimur tibi, Deus : confitebimur, et invocabimus nomen tuum.* Psal. cxv, 13 : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Hæc exaltatio notatur, Apocal. iii, 12, ubi dicitur : *Scribam super eum nomen.*

Sic nomen supereminens, et non depressum non potest imponi, sed dari : sicut et omne nomen naturæ datur, et non imponitur. Et hoc significatur, Supra, i, 21, ubi dicitur : *Vocabis nomen ejus Jesum.* Et Glossa dicit : Non impones. Unde, ad Philip. ii, 9, dicitur : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Homo autem imponit nomina : Deus autem et natura dant ea. Isa. lvi, 5 : *Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Act. iv, 12 : *Non aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri :* et hoc est gloriosum. Si enim falsa hominum opinio imponeret, sæpius sine causa nominis nonem haberetur : nunc autem quando datur, semper datur cum causa : et sic numquam est vacuum nomen. Apocal. iii, 1 : *Nomen habes quod vivas, et mortuus es.*

Datum autem nomen bono et optimo semper est conjunctum : causa enim nominis est optimi collatio, quo nihil me-

lius excogitari potest, et quod solum per substantiam est bonum. Luc. xviii, 19 : *Nemo bonus nisi solus Deus.* Hoc significatur, Jacob. ii, 7, ubi loquitur de infandis et malignis divitibus, qui hoc nomen persequuntur, dicens : *Ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos.* Isa. lvi, 5 : *Dabo eis nomen melius a filiis et filiabus.* Eccli. xli, 15 : *Curam habe de bono nomine.* Isa. xxvi, 8 : *Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ :* non enim in desiderio animæ est nisi bonum. Dicit enim Philosophus, quod « bonum est quod omnia optant (alias, appetunt). » Unde, Ecclesiasticus, xli, 15, postquam dixit : *Cura habe de bono nomine,* addidit : *Hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi et magni.*

Sic nomen bono conjunctum semper novum est, et innovat. Isa. lxii, 2 : *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit :* novum enim est, quod principio est conjunctum, et vicinat ipsi. Et hoc semper facit nomen istud. Apocal. ii, 17 : *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Manna est dulcedo esse divini, quod datur per gratiam filiis : quia ille est panis filiorum. Calculus autem candidus est solidum et candens æternæ veritatis, quæ cognitioni imprimitur : et in hoc est nomen novum datum, quod vetustatem, in qua nati fuimus, repellit. Apocal. iii, 12 : *Scribam super eum... nomen meum novum.* Hoc enim modo innovat in nobis sui nominis signa, et immutat mirabilia ¹. Hoc modo Rex, qui sedet in thono, dixit : *Ecce nova facio omnia* ².

Hoc autem modo innovando distinguit, et differre ab omnibus in vetustate ambulatibus. Genes. xxxii, 28 : *Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Genes. xvii, 5-15, mutatur nomen Abram et Sarai, quando

¹ Cf. Eccli. xxxvi, 6.

² Apocal. xxi, 5.

signum dedit circumcisionis, quod ab aliis distinguebat. Isa. LXV, 15 : *Servos suos vocabit nomine alio*. Unde, Joan. 1, 42 : *Tu vocaberis Cephas : quod interpretatur Petrus*. Matth. XVI, 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Justum enim est, ut qui aliam et meliorem habent causam nominis, quod non in nomine antiquitatis, sed in nomine differenti vocentur. Distinguuntur ergo per nomen ab infandis hominibus. Isa. XLIX, 1 : *De ventre matris meæ recordatus est nominis mei*.

Sic ergo distinguendo causam dat benedictionem his quibus convenit, et maledictionem his quibus non convenit, sed ab eis distinguit. Isa. LXV, 15 et 16 : *Et servos suos vocabit nomine alio : in quo qui benedictus est super terram benedicetur in Deo amen*. Genes. XXII, 18 : *Benedicentur in nomine tuo omnes gentes*¹, hoc est, omnes gentes quæ sunt in nomine tuo, tibi datæ a Patre cœlesti : quia nomen est causa benedictionis. Unde, Psal. CXXVIII, 8 : *Non dixerunt qui præteribant, supple, hoc nomen : Benedictio Domini super vos : benediximus vobis in nomine Domini*. Tob. III, 13 : *Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum*. Job, I, 21 : *Sit nomen Domini benedictum*. Psal. CXII, 2 : *Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in sæculum*.

Sic autem benedictionem conferens, communionem Sanctorum omnium cum uno Patre Deo genitorum facit : ut sicut in univocis est nomen unum, ita sit et virtus nominis omnia bona communicans ejusdem nominis : et hoc est oleum effusum hujus nominis², quod vidua Ecclesia, et omnia vasa domus suæ, et mutuata ab aliis infudit³ : et se communicando commune meritum Sanctorum de creditoribus dæmonibus liberavit, cui

proprium meritum non sufficit. Hæc est unctio de qua, Psal. CXXXV, 2, dicit, quod a capite usque ad barbam, et in oram vestimenti distillans descendit⁴, dum nullum relinquit quem non penetret communicatio sanctæ charitatis.

Hoc est igitur nomen secundum proprios nominis effectus.

Est autem, o Pater, hoc « *nomen tuum*, » quia semper divinum, et a nullo nisi a te datum, et ab eo semper agnatum : et quia divinum, igitur venerandum et adorandum, Psal. LXII, 5 : *In nomine tuo levabo manus meas*. Psal. CV, 47 : *Confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua*. Ab eo datum, Isa. XLV, 4 : *Vocavi te nomine tuo*. Joan. XVII, 11 : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi : ut sint unum, sicut et nos*, hoc est, quos in nomine tuo, a te illis dato, dedisti mihi, qui expressi nomen tuum, quod a te accepi per generationem : et hoc est ab eo cognitum et vocatum. Isa. XL, 26 : *Qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat*. Joan. X, 3 : *Proprias oves vocat nominatim*. Exod. XXXI, 2 : *Vocavi ex nomine Beseleel filium Uri*. Beseleel *umbraculum divinum* interpretatur, et significat Sanctos in umbra alarum Dei sperantes. Hi sunt filii Uri, hoc est, ignis per incendium divini ignis, qui micat in eis : quia Apostolus, ad Hebr. XII, 29 : *Deus noster ignis consumens est*. Unde dicit Augustinus : « Ipse est ignis edax : consumit « enim veterem vitam divinus amor, et « innovat hominem. »

Sic est ergo nomen tuum.

Ergo o Pater,

« Sanctificetur. nomen tuum. »

Quod enim sanctum est, sanctificetur

¹ Vulg. habet, Genes. XXII, 18 : *Benedicentur in semine suo omnes gentes terræ*.

² Cf. Cantic. I, 2.

³ Cf. IV Reg. IV, 5.

⁴ Psal. CXXXII, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus*.

adhuc, quadrupliciter sanctificando : per emundationem, per clarificationem, per magnificationem, per mirificationem : sicut e contra per malos polluitur, obscuratur, minoratur, et blasphematur.

Per emundationem sanctificatur a contagione delictorum : per clarificationem, ab offuscatione affectus terreni : per magnificationem, ab infirmitate naturali : per mirificationem, per hoc quod in mirabilibus accipiat assimilationem Dei. Hæc enim quatuor dicit sanctitas.

Dicit enim Dionysius in libro de *Divinis nominibus*, quod « sanctitas est ab « omni inquinamento libera et perfecta, « et omnino immaculata munditia : » et quoad hoc est sanctificatio prima. Dicitur etiam sanctum latine idem quod ἁγιος græce : et hoc est idem quod *sine terra*, sive depuratio ab offuscatione terrena : et quoad hoc est sanctificatio secunda. Sanctum etiam idem est quod firmum : et tunc idem est sanctificatum, quod in magnis et ad magna confirmatum, et super omnia vincit : et quoad hoc est sanctificatio tertia ¹. Aristoteles etiam in libro de *Speciebus et operibus virtutum* dicit, quod « sanctitas est scientia faciens fideles et servantes quæ ad Deum justa : » et illa est mirabilis sanctitas, per hoc quod est scientia primæ veritati inhærens, admirabiles delectationes habens, puras et firmas : et quoad hoc est sanctificatio quarta.

De prima harum sanctificationum est destructio peccati, et contagionis relictæ ex maculis peccatorum omnium et perfecta et perpetua oblivio : et rememorationis delectantium male deletio, ita quod nec in actu, nec in reatu, nec in reliquiis, nec in concupiscentia remaneat. Et de hoc dicitur, Isa. xiv, 22 : *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem, dicit Dominus*. Et, infra, ῥ. 23 : *Et scopabo eam in scopaterens, dicit Dominus exercituum*. Nomen enim Babylonis est in actu, qui ha-

bet nomen confusionis immundæ : reliquiæ autem peccatorum sunt relictæ eorum, et illa sunt reatus : progenies autem est id quod nos reliquias vocamus, quæ sunt effectus peccatorum, sicut fœditas cogitationum, immunditia cordis, et hujusmodi : germen autem est in concupiscentia : et hæc omnia perduntur per munditiam sanctitatis. Et quoad perpetuam peccati oblivionem scopatur disciplinis et exercitiis bonis, et teritur usu virtutis, donec ad munditiam perfectam reducatur. Ad Hebr. xii, 14 : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*. I ad Thesal. iv, 3 et seq : *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra :... ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum*.

Secunda sanctificatio perficitur ex tribus : ex purgatione videlicet terreni amoris vel affectus, ex purgatione imaginationis terrenæ, et ex purgatione terrenæ rationis : et hæc significatio significatur. Exod. xix, 10 et 11 : *Sanctifica populum hodie, et cras, laventque vestimenta sua, et sint parati in diem tertium*. Hodie enim sanctificatur, quando post caliginem terreni affectus lux surgit in sereno cordis : cras iterum, quando excluduntur phantasiæ et imagines terrenorum : et tunc præparati sunt in lucem tertiam (alias, diem tertium) quando omnino abjiciuntur phantasiæ mundanarum rationum et cogitationum. Jerem. ii, 3 : *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus*. Quia dimissis his, tunc primo anima Deo primitias offert, emundata a contagione terrenorum. Isa. lviii, 13 : *Vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, quando scilicet nihil adhæret terrenæ contagionis*.

Tertia sanctitas perficitur confirmatione boni, sicut dicitur in Psal. lxxvii, 29

¹ S. DIONYSIUS, Lib. de Divinis nominibus,

cap. 12, de Sancto sanctorum.

et 30 : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera.* Eccli. xxiv, 16 : *In plenitudine sanctorum detentio mea, hoc est, in plenitudine sanctitatis.* Ad Hebr. xi, 32 : *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, etc.* Ad Hebr. viii, 6 : *Melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est, hoc est, confirmatum.*

De quarta dicit Psalmus lxiv, 5 et 6 : *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Templum est apparitio, quod patet in compositione verbi contemplor. Quia sicut *fanum* dicitur a φαίω, quod est apparere, ita et *templum* a *templor*, sive *contemplor*, quod est visio per intellectum : et hoc admirabile est altitudine : quia ex tali annuntiatione altissimorum, et tunc et nunc philosophari inceptum est, ut dicit Aristoteles. Daniel. iii, 52 : *Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ.* Et, ibidem, x. 52 : *Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum.* Exod. xv, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate?* I Reg. ii, 2 : *Non est sanctus ut est Dominus : neque enim est alius extra te, et non est fortis sicut Deus noster :* et tangit duas sanctitates simul. Isa. vi, 3 : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum :* hoc dicitur de tribus primis modis sanctitatis. Et de quarta additur : *Plena est omnis terra gloria ejus.* Joan. xvii, 17 : *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Dicit enim Dionysius quod « fides est collocans credentes in veritate, « et veritatem in ipsis credentibus. » Et ideo verum est, quod dicit Aristoteles, quod « admirabiles primæ veritatis Philosophia habet delectationes firmitate « et puritate. » Hæc enim veritas omnino pura est, cum sit simplicissima : omnino firma, cum omnis veritatis sit causa : omnino mirabilis, cum sit omnium altissima.

Prima harum sanctificationem præpa-

patio est ad secundam : et secunda dispositio est ad tertiam : tertia autem omnino necessaria est ad quartam : et tunc impletur quod dicitur, Sapient. vii, 27 : *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.*

Per primam fit proprie sanctificatio nominis, sive munditia, ut se in nobis sigillare possit. Genes. xvii, 10 et seq. : *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te : Circumcidetur, id est, sanctificetur, ex vobis omne masculinum :* et hæc sanctificatio est a præputio concupiscentiæ carnalis.

Secunda autem clarificat a pulvere et caligine terrenorum. Joan. xvii, 1 : *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Hoc enim dicit Filius de membris clarificandis a caligine terrenorum.

Tertia autem magnificentia perficitur claritate virtutum, quando ipsæ virtutes emundant se ab infirmis quibuslibet, et efficiuntur heroicæ vel heriles, non dignatæ ad parva respicere. Ad Roman. viii, 30 : *Quos justificavit, illos et glorificavit.*

Quarta autem perficitur æternæ sanctitatis illustratione, quæ splendet a Sancto sanctorum. Sapient. x, 10 : *Ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum : honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.*

His ergo quatuor sanctificationibus quatuor sunt contraria, quæ Dominus conqueritur, scilicet pollutio nominis, offuscatio, minoratio, et blasphemia. Polluunt enim nomen Dei, quod invocatum est super eos, qui carnalibus subjacent concupiscentiis : offuscant, qui terrenis supponuntur pretiis : minorant, qui detinentur actibus infirmis : sed blasphemant, qui relicto nomine, surdis et mutis inhærent idolis, non quidem illis quæ antiquitas vocavit *idola lignea* vel *lapidea*, sed eis quæ quilibet per amorem veneratur, et fingit pro Deo.

De primo dicitur, Ezechiel. xxxvi, 20 : *Polluerunt nomen sanctum meum.*

De secundo dicitur, Thren. iv, 1 : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?* Aurum enim splendor est deitatis in filiis gratiæ, qui nomen habent Patris in esse divino secundum gratiam. Color optimus est color spiritualis verus (alias, luminis) qui mutatur in fuliginem avaritiæ. Sicut et aurum obscuratur per caliginosum amorem terrenorum, sic et lapides sanctuarii, calculi veritatis in quibus scriptum fuit nomen novum, projiciuntur et sparguntur in compitis platearum, ubi terrenis lucris inihiatur.

De tertio improprietate Moysi et Aaron, Numer. xx, 12 : *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Hoc enim comminatus est eis, quia infirmitate humana tentati fuerunt in magnis : non enim magnum ostenderunt, sed minora-verunt nomen ejus coram populo.

De quarto dicitur, Isa. lii, 5 : *Jugiter tota die nomen meum blasphematur,* scilicet inter gentes. Blasphemia enim est, quando honor divinus ad res mutas, quæ juvare non possunt, transfer-tur.

His habitis, quædam quærentur in lit-tera, antequam procedamus ulterius, de nominis sanctificatione. Et sunt duo, quorum unum est, quare impersonaliter dicit, « *Sanctificetur* : » et non dicit : Pater noster, sanctifica nomen tuum, cum tamen ipse sit sanctificationis perfec-tor? aut dixisset : Da nobis sanctificare nomen tuum? Secundum est, quare di-citur, « *Sanctificetur*, » ac si continue sanctificandum sit, et non sit pervenire ad terminum sanctificationis?

Et ad primum horum dicendum, quod impersonaliter ponit, ideo quod licet Deus sit auctor sanctificationis, tamen non sit sine nobis cooperantibus, et etiam sine adjutorio Angelorum : et ideo ad

certam personam referri non potest, pro-pter quod impersonaliter pronuntiat.

Ad aliud dicendum, quod sicut qui in sordibus est, sordescit adhuc ¹, ita nullus adeo sanctus est, quin inveniat quo crescat adhuc accedendo ad sancta sanctorum. Et hoc notatur, Levit. xix, 1, ubi dicit : *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester,* qui sanctifico vos. Quasi dicat : Ego sanctitatis formam exhibeo, ad quam continue crescat. Psal. lxxvi, 11 : *Dixi : Nunc cæpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Eccli. xviii, 6 : *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Et ita continue oramus sanctificari. Ad Hebr. x, 22 : *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et ablutum corpus aqua munda.* Sic ergo ab omni immunditia segregatum nomen sanctifi-catur, sicut dicitur, ad Hebr. vii, 26 : *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus.* His enim tanguntur ea quæ dicta sunt, licet non eodem ordine : quia per impollutum tangit munditiam a peccati contagione : per segregatum autem a peccatoribus et innocentem tangit clarificatum a terrenorum offuscatione : per sanctum autem tangit magnificentiam in virtutis confirmatione : et per excelsiorem cælis factum tangit mirificum in di-vinæ veritatis contemplatione.

Redit autem adhuc ex prædictis orta quæstio : nomen enim quod sanctifica-tur, est natura Patris nomen quod parti-cipamus, quando dat nobis filios Dei esse, dando nobis sui participium per inhabi-tantem gratiam. Quid ergo fiet de aliis nominibus, sicut quo Christiani a Christo dicimur, et de multis aliis nominibus?

Et dicendum ad hoc, quod omnibus illis nominibus primum fundamentum est illud nomen divinum, quod ex hoc quod filii Patris sumus, participamus. Ex hoc enim participamus unctionem Spi-ritus sancti qua *Christiani* dicimur : et

¹ Apocal. xxii, 11.

effectum omnium aliorum participamus nominum : et ideo isto sanctificato, omnia alia participamus. Et hoc est nomen, de quo dicitur, I Joan. III, 1 : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus*. In hoc autem quod filii Dei sumus, scimus quod per spiritum adoptionis, et per paternæ claritatis participationem similes ei erimus, etsi non æquales. I Joan. III, 2 : *Nunc filii sumus : et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, hoc videlicet, quod similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Quando autem removetur peccati pollutio, terrenorum contagio, fragilitatis defectus, et provehimur ad veritatis fulgorem, tunc apparet nomen filiationis in nobis, et tunc resplendet super nos Deus Pater in pleno lumine pulchrorum et verorum honorum æternorum : ut tunc in nobis *egrediat ut splendor justus noster, et Salvator noster ut lampas accendatur*¹ : ut ipse quidem Deus Trinitas Pater noster, qui vere est, sit in nobis lux candens et intellectualem animæ nostræ, sicut serena dies ex lumine quod fulget e Patris majestate : et ipsa animæ substantia sit sicut sedes confirmata, in qua resident omnes pulchritudines contemplationis et veritatis et bonitatis divinæ. Et tunc lux Dei increata fulget in nobis, a quo influitur nobis lumen spirituale, sicut lumen diei in aerem fluit a sole : et ex hoc fiunt et demonstrantur nostro intellectui pulchritudines veritatis, sicut dicitur, ad Roman. VIII, 21 : *Quia et ipsa creatura, quæ est homo, liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* : et tunc vere filii Dei naturale nomen deitatis participative per gratiam accipientes apparemus : et tunc scimus illud quod dicitur, Act. IV, 12, quod *non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* :

sicut dicitur, Isa. LVII, 15 : *Hæc dicit Excelsus, et Sublimis, habitans æternitatem, et sanctum nomen ejus, in excelso et in sancto habitans*. Et tunc dicimus, quia *fecit nobis magna qui potens est, et sanctum nomen ejus*². Tunc enim non quaerimus nomen ejus, quia ipsum est mirabile. Scimus enim tunc quod *a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris*³ : quando gloria vultus Patris sic manifestatur in vultibus filiorum, et cor efficitur aula summi Patris, et vestibulum æterni luminis, et ipsa mens nostra thronus omnis divinæ pulchritudinis : et notamen nobis impressum resplendet ad vultum imprimentis, et quantum prævalet, respondet imitando ipsa forma pulchritudinis, dicens quod imago hæc et superscriptio summi est Imperatoris per Spiritum suum nos in filios adoptantis.

Hoc est igitur quod dicitur : « *Sanctificetur nomen tuum,* » secundum litteralem intellectum.

« Adveniat regnum tuum. »

10

Sicut ad esse filiorum Dei pertinet præinducta petitio, ita ad potestatem perfectam eorumdem pertinet ista, quæ hoc secundo loco inducitur. Sunt autem tria in ea notanda, ad hoc quod bene intentio ejus intelligatur : quorum primum est, quid sit regnum quod hic ponitur (alias, petitur) ? Secundum, qualiter hoc sit Dei Patris regnum, ad quem petitio dirigitur ? Tertium autem, qualiter petitur, et unde verbum *advenire* ?

Ad intellectum primi, inter hæc notandum, quod sicut tradit Plato in *Democraticis* : « Regnum nihil aliud est, nisi « completa in uno potestas et dominatus, « justitia animata, legibus ordinata, urbanitatibus sicut partibus determinata, « armorum strenuitate roborata, civilita-

¹ Isa. LXII, 1.

² Luc. I, 49.

³ Psal. CXVII, 23 ; Matth. XXI, 52 ; Marc XII,

41 ; Luc. XX, 17 ; Act. IV, 41 ; ad Roman. IX, 33 ; I Petr. II, 7, etc.

« tes optimas gubernans, et bonis exterioribus, sive copiis organicis (alias, « organice) subservientibus, quantum « sufficit, superabundans. » Et intellectus Philosophi est, quia si non esset in uno, sed esset potestas divisa, posset fieri divisio et schisma, et per consequens desolatio. Quia, sicut dicitur, Matth. xii, 25 et Luc. xi, 17: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet*: et monstruosa res est corpus quod habet plura capita.

Et adhuc, In omnibus naturalibus et disciplinalibus omnis multitudo reducit ad unum: cum igitur in quolibet regno sint de necessitate multæ particulares potestates, sicut Principum, Tribunalium, Proconsulum, Prætorum, Ducum, et Præfectorum, et hujusmodi, confusio inordinata esset, nisi reduceretur ad unum: et nec naturæ congrueret, nec disciplinalibus concordaret, et in seipsa turbationem schismatis sustineret.

Hanc autem potestatem oportet esse per modum dominatus, et non per modum exercentis potestatem. Dominatus autem consistit in altitudine superpositionis quæ ad inferiora non dignetur inclinari, quam in sublimitate honoris admirabilis teneat copia pulchrorum et bonorum laudabilium habitus prudentiæ et sapientiæ et virtutis: ita quod divitiæ regis in talibus in omnium sint admiratione potius quam imitatione, sicut dicitur, III Reg. x, 9, quod regina Saba videns sapientiam et ordinem regis Salomonis, non habuit ultra spiritum, et dixit: *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum et constituit te regem, ut faceres iudicium et justitiam*. Et oportet hunc dominatum, sicut altus est et copiosus in omni pulchro et bono, ut ita ex immobilitate longæ et consuetæ honestatis cadere et nutare secundum opinionem sapientium non possit: quia decedente eo qui totum tenet, necesse est omnium sequi ruinam, sicut

dicitur, Isa. xxxi, 3: *Dominus inclinabit manum suam, et corruct auxiliator, et cadet cui præstatur auxilium*. Unde dicit Dyonisius in libro de *Divinis nominibus*, quod « Dominus dicit etiam non « subjectorum excessum tantum, sed « omnimodam pulchrorum et bonorum « laudabilium perfectam possessionem et « veram: et non cadere, vel nutare valem « lentem fortitudinem. » Propter altitudinem autem non decet regem populo se immiscere, quia ex hoc vilescit. Unde in *Regimine Dominorum* dicit Aristoteles, quod « sapientissimi Reges Indiæ non « nisi semel in anno ostenderunt se populo: et tunc cum gloria magna processerunt, et sapienter concionabantur, « et aliqua iudicia magna fecerunt: ut ex « gloria essent in admiratione, ex conditione sapientiæ in veneratione, et ex « iudiciis in timore malorum, et in amore « bonorum et laude. » Hic tamen dominatus totus pertinet ad potestatem qua continentur multitudines: quia dicit Ambrosius quod « Dominus est nomen potestatis. »

Hæc autem potestas animata debet esse iustitia, quia rex non tantum debet esse justus, ut vita, sensus, voluntas, intellectus, et esse, nosse, velle, posse, videre et agere suum sit: non torpens vel dormiens, sed viva et vigilans iustitia: sicut ejus cujus voluntas auctoritas est ad omnium justorum confirmationem, cujus verbum sententia est confirmans iudicium, cujus actus mensura est omnium justorum, cujus nutus obedire cogit in omne præceptum, et cujus indignatio dissipat omne perversum, cujus ratio lux est omnium quæ juris ordine sunt determinanda. Si autem alteriusmodi sit rex, regnum ejus est corruptum in tyrannidem. Unde Augustinus in libro de *Civitate Dei* dicit, quod « absque iustitia nihil aliud sunt regna quam magna latrocinia. » Hoc notatur, Isa. xxxii, 1: ubi dicitur: *Ecce in iustitia regnabit rex, et principes in iudicio præerunt*, Et, ibi-

dem, *ἄ, 5* : *Non vocabitur ultra is qui insipiens est, princeps : nec fraudulentus appellabitur major.* Oportet autem hanc potestatem legibus ordinatam esse. Dicit enim Aristoteles in *Politiis* suis, quod « ad rempublicam continendam non sufficit sermo instructivus, qui sufficit tamen ad ignorantium doctrinam : neque etiam sufficit sermo persuasivus, qui sufficit ad bonorum et studiosorum in-formationem : sed propter eos qui nolunt justitiam colere, et pietatem amare, oportet esse sermonem coactivum : » et ille est sermo edicti legum, propter quod leges sanctæ sunt pœnis sanguinis confirmatæ : sicut etiam lex a ligando dicitur. Unde, Esther, III, 8 : *Optime nosti quod non expediat regno tuo ut inole-scat per licentiam.* Et illud Esther, XII, 17 : *Jussimus ut nefarii homines uno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem quam turbaverant.* « Lex enim, ut dicit Tullius ante finem *primæ Rhetoricæ*, est jus scriptum asciscens honestum, prohibensque contrarium : « et pœnam ei qui transgreditur intermi-nans. » Et licet rex supra legem sit, tamen non est contrarius legi : et est supra legem, eo quod ipse est viva forma legis, potius formans et regulans legem quam formatus est regulatus a lege. Lex enim nihil aliud est quam juris forma, ex forma quæ in mente regis est educta, et ad regulandum populum scripto mandata. Et hoc modo dicitur, I ad Timoth. I, 8 et 9 : *Scimus quia bona est lex, si quis ea legitime utatur : scientes hoc quia lex justo non est posita, sed injustis.* Licet ergo lex justo non sit posita, tamen a justa mente posita est secundum formam justitiæ, quæ est in mente. Isa. XXVI, 7 : *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.*

Urbanitatibus autem sicut partibus potestas regni est determinata sicut suis partibus. Cum enim omnes urbanitates tres sint, sicut in *Democraticis* dicit Plato, Monarchia, Aristocratia, et Timocratia. Monarchia est ipsum regnum : nec urba-

nitatis dicitur, nisi quia utilitates urbanorum et urbium considerans, optime continet urbes et urbanos. Et est ipsa tota simul in uno stans potestas : sed quia nulla potestas una æqualiter potest esse immediata in multis, ita quod æqua sit virtus ejus et providentia in omnibus, ideo oportet ipsam habere particulares potestates quæ prospiciant inferioribus. Sic enim motor orbium habet particulares motores sphaerarum : sic anima in corpore particulares habet vires membrorum : et sic est in omnibus aliis videre. Sic ergo etiam regni potestas habet duo genera potestatum, quæ in plurimas dividuntur : et una quidem pars ejus est urbanitas virtutis, et alia divitiarum. Ad gubernandum enim partes regni vocantur viri virtutum præcipuarum, qui corrumpi non possint, nec circumveniri, sicut dicitur, Exod. XVIII, 21 et 22 : *Provide de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderrint avaritiam : et constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui judicent populum omni tempore : quidquid autem majus fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo judicent : leviusque sit tibi, partito in alios onere.* Potestas igitur talium Aristocratia vocatur, ab ἀριστος quod est excellens et, κράτος quod est potestas. Et ex his primo cœpit senatus Romanus. Esther, I, 13, dicitur, quod sapientes ex more regio semper Assuero aderant, et illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac jura majorum.

Quia vero gubernatio civitatum et multitudinum indiget copiis, quæ si semper extorqueri debeant a pauperibus, corrumpitur regni justitia : et si pauperes ponantur in talibus potestatibus, timetur quod ex indigentia corrumpant justitiam ; ideo inventa est Timocratia, quæ committitur divitibus : quæ dicta est ἀτιμία quod sonat divitias, et κράτος quod est potestas : ita tamen quod hæc potestas sub regimine sit senatus et Aristocratiae. Et illis committuntur officia publica, sic-

ut præfecturæ, ducatus, et nujusmodi, qui necesse non habeant in lucrum convertere officium, cum sibi ex suis sufficiant. Eccli. xxvii, 1 : *Propter inopiam multi deliquerunt : qui quærit locupletari, avertit oculum suum*, scilicet a justitia. Istæ sunt ergo partes, quibus potestas communis regni determinatur.

Armorum etiam et electæ juventutis strenuitate roborata est. Unde dicit Plato in *Timæo* : « Ad militiam electa scribatur juvenus, nec uxoribus utens, nec filiiis, sed omnes cives tamquam parentes venerans. » Et si uxores aliquando habebant, numquam eas videre permissi sunt, ne filios suos cognoscerent, et illis magis quam aliis impenderent defensionem : sed in tenebris admittebantur, et in tenebris separabantur ab eisdem. Et hi ultimas sedes, ubi regnum magis timuit, acceperunt : et ibi stabant in munitionibus, et sustinebant ibi insultus, et revellebant : et si ultra vires eorum crevit insultus, tunc demum cives omnes et rex et potentes armis accingebantur : ut vel honeste et libere viverent, et hostes servos acciperent, vel morerentur : quia « erat eis, ut dicit Aristoteles in III « *Ethicorum*, mors eligentior (alias, eligentior) quam vita sub barbarica servitute, quæ justitia legum non utebatur. » Hi ergo milites semper erant accincti, quibus duo erant officia continua, quando non pugnabant : unum erat exercere arma tormentis, et cursibus equorum et telis. Sicut dicitur, II Reg. I, 18, quod David præcepit populo, ut filios suos docerent arcum, hoc est, artem sagittariam. Post exercitium autem erant dediti musicis dulcibus : et hoc fuit ideo quod duas facies in corde acquirerent : severitatem ex armorum usu contra hostes : et ne hæc severitas efficeretur crudelitas in cives, exercebantur musicis, ut mitescerent et dulcescerent ad cives. I Machab. III, 58 et seq. : *Accingimini, et estote filii potentes : et estote parati in mane, ut pugnetis adversus nationes has quæ conveniunt adversus nos, disperdere nos et sancta*

nostra : quoniam melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat ! Hoc modo legiones erant ordinatæ in Romano imperio, et in regno David erant Cerethi et Pheleti legiones, qui erant positi ut occiderent, et vivificarent : turbatores quidem occiderent, et cives pietatem et justitiam colentes vivificarent. Unde Pheleti interpretantur *vivificantes*, et Cerethi *occidentes* : quia sicut in præhabitis diximus, duas habebant facies, severitatis, et pietatis : sicut dicit egregius miles Mauritius : « Dexteræ istæ pugnare adversus hostes sciunt, laniare pios nesciunt. »

Hoc regnum est civitates optimas gubernans, et est modus gubernandi secundum æquissimas leges, jus suum unicuique tribuere, et per hoc pacem et gaudium et libertatem et felicitatem populo confirmare, sicut dicitur, Isa. xvi, 5 : *Præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.* Quod enim dicitur in misericordia præparari solium, intendit quod Princeps non lucro, vel gloria, sed in misericordia populi, et patriæ sedet in throno : et quod in veritate judicat, significat quod judicat secundum æquissimas et verissimas leges : et quod dicit quærere judicium, significat examinare diligenter merita causarum : et tunc velociter sine dispendio moræ et protractionis reddere jus suum unicuique, sicut dicit Apostolus, ad Roman. xii, 4 : *Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est : vindex in iram ei qui malum agit.* I Petr. II, 14 : *Ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Hæc enim est optima gubernatio civitatum tam in communicationibus quibus sibi in contractibus communicant, quam etiam in meritis quibus vel præmia, vel pœnas merentur : quam etiam in distribuendis, si aliqua aliquando pro dignitate uniuscujusque sunt distribuenda.

Ad hæc autem omnia exigitur, ut copiis abundet sufficienter : quia exteriora bona licet male a quibusdam expendantur, tamen in usu regni sunt sicut organa, sive instrumenta quædam, quæ subserviunt ad regimina : quia et expensas administrant stipendiorum, et ad decorem et commodum faciunt eorum qui pietatem colunt et justitiam, sicut dicitur, III Reg. x, 23, quod aurum et argentum nullius pretii erat, tempore videlicet Salomonis, et quod *magnificatus est super omnes reges terræ, divitiis et sapientia* : hoc enim debet esse studium regni, quod regnum sit abundans : ut si necessitas ingruerit, quod copiæ stipendiorum habeantur : sic enim confirmatur pax cunctis mortalibus desiderata, sicut dicitur, III Reg. iv, 24 et 25 : *Rex Salomon... habebat pacem ex omni parte in circuitu. Habitabatque Juda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.* Hoc est igitur regnum.

In spiritualibus autem hæc accipiendo, tunc dominatum regni faciunt processiones divinæ in nos, exaltantes et ditantes et confirmantes nos : et illæ processiones sunt radii suæ gratiæ, qui cor elevant ab omni eo quod serviliter deprimunt : ut jam non dignemur ad talia respicere, sed in potestate super talia exaltari, et deprimere ea, et pulchris et bonis fontaliter repleri : ex quibus super vilia sublimamur, et in his nullo modo cadere. Sic enim dicitur, Luc. xvii, 21, quod *regnum Dei intra nos est* : et hoc est indicari nobis et manifestari magnum nomen Dei Adonai¹ : quia Adonai Dominus interpretatur. Hoc facto, oportet quod justitia sit vita nostra perpetua, sicut et ipsa immortalis est, sicut dicitur, Sapient. xv, 3 : *Nosse te, consummata justitia est : et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Et

hoc modo dicitur, ad Roman. xiv, 17 : *Non est regnum Dei esca, et potus : sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Ex hoc autem sequitur, quod leges divinæ inscribuntur cordibus nostris inviolabiliter observandæ, sicut dicitur, Isa. viii, 16 : *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.* Psal. xxxvi, 31 : *Lex Dei ejus in corde ipsius : et non supplantabuntur gressus ejus.*

Urbanitates autem efficiuntur in nobis virtutum officii, et gradibus potestatum virtutum : illis enim particulares potestates committuntur, quia et idoneæ per bona studia, et divites ad continendum, sicut dicitur, Isa. iv, 1 : *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa*, hoc est, septem virtutes, fides, spes, charitas, prudentia, temperantia, fortitudo, et justitia. Arma autem, quibus roboratur hoc regnum, sunt studia et solertiæ et Scripturæ, quibus excluditur hostis diabolus. II ad Corinth. x, 4 et 5 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionemmunitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Ad Ephes. vi, 11 : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Et, ibidem, infra, v. 13 : *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.* Ista enim arma sunt solertiæ et audaciæ obviandi tentamenti diaboli. Habet etiam secum Sanctorum agmina, Angelorum quasi legiones, sicut dicitur, Cantic. vi, 3, quod est *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Et in his confidens Eliseus dixit plures esse secum, quam cum hostibus².

Sic ergo gubernat civilitatem suam, omnes animæ vires et societatem cum proximo habens pro civibus suæ interioris et exterioris civitatis, de qua scriptum est : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*³, quoad interiorem civitatem.

¹ Cf. Exod. vi, 3.

² Cf. IV Reg. vi, 16.

³ Psal. lxxxvi, 4.

Et de exteriori dicitur, Proverb. xviii, 19 : *Frater qui jwatur a fratre, quasi civitas firma* : non deficit in meritorum copiis. I ad Corinth. i, 5 et seq. : *In omnibus divites facti estis in illo*, scilicet in Christo, *in omni verbo, et in omni scientia* : *sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia*. Sic ergo Deus Pater regnum suum confirmat in nobis, ut primo det dominii sui participationem in gratia, qua nos exultat, et assimilat Regi filio suo, ubi est in dextera sua sedens : ut faciamus semper quæ dicit Apostolus, ad Coloss. iii, 1 et 2 : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* : et hoc pulchritudine bonorum suorum quæ nos ad cælum elevat, nec amplius sinunt nos sub istis terrenis et humilibus deprimi : ut voluntate et intellectu per omnia congruamus primæ et divinæ rectitudini, sicut dicitur, Isa. lx, 21 : *Populus tuus omnes justus, in perpetuum hæreditabunt terram* : ut etiam legum divinarum in nobis habeamus regulam, attendentes, quod *lex Domini immaculata, convertens animas*¹ : et illud Proverb. vi, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ*. Et si increpat aliquando, quod hæc est increpatio disciplinæ.

Aristocratiam autem quamdam spirituales habemus in virtutibus magnis et heroicis, quæ sunt continentia, quæ est mora in mente quando omnia irrationalia nostra infra mentis bene dispositæ metas continemus, attendentes illud Eccli. xiv, 22 : *Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspersionem Dei*.

Timocratiam autem habemus per alias communes virtutes civiles, in omni honestate et in domo cordis nostri pacem facientes, sicut quædam gladiatæ potestates, quæ severitate vindicant in om-

nem insurgentem mali appetitum, sicut dicitur, Eccli. xliv, 6 : *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis*.

Acies autem militum multarum legionum nobis acquirimus per participationem Angelorum. Cum his enim qui dona eorum participant, semper armata militia proficiscuntur, ut cum Seraphim ignem spiremus cum (alias, in) charitate et devotione : cum Cherubim illuminationem scientiæ divinorum omnium intellectus nostri illustratione : cum Thronis in tranquillitate cordis Dei fieri : cum Dominationibus alti quæcumque humilia contemnescentes : cum Virtutibus firmissimi (alias, fortissimi) : cum Potestatibus contra vitia severi : cum Principibus in omnibus divinis officiis ordinati : cum Archangelis omnium divinorum operum conscii, et in eis habentes facultatem : cum Angelis cauti, ne aliquando offendatur ad lapidem scandali pes animæ nostræ.

Gubernemus etiam ad pacem et felicitatem totam vitæ nostræ apud nos et apud alios civilitatem, attendentes illud Apostoli, ad Ephes. ii, 19, quod *sumus cives sanctorum et domestici Dei* : et in omnibus abundemus auro sapientiæ et argento modorum (alias, morum) sacræ Scripturæ eloquentiæ, et lapidibus pretiosis bonorum operum. Hoc enim est regnum, quod diffiniens Dionysius in libro de *Divinis nominibus*, dicit : « Regnum est omnis finis bonæ legis et « ordinis distributio, quando videlicet ex « potestate nobis concessa unicuique « parti animæ nostræ scimus, et facultatem habemus distribuere finem suum « optimum, et conjungere unumquodque ad suum bonum lege ligante quod « libet : ne aliquid sit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem « Dei. » Sic enim lex signatur, sive sigillatur in nobis : omnia facientes secundum ordinem sapientiæ et charitatis

¹ Psal. xviii, 8.

in nobis, sicut dicitur, I ad Corinth. xiv, 40 : *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant.* Hoc enim verissime est regnum, quod nobis advenire petimus : hoc enim conducit ad pacem et gaudium in Spiritu sancto, sicut dicitur, ad Roman. xiv, 17. Sic dicunt Sancti, Apocal. v, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes : et regnabimus super terram.* Sic Christus Rex eorum regnat in domo Jacob in æternum. Et patet quod in hoc regno perfectio est potestatis, sicut dicitur, Daniel. vii, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Stat enim ista potestas per omnem habitum complementem potestatem, in nullo quod ad potestatem pertinet deficiens.

Rex autem in hoc regno regnans Deus est. De quo dicitur, quod est *rex magnus super omnem terram*¹. II Machab. i, 24 et 25 : *Solus es bonus rex, solus præstans, solus justus et omnipotens :* et hæc quasi bajulus est ratio. Esther, xiv, 3 : *Rex noster es solus.*

Et hoc est quod sequitur :

« Regnum tuum. »

Patris enim dicitur hoc regnum : quia in ipso regnat, quia hoc Filio dedit, et quia in ipsum adoptionis filios ducit, et a Filio rege cum omnibus in quibus est, et qui in ipso sunt, in fine tradetur. De primo, Isa. xxxiii, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos.* Psal. xcii, 1 : *Dominus regnavit, decorem indutus est,* etc.

De secundo, quod regnum dedit Filio quem misit ad nos, Jerem. xxvii, 5 : *Suscitabo David,* etc. Psal. lxxi, 2 : *Deus, judicium tuum regi da,* etc. Daniel. vii, 13 et 14 : *Cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit. Et in conspectu ejus obtulerunt eum : et dedit ei*

potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient.

De tertio, quod in ipsum filios adoptionis traducit, ad Coloss. i, 13, dicitur, quod *eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* Matth. xx, 23 : *Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.*

De quarto, quod regnum a Filio Patri offeratur, ut in perpetuum cum ipso regnent Sancti, dicitur, I ad Corinth. xv, 24 : *Cum tradiderit regnum Deo et Patri.* Tunc enim regno pleno perfectum erit omne propositum Patris, pro quo misit Filium. Baruch, v, 6 : *Adducet illos Dominus ad te portatos in honorem sicut filios regni.*

Hoc igitur est « *regnum tuum,* » habens æterni Regis insignia : decorem in veste lucidissimæ conversationis, fibulam claudentem sinum per incorruptionem secreti cordis : quia ad hoc fibula regibus dabatur, quod scirent sinum secreti cordis clausum retinere : habens etiam sceptrum divinæ rectitudinis omnia recte dirigendo per judicium rectum : et habens diadema speciei in capite, quod significat in ipso totum circuitum orbis : quia quidquid pulchritudinis in orbe cæli est, totum ambit mentem, quæ est in capite ejus. Sapient. v, 17 : *Accipient regnum decoris,* quoad vestem luminis : *et diadema speciei de manu Domini,* quoad coronam pulchritudinis totius ornatus cælestis, qui ambit capita eorum. De sceptro, Daniel. iii, 54 : *Benedictus es supra sceptrum sanctum regni tui*². Psal. xlv, 7 : *Virga directionis, virga regni tui.* I Machab. x, 89 : *Misit Jonathæ Alexander fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis regum.* Fibula hæc significat absconsionem consilii, quæ præcipue necessaria

² Psal. xlv, 3.

¹ Vulgata habet, Daniel. iii, 54 : *Benedictus es*

in throno regni tui.

est filiis regis, ne revelent cuilibet secretum conscientiae suae. Proverb. xxxi, 4 : *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum.* Tob. xii, 7 : *Sacramentum regis abscondere bonum est.*

« Tuum »

Igitur, o Pater, est hoc hoc regnum decoris : in tuo diademate fulget tota pulchritudo caelestis per circuitum orbis : in cujus manu sceptrum est rectitudinis, eaque omnis rectitudo est, certius verbis et sententiis : in cujus conscientia sacramenta consiliorum sunt abscondita : in cujus conversatione fulgens et regalis præfulget conversatio virtutis.

Hoc igitur regnum tuum

« Adveniat. »

Et non dicit, quod nos veniamus ad regnum : quoniam virtutem non habemus ex nobis, ut veniamus ad ipsum. Sed si ipsum primo venerit ad nos, tunc virtute ipsius veniemus tandem ad ipsum. Propter hoc, infra. vi, 33, dicit, quod *quæramus primum regnum Dei et justitiam ejus*, quia virtute regni et justitiae ipsius tracti veniemus ad regnum. Psal. xlv, 5 : *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.* Species enim virtutis, et pulchritudo conversationis, quæ sunt de regno, faciunt intendere, et procedere ad regnandum (alias, ad regnum Dei). Nec dicit : Veniat regnum tuum, quoniam regnum Dei per causam et per seipsum semper venit in multis : sed non prodest nobis, nisi adveniat ad nos. Unde, Matth. xii, 28, et Luc. xi, 20, dixit quibusdam : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*, hoc est, inter vos venit per causam, quæ est gratia Evangelii. Sed non profuit eis, nisi ad eos veniret. Non enim novit me (alias, veniet in me), nisi quod sociatur mihi. Et

ex quo regnum Dei potestas est perfectæ justitiæ, ad nos venit regnum Dei, quando quidem nos præveniens vindicat sibi, et postea nobis sociatur in opere, ut cooperemur eidem ad justitiam regni perficiendam. Et ideo, Matth. xxi, 43, dixit quibusdam Christus : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.*

Et attende quod dicit, « *Adveniat,* » quasi continue optemus ipsum venire : quia non est adeo justus, quod totum regnum Dei sibi advenerit. Unde etiam supra¹ dicit, quod *appropinquavit regnum caelorum* : paulatim enim et paulatim venit regnum Dei, donec tandem totum obtinet hominem. Et hoc est, quod dicit, Psal. ii, 10 et 11 : *Et nunc, reges, intelligite : erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Sapient. vi, 22 et 23 : *Si delectamini in sedibus et sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis : diligite lumen sapientiae, omnes qui præestis populis.* Ideo, Matth. xx, 22, cum mater filiorum Zebedæi oraret, et peteret ut duo filii sui sederent, unus ad dexteram et alter ad sinistram in regno Christi, et regnum eis non adhuc advenisset per justitiam, dixit Christus : *Nescitis quid petatis.* Non enim ad honorem regni perveniet, nisi cui primum regnum advenit per observationem legum, et virtutum, et justitiæ, et potestatis secundum modum qui prædictus est.

« Fiat voluntas tua. »

Post petitionem de potestate, subjungit petitionem de perfectione operis : et circa hanc dicit duo : operis scilicet perfectionem, et perfecti operis formam.

Operis perfectio notatur in hoc, quod dicit : « *Fiat voluntas tua.* »

Et circa perfectionem tria dicit : causam veram operis, quæ est « *voluntas.* »

¹ Cf. Matth. iii, 2 et iv, 17, et multa alia loca.

Secundo, rationem operis, quando dicit, « tua, » quia hæc nobis præcipua est ratio operis, si Dei est voluntas quod facimus. Et tertio subjungitur operis perfectio, quando dicit, « fiat. »

Sicut autem volunt Aristoteles et Damascenus, « Voluntas est appetitus cum ratione : » et in hoc differt a concupiscentia, quæ irrationabilis est. Et nisi improprie pro concupiscentia et appetitu irrationabili ponatur voluntas, tunc habet in se quatuor : quorum unum et primum est libertas naturæ et consilii et complaciti. Secundum est, quod est motor omnium virtutum rationalium, et ad ejus imperium agunt, aut cessant ab actione, sicut dicit Augustinus. Si enim volo, et quando volo, intelligo : et si volo, quando volo, video : et sic de aliis : unde voluntas motor est in omnibus in toto regno intellectualis naturæ, quæcumque sit, sive creata, sive increata. Tertium est, quod voluntas post omnes impetum facit ad opus, et est causa operis. Quartum est quod dicunt Aristoteles et Damascenus, quod voluntas est in ratione. Dicunt enim, quod in ratione voluntas sit : in irrationali autem parte desiderium, sive concupiscentia, et animus, sive ira, sive irascibilis.

Ex istis quatuor proprietatibus quatuor accipimus in voluntate attendenda : omnium enim libera est, et non vult opus servile : omnium autem generalis omnium aliarum potentiarum motor est, et non vult secundum partem, sive imperfectum : omnium autem impetum ipsa sola facit ad opus, et vult opus promptum et paratum : et quia cum ratione est, vult opus ex rationis inquisitione ordinatum.

Primum autem horum (quod libertas est) ad hoc quod perficiatur, tres concurrunt libertates : a coactione videlicet, quæ est libertas naturæ ipsius voluntatis : et libertas consilii, quæ est ne obligetur perversitati : et libertas complaciti, quæ est ne indevotioni et insipiditati obligetur. Non enim liber est, qui

cogitur : nec liber est, sicut dicit Tullius in libro de *Locis liberalibus*, qui subjacet perversitati : quia, sicut dicit Augustinus, qui potest ea quæ sibi non prosunt, nec expediunt, quanto magis potest illa, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum. Similiter, qui non habet totum complacitum in hoc quod agit, et non sapit sibi neque pascitur, in hoc quod facit, non perfecte liber est, et aliquo modo nolens facit : vellet enim hoc non facere, eo quod hoc non placet : et ideo severitatis (alias, servilitatis) aliquid habet, vel ex timore, vel ex alterius amore, quod cum isto stare non potest. Quia, sicut dicit Philosophus, « Liberum dicimus, qui causa sui est, et non causa cujusque alterius. » Sic etiam libera est voluntas in opere, vel volito, quod causa sui, et non causa cujusque alterius facit.

Adhuc dicit Augustinus, quod « libertas voluntatis triplex est, naturæ, gratiæ, et gloriæ. » Libertas naturæ dat nobis facere hoc vel illud, libertas gratiæ adjuvat voluntatem naturæ, et libertas gloriæ perficit libertatem gratiæ. Libertas naturæ liberat a coactione, libertas gratiæ liberat a culpa, libertas gloriæ liberat a miseria. Multas ei obligationes habet natura : quia dicit Aristoteles, quod « multipliciter humana natura ancilla est, et nihil est in ea liberum nisi voluntas, quæ facit hominem causam esse suorum actuum. » Libertas autem gratiæ tangit formam, quæ liberaliter et liberis intendit actibus. Libere enim facit, quando non coactionis, sed amoris causa voluntas fertur ad actum. Liberior autem, quando non nisi honestis intendit, quæ sola libera sunt : quia sola propter se appetuntur. Sed libertas gloriæ conjungit liberrime : cui cum conjuncta fuerit voluntas, libertatem habet volendi et agendi quod vult : eo quod tunc numquam aliquid serviliter, vel servile vult ex immobilitate æternæ libertatis, quæ format (alias, nformat) eam.

De his igitur differentiis voluntatis loquentes ostendemus, qualiter debet fieri voluntas Patris: quoniam sua voluntas non fit nisi per nostram voluntatem: sicut etiam nostra voluntas causata et exemplata est a sua voluntate.

Dicamus igitur primo de voluntate secundum quod informatur libertate naturæ et a coactione, quod hoc facit, quod sumus domini nostrorum actuum. Tunc autem facimus libere, quando nullo cogente extra, nulla necessitate extorqueute, solo amore Patris facimus ejus voluntatem, non commodi, vel timoris alicujus causa. I Petr. II, 16: *Quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.* Quasi dicat: Licet sitis servi Dei, tamen quasi liberi facite bona: non sicut illi qui libertatem commutant (alias, convertunt) in velamen, dicentes, quod si liberi sint, quod possunt agere quod volunt. Eccli. xxxi, 10: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus: facere mala, et non fecit.* Sicut Dominus dat nobis formam benefaciendi. Matth. xx, 15: *Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Non enim placent Deo coacta servitia. Eccli. xv, 14 et seq.: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porrigere manum tuam.* Item, ibidem, x, 18: *Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei dabitur illi.* Hæc enim est causa, quod sumus arbitri nostræ voluntatis: ut si bene faciamus, ex nostro aliquid sit ibi: et si male facimus, hoc etiam non sit impune, cum ex nobis quod volumus, facere possumus. Isa. I, 19 et 20: *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.*

Hoc enim justum est, cum domini simus actuum nostrorum.

Libertas autem consilii est, qua homo habet in potestate suum consilium sequi, vel non: vel melius dicatur, qua homo libere sibi consulit, et libera opera ex consilio suo sequenda determinat: ratio enim hominis semper aliquid consulit, et quando libere libera sequitur consilia, tunc libertatem sequitur consilii, non illeetus concupiscentia et abstractus. Psal. cx, 1: *In consilio justorum et congregatione.* Eccli. xxxii, 24: *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.* Aliquando enim homo avertitur a proprio consilio non ex libertate, sed potius ex obligatione concupiscentiæ, vel infirmitatis. Proverb. xi, 14: *Salus, ubi multa consilia.* Proverb. xiii, 10: *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Hæc igitur est libertas consilii, quando homo nulla obligatione recedit a consilio recto. Eccli. xxxii, 24: *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis:* Si enim consulatur conscientia, consulat melius. Sic igitur libere fit et consulte.

Libertas autem complaciti est, quando ideo facit, quia in bono pascitur et delectatur. Psal. xxxvi, 4: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Psal. lxxii, 6: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum.* De his tribus dicit Apostolus, ad Roman. xii, 2: *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Perfecta enim est ex consilio, beneplacens ex complacito, et bona ex libertate. Et efficitur his tribus laudabile bonum. Primum enim aufert ab opere timorem servilem, secundum perversitatem, et tertium indevotionem. Quoad primum dicit, Psal. lxxxiii, 8: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Quoad secundum, Tob. iv, 20: *Omnia consilia tua in ipso permaneant.* De tertio, Deuter. xxxiii, 12: *Quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius re-*

quiescet. Psal. LXXVI, 4 : *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Non enim debet credi, quod aliqua voluntas in hoc sit libera, quod ad malum potest flecti, vel perversum consilium sequi, vel indevote facere obsequium Dei. Libertas enim hominis est ex hoc, quod homo causa sui incipit esse : bonum autem hominis totum, Deus. Et quando in illum libere et consulte et placite movetur, tunc liber est : aliter autem se habens, servus est.

Similiter est de aliis libertatibus naturæ, gratiæ et gloriæ. Naturæ enim libertas est, quando natura nulli se subdit servili, sicut quando homo tenet naturam in dignitate naturali, non permittens quod bestialiter vilescat et serviat. Sic liberos præcipue decet esse filios Dei : sicut dicitur, III Reg. ix, 22, quod Salomon de filiis Israel neminem servire constituit. Genes. xxi, 10 : *Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac,* dixit Sara, quæ libera fuit. Unde Tullius dicit, quod « non est liber, qui « inferioribus se ancillatur. » Liber enim in homine intellectus est, et illum sequens sequitur libertatem : sequens autem subjugalem bestialitatem sensualitatis, non habet naturæ libertatem. Ad Galat. iv, 31 : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ : qua libertate Christus nos liberavit.* Et, ad Galat. v, 13 : *Vos in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem vestram in occasionem detis carnis.*

De libertate gratiæ, Joan. viii, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Hæc autem libertas est, quando homo libere secundum libertatis formam prosequitur gratiam, non inclinatus in aliquam peccati servitutem.

Libertas gloriæ perfecte erit in patria. Sed etiam hic habentur primitiæ ejus, quando homo in gaudio spe gloriæ facit hoc quod facit, sicut dicitur, Baruch, iv, 37 : *Veniunt collecti ab Oriente*

usque ad Occidentem, in verbo Sancti, gaudentes in honore Dei. Et, Isa. lxi, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsulsabit anima mea in Deo meo.*

Secundum ergo hunc modum, ex prima libertate efficitur opus voluntarium, ex secunda consultum, ex tertia devotum, ex quarta humane liberum, ex quinta meritorium et bonum, ex sexta jucundum et gloriosum : et tunc est Deo acceptum, quia tunc est divinæ voluntati consonum. Hæc igitur est libertas, in qua debet fieri voluntas Patris, sicut dicit Apostolus, ad Roman. viii, 21 et 22, quod *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. In hac enim libertate Dei fulgent, et voluntatem Patris perficiunt hi qui veri sunt filii Dei.

Secundum autem est, quod voluntas est motor omnium virtutum intellectualium, rationalium, et sensitivarum, et etiam membrorum : ita quod omnis talis motus vocatur *motus voluntarius* : et sic voluntas est universaliter motor in regno animæ : in hoc etiam similitudinem habens voluntatis Patris, quæ omnia movet, sicut dicitur, Esther, xiii, 9 : *In ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Hoc autem ideo Deus fecit, quod omnium potentiarum, et membrorum motum concessit liberrime, ut per illud omnia in suam voluntatem peragenda ordinaret, et nullum esset ex omnibus, per quod voluntas Dei non compleretur. Ad Roman. vi, 13 : *Exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo.* Psal. xxxiv, 10 : *Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi ?* sicut dicitur, I ad Corinth. xv, 28, quod erit *Deus omnia in omnibus.* Hinc est quod, Deuter. vi, 5, et Matth. xxii, 37, præcipitur Dominus diligere ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, et ex omnibus

viribus¹ : quia omnia quæ voluntati sub-
jiciuntur, ad voluntatis nobilissimum
affectum sunt redigenda : qui affectus est
dilectio. Cor autem omnium est princi-
pium motuum, et omnia membra ad cor
reducuntur et commoventur ab (alias,
ex) ipso per voluntatem. Unde, Cantic.
viii, 6 : *Pone me ut signaculum super
cor tuum, ut signaculum super bra-
chium tuum.* Super cor, propter univer-
salem voluntatem : et super brachium,
propter universalem operis potestatem et
virtutem. Adjiciamus igitur istam operis
perfectionem, et dicamus : Cum volunta-
rie, consulte, devote, humane, meritorie,
et gloriose fit voluntas Dei, tunc fiet ge-
neraliter, et tunc est accepta. Non enim
potest esse quod in uno fiat voluntas,
et non in alio, sed in omnibus oportet
quod fiat. Exod. xxiv, 7 : *Omnia quæ
locutus est Dominus faciemus, et erimus
obedientes.*

Tertium est, quod voluntas est quæ
in omnibus impetum facit ad opus : et
in hoc notatur promptitudo et velocitas
ad opus. I Paralip. xxix, 17 : *Populum
tuum, qui hic repertus est, vidi cum in-
genti gaudio tibi offerre donaria.* Item,
ibidem, infra, 18 : *Custodi in æternum
hanc voluntatem cordis eorum, et semper
in venerationem tui mens ista permaneat.*
II ad Corinth. viii, 11 : *Quemadmodum
promptus est animus voluntatis, ita sit
et perficendi ex eo quod habetis.* Ad
Tit. iii, 1 : *Dicto obedire, ad omne opus
bonum paratos esse.* Ad Philip. ii, 14
et 15 : *Omnia facile sine murmuratio-
nibus et hæsitacionibus : ut sitis sine
querela, et simplices filii Dei.* Psal. xvii,
45 : *In auditu auris obedivit mihi.*
II ad Corinth. ix, 2 : *Scio promptum
esse animum vestrum : pro quo de vo-
bis glorior, etc.* Psal. cxviii, 60 : *Para-
tus sum, et non sum turbatus.* Psal.

¹ Deuter. vi, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum
ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota
fortitudine tua.* Matth. xxii, 37 : *Ait illi Jesus :*

lvi, 8 : *Paratum cor meum, Deus, pa-
ratum cor meum.* Sic igitur prompte et
parate fit voluntas Dei Patris.

Quartum est, quod omnis voluntas est
in ratione, et significat ordinem volunta-
tis : rationis enim est ordinare volunta-
tem. Ad Roman. xii, 1 : *Rationabile obse-
quium vestrum.* Exod. xxviii, 4, præcipi-
tur fieri rationale super vestes Sacerdotis,
ut ordo rationis in omnibus operibus con-
versatione cuncta componat et ordinet.
Eccle. ii, 14 : *Sapientis oculi in capite
ejus : stultus in tenebris ambulat.*

Si ergo universa colligantur a princi-
pio, quæ sunt de modo voluntatis Pa-
tris, oportet quod voluntas fiat incoacte,
consulte, et devote, ex divisione prima
libertatis ejus : fiat etiam libere, nobili et
humana libertate, meritorie et gloriose,
ex secunda divisione : fiat etiam univer-
saliter, prompte, sive parate, ex rationis
ordine : et istæ sunt propriæ conditiones
voluntatis.

Dicitur autem, o Pater « *voluntas
tua :* » quæ est quinque modis tua, sci-
licet auctoritatis, antecedens, conse-
quens, beneplaciti, et signi.

Auctoritatis est voluntas reverenda,
quæ semper omni creatæ voluntati de-
bet anteponi. Matth. xxvi, 39 : *Non sic-
ut ego volo, sed sicut tu.* Isa. xlvi, 10 :
*Consilium meum stabit, et omnis volun-
tas mea fiet.* Contra hoc peccant, qui
voluntatem suam divinæ anteponunt vo-
luntati, vel contraponunt aliquando.

Voluntas *antecedens* dicitur, quæ an-
tecedit opus nostrum sine opere nostro,
sine qua tamen non fit, opus nostrum,
nisi illa antecedit, et cum qua non ne-
cessario fit opus suæ voluntatis : sicut
quando dedit naturam intellectualem,
voluit eos quibus intellectum dedit, se
cognoscere et colere : quia aliter talem

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,
et in tota anima tua, et in tota mente tua.*

naturam non dedisset. De qua dicitur, I ad Timoth. II, 4: *Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*: nisi enim hæc vellet, naturam cognoscendi se non dedisset. Hac abutuntur, qui naturam non ad hoc applicant, ad quod Deus dedit eam. Etiam hoc modo dat gratias scientiæ et sapientiæ, et alia bona fortunæ, ut in laudem suam expendantur: et qui non facit, increpationem sustinet. Matth. XXV, 14 et seq., Luc. XIX, 13, in parabola de talentis, dominus *dedit... unicuique secundum propriam virtutem, et ait ad illos, scilicet servos: Negotiamini dum venio*: sic etiam dat tempus per donum antecedens, significans, quod vult quod utamur illo ad pœnitentias. Job, XXIV, 23: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam*.

Voluntas autem *consequens* est, quæ est ex opere nostro, sicut vult justorum gloriam, et malorum pœnam. Et pœnam quidem malorum non vult nisi ex opere nostro, et non simpliciter. Ezechiel. XVIII, 23: *Numquid voluntatis meæ est mors impij? dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat*¹? Cum autem malum facimus, vult pœnam nostram ex opere nostro, et gloriam nostram vult simpliciter, et ex opere nostro. Joan. XII, 2: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*. Joan. XVII, 24: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego et illi sint mecum*.

Voluntas autem *beneplaciti* est, quam sic vult, quod ex consilio æterno stabilivit eam. Psal. CXIII, 4: *Omnia quæcumque voluit, fecit*. Esther, XIII, 9: *Non est qui possit tuæ resistere voluntati*. Ad Roman. IX, 19: *Voluntati ejus quis resistit?*

Voluntas autem *signi* est quintuplex: præcepti, prohibitionis, consilii, operationis, et permissionis. Præcepti voluntas Dei est, quod implere tenemur: prohibitionis, quam oportet cavere: consi-

lii, quod si implemus, remuneramur: si autem non implemus, non obligamur, nisi voluerimus (alias, voverimus): operationis est exempli suorum operum: permissionis autem est id quod permittit, et vult aliquod bonum quod ex illius ordinatione resultat.

De voluntate præcepti, Psal. XV, 3: *Mirificavit omnes voluntates meas in eis*. Psal. XXXIX, 9: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei*.

Prohibitio autem est de hoc quod vult Deus non fieri: quia non vult malum fieri: et hoc significat prohibitione. Habacuc, I, 13: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et rescipere ad iniquitatem non poteris*. Sapient. XII, 4: *Odiabilia opera tibi faciebant*: et in talibus voluntas Dei est de contrario, sicut dicitur, I ad Thessal. IV, 3 et seq.: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos a fornicatione: ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum*.

De voluntate autem consilii, Isa. LVI, 4 et 5: *Hæc Dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus*. Eunuchi enim illi sunt, qui se castraverunt propter regnum cœlorum²: et hoc est consilium et voluntas Dei: sed non obligat nisi eligentem ex voto.

De operatione dicitur, Joan. XIII, 15: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis*.

De permissione autem dicit Apostolus, ad Roman. I, 28: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt*. Apocal. XXII, 11: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Exod. IV, 21: *Ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum*. Et circa hoc non vult

¹ Cf. etiam Ezechiel. XVII, 32 et XXXIII, 11.

² Cf. Matth. XIX, 12.

Dominus actum quem permittit: sed potius bonum quod inde elicitur, sicut ex induratione Pharaonis elicita sunt signa plagarum cogentium eum dimittere populum: ex quibus signis confirmata est fides filiorum Israel, et accensa devotio ad Deum, qui in tam valida manu eripuit eos de manu Ægyptiorum. Exod. x, 1 et 2: *Ego induravi cor ejus, et servorum illius, ut faciam signa mea hæc in eo: et narres in auribus filii tui, et nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis: et sciatis quia ego Dominus.*

De omnibus istis voluntatibus simul Augustinus exponit illud Psalmi cx, 2: *Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus.* Ad Hebr. x, 36: *Voluntatem Dei facientes, reportetis re-promissionem:* non enim est una voluntas quæ facit reportare promissiones, sed omnes.

Colligamus ergo dicentes: O Pater, « *voluntas tua fiat,* » ex auctoritate reverenter, antecedens autem sapienter, consequens acceptabiliter, beneplaciti cum tremore suscipiatur, signi autem obedienter et discrete impleatur: ut sic reverenter, sapienter, acceptabiliter, humiliter, et obedienter omnis voluntas tua fiat. Act. xiii, 22: *Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*

Hæc igitur

« *Voluntas tua fiat.* »

Non dicit: Juva, ut faciamus: quoniam aliquando oportet non facere voluntatem Dei, sicut in promissione. Aliquando etiam implenda est, non a nobis, sed a Deo: et ideo non potest peti ut semper faciamus suam voluntatem, sed potius ut fiat. Licet autem voluntas Dei, quia beneplaciti, semper fiat, tamen oramus ut fiat: quia aliquando ita præordinata est fieri, ut effectum juvent orationes Sanctorum, sicut supra diximus quod et prædestinatio juvatur San-

ctorum orationibus. Hæc igitur est causa, quod ad nullam certam personam referentes impletionem divinæ voluntatis, dicimus orantes: « *Fiat voluntas tua.* » I Machab. iii, 60: *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Isa. xlvi, 10: *Omnis voluntas mea fiet.* Hoc modo etiam utitur beata Virgo, Luc. i, 38: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Matth. xv, 28: *Fiat tibi sicut vis.*

« *Sicut in cælo et in terra.* »

Hic ponitur forma, scilicet quod eo modo fiat in terra sicut est et fit in cælo.

Et quæritur, quare talem formam non adhibuit aliis petitionibus, ut dixisset: Sanctificetur nomen tuum sicut in cælo et in terra: et, Adveniat regnum tuum sicut in cælo et in terra.

Et dicendum ad hoc, quod nomen non sanctificatur nisi ex cælo, et regnum non advenit nisi ex cælo: sed voluntas Dei fit etiam in inferno, et in mundo. Quoniam sicut diximus supra, voluntatem Dei nullus hominum effugere poterit: quia aut ipse facit eam devotus et spontaneus, aut de ipso invito fiet voluntas Dei judicantis et vindicantis. Quod ergo nobis proficiat ad salutem oratio, oportet quod in nobis impleatur, et a nobis fiat voluntas Dei, sicut fit in cælo. Et hoc est in tribus: in cælo enim Trinitatis est voluntas præordinativa et causativa eorum quæ fieri habent ad salutem: in Angelorum autem ministerio est voluntas ministrativa salutis: in Sanctis autem beatis est voluntas quæ est forma nostræ salutis. Et omnibus his modis oramus, quod fiat in terra, sicut in cælo: ut simus consonantes præordinationi sicut causæ et exemplari, non obdurantes corda contra voluntatem quæ est in cælo Trinitatis: et simus obedientes Angelorum ministerio, non resistentes, vel repugnantes eorum purgationi, et illuminationi: et simus imitantes voluntatem sanctæ Trinitatis Dei de nobis.

De prima dicitur, Act. ix, 6 : *Domine, quid me vis facere?* I Reg. iii, 10 : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Mali autem de hoc arguuntur, Matth. xxiii, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?*

De secunda habetur, Judicum, ii, 1 et 2, quod ascendit *Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, et ait : ... Nolulistis audire vocem meam.* Et hoc significatur, Joan. i, 51 : *Videbitis cælum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis :* descendentes enim ponunt in nobis voluntatem Dei et suam, ascendentes autem offerunt Deo vitam et orationes nostras. Hoc etiam significatur in scala Jacob per eundem modum ¹.

De tertio dicitur, III Reg. viii, 30 : *Exaudies in loco habitaculi tui in cælo : et cum exaudieris, propitius eris.* Locus enim orationis et exauditionis nostræ est in cælis duplici ex causa. Una est, quia ibi sunt nostri intercessores, ut supra diximus : et, sicut dicit Ptolomæus, « intercessor est petentis ala. » Alia est, quia de cælo data sunt juvantia bona : terrena enim parum prosunt. Psal. cxxii, 1 : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.* Psal. cxx, 1 : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Item, Psal. xvii, 7 : *Exaudivit de templo sancto tuo vocem meam : et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.*

De omnibus his simul dicitur, Job, xxxviii, 33 : *Numquid nosti ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra?*

Attende autem quod supra dictum est, qualiter hi qui sunt in cælo, quatuor modis conformant voluntatem suam voluntati divinæ : et hoc si similiter fiat in nobis, tunc fit voluntas Patris sicut in cælo, et in terra : sed hoc non oportet hic repetere. Sed qui hoc modo rectitu-

dinis facit voluntatem Patris, ille est qui dicere potest illud Apostoli, ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cælis est : unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum.* Hoc modo petit David dicens, Psal. cxliiii, 5 : *Domine, inclina cælos tuos, et descende.* Hoc modo loquitur Ezechiel. i, 26, de firmamento quod erat imminens capiti, hoc est, menti animalium Dei. Hoc modo rapimur cum Paulo ad tertium cælum ², rectificati ad formam Sanctorum, ad intentionem mysterii Angelorum, ad exemplar divinarum rationum quæ in mente divina sunt descriptæ. Hoc modo dictum est Moysi, Exod. xxv, 40 : *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Sic enim terra plenitudinem cæli suscipit, cum dicit David. Psal. xxiii, 1 : *Domini est terra, et plenitudo ejus, etc.* Sic veritas de terra orta est, et justitia de cælo prospexit ³.

« Panem nostrum supersubstantiali-
lem da nobis hodie. »

Hæc est secunda petitio, in qua secundum præinductam divisionem petitur sustentatio in bonis impetratis in præinductis petitionibus tribus.

Sed sciendum a principio, quod ubi dicit *quotidianum*, in Hebræo, sicut Hieronymus dicit, habetur sogolla. Et ubicumque Septuaginta interpretes in Hebræo invenerunt, in Græco interpretantes transtulerunt ἐπιούσιον, quod Latine sonat *supersubstantiale*. Et ideo etiam Hieronymus hic *supersubstantiale* transtulit : Symmachus autem sogolla ubicumque transtulit, *egregium* : Origenes autem transtulit secundum significatum, *quotidianum*. Omnes autem istæ translationes in idem concurrunt : quia supersubstantialis est, qui super substantiam sus-

¹ Cf. Genes. xxxviii, 12.

² Cf. II ad Corinth. xii, 2.

³ Psal. lxxxiv, 12 :

tentandam tamquam necessarius petitur : et ille est etiam egregius, quia tempus necessitatis facit ipsum esse egregium nobis. Vel, dicitur *egregius*, quia cum quatuor sint optime nutrientia, sicut dicit Avicenna, panis, vinum rubeum, ova recentia, et brodia carnum : panis solus ex soliditate plus confortat, et ex viscositate plus adhæret, et ex temperamento plus convenit, et ex puritate plus nutrit. Caro enim et vinum inflammant : et ova sunt convertibilia in (alias, ad) omne quod inveniunt, sive bonum, sive malum. Et ideo ad nutriendum panis est egregius. Hic etiam est quotidianus, quod quotidianæ necessitati relevandæ est accommodatus¹.

¹ Expositio hujus verbi *supersubstantialis* quamdam habet difficultatem, ut ait Dominus Fillion, in præclaro opere super quatuor Evang. cui titulus *La Sainte Bible*, Lethielleux, Paris, 1878 : « On a beaucoup discuté sur la signification de l'adjectif *supersubstantialem* qui sert à « déterminer davantage l'objet de la quatrième « demande du *Pater*, ou plutôt sur son équivalent grec ἐπιούσιον. Malgré les pages nombreuses qui ont été écrites à propos de cette « expression, on n'a pas encore réussi à lever « tout-à-fait la voile obscure qui la couvre. Elle « ne se rencontre nulle part dans la littérature « profane ; elle n'existe qu'en deux endroits « de la Bible, ici et au passage parallèle de « S. Luc, xi, 3 : aussi Origène, de Orat. § 27, « croit-il que les Evangélistes l'ont eux-mêmes « inventée. Traduite dans le troisième Evangile par *quotidianum*, elle l'est ici par *supersubstantialem* ; encore Saint Jérôme (Comm. « in h. loco) a-t-il soin de nous dire que jusqu'à « lui on disait également *quotidianum* dans la « version latine de l'Evangile selon S. Mathieu. « Cette correction exacte, mais calquée trop « servilement sur le grec, est son fait. Ἐπιούσιος « peut dériver de ἐπιμι, *insum, sum super*, ou « de ἐπιμι, *succedo, subsequor*. Dans le premier « cas, il se rapproche beaucoup du substantif « οὐσία, *substance, subsistance*, et peut désigner « la nourriture nécessaire à notre substance, « ou qui nous fait vivre en se transformant en « notre substance. Telle est l'étymologie et par « suite l'interprétation qu'ont adoptée la plupart « des Pères grecs : Ἐπὶ τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος διαβαίνοντα καὶ συγκαταῆσαι αὐτήν δυνάμενον (S. Jean Chrysost. Homil. in h. l.).

Sic igitur intellecta littera, dicimus, quod sex continentur in petitione : quorum unum et primum est, nos in bonis Deus sustentans : et hoc significando dicimus : « *Panem.* » Secundum autem est quale dicit esse id quod sustentat : quia non de rapina, vel illicite acquisito, sed de nostro : et hoc significamus, cum dicimus : « *Nostrum.* » Tertium autem est causa potentis necessitatis nos inducens ad petendum : et hoc innuimus, cum dicimus : « *Quotidianum.* » Quartum est, quod de largitate hunc panem petimus expectatum : et hoc est quod dicimus, « *Da.* » Quintum est, quod « *nobis* » petimus, non canibus, vel aliis usibus deputandum. Sextum est, quod

« Τὸν εἰς τὴν οὐσίαν συμβαλλόμενον (Origène). « Τὸν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ καὶ συστάσει ἡμῶν ἀντάραξη « (Théophylacte) etc. Dans le second cas, il « devient synonyme de ἐπιούσια, dies *crastinus*, « et figure le pain du lendemain, ἄρτον τῆς « σημερινῆς χρείας, pour employer les paroles « de S. Grégoire de Nysse, c'est-à-dire en général du pain pour notre vie à venir, τὸν μέλλοντα (S. Jean Damascène). Ainsi traduisent encore les versions éthiopienne et arabe, « S. Athanase, etc. S. Jérôme fait à ce sujet un « aveu qui ne manque pas d'importance : « In « Evangelio, dit-il, quod appellatur *secundum Hebraeos*, pro *supersubstantiali pane* reperi *μαhar* (מחר), quod dicitur *crastinum*. » Les « choses en sont là, et il est probable qu'elles « n'avanceront jamais plus loin. S'il faut choisir entre les deux opinions, nous dirons que « la seconde nous paraît plus difficilement « soutenable ; car outre qu'elle contient une « antithèse peu naturelle, « donnez-nous aujourd'hui notre pain de demain, » elle semble « condredire d'avance une recommandation « sur laquelle Jésus insistera bientôt, v, 34 : « *Nolite solliciti esse in crastinum*. La première « explication ne présente aucun inconvénient « de ce genre. Quoi qu'il en soit, la leçon *quotidianum*, adoptée par la traduction latine du « troisième Evangile, dans la liturgie catholique, et dans la plupart des versions modernes, rend très bien la pensée du Sauveur, un « pain nécessaire à notre subsistance, un pain « qu'on demande chaque jour, un pain quotidien. Mais peut-on dire avec S. Augustin, « S. Cyprien, S. Ambroise et S. Jérôme que le « *panis supersubstantialis* que nous implorons

non petimus in longum, sed huic præ-senti necessario (alias, necessitati) in so-latium : et hoc innuitur, cum dicitur, « *Hodie.* »

Cum autem homo sit compositus ex spiritu et corpore, sicut dicit Damascenus, edulium ejus erit triplex : edulium sustentans spiritum, et edulium sustentans corpus, et edulium sustentans utrum-que, et animam et spiritum. Edulium autem sustentans spiritum est duplex : unum quidem secundum intellectum, alterum autem secundum affectum. Secundum autem intellectum panis sustentans est verbum Dei : secundum autem affectum panis sustentans est gratiæ bonum. Verbum enim per hoc quod est continens veritatem, pascit intellectum qui sui est capax, et sine ipso quasi consumptus inedia destituitur intellectus. Deuter. vii, 3 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Sapient. xvi, 26 : *Non nati-vitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint con-servat.* Unde Plato, etiam in *Timæo* lo-quens ad Socratem et Timæum et Tri-cium, dicit : « Qui hesterni quidem epu-« li convivæ fueritis, hodierni præbito-« res imitatoresque ex conditione (alias, « condicto) resideatis. » Et notat convi-vium sermonum sapientiæ pasturam. Psal. cxviii, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Hic est panis Angelorum, quem manducavit homo¹. Unde, Proverb. ix, 2, di-citur quod *Sapientia proposuit mensam suam.* Hic est panis qui comedetur pu-rus in regno Dei, ubi verbum ab ore Pa-

tris dicentis ipsum auditur, et intra in-tellectum purum recipitur, ut ex ipso ad æternam vitam vegetetur. Ex fundo enim in quo crescit hic panis, virtutem sumens, vegetat ad vitam æternam : fundus autem est cor Dei Patris, et subvehens ipsum ad nos est Spiritus veritatis. Psal. xlv, 2 : *Eruclavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi.* Hic autem panis purus est, nihil habens de palea : sed totus eliquatur ex veritate prima. Psal. cxlvii, 14 : *Adipe frumenti satiatis te.*

Dicitur autem verbum Dei *panis* pro-pter proprietates panis tres, quarum una est confortare, secunda delectare, tertia nutrire. Confortat autem ex adhærentia, et delectat ex convenientia, et nutrit ex connaturalitate.

De confortatione, Psal. ciii, 15 : *Panis cor hominis confirmat.* Act. ix, 19 : *Cum accepisset cibum, confortatus est.* Genes. xviii, 5 : *Ponam buccellam panis, et confortate cor vestrum.*

De delectatione dicitur, Genes. xlix, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbe-bit delicias regibus.* Sapient. xvi, 20 : *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

De nutrimento dicitur, Genes. xxvii, 37 : *Frumento et vino stabilivi eum.* Isa. xxx, 23 : *Panis frugum terræ erit uber-rimus et pinguis.*

Sic ergo est panis spiritualis, qui pas-cit mentem beatorum. De quo dicitur, Luc. xiv, 15 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.*

Est etiam panis materialis, qui da-tur ad sustentationem corporis. Ge-

« de la bonté divine est un peu spirituel et « mystique, par exemple, la sainte Eucharistie, » la grâce, la vie du Verbe dans nos âmes ? On « le peut, sans doute, mais à la condition de « ne rien exagérer et de ne pas rejeter à l'ar-« rière-place le sens naturel et obvie qui doit « garder la première place dans l'interpréta-« tion des paroles de Jésus. Dans la quatrième « demande du *Pater*, il s'agit directement de la « satisfaction de nos besoins temporels ; et,

« bien que « la nourriture qui périt » suggère « aussitôt à l'âme chrétienne la pensée de « la « nourriture qui dure éternellement » (Joan. vi, « 27), néanmoins d'après l'avis commun des « exégètes, le pain céleste de l'Eucharistie ou « de la grâce ne peut être mentionné ici que « d'une manière accessoire et secondaire. »

¹ Psal. lxxvii, 25 : *Panem Angelorum man-ducavit homo.*

nes. xxviii, 20 : *Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum* Et hic debet esse arctus quantitate secundum necessitatis mensuram, subcinericius humilitate, asper per abstinentiam, et tamen saturans propter corporis sustentationem. Isa. xxx, 20 : *Dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem.* II Paralip. xviii, 26 : *Date ei panis modicum, et aquæ pauculum, donec revertar in pace.* De subcinericio per humilitatem dicitur, III Reg. xix, 6 : *Ecce ad caput Eliæ subcinericius panis, et vas aquæ.* Genes. xviii, 6 : *Tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes.* In signum autem abstinentiæ asper debet esse : et ideo, Marc. vi, 43, et Joan. vi, 13, dicuntur *hordeacei panes*, quos Dominus distribuit. Similiter Eliseus distribuit filiis Prophetarum panes hordeaceos¹. Eccli. xxxiii, 25 : *Panis, et disciplina, et opus servo.* III Reg. xxii, 25 : *Mittite virum istum, scilicet prophetam Michæam, in carcerem, sustentate eum pane tribulationis et aqua angustiae.* Psal. lxxix, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum.* De saturitate, Exod. xvi, 8 : *Dabit nobis Dominus panes in saturitate.* Psal. xxi, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur : et laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Isa. xxiii, 18 : *Manducant in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.* Sic ergo panis iste parvitate, sive arctitudine refrænât luxuriam crapulæ : per cocturam cineris admonet de mortalitate hujus vitæ : per asperitatem dat eruditionem disciplinæ : per saturitatem dat solatium vitæ sustentandæ : et sic unum panem habemus intellectus, et alterum corporis.

Sed quia anima duplicem habet faciem, intellectus, et affectus : sicut habemus panem intellectus, ita habemus panem affectus, qui est dulcedinis gratiæ : et hic est septiformis gratia Spiritus san-

cti, de qua dicitur, Isa. iv, 1 : *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem nostrum comedimus, et vestimentis nostris operiemur.* Unde ista significantur per septem panes, de quibus habetur, Matth. xv, 34. Hoc est manna, quod in modum roris de cœlo descendit. Isti sunt tres panes, quos is qui de via venit, noster amicus a nobis expostulat² : pabulum veritatis quærens intellectui, sustentationem corporis necessitati, et gratiæ confortationem petens affectui. De his panibus dicitur, Isa. xxi, 14 : *Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti.* Panis enim gratiæ calore Spiritus sancti decoquitur igne charitatis, conficitur ex puritate bonitatis, et commiscetur de humore pietatis et devotionis. Et hoc totum significatur in præinducta auctoritate : quia terra Austri calida est, et pura sive luminosa, et flatus ejus humidus est. Et tempore quidem primo accepimus a Deo panem sustentationis corporalis : et deinde petimus panem agnoscendæ veritatis : et demum perficiendæ in opere panem quærimus primæ bonitatis. Dignitate autem prima est bonitas : secunda, veritas : tertia, necessitatis sustentatio. Sed secundum modum accipiendi a Deo prima est perceptio veritatis : secunda, infusio bonitatis : et utrique deserviens sustentatio necessitatis. Quia tamen veritate pascuntur multi qui non pascuntur bonitate, et media est sustentatio corporis, utrique deserviens : propter hoc in medio rationabiliter ponitur. Isti igitur sunt tres panes, qui petuntur.

Quia vero homo, sicut dicit Damascenus, compositus est ex anima et corpore (et homo est conjunctus ex his) ideo oportet per congruitatem ipsum habere edulium compositum : et illud est panis Eucharistiæ, qui efficaciam habet ex virtute deitatis, dulcedinem ex condimento gratiæ, vitam ex anima conjuncta cum corpore, et connaturalitatem ex corpore

¹ Cf. IV Reg. iv, 42.

² Cf. Luc. xi, 5 et seq.

et sanguine. De quo dicitur, Sapient. xvi, 20 et 21 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat, et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.*

Hic panis origine cœlestis est, substantialiter deificus est, causaliter vivificus est, sacramentaliter unitivus, effectu viaticus est, specie tenus æternæ fruitionis designativus. De primo, Joan. vi, 51 : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Psal. lxxvii, 24 : *Panem cœli dedit eis.* De secundo dicitur, Joan. vi, 58 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* I ad Corinth. x, 16 : *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ?* De eo quod causaliter sit vivificus, Joan. vi, 52 : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Quod sacramentaliter unitivus, I ad Corinth. x, 17 : *Unus panis, unum corpus multi sumus, in Christo scilicet, omnes qui de uno pane participamus.* Quod effectu sit viaticus, III Reg. xix, 7 : *Surge, comede : grandis enim tibi restat via.* Et ideo filiis Israel, dum erant in via, non defecit : cum autem fuerunt in terra promissionis, tunc defecit. Quod specie tenus æternæ fruitionis sit designativus, Matth. xxvi, 29 : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Luc. xxii, 30 : *Ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo.*

Adhuc, iste panis quadruplicis gratiæ est effectivus, quæ apparuerunt in discipulis. Fervorem enim effecit in Petro, qui dixit : *Tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire*¹. Refectionem in aliis discipulis, Luc. xxii, 15 : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Quietem in Joanne, Joan. xxi, 20 :

Qui et recubuit in cœna super pectus Jesu. Memoriam autem abeuntis Domini in omnibus, Luc. xxii, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* I ad Corinth. xi, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

Adhuc, sumitur hoc sacramentum stando, renes succingendo, calceamenta in pedibus, baculos in manibus tenendo, festinando, vorando, in sapore amaritudinis sumendo. Et de omnibus illis dictum est, Exod. xii, 8 et seq. « Status, « ut dicit Augustinus, rectitudinem significat confortatæ conscientiæ : succinctio renum, luxuriæ coarctationem (alias, coertionem) : calceamenta in pedibus, memoriam Christi mortis : baculus in manibus, crucis Christi bajulationem : festinantia famis, caliditatem ex igne charitatis causatam : voratio autem per devotionem, sumptiosis aviditatem. » Eccli. xxiv, 29 : *Qui edunt me, adhuc esurient.*

Sic igitur, o Pater, da panem.

Sed quæritur : Cum panis solus sustentare non possit, quare non docet petere panem cum potu, præsertim cum hæc in multis Scripturæ locis posita conjungantur ? non enim potest proficere esca sine potu : sicut et Proverb. ix, 2 : *Sapientia.... miscuit vinum, et proposuit mensam suam.* Et, Eccli. xv, 3, ubi dicitur, quod *cibabit illum pane vitæ et intellectus.* Et subjungitur, quod *aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Et in aliis ista conjunguntur pluribus locis.

Adhuc, cum homo non bene vivere possit de simplici pane, quare non plura quam panem docet petere ? præcipue cum ministravit Eliæ panem et carnes, et aquam bibendam de torrente². Si dicas quod initium vitæ hominis aqua est et panis, ut dicitur, Eccli. xxix, 28 : et hic docet ea petere quæ pertinent ad necessitatem : aqua autem communis est,

¹ Luc. xxii, 13.

² Cf. III Reg. xvii, 6.

quam non oportet petere. Contra, ibidem, Eccli. xxix, 28, dicitur, quod *initium vitæ hominis est aqua et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem*. Videtur ergo quod omnia illa debeat nos docere petere. Et ad hoc videtur concordare quod dicit Apostolus, I ad Timoth. vi, 8 : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus*.

Adhuc, licet primum initium vitæ hominis ante diluvium fuerit de terrænascentibus panis, qui secundum naturam e granorum generibus melius convenit homini, et magis confortat eum : tamen procedente tempore, et convalescente infirmitate, plura facta sunt necessaria vitæ hominis. Unde, Eccli. xxxix, 31 et 32 : *Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum. Hæc omnia sanctis in bona, sic et impiis et peccatoribus in mala convertentur*. Ergo ex quo omnia hæc necessaria sunt, omnia hæc petere debuit docere sicut videtur.

Adhuc, ipse Dominus impropere avaris, quod non dederunt bibere, et quod non dederunt hospitium, neque indumentum, et plura alia¹ ? Cum omnia igitur hæc sanctis convertantur in bonum, ut dicit Ecclesiasticus², omnia hæc videntur esse petenda.

Adhuc, nihil horum videtur esse petendum : quia dicitur infra, in eodem, vi, 33, quod si petierimus regnum Dei, et justitiam ejus, omnia hæc adjicientur nobis.

RESPONDEO. Dicendum, quod in veritate per panem hic petitum intelligitur omne esculentum necessarium ad vitam secundum omnem hominum diversitatem : quia nec ipse Dominus simplici pane contentus, licet convivia magna habuit, sicut dicitur, infra, ix, 10, et Luc. v, 29, quod fecit ei convivium magnum Levi

in domo sua, et vinum bibit, et pisces, et alia esculenta et poculenta. Esculentum autem, et non poculentum, nominat : quia poculentum non desideratur a natura nisi propter esculentum : et ideo sicut in illo necessarium, in illo peti intelligitur.

Quod autem objicitur de Ecclesiastico, Dicendum quod totum ad mensuram necessitatis intelligitur in illo.

Ad id quod de domo dicitur, et vestibus et hujusmodi, Dicendum, quod hæc extrinsecus deserviunt corpori, ubi homo sibi providet : et ideo hæc relinquuntur sollicitudini hominis procuranda : sed esculentum restituit interius, ubi homo sibi providere non potest ita sicut exterius. Et ideo petitur hoc a Deo sicut necessarium substantiæ, cum alia sint ad bene esse extrinsecus ordinata. Si quis tamen dicat, quod omnia necessaria corpori in pane intelliguntur, ego non contradico.

Sed tunc quæritur, Quare nomine panis istius necessitatis sublevamen nominavit ? Et ad hoc dicendum, quod hoc fit propter tres causas, quarum una est panis communitas : quia ubique et omnibus est necessarius ad vitam hominis.

Et si objicitur quod quidam panem non habent, aut non utuntur, sicut quidam barbari, Dicendum, quod vita illorum est mala, et devians a recto nutrimento : quia cætera quæ nutriunt, aut nimis sunt humida, nisi misceantur : aut nimis sicca, sicut casei aut carnes salsæ : et quoad hoc per panem melius petitur vitæ sustentatio, quam per aliquid aliud.

Secunda causa est, quod nutrimentum, quod accipitur de pane, magis adhæret membris quam id quod accipitur de aliis : et hoc apparet in pasta, quæ cohæret sicut gluten : unde etiam quando convertitur in carnem, tenacior est caro illa quam alia.

Tertia causa est, quod panis nutrimentum est temperatius : quia caro magis

¹ Cf. Matth. xxv, 42 et 43.

² Eccli. xxxix, 30 et seq.

inflammat et excitat libidinem : herbæ autem magis ut in pluribus sunt phlegmaticæ, vel melancholicæ : et fructus sunt inflativi : sed panis soliditate sua roborat satis, et temperamento complexionis congruit et complexioni hominis, et non fovet libidinem.

His igitur de causis sub nomine *panis* intelligitur omne (alias, esse) vitæ sustentamentum.

Ad hoc autem, quod obicitur quod peti non deberet, Dicendum quod dupliciter accipitur panis : refectio absolute videlicet, aut prout est sustentatio in bonis petitis in aliis petitionibus, et absolute quidem non petitur, sed adjicitur : sed prout est sustentatio in bonis Dei, et ad obsequium Dei pertinentibus, petitur : et sic reducitur ad justitiam regni quod quæritur principaliter. Sic igitur per panem omnis vitæ necessaria intelligitur sustentatio : quoniam ad panem oportet haberet cocturam, sine qua panis non fit, et granum ex quo est, et domum in qua refectio fit (alias, sit) vitæ commoda, et vestimentum ad calorem corporis continendum, ut digestio panis enalescere possit : et sicut est in officiis publicis et privatis quod cui committitur principale, illi committitur et accessorium : et sicut est in artibus, quod in arte attenditur finis, et omnia ad finem illum ordinata conceduntur arti eidem : et sicut est in naturæ operibus, quod natura intendit formam, et præparat omnia quæ illi formæ sunt convenientia ad inducendum, vel tenendum, vel resistendum alterationibus sequentibus : et tamen ab illis nec in officiis, nec in artibus, nec in natura fit denominatio : ita etiam est in petitionibus Domini, quod nominat quidem illa ex quibus est sustentatio : et omnia præcedentia et concomitantia et sequentia illam petitionem, vult cointelligi : quia aliter frustra esset quod petitur. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita. Nehem. seu II Esdræ, viii, 10 : *Comedite pingua, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparave-*

runt sibi. Isa. xxv, 6 : *Faciet Dominus convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.*

Et sicut dictum est supra, quod hæc omnia Sanctis in bonum convertuntur, tamen fuerunt quidam hæretici, qui propter istud et similia petere nolunt nisi terrænascentia : dicentes, quod Dominus hic non determinat quis, vel cujus grani panis sit petendus. Et cum oleum et farina sit in omnibus seminibus terrænascentium, dicunt quod panis et oleum et ipsum semen, vel olus accipitur in pane : et alia a Deo nolunt petere, nec sumere in cibum, dicentes quod ex coitu generantur. Mella enim et vina sumunt, eo quod ad somnium (alias, seminum) reducuntur humores. Et hos condemnat Apostolus, I ad Timoth. iv, 1 et seq., dicens : *Spiritus manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem : quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.*

Sic igitur dicimus panem esse petendum, et intelligentes per panem omnem corporis necessariam sustentationem.

Huic autem adjungitur qualis esse debeat, cum dicitur :

« Nostrum. »

Raptus enim, vel furatus, vel aliter contra legem usurpatus, non est noster, sed alterius. Tob. ii, 21 : *Non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Isa. iii, 14 : *Rapina pauperis in domo vestra.*

Duo autem exiguntur ad hoc, quod sit *noster*. Unum quidem, quod ex licito sit acquisitus, et sic condemnatur omne turpe lucrum : quia *turpe lucrum* vocatur, quod quidem lucrum est, sed per turpe factum est lucrum : sic meretrix elocatione corporis, vel leno provocatione mulieris, vel histrio adulatione divitis, vel lusor opere lusoris, vel aliter quovis turpi actu. Iste enim panis non ex nostro noster est : quia tales actus non sunt humanæ necessitatis, aut humanæ perfectionis. Humanæ necessitatis sunt mechanica, sine quibus hæc vita non ducitur : humanæ autem perfectionis sunt liberalia, sicut doctrinæ exercitia libera, propter quæ invenienda et discenda et docenda, sicut dicit Aristoteles, « sacer-
« dotum gens in scholam intrare concessa
« est, et liberos habere redditus. » Ex talibus igitur acquisitum, et lucrum est quod acquiritur, et ex humano acquiritur : et ideo nostrum est illud, et ex nostro. Secundum autem est, quod in nostro sit dominio, et secundum rem, et secundum legem. Aliquid enim nostrum est secundum rem et legem, sicut quod de possessionibus est acceptum, vel justo lucro acquisitum, ut dictum est. Aliquid autem nostrum est, non secundum legem, sed secundum rem, sicut usurarium, vel ex superabundantia acceptum. Aliud autem est nostrum non secundum rem, sed secundum legem, sicut quod in contractibus emptionum et venditionum non ultra dimidium justii pretii est fraudatum.

Omnes igitur hos modos non nostri colligendo et excludendo breviter dicit : « *Panem nostrum,* » hoc est de nostro et nostrum, « *da nobis.* »

Sed oritur quæstio, Quare dicitur *nostrum*, et non *meum* : quia ex quo quilibet non petit nisi sibi necessarium, potius debet dicere *meum* quam *nostrum*.

Adhuc, quod *nostrum* est non petimus, sed accipimus : sed dari nobis petimus quod non est nostrum, ut per

donationem nostrum efficiatur : ergo potius deberemus dicere : *Panem tuum da nobis* : vel, *de pane tuo da nobis*.

Ad hoc dicendum, quod *nostrum* melius dicit quam *meum*, duabus de causis : quarum una est, quia homo non semper sibi soli habet petere, sed aliis multis sibi commissis, qui sunt de familia sua, vel alicui sibi naturæ gradu, vel officio charitatis conjuncti. Omnis enim petitio in charitate fraternitatis debet fieri. Et ideo melius dicit *nostrum*. Alia causa est, quia petit panem sibi et indigenti communicandum, si supervenerit. Unde, Job, xxxi, 17 : : *Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea.* Tob. iv, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Isa. lviii, 7 : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam.* Hæc igitur de causa dicit iterum melius *nostrum* quam *meum*.

Ad aliud dicendum, quod nihil est nostrum, si agitur et inter nos et Deum : quia nec nos nostri sumus, nec ea quæ nostra esse videntur. I Paralip. xxix, 14 et 15 : *Tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus dedimus tibi. Peregrini enim sumus coram te, et advenæ sicut omnes patres nostri.* I ad Corinth. iv, 7 : *Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?* Si autem agitur inter nos et homines, tunc aliquid est nostrum, sicut dicitur, ad Hebr. x, 34 : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.*

Hoc igitur modo conjuncto ex utroque istorum conficitur ista petitio, ut a Deo suum petatur quod hoc modo non est nostrum : et hoc modo (alias, nobis) concedatur quod jure illo, quod discernit inter homines, nostrum nobis detur, et non alienum : quia illius concupiscentia prohibita est, Exod. xx, 17 : *Non concupisces rem proximi tui* : et ideo peti non debet.

Sic igitur dicit : « *Panem nostrum.* »

Huic autem addit causam necessitatis nos inducentem, cum dicit :

« Quotidianum ¹. »

Dicitur autem *quotidianus* dupliciter : uno quidem modo, qui divisim quotidie est necessarius : et alio modo, qui quotidie est petitus. Si autem primo modo *quotidianus* dicatur, tunc videtur quod nihil prohibeat quin una die pro multis diebus petatur : sed huic sensui repugnat quod sequitur : « *Da nobis hodie.* » Unde secundo sensu intelligitur petitio. Quotidianus ergo quotidie petitus dicitur esse propter quatuor simul concurrentia, quorum unum est naturæ quotidiana necessitas : secundum autem est iterata omni die ad Deum Patrem provisorem postulata pietas : tertium est, quod in hoc excluditur superabundantiæ cupiditas : quartum autem, quod condemnatur insatiabilis quorundam voracitas.

Quotidiana enim necessitas est naturalis : quia ex motu caloris in mundo, cognoscitur et causatur motus caloris digestivi in corpore : hic enim secundum naturam a medio cœli incipit : quem angulum mediæ cœli *rectum* vocant Philosophi, et declinando perficit angulum usque ad occasum : et hæc est coloris remissio. Secundus angulus est ab occasu usque ad medium noctis, qui vocatur *angulus rectus mediæ terræ*, in qua frigidum vincit exterius. Tertius motus est ab angulo mediæ noctis usque ad ortum : et hic est qui propellit frigidum, et resolvere incipit corpora exterius : et ideo in mane sunt venti frigidi frequentius. Quartus autem angulus est ab ortu usque ad medium diem, qui evocat de interioribus humidum, et educendo distribuit et exsiccatur. In primo igitur motu est acceptio cibi : quia exsiccato jam cibo de-

stitueretur corpus nisi iterum ingeratur : et tunc declinante calido exterius, non ita evocatur spiritus, et calor ab interioribus ad exteriora : et incipiunt stare circa locum digestionis. Et si in sero aliquid comeditur, hoc debet esse secundum naturam : aut quod ex humido temperet cibi prius sumpti siccitatem, (propter quod in sero præcipue bibendum est temperate) : aut quod cibum ante sumptum deprimat in fundum stomachi, sicut si comeditur caseus : aut quod viscositatem cibi dissolvat, sicut calida et incisiva et abstersiva in speciebus et electuariis in sero comedi præcipiuntur : aut quæ stomachum superius constringant, et per consequens inferius aperiant. Sic præcipiuntur stiptica in cœnis præparari, aut quæ sunt somnifera : quia in somno propter clausuram sensuum calor digestivus confortatur. Quæcumque autem præter hæc sunt, nocturnas inducunt repletiones et nocent, si impediatur jejunium præcedens, aut labor exercitii, vel infirmitatis. In talibus enim non possunt custodire (alias, custodiri) leges naturalis motus. Sic ergo cibo in primo angulo motus cœlestis accepto sex horæ expenduntur, secundum divisionem graduum circuli solaris : in aliis autem sex, quæ sunt in angulo cui subtenditur quarta circuli (quæ inter occasum est et punctum mediæ noctis) bullit, quia in illo per frigus extrinsecus comprimitur calor, et spiritus ad interius ad locum digestionis. In angulo autem cui subtenditur arcus qui est a puncto mediæ noctis usque ad punctum Orientis, quando frigus depellitur et corpora resolvuntur, a stomacho incipit moveri cibus : et ideo dicit Galenus, quod in bene se habente corpore cibus post sedecim horas descendere debet a stomacho. In angulo autem cui subtenditur quarta circuli, quæ est ab ortu usque ad punctum

¹ Matthæus habet *supersubstantialem*, Lucas vero *quotidianum*. Cf. notam superius positam

in principio explanationis hujus versiculi, pag. 280.

mediæ diei, per membra cibus distribuitur : quia tunc per calorem exteriorum ab interioribus calor et spiritus secum ducentes sanguinem, evocantur, et (alias, quia) tunc ad iteratam acceptionem cibi stomachus vacuitate sua provocatur : et hoc quotidie fit : et ideo necessitas hæc quotidianam petit corporis sustentationem. Hoc significantum est, Exod. xvi, 21 et seq., ubi manna præcipitur colligi quotidie : et quando incaluit sol liquefiebat, nec poterat servari usque mane, nisi pro die Sabbati, quando feriabant. Et præcipitur ibidem, quod pro numero animarum quas quilibet habuit in tabernaculo, colligeret gomor, hoc est, quantum sufficit necessitati quotidianæ, et non amplius : manna enim significat panem quotidianæ sustentationis.

Secunda causa est, ut quotidie petatur Patris cœlestis pietas : hæc enim prodest devotioni. Psal. cxliv, 15 : *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno.* Tempus enim opportunum est quotidianum ut jam dictum est. Act. vi, 1 : *Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.* Hæc autem erat distributio ciborum quotidianorum.

Tertia causa est exclusio humanæ cupiditatis, quæ ex cupiditate congregat ultra necessitatem quotidianam. Unde, Luc. xi, 3 : *Panem nostrum quotidianum da nobis.* Non dicit annuum, vel mensurum, vel septimanarium : quidam enim habent panem multorum annorum apud se reconditum, sicut ille dives, de quo dicitur, Luc. xii, 19, *cujus agri protulerunt fructus uberes : et cum deliberasset non dare pauperibus, dixit : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare.*

Sed objicitur contra hoc, Proverb. iii,

10 : *Et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia redundabunt.*

Adhuc, commendatur Joseph de providentia contra tempus futuræ famis¹.

Ad hoc dicendum, quod providentia in omnibus commendatur, sed suffocans sollicitudo cupiditatis condemnatur : unde *quotidianus* dicitur, qui providentia Dei per hominem facta, quotidianis usibus sui et familiæ et pauperum ministratur : non unde per avaritiam crumenæ ditantur. Unde super illud Lucæ, xi, 3, ubi dicitur *quotidianum panem nostrum*, dicit Glossa : « *Quotidianus dicitur, qui hic necessarius.* »

Quarta causa est, quia per hoc condemnatur nimia voracitas : aliqui enim in uno die consumunt panem unius anni, vel mensis, vel septimanæ : sicut, Luc. xvi, 19, *dives purpuratus, qui epulabatur quotidie splendide.* Daniel. xiv, 5 : *An non vides quanta comedat et bibat quotidie ?* Non enim dicunt : *Panem annuum da nobis hodie* : sicut dicitur de filio prodigo, Luc. xv, 13, et habitam substantiam totius vitæ consumpsit *vivendo luxuriose* cum meretricibus.

De largitate etiam muneris Dei Patris hunc panem petimus expectatum : et hoc significat, cum dicit :

« Da. »

Largus enim est Pater cœlestis in filios, quia largitas est sibi connaturalis et consubstantialis. Dat igitur large, prudenter, et utiliter, et sine improprio. Quod large dat, Jacob. i, 5 : *Dat omnibus affluenter* : hoc enim sibi connaturale est, quia primus est, et per naturam suam dives in omnes. Unde, Sapient. xvi, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebat.* Prudenter etiam dat, quia tempore opportuno dat, et secundum indigentiam. Unde, Matth. xxiv, 45, præcipit dari tritici mensuram :

¹ Cf. Genes. xli, 37 et seq.

et dat unicuique secundum propriam virtutem, uni plus, et alteri minus : ita tamen quod nullus recedit vacuus a munere. Utiliter dat, quia ad salutem proficientia. Luc. xi, 13 : *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Eccli. xx, 14 : *Datus insipientis non erit utilis tibi.* Sine improprio dat, Jacob. i, 5 : *Non impropereat* : non sicut homo insipiens, Eccli. xx, 13 : *Exigua dabit, et multa impropereabit.*

Sic ergo, o Pater, substantiam tuam in filios ostendens, « *da,* » scilicet aperi manum inopi, et palmas largiter extende ad pauperem.

Da autem,

« *Nobis.* »

Nostris usibus, non malis usibus deputandum, sicut faciunt, qui vitam pauperum aut spargunt in plateis in pompa sæculi, aut avibus, aut canibus, aut histrionibus deputant. Contra quod ipse dicit, Matth. xv, 26 : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus,* ad manducandum scilicet. Matth. vii, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Dicitur enim panis egregius, ut supra diximus¹, quia non nisi egregiis conceditur filiis. Sed reprehenduntur quidam, quia talibus dant copiosius quam bonis sibi a Deo commissis. I Reg. xxv, 11 : *Tollam panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sint?* et dum pauperes petunt ad ostium, negatur panis : et histrio interius consumit multas dapes, et absorbet vina pretiosa. Thren. iv, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Parvuli enim sunt humiles pauperes, fragmentum panis petentes.

Sic igitur, o Pater, da nobis,

« *Hodie,* »

Huic præsentis necessarium. Infra, in eodem, 34 : *Nolite solliciti esse in crastinum.* Et iterum, Luc. xii, 22 et 24 : *Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini... Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum : et Deus pascit illos.* Psal. lrv, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.* Ad Hebr. xiii, 5 : *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus : ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam.* Ad Philip. iv, 11 : *Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse.*

Sic ergo, *panem nostrum quotidianum,* o Pater noster qui es in cælis, *da nobis hodie.* •

« *Et dimitte nobis debita nostra.* »

12

Positis orationibus, in quibus executus petitiones decentium a Deo, ponit hic deprecationes quæ sunt pro amovendis malis : et ordo petitionum istarum scitur ex superius inducta divisione. Petitur autem hic amoveri malum, quod jam præterit actu, et manet reatu, et causa communi, quæ est concupiscentia, sive fomes peccati.

Dicit autem duo in deprecatione ista : unum quidem, quod est ipsa deprecatio : et alterum, quod est ratio obtinendi, ibi, « *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* »

In deprecatione ista quatuor dicuntur : unum quidem quod petitur, scilicet dimissivum peccati ex parte remittentis, cum dicit : « *Dimitte.* » Secundum autem, quod est recognitio debiti in eo cui dimittitur, cum dicit : « *Nobis.* » Tertium est recognitio debiti in se ipso, cum dicit : « *Debita.* » Quartum est recognitio debiti in debitorum vera causa,

¹ Cf. supra, pag. 279 et 280.

cum dicit : « *Nostra.* » Et primum horum facit fides et charitas in Deum : secundum autem contritio et spes : tertium humilitas et confessio : quartum autem accusatio sui et propositum satisfaciendi : et ista sunt, quæ exiguntur ad peccati remissionem.

Est autem sensus : O Pater, qui es in cælis, da decencia, et ne impediamur a decentium consecutione, « *dimitte debita.* » Et quia hoc transit ab orationibus ad deprecationes quæ sunt alterius ordinis et generis, ideo hic interponitur copula *et*, quod non est factum in aliqua præcedentium petitionum.

Secundum hunc igitur modum, primum in his quatuor est, quod dirigitur petitio ad remittentem.

« *Dimitte.* »

Ad primum quatuor exiguntur : quorum primum est viscerosa quam Pater habet ad filios charitas, sive pietas : secundum, tangens intus et inclinans misericordia : tertium, super malitia præstabilis clementia : quartum autem est penitus emendans justitia : hæc enim quatuor in Deo remittunt omne peccatum. Viscerosa quidem charitas inclinatur affectum : misericordia movet, et turbat, et fluere facit benigne ad miserum : clementia deponit rigorem, et inducit præstandi veniam propositum : justitia autem ut stabilis sit remissio, quamdam exigendo emendam perficit peccati purificationem.

De primo, Osee, xi, 1 : *Quia puer Israel, et dilexi eum : et ex de Ægypto vocavi filium meum.* Puer enim dicitur, quia puerilia commisit peccata, cum tamen dilectione Patris ex Ægypti tenebris et mœrore sit vocatus. Deuter. xxxiii, 3 : *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt.* Dilectio enim sanctos (alias, sanctorum) facit esse in manu ejus. Osee, xiv, 5 : *Diligam eos sponta-*

nee, quia aversus est furor meus ab eis. Charitas enim, qua diligit nos sponte, non ex meritis, avertit furorem. Jerem. xxxi, 3 : *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans.* Osee, xi, 4 : *Traham eos in vinculis charitatis.* Hoc oculo dilectionis vidit Nathanaelem, cum adhuc esset sub ficu, hoc est, sub peccati dulcedine¹.

De secundo dicitur, Luc. i, 48 : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos.* Osee, xi, 8 et 9 : *Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ : non convertar ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, et non homo : in medio tui sanctus.* Quasi dicat : Misericordia mea vincit hominis crudelitatem : et ideo fluo misericordiæ visceribus et benignitatis. Ad Roman. ii, 4 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* Habacuc, iii, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Jerem. xxxi, 20 : *Conturbata sunt viscera mea super eum : miserans miserebor ejus, ait Dominus.* Luc. x, 33 et 34 : *Videns eum, misericordia motus est. Et approprians alligavit vulnera ejus.*

De tertio remissivo dicitur, Jonæ, iv, 2 : *Tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia.* Isa. lv, 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus : et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Joel, ii, 13 : *Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.*

De quarto, Psal. x, 8 : *Justus Dominus et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* Luc. x, 34 : *Infundens oleum, et vinum : oleum misericordiæ, et vinum alicujus justitiæ.* II ad Timoth. ii, 13 : *Ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest.* Jerem. xxiii, 6 :

¹ Cf. Joan. i, 48.

Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster. Ad Hebr. xii, 7: *Quis filius, quem non corripit pater?* Psal. lxxxviii, 33: *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.* Jerem. x, 24: *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.* Hæc omnia supponuntur in Patre, ad quem dirigitur oratio. Ex natura diligit: « proprium enim habet misereri » et parcere, » ut dicit Gregorius. *Lex clementiæ in lingua ejus,* ut dicitur, Proverb. xxxi, 26. Et quia Pater est, per verbera filium erudit, ut dicit Apostolus ¹. Sic ad dimittentem orabat Manasses, dicens: *Peto rogans te, remitte mihi, Domine, remitte mihi, et ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus, reserves mala mihi, neque damnes me in infima terræ loca: quia tu es Deus, Deus, inquam, pœnitentium, et in me ostendes omnem bonitatem tuam, quia indignum salvabis me secundum misericordiam tuam* ².

Huic remissivo ex parte remittentis addit recognitionem debiti ex parte debentis,

« Nobis. »

Et hoc faciunt spes veniæ, et contritio in peccati dolore: sine spe enim non valet recognitionis debiti. Bene enim recognovit se esse debitorem Cain, quando dixit: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* ³: et tamen non valuit, quia cum desperatione: et ideo est ejectus a facie Dei Patris. Genes. iv, 14: *Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra.* Similiter quod recognovit se debitorem sine spe, non valuit Judæ, Matth. xxvii, 4, cum dixit: *Peccavi, tradens sanguinem justum:* et ideo

laqueo se suspendit, et crepuit, et diffusa sunt omnia viscera ejus, sicut dicitur, Act. i, 18. Et causa hujus assignatur, Proverb. xviii, 3, ubi dicitur: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Quando enim impius sine spe in profundo vitiorum se esse considerat, de spe veniæ non præsumens, contemnit veniam, et tradit se immunditiæ, nec cogitat de reditu ad Patrem. Ad Ephes. iv, 19: *Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impuditiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* Jerem. xxx, 12: *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Ergo in spe veniæ recognoscamus nos debitores, dicentes illud Matth. xviii, 26 et 29: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Hoc enim est spei verbum, et compuncti cordis. Joel, ii, 12 et 13: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Conversio enim est per spem: quia licet ejus qui se recognoscit debitorem non sit mera conversio ad judicem, tamen cum spe veniæ in compunctione delicti tuta et segura est ei conversio ad Patrem: præcipue si delectabilia quæ causa peccandi fuerunt, per jejunium in afflictionem convertit: et fletu et planctu præterita deplangit, et cordis voluntatem a proposito peccandi scindit, et vestimentum virtutis, ne nudus ambulet per dissolutam conversationem, de cætero non scindit. In hoc affectu conversi (alias, conversus) ad Patrem dixit David, Psal. vi, 7: *Lavabo per singulas noctes,* hoc est, peccati tenebras, *lectum meum,* in quo in peccati mollitie turpiter jacui: *lacrymis meis stratum meum rigabo.* Vel, secundum aliam translationem, « Natate feci: » stratum enim est ubi prostratus sub dæmonum pedibus cecidit. Sic ergo dimitte « nobis, » quoniam nos debitores esse in spe veniæ et dolore

¹ Ad Hebr. xii, 9.

² II Paralip., in Oratione Manassæ, sub finem.

³ Genes. iv, 13.

debiti recognoscimus. II Reg. xxiv, 17 : *Ego sum qui peccavi, ego inique egi.* Psal. l, 6 : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.* Oratio Manassæ : *Excitavi iracundiam tuam, et malum coram te feci.* Isa. xxxviii, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Sic ergo in spe veniæ dolentibus dimitte nobis

« Debita. »

Ecce in vera confessione humilitatis et verecundiæ recognitio debiti. Præsumptuosus enim quamvis recognoscat debitum, tamen non recognoscit se debitorem, eo quod omnia misericordia Dei condonaverit. Hic autem docet nos Christus recognoscere nos debitores, et recognoscere debitum : diminuentes enim peccata sua cognoscunt se quidem debitores, sed non sufficienter recognoscunt debitum : desperantes et debitores se esse recognoscunt, et debitum, sed non sunt in proposito solvendi : et ideo credunt quantum possunt super pignus. Non enim cogitant super anno jubileo, qui est annus remissionis, quando quilibet solutis et remissis debitis, ad suam revertitur possessionem¹.

Postquam igitur cognoscimus nos debitores in spe remissionis, et affectu compunctionis, expedit ut supputemus debita.

Et dicit, « debita, » in plurali numero, quia est quadruplex debitum : de nobis scilicet, et de commissis nobis donis, et de malis perpetratis, et de omissis.

De nobis, quia servi sumus, et totum esse, nosse, et posse, debemus Domino et Patri cœlesti. Ad Philemonem, 1. 19 : *Et te ipsum mihi debes.* Luc. xvii, 10 : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.*

De commissis nobis donis, sive gratui-

tis sive naturalibus, sive etiam bonis fortunæ. Matth. xviii, 23 et 24 : *Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat decem millia talenta :* dicit enim Gregorius : « Cum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum. » Luc. xvi, 7 : *Quantum debes domino meo? Centum coros tritici.* Matth. xxv, 14, et Luc. xix, 12 : *Tradidit illis dominus bona sua, et ait ad illos : Negotiamini dum venio.*

De debito de perpetratis, hoc est, perperam factis in transgressione mandatorum. Luc. vii, 41 : *Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta.* Unde, Luc. xi, 4, dicitur : *Dimitte nobis peccata nostra.*

De debito autem omissionis, IV Reg. iv, 1 : *Ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.* Et, ibidem, 7 : *Vende oleum, et redde creditori tuo : tu autem, et filii tui, vivite de reliquo.*

Omnia ista computanda sunt in vera et humili confessione : vera, ut nec addatur, nec minuatur, sed sicut se habet veritas, enarretur : humili, ut sit cum verecundia turpitudinis delicti, ne impropere ei illud Isaiaë, iii, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Jerem. xxxi, 19 : *Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Et contra de aliis dicitur, Jerem. iii, 3 : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Daniel. ix, 7 : *Tibi, Domine, justitia : nobis autem confusio faciei, sicut est hodie.* Daniel. iii, 33 : *Non possumus aperire os, supple, ad excusandum : quia confusio et opprobrium facti sumus servis tuis, et his qui colunt te.* De vera autem confessione habetur, Josue, vii, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, peccatum tuum*

¹ Cf. Levit. xxv, 13 et seq., et Deuter. xv, 1

et seq.

scilicet, *atque indica mihi quid feceris.* Supra, III, 5 et 6: *Exibant ad eum... confitentes peccata sua.* Psal. XXXI, 5: *Dixi: Confitebor adversum me injuriam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.* Isa. XLIII, 26: *Narra si quid habes ut justificeris.* Ad Roman. X, 10: *Ore confessio fit ad salutem.*

« Nostra. »

Ecce recognitio causæ debitorum: nostri (alias, nos) enim sumus causa: et ideo nostra sunt et nobis imputanda. Et notatur in hoc accusatio sui cum emendationis proposito. Non sicut Adam, qui peccatum retorsit in mulierem, et in Deum qui mulierem fecit¹. Proverb. XVIII, 17: *Justus prior est accusator sui.* Psal. L, 5: *Iniquitatem meam ego cognosco.* Job, XXXIII, 27: *Peccavi, et vere deliqui, et, ut eram dignus, non recepi.* Sic dicit Dominus, Osee, XIII, 9: *Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Isa. LXIV, 6: *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ: et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.*

Sic ergo, o Pater, dimitte nobis debita « nostra, » non aliena.

« Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. »

Inducere docet rationem obtinendi quod petitum est in deprecatione.

Et in hoc tria notantur: dimissionis inter nos et Deum Patrem similitudo, cum dicit: « *Sicut et nos dimittimus.* » Dimissionis promptitudo, quia dicit: « *Debitoribus,* » et non dicit rogantibus. Et debiti, quod debent, certitudo, cum dicit: « *Nostris.* » Quasi dicat: de quibus certum est quod nobis debent, ita quod

nihil habuerunt adversum nos: quia nos in nullo tenemur eis.

Primum adstruit Dominus, Supra, v, 48, quando dixit: *Estote vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est.* Et, ibidem, x, 43: *Ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Unde, Luc. XI, 4: *Siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis.* Luc. VI, 37: *Dimittite, et dimittimini.* Ad Ephes. IV, 32: *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.*

« *Debitoribus.* » Ecce secundum, in quo notatur quod gratis et prompte donandum est. Matth. v, 25: *Esto consentiens adversario tuo.* Matth. XVIII, 32 et 33: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Eccli. XXVIII, 2 et 3: *Relinque proximo tuo nocenti te: et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam.*

« *Nostris.* » Ad quorum debita nihil credidimus eis: quod vix contingit: tamen hoc est in Sanctis. Sicut Stephanus, Act. VII, 60: *Ne statuas illis hoc peccatum: quia, Luc. XXIII, 34: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Econtra, Isa. LVIII, impropèratur illis qui non sunt exauditi, quod *percutiebant pugno impie;* et omnes debitores suos reposebant.

Et attende, quod sicut dicit Glossa Chrysostomi, non intelligitur de debito pecuniæ: hanc enim juris ordine possumus repetere: sed de debito eorum qui in nos peccaverunt. Ad Roman. XII, 21: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malo.*

Sic ergo, « *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos,* etc.

Sed hic quæritur, quia secundum hoc non dimittens debitoribus non potest di-

¹ Cf. Genes. III, 12.

cere istam orationem. Ad hoc dicunt quidam quod potest, et debet dicere in persona Ecclesiæ: potest etiam dici, quod in parte prima deprecationis duo continentur, quod scilicet Pater debita dimittat, et quod sicut ipse dimittit, nobis det gratiam dimittendi: et hoc modo quilibet potest de veritate dicere istam orationem: *Dimitte nobis debita nostra*, etc.

13 « Et ne nos inducas in tentationem. »

Hæc est sexta petitio, quæ est de amovendo malo, quod secundum causam inductivam est præsens, sed reatu et actu est futurum: et quia secundum causam est præsens, ideo petitur amoveri.

Est autem hic quæstio ante (alias, ad) litteram, Utrum Deus inducit aliquem in tentationem?

Videtur autem quod non: quia sicut dicitur, Jacob. 1, 13: *Deus intentator malorum est: ipse autem neminem tentat*. Sed pejus est inducere in tentationem, quam tentare: ergo multo minus Deus Pater aliquem inducit in tentationem. Si autem concedatur hoc, tunc frustra petitur ne in tentationem inducamur.

Adhuc, Infra, xxvi, 41, dicit: *Orate ut non intretis in tentationem*: et ibi significat quod homo per se ipsum intrat in tentationem: qualiter ergo hic videtur significare, quod Deus inducat in tentationem? Si forte dicatur, quod intelligitur de tentatione, qua tentat Deus homines. Contra: Deus tentat homines, ut inducat eos in experimentum ejus de quo tentat eos, sicut patet per ea quæ dicta sunt, Supra, iv, 1-11. Ergo frustra rogatur ne inducat in tentationem, quia malum esset si exaudiret.

Ulterius etiam hic quæritur, quid sit tentare: et quid in tentationem induci: et quid sit intrare in tentationem: et quid sit esse in tentatione: et utrum hæc sint eadem vel non?

Adhuc autem, frustra videtur fieri ista petitio: quia dicit Apostolus, I ad Corinth. x, 13: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*: ergo nunquam permittit induci in tentationem.

Adhuc, videtur esse contra Deum ista petitio: quia, Psal. xxv, 2 dicit: *Proba me, Domine, et tenta me: ure renes meos et cor meum*. Et, Psal. cxxxviii, 24: *Vide si via iniquitatis in me est: et deduc me in via æterna*.

Præterea, II ad Timoth. ii, 5, dicitur, quod qui certaverit in agone, *non coronatur nisi legitime certaverit*: ergo bonum est certare.

RESPONSIO. Dicendum ad primum, quod Deus bene ducit aliquem in tentationem, sed neminem inducit in tentationem: in tentatione enim ne (alias, ut) non seducantur, conducit et ducit omnes bonos. Sicut dicit, Psal. xc, 13: *Cum ipso sum in tribulatione*. Et sicut dicitur, Daniel. ii, 49, quod apparuit cum tribus pueris in fornace Babylonis. Sapient. x, 11 et 12: *In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia*. Sic ergo ducit et conducit Sanctos in tentatione, sed nullum omnino inducit in tentationem: et ideo concedenda est ratio primo inducta.

Ad aliud dicendum, quod hominem intrare in tentationem est malum: et ideo inferius jubet orare, ut Deus hoc non permittat: et est concedendum, quod non loquitur hic de tentatione qua Deus tentat hominem, ut inducat eum in suiipsius experimentum.

Ad id quod quæritur, quid sit tentare, et quid induci, et quid intrare in tentationem, Dicendum quod, sicut dicit Magister Hugo de sancto Victore: « Tentare est callide experiri quod dubium est, suggerendo, vel explorando, vel

« blandiando, vel violentia quadam im-
 « pellendo ad illicitum. Inducere au-
 « tem in tentationem dicitur duobus mo-
 « dis : vel potius dicendum quod ex duo-
 « bus constat, uno quidem, quod tenta-
 « tus inducatur ad hoc quod tentatori
 « consentiens, vel non resistens coope-
 « retur: sicut etiam quando aliquis se-
 « ducitur ab aliquo, dicimus quod in-
 « ductus est ab eo: et sicut dicimus,
 « quod si quis inducitur per rationes ad
 « credendum quod ante non credidit.
 « Aliud est, quod cum tentatio habeat
 « gradus, suggestionem, cogitationem,
 « delectationem, moram in mente, sive
 « occupationem, consensum, voluntatem
 « perfectam, impetum, et operis perfe-
 « ctionem, et hujusmodi, quod tentatus
 « in his gradibus tentatori cooperetur :
 « ut non modo patiat in his tentatoris
 « malitiam, sed coagat cum ipso ad illi-
 « citi perfectionem. Unde quando aliquis
 « inducitur in tentationem, tentator præit
 « invitando, et gradus sternendo : et ten-
 « tatus quasi illectus sequitur, et induci-
 « tur. Intrare autem pejus est : quia hoc
 « est per seipsum ultra (alias, ultro) per
 « gradus tentationis proficere in pejus :
 « et ideo præcipit orare, ut gratia detur
 « ne intremus : et docet hic orare, ne po-
 « testas detur tentatori, ne inducat : quia
 « licet potestas justa sit et ordinata, et
 « sic eam Dominus juste concedere pos-
 « sit; tamen voluntas tentatoris mala
 « est, et sæpe inducendo primo modo
 « seducit, et inducendo secundo modo
 « præcipitat. »

Sed secundum hoc melius diceretur :
 Ne nos permittas in tentationem induci,
 quam, *ne nos inducas*. Et ad hoc dicen-
 dum, quod hoc non est verum : quia
 prima potestas tentantis Dei est, et
 justa, et fit ad probandos bonos, vel ad
 ostendendos, et convincendos malos : et
 ideo sicut dicitur facere cujus auctoritate
 fit, ita Pater dicitur inducere in tentatio-
 nem recta potestate : tentatum autem
 seduci, vel præcipitari contingit iniqua
 voluntate tentatoris. Rogandus ergo est

Pater, ut quod juste facere potest, non
 faciat propter nostram infirmitatem. In
 tentatione autem esse, est esse in proba-
 tione, et in tentatione, vel experimento :
 et hoc non est malum.

Ad aliud dicendum, quod Deus quan-
 tum de violentia tentatoris non permittit
 homines tentari ultra vires : sed sæpe
 antequam resistant secundum possibili-
 tatem virium, cadunt : eo quod non
 utuntur armis virtutum ad defensionem :
 et ideo oratio est utilis et bona, fragilita-
 ti nostræ expediens.

Ad aliud dicendum, quod sicut dicit
 Augustinus, quod « non docet rogare ne
 « homo tentetur, quia hoc malum esset :
 « sed potius, ne in tentationem induca-
 « mur, » sicut habitum est.

His igitur sic habitis, tria sunt consi-
 deranda in ista deprecatione : quorum
 primum est, quod pluraliter loquens
 dicit : « *Ne nos.* » Secundum autem de
 inductu quoad potestatem ducentis, cum
 dicit : « *Inducas.* » Et tertium est, quod
 dicit : « *In tentationem,* » et non dicit :
 in peccatum. Primum ostendit commune
 omnium, quasi sibi commissam ex chari-
 tate sollicitudinem : secundum, ordina-
 tam Dei potestatem : tertium, tentatio-
 nis utilitatem.

Charitatis autem sollicitudo deprehen-
 ditur in quatuor : primum est in condo-
 lendo tentatis : secundum, in portando
 infirmitates tentationis : tertium, in
 orando pro eis, quasi in tentatione si-
 mus pro eis : et quartum, in tenendo
 Deum, ne deserat in violentia tentatio-
 nis.

De primo, quod est condolendo tenta-
 tis. II ad Corinth. XI, 29 : *Quis infirma-
 tur, et ego non infirmor? quis scandalizatur,
 et ego non uror? Ideo etiam dicit
 Apostolus, ad Roman. XII, 14 et seq :
 Benedicite, et nolite maledicere. Gau-
 dere cum gaudentibus, flere cum flen-
 tibus. Idipsum invicem sentientes, etc.*
 Joan. XVI, 21 : *Mulier cum parit, tristi-
 tiam habet, quia venit hora ejus.* Unde,
 Apocalyps. XII, 1 et 2 : *Mulier amicta*

sole... clamabat parturiens. Parturit enim cor Sanctorum, quando in tentatione primo filios enititur. Ad Galat. iv, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* In parturitionibus enim in doloribus est mater, et partus in angustiis. Isa. xxvi, 17 et 18 : *Sicut quæ concepit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis : sic facti sumus a facie tua, Domine. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum, scilicet salutis.* Isa. xxxvii, 3 : *Dies tribulationis, et angustiae* ¹, *et correctionis, et blasphemiae dies hæc : quia venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi.* Dies enim tribulationis est quoad cor sanctorum in matris affectu diligentium : dies angustiae, quoad dolorem tentatorum : dies correctionis, quoad intentionem Dei dantis potestatem tentatori : dies blasphemiae, quoad malam voluntatem tentatoris. Sic veniunt filii ad partum : et inducendo in tentationem quassatur uterus matris, et coarctantur parvuli : et vix aliquando est virtus pariendi. Psal. xc, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione.* Quoad hoc igitur tota simul fraternitatis charitas se tentatis connumerat dicendo : « *Ne nos.* »

De secundo autem, quod est de portando cum ipsis tentatis infirmitates eorum, dicitur, ad Roman. xv, 1 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.* Isa. liii, 4 : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Ad Galat. vi, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Ad Roman. xiv, 1 : *Infirmum in fide assume, non in disceptationibus cogitationum.* Osee, xi, 3 : *Ego quasi nutritius Ephraim : portabam eos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos : quia hoc est sanctorum, quod etiam nescientibus prosint tentatis, et nolentibus sublevant onus.* Hoc igitur modo sub

uno onere pressi, communiter dicunt orantes : « *Ne nos.* »

Tertium est, quod in orando pro eis, quasi in tentatione cum ipsis existentes, instare debemus : quod nisi socios eos habeamus consolationis, ipsam Dei consolationem desolationem reputemus, propter fervorem charitatis quem habemus ad ipsos. Exod. xxxii, 31 et 32 : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Genes. xxvii, 13 : *In me sit ista maledictio.* Ad Philemonem, x. 18 : *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.* Josue, vii, 8 : *Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israel hostibus suis terga vertentem?* Ad Roman. ix, 3 : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Sic ergo tentationem infirmorum nobis adscribentes, iterum dicimus : « *Ne nos.* »

Quarto autem, in tenendo Deum, ne inducat potestatem dando tentatori. Isa. lxiv, 7 : *Non est qui invocet nomen tuum : qui consurgat, et teneat te.* Ezechiel. xiii, 5 : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis, vos scilicet, murum pro domo Israel.* Job, ix, 33 : *Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus.* Sic enim fecit Jacob, Genes. xxxii, 26, qui tenuit Deum dicentem : *Dimitte me.* Et ait illi : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Timuit enim, ut ibidem dicitur, ne veniens pietate accepta Esau, scilicet tentator, percuteret matres cum filiis. Osee, xii, 3 et 4 : *In fortitudine sua directus est cum Angelo. Et invaluit ad Angelum, et confortatus est : flevit, et rogavit eum.* « Duobus enim » brachiis, ut ait Hieronymus, tenuit « eum, fletu scilicet et oratione. » Sic ergo iterum instantes pro eis connumeramus nos eis, dicentes : « *Ne nos.* »

Sequitur :

¹ In Vulgata, Isa. xxxvii, 3, deest *et angustiae.*

« Inducas. »

Hoc est, o Pater, ne des potestatem tentatori, quam juste dare potes, inducendi nos in tentationem : et ideo plus est hoc dictum, quam ne nos permittas induci : quia dans potestatem per aliquem modum inducit, hoc est, ducit intus.

Sed ad hoc intelligendum, oportet scire, quod sicut cum dicitur : Iste claudicat, duo dicuntur in ambulatione, quæ est claudi gressus : quorum unum est ambulatio, quæ est virtutis ambulativæ : alterum autem est distortio et divaricatio ambulationis, quæ non causatur a virtute ambulativa, sed a defectu, qui est curvitas in tibia, vel in crure ambulantis. Ita cum dicitur : « *Inducas,* » duo dicuntur : ductio per gradus tentationis, et hæc est causata a virtute dantis, et ordinantis potestatem tentatoris : alterum autem est seductio et præcipitatio tentati, quæ non causat nisi iniquam voluntatem tentatoris, et defectum voluntatis tentati. Et horum exemplum est in equitatione militis in equo claudico, cujus cespitatio reducitur ad claudicationem in equo. Rectus motus autem, quo perficit viam, reducitur ad regimen militis sicut ad causam.

Hoc igitur modo, Pater, « *Ne inducas,* » quia licet tua sit bona et ordinata potestas, tamen iniqua est tentatoris voluntas, et magna nostra infirmitas. Magis enim nobis expedit a tua voluntate in bonis deduci, quam in tentationibus exerceri, licet gloriosius sit in tentatione exerceri, quam in bonis virtutum sine tentationibus deduci.

Secundum hunc intellectum potestas tentatoris admonet nos de quatuor : primum quidem est de patientia subjectionis potestati : secundum, de humilitate quam experimur in nobis : tertium, de constantia non cedendi (alias, credendi) tentatori : quartum est de profectu per exercitium tentationis.

De primo hujus, hoc est, de patientia

in tentatione propter eum qui dat potestatem, Apocalyps. II, 3 : *Patientiam habes, et sustinuisti, multa scilicet, propter nomen meum, et non defecisti.* Jacob. I, 4 : *Patientia opus perfectum habet : ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Ad Hebr. X, 36 : *Patientia vobis necessaria est : ut voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem.* Jacob. V, 8 : *Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra : quoniam adventus Domini appropinquavit : et hic est adventus consolantis.*

De secundo, hoc est, de humilitate : quia in tentationibus nostras experimur infirmitates, Michææ, VI, 14 : *Humiliatio tua in medio tui.* Et ideo dicitur, quod tentatio colaphizatio est. II ad Corinth. XII, 7 : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Sic dicitur, Isa. II, 11 et 12, quod *oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum : exaltabitur autem Dominus solus in die illa. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem : et humiliabitur.* Et infra, in eodem, Y. 17 : *Incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illa.* Quicumque enim de se aliquid præsumit, inclinatur per tentationes.

De tertio, hoc est, de constantia perseverandi, et non cedendi (alias, credendi) tentatori, ad Galat. II, 5 : *Neque ad horam cessimus subjectione.* Eccle. X, 4 : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Luc. XXII, 28 : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, etc.* Eccli. II, 1 : *Accedens ad servitutum Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Matth. X, 22 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

De quarto, hoc est, de profectu qui per tentationem accipitur ex intentione dan-

tis potestatem tentandi, qui nullo modo daret illam nisi propter profectum tentationis. Unde, I ad Corinth. x, 13 : *Faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Tob. xii, 13 : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te,* hoc est, probatum te redderet. Eccli. xxxiv, 11 : *Qui tentatus non est, qualia scit?* Sapient. iii, 5 : *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se.* Ad Roman. v, 3 et seq. : *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spes. Spes autem non confundit.* Jacob, 1, 2 : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Et, in eadem, ̄. 12 : *Beatus vir qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Hoc est igitur : « *Ne nos inducas.* »

« *In tentationem.* »

Et in hoc ultimo notabile est, quod non dicit : in peccatum, sed in tentationem : quia licet aliquo modo det potestatem inducendi in tentationem, tamen nullo modo dat potestatem inducendi in peccatum.

Et in tentatione quidem tria utiliter notantur : primum est tentationis ordo, sive gradus, per quos inducitur qui inducitur : secundum est tentationis experimentum : tertium est tentationem finis. Primum revelat hostis vias : secundum, hominis tentati vires : tertium est dilectio liberatoris et gratitudo.

De primo dicitur, II ad Corinth. ii, 11 : *Non enim ignoramus cogitationes ejus, hostis videlicet, quæ tamen difficulter cognoscuntur : et ideo dicit Salomon in Proverb. xxx, 19, quod inter ea quæ sunt incognita sibi, est via colubri supra petram :* et petra est frigidum et

durum cor tentatorum. Job, xli, 4 et 5 : *Quis revelabit faciem indumenti ejus? et in medium oris ejus quis intrabit? Portas vultus ejus quis aperiet?* Quasi diceret : *Faciem agnitionis Leviathan in tentatione, quando multis se velat (alias, vestit) operimentis, nullus revelabit, nisi ego tentatus per experimentum tentatoris. Hi enim qui intrant per tentationes in medium fraudis ejus, illi sunt qui aliis detegendo aperiunt portas vultus cognitionis ejus.*

De secundo, quod est experimentum virium propriarum, I ad Corinth. x, 12 et 13 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Sic expertus fuit Petrus, qui dixit se paratum in carcerem et in mortem ire cum Christo : et postea negavit ad allocutionem puellæ¹. Luc. viii, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Hoc enim experimentum propriarum virium valet ad cautelam : quod si infirmus sit, subtrahat se ab occasione tentationum : et si se fortem invenit esse, melius de se præsumens, altiora in Dei obsequio attentat. Eccli. vi, 7 : *Si possides amicum, in tentatione posside illum, et ne facile credas ei, supple, teipsum.*

De tertio, hoc est, de fine tentationis, qui est liberatio, et per consequens amor et gratitudo liberantis, Tob. iii, 21 : *Hoc pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur : si autem in tribulatione fuerit, liberabitur : et si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.* Eccli. xxxiii, 1 : *Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus eum conservabit, et liberabit a malis.* Eccli. xlii, 21 et 22 : *In tentatione inventus est fidelis. Ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente sua.* Quando enim homo experitur tam desideratam liberationem, non potest esse non gratus liberatori, cantans et psallens :

¹ Cf. Matth. xxvi, 70.

Salvasti nos, Domine, de affligentibus nos: et odientes nos confudisti ¹.

Et hæc est causa, quod petit non tentari, nec in tentatione non conduci, vel reduci: sed potius ne inducatur in eam per modum qui dictus est supra. Conductus enim et deductus in ea super aspidem et basiliscum ambulat, et conculcat leonem et draconem ²: et hoc est gloriosum et bonum. Sic enim Dominus ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo ³: et per omnes vias tentatoris et tentationis ingressus est, sed in ipsam tentationem nullo modo est inductus: in quo nobis dedit exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

« Sed libera nos a malo. »

Ecce ultima petitio, quæ est de amotione mali, quod præsens est secundum causam et actum, a quo petitur hic liberatio.

Et est hic dubitatio gravis: quia « cum « malum fiat omnifariam, ut dicit Dionysius, virtus autem uno modo tantum « ex una tota et sola causa: » videtur amplioris divisionis esse malum quam bonum: et sic plures petitiones deberent esse de amotione mali, quam de adeptione boni: et hoc non est: quia quatuor sunt de adeptione boni, et tres tantum de amotione mali.

Ulterius quæritur, quia videtur quod ista petitione posita, duæ præcedentes superfluant: quia si perfecte liberamur a malo, et debita sunt dimissa, et in tentationem non inducimur.

Adhuc quæritur ulterius, de quo malo intelligitur, cum dicitur: « *Libera nos a malo?* » Aut enim intelligitur de malo culpæ, aut de malo pænæ. Si de malo culpæ, contra malum culpæ sufficienter petitur removeri per duas præcedentes petitiones: quia culpæ malum perpetra-

tum petitur removeri per primam: et quod est in tentatione futurum, petitur removeri per secundam: et sic ista non est necessaria. Si autem de malo pænæ petitio ista intelligitur, Contra: Malum pænæ multum promovet ad beatitudinem: ergo si docet nos petere liberari ab illo, docet nos petere contra nos ipsos.

Adhuc, Paulus gloriatur in illo malo ⁴, ergo non est petendum amoveri.

Adhuc, hoc facit nobis consortium crucis Christi, et ab illo non debemus petere liberari.

Adhuc, impossibile est consequi hanc petitionem, et non complebitur, nisi postquam mortale hoc induerit immortalitatem, sicut dicit Glossa: ergo frustra petitur, ut videtur.

Si autem dicatur secundum aliam Glossam, quod petitur hic liberatio a malo tentationis, quæ nondum est: tunc hæc petitio non videtur differre a præcedente, nisi tantum materialiter: quia in præcedente petitur liberatio a tentatione quæ jam instat: et in ista, liberatio ab ea quæ nondum est: et illæ non nisi materialem habent differentiam.

Si autem aliquis velit dicere secundum Chrysostomum, quod sic intelligitur petitio, quod in priori quidem petitur: *Ne nos inducas in tentationem*: sed quia vix contingit propter infirmitatis humanæ fragilitatem quod non inducamur in tentationem, ideo sequitur, quod si inducamur in tentationem, quod nec tunc deserat, sed liberet nos a malo, hoc est, ab illius, in quam inducti sumus, tentationis periculo. Sed hoc videtur omnino superfluum: quia non inducimur in tentationem nisi per peccati aliquem actum: et tunc hoc est debitum, quod ante petebamus nobis dimitti: et tunc tota ista petitio est superflua. Si enim dimittitur debitum, li-

¹ Psal. XLIII, 8.

² Cf. Psal. xc, 13: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.*

³ Cf. Matth. iv, 1 et seq.; Marc. i, 12 et seq.; Luc. iv, 1 et seq.

⁴ Cf. II ad Corinth. xii, 9.

berati sumus a periculo tentationis in quam sumus inducti.

RESPONSIO. Ad hoc dicendum, quod secundum divisionem nostram superius inductam, intelligitur de malo quod imminet secundum causam et actum : et hoc est malum pœnæ cujuscumque, secundum quod est causa imminenti culpæ, præcipue tale malum est fomes peccati. Sunt autem et aliæ pœnæ secundum quod sunt causa periculi peccati. Et hoc modo petuntur amoveri, præcipue a nobis, qui infirmitate depressi, de facili per pœnas labimur in peccatum. Matth. xxvi, 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Ad id ergo quod primo quæritur de divisione, dicendum, quod licet secundum species et individua malum sit amplioris divisionis quam bonum, tamen secundum genera, bonum est pluris divisionis quam malum. Bonum enim et malum generalissime sumpta non sunt in genere, sed sunt genera aliorum existentia, sicut dicit Philosophus : quando autem magis contrahitur bonum ad bonum gratiæ, et malum ad id quod adimit bonum gratiæ, erit bonum amplioris divisionis quam malum in generalibus suis differentiis : quia bonum variatur ad formam similitudinis divinæ, et ad perfectionem potestatis, et ad perfectionem operis, et ad bonum conservans in istis. Malum autem non attingit ipsum nisi ea parte qua adimit ipsum in perfectione operis : et ideo non est tantæ divisionis in genere sicut bonum : et ideo etiam pauciores penes ipsum accipiuntur petitiones, sicut patet in divisione. Malum enim non possumus accipere per similitudinem contrarii ad id cui assimilatur bonum : quia nullius est similitudo, sed potius privatio. Non possumus ipsum accipere propter imperfectionem potestatis, cum non sit in actu, et potestatem infirmitat : hoc non sit nisi per actum deficientem. Et similiter dicimus de conservatione.

Ad id quod ulterius quæritur, dicen-

dum, quod non superfluum petitiones præcedentes : quia debitum quod jam est, petitur dimitti in prima : secundum, quod in causa est, et in actu non est, petitur dimitti in secunda. Pœna autem non secundum quod pœna, secundum autem quod est in multis inductiva et causa culpæ, petitur amoveri in tertia.

Ad id autem quod in contrarium objicitur, dicendum, quod in veritate pœna multum promovet : et secundum hoc non petitur liberatio ejus, sed potius secundum quod est inductiva mali culpæ, vel impeditenti ejus, quod non est bonum (alias, quod est bonum). Sic enim sit in (alias, a) multis, et secundum hoc petitur amoveri.

Ad hoc quod dicitur, Paulus in infirmitate gloriatur : dicendum est, quod dupliciter liberamur a tali pœna : aut enim liberamur in toto a pœna quæ instat, aut liberamur a periculo in quod præcipitat, quando contemnimus, et gloriamur in ea : et hoc est perfectorum Sanctorum : sed id quod ante dictum est, est infirmorum.

Ad hoc autem quod dicitur, quod in hac vita hoc non consequimur, dicendum, quod simpliciter quidem et universaliter non consequimur, sed secundum modum in aliqua pœna consequimur : secundum modum autem dico secundum quem impellit in culpam. In aliqua autem pœna : quia ab hac et illa pœna sæpe liberamur. Dixit tamen Christianus Belvacensis, quod « aliquando in ista petitione Ecclesia exauditur : quia ante finem mundi « Sancti erunt sine originali, et Christus « cum eis corporaliter comedens et bibens, et ipsi liberi ab omnibus malis « per mille annos. » Sed iste error ab ipsomet, et a nobis, et ab aliis multis condemnatus est.

Sic igitur intellecta petitione, quærimus adhuc, quare dicit : « *Libera nos a malo,* » et non, salva nos a malo, aut, fac nos vincere malum.

Et ad hoc dicendum, sicut dicit

Chrysostomus, quod « petitiones istæ « formantur secundum quod omnibus « congruunt: non omnium autem est in « potentia virtutis vincere malum, sed « hoc est perfectorum: » nec omnino salvamur a malo, quamdiu vivimus, sed sufficit ut liberi et immunes simus a mali contagione: et sic intelligitur petitio.

Secundum hunc igitur modum intellecta, dicendum quod homo liberatur a malo tribus modis proprie, et per tria adjutoria: unum est a contagione mali, secundum est a mali causa, tertium est a mali defectu. A mali contagione liberatur, qui licet in illo malo sit, tamen malum non relinquit in ipso peccati contagionem: a mali causa liberatur, qui a pœna liberatur, quæ mali est inductiva: a mali defectu liberatur, cui malum instans circa rem et potestatem operandi bonum, nullam notabilem inducit infirmitatem. Et contrariis modis tribus succumbunt malo illi qui succumbunt.

De prima liberatione dicitur, ad Roman. vi, 13 et 14: *Exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Quasi diceretur: Licet insit causa peccati, tamen dominari non potest, quamdiu estis sub gratia Dei. Genes. iv, 7: *Sub te erit appetitus ejus.* Quasi diceret: Licet insit causa peccati, ad peccatum non venis, nisi velis: quia Deus dedit tibi libertatem, et subter illam libertatem est appetitus peccati: quia aliter peccatum esset necessarium, et non voluntarium.

De secunda liberatione dicitur, Deuteron. xxxiii, 27: *Dominus ejiciet a facie tua inimicum, dicetque: Conterere.* Hoc enim fit, quando et malum et causa mali tollitur. Ad Roman. xvi, 20: *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.*

De tertia liberatione dicit Apostolus, II ad Corinth. xii, 9 et 10: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhaibiter in me virtus Christi: cum enim*

infirmor, tunc potens sum. Et est mirabile, quia, sicut dicit Dionysius in Libro de *Divinis nominibus*: « Malum est in « firmitas modi, et commensationis, « et harmoniæ. Sicut enim videmus, « quod membrum corporis infirmum « est destitutum aliquando in modo « speciei, sicut oculus destitutus claritate humoris crystallini: aliquando « autem destituitur in commensatione « partium componentium ipsum, vel « figuræ continentis ipsum in excessu, « vel diminutione totius, vel partium: « vel ex hoc quod una alteri non proportionatur: aliquando autem destituitur in harmonia, quod (alias, quando) « non est habens harmoniam ad visum « rectum: et ideo quidam prope, quidam autem longe vident. Ita etiam « destituitur bonum animæ: quia aliquando non habet modum suæ speciei « secundum virtutem congruum: aliquando autem non habet commensationem ad (alias, secundum) actum sibi « debitum in partibus animæ, quia « affectus non proportionatur bono, sicut ut intellectus vero, et sic de aliis: aliquando autem non habet harmoniam « debitam. » Et in quibus nihil horum est, et omnia contraria ex pœnis proveniunt: illi sunt perfecte a malo liberi et liberati: et illi sunt vere liberati: et de his dicitur, Judicum, v, 21 et 22: *Conculca, anima mea, robustos. Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, et per præceps ruentibus fortissimis hostium.* In virtute enim concepta contra malum conculcantur mala hostium, et unguæ superbiæ (quibus vestigia infirmitatis imprimere et infigere quærunt bonos) cadunt, fugientibus eis a facie justorum. Malach. iv, 3: *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.*

Tribus autem infirmitatibus destituuntur hi qui non liberantur: una est destitutione voluntatis, secunda est pusillanimitatis, tertia autem est diminutione boni naturalis. Voluntatis infirmi-

tas incidit in mali actum, pusillanimitatis nimis dejicit in pœnæ sensum, sed destitutio naturalis boni de peccato facit ruere in peccatum: et sic homo in servitute mali dejicitur, qui non liberatur.

De prima dicitur Jeremiæ, xiii, 23: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum?* Postquam enim malum longa consuetudine in usum trahitur, voluntas ad boni (alias, bonum) actum languens infirmatur. Thren. i, 6: *Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequenti.* Proverb. xxviii, 1: *Fugit impius, nemine persequente.* Psal. xliii, 5: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

De secunda infirmitate dicitur, Oratio Manassæ: *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, et non est respiratio mihi.* Luc. xiii, 16: *Hanc filiam Abraham, quam incurvavit Satan, ecce decem et octo anni, supple, sunt.* Psal. xl, 4: *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.*

De tertia infirmitate dicitur, Luc. x, 30, quod *despoliaverunt eum: et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* Iste est filius prodigus, qui abiit in regionem longinquam: ita quod vix cogitavit de reditu¹.

Contra hæc sunt tria adjutoria: et contra primum est virtus confortans voluntatem: contra secundum, bonum gratiæ perficiens sanitatem: contra tertium, antidotum sacramenti reddens integritatem.

De virtute autem confortante voluntatem dicitur, Josue, i, 6: *Confortare, et esto robustus.* Job, iv, 3 et 4: *Manus lassas roborasti: vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti.* Judith, xiii, 7: *Confirma me, Domine Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum.* Psal. lxxvii, 29: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.*

¹ Cf. Luc. xv, 13.

² Matth. xxi, 22: *Omnia quæcumque petieritis*

De secundo, hoc est, de bono gratiæ, quod perficit sanitatem, Jerem. xvii, 14: *Sana me, Domine, et sanabor.* Psal. cii, 3: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Eccli. xxxviii, 7: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.*

De tertio, hoc est, de reintegratione, Jacob. i, 4: *Sitis perfecti et integri, in nulla deficientes.* I ad Thessal. v, 23: *Ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Act. iii, 16: *Fides, quæ per Christum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.*

Sic ergo liberamur a malo, hoc est, liberi effimur a malo nos detinente et instigante ad malum.

Huic autem orationi subjungitur:

« Amen. »

Quod est, vere, vel fideliter, vel verum fiat. Quia pro certo quicumque hanc orationem in eo modo quo exposita est, dixerit, quidquid petierit, impetrabit. Marc. xi, 24: *Propterea dico vobis: omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis²,* vel in ipso petito, vel in alio quod vobis melius est: quia nescimus quid melius sit nobis: sed ipse Pater providet nobis, et dat nobis id quod magis expedit.

Dicitur tamen, quod quatuor exiguntur ad hoc quod oratio exaudiat: quod fiat pro se, pie, et perseveranter, et ad salutem.

Pro se: quia licet unus possit alii mereri primam gratiam, sicut Stephanus dicitur impetrasse primam gratiam Paulo, tamen sæpe non auditur orans pro alio: eo quod peccata alterius impediunt

in oratione credentes, accipietis. Cf. etiam Matth. vii, 7, et I Joan. iii, 22.

orationem, sicut dicit Samuel David, I Reg. xvi, 1 : *Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum?* Jerem. xi, 14 : *Noli orare pro populo hoc, et ne assumes pro eis laudem et orationem : quia non exaudiam.* Jerem. vii, 16 : *Tu ergo, noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi : quia non exaudiam te.*

Pie etiam orandum est, si exaudiri debeat. Joan. ix, 31 : *Scimus quia peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Amos, v, 23 : *Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam.* Isa. i, 15 : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Threnorum, iii, 44 : *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.*

Perseveranter etiam debet petere. Unde, Luc. xi, 8 : *Si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.* Jacob. v, 16 : *Multum valet deprecatio justis assidua.* Luc. ii, 37 : *Quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.* I ad Timoth. v, 5 : *Speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die.*

De eo autem, quod debet esse *ad salutem*, II ad Corinth. xii, 8 et 9 : *Ter Dominum rogavi ut discederet a me : et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea : quia enim non petiit ad salutem, non fuit exauditus.* III Reg. xix, 4 : *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam :* oravit Elias, et non fuit exauditus. Similiter, Jonæ, iv, 3 : *Tolle, quæso, animam meam a me : quia melior est mihi mors quam vita.* Et multa alia talia sunt in sacra Scriptura. Quando autem est ad salutem, semper exaudit Deus suos. Ad Hebr. v, 7 : *In omnibus exauditus est pro sua reverentia :* hoc enim dictum est de Christo gratia membrorum, quia pro se exorare non indiguit.

Hoc igitur est, quod dicit : *« Amen : »* quia si ita fit oratio, semper exauditur a Patre qui est in cœlis.

« Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. »

14

Ecce ponit hic conditionem ad unam de septem petitionibus : et hæc est prima inter eas quibus petitur amotio mali. Causa autem hujus est, quæ accipitur ex præcedentibus secundum Chrysostomum. Quia, Sapient. vi, 8, dicitur, quod *pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter est cura illi de omnibus :* et ideo Patri nostro cœlesti æqualiter omnes sumus conjuncti, et unum audit. sicut alium : et ideo non potest unum audire, contra quem clamat alius. Unde, Jacob. v, 4 : *Clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Psal. xcvi, 6 : *Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos.* Alia ratio est hujus, quia taliter orans non est similis Patri cœlesti, sicut dictum est superius.

Dividitur autem hæc pars in duas partes : ita quod in prima ponit conditionem affirmantem : et in secunda, negantem, ibi, x. 15 : *« Si autem non dimiseritis.*

In primo horum duo sunt paragraphi : in quorum primo tangit quatuor, quorum primum est dimissio. Secundum autem est infirmitas inclinans ad dimissionem ex parte ejus, cui dimittitur, cum dicit : *« Hominibus, »* ab humo dictis et infirmis. Tertium est, quid dimittitur, quia *« Peccata : »* nec unum, nec duo, sed quotquot in nos peccaverunt : et ideo numerum non determinat. Quartum est culpabilitas eorum, quibus remittendum est, cum dicit : *« Eorum : »* quasi diceret : Quantumcumque sint culpabiles : quia eorum sunt peccata, quæ nullo merito vos fieri procurastis.

In secundo paragrapho etiam quatuor

tangit, remissivum videlicet ex parte remittentis nobis, cum dicit : « *Pater vester cœlestis.* » Secundum est remissio perfecta, cum dicit : « *Dimittet.* » Tertium est infirmitas nostra, quæ inclinatur ut facilius remittatur, cum dicit : « *Vobis.* » Quartum et ultimum est accusabilitas, et generalitas, cum dicit : « *Delicta vestra.* »

Dicit igitur :

« Si enim dimiseritis. »

Videtur autem inconueniens quod dicit : quia factum Dei non debet dependere a facto hominis : et ideo factum Dei debet præcedere factum hominis, et esse antecedens ad ipsum.

Adhuc, homo non potest dimittere, nisi Deus det gratiam dimittendi : quid est ergo, quod dicit : *Si enim dimiseritis?*

Et dicendum ad hoc, quod factum Dei non dependet a facto hominis, sed homo bene ponit obicem Deo, ne operetur circa ipsum : et hoc notat, cum dicit : « *Si enim dimiseritis.* » Si enim odium deponit, tunc Deus obicem non invenit, et tunc dimittit.

Et ad aliud dicendum, quod gratia nobis numquam deest ex pietate Patris cœlestis : sed nos aliquando ex iniquitate propria desumus gratiæ, sicut dicitur, ad Hebr. xii, 15 : *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei : ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur, et per illam inquinentur multi.*

« Hominibus. »

Ecce secundum primi paragraphi est sensus : « *Hominibus,* » qui ex humo infirmi sunt, et de facili provocabiles ad offendendum : et ideo facilius est eis ignoscendum. Job, xiii, 25 et 26 : *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris : scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis*

adolescentiæ meæ. I ad Corinth. iii, 3 : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?*

« Peccata, »

Quæ facta sunt in vos. Cantic. i, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.*

« Eorum, »

Hoc est, quorum ipsi causa sunt, etiam si nihil nos meruimus mali apud ipsos.

« Dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. »

Hoc patet per ante dicta : quia si dimiserimus, assimilamur Patri cœlesti : et tunc operatio indulgentiæ suæ locum habet circa nos.

« Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. »

Iste est secundus paragraphus per oppositum prioris : et planus est tam ad dividendum quam ad exponendum. Matth. xviii, 35 : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Hæc igitur dicta sunt de oratione, et de conditione quæ additur a Domino.

« Cum autem jejunatis. »

Exsecutis duabus partibus justitiæ, eleemosyna videlicet, et oratione, tangit hic de tertio, hoc est, de jejunio, per quod fit justitia de corpore.

Et habet hæc pars duos paragraphos : in quorum primo malum modum jejunii excludit : et in secundo, includit bonum, ibi, x. 17 : « *Tu autem cum jejunas.* »

In primo horum paragraphorum tria continentur : quorum primum est mali modi circa jejunium inhibitio : secundum autem, mali modi descriptio : tertium autem, inutilitatis in tali jejunio confirmatio. Et hæc patent in littera.

In primo horum duo continentur : quorum primum est jejunii suppositio : secundum autem, mali modi circa jejunium suppositum exclusio.

« De primo dicit : « *Cum jejunatis.* »

Et in hoc notantur tria : quorum unum, quod non semper jejunatur : et hoc notatur innuendo distinctionem temporis, cum dicit : « *Cum.* » Quasi dicat : Non semper jejunatis, quia non potestis, quia nimis exsiccaretur corpus per abstinentiam tam temporis quam etiam qualitate nutrientium : sed quando jejunatis, evitate malum modum. Secundo, innuit jejunium nobis debere esse voluntarium : illa enim dicimur facere, quorum per liberam voluntatem Domini sumus : et hoc innuit per subintellectum suppositum verbi : tertium autem est ipsum jejunium, quod per rem verbi intelligitur.

De primo horum nota, quod præceptum de jejunio est præceptum affirmativum : et ideo non ad semper obligat, sed ad quædam tempora ab Ecclesia determinata. Zachar. viii, 19 : *Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium, et lætitiã, et in solemnitates præclaras.* Ista autem divisio temporis jejunii fit ideo, quia intentio Dei et Ecclesiæ est, non ut jejunio exstinguatur natura, sive calor naturalis, sine quo non est vita : sed ut dometur pestis libidinis : et ideo præcipit abstineri a facientibus libidinem, sicut a carne, et his quæ vicina sunt carni, quæ sunt ova, quia convertibilia sunt in carnem. Et ab his quæ eliquata sunt ex sanguine bene digesto animalium, sicut est lac et lacticinia : et permittit nu-

triri his quæ sunt remotiora a carne, sicut seminibus, et his quæ fiunt ex semine. Et licet concedat vinum quod calidum est, tamen hoc est magis potus quam cibus : et ideo cum miscetur frigidis, quibus tempore jejunii reficimur, est temperatus calor : et in hoc descenditur homini, ne nimis infrigidetur. Pisces autem qui conceduntur, sunt frigidi et viscosi, et non libidinem accendentes. Daniel. x, 2 et 3 : *Trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum.* Licet autem species concedantur, hoc fit ad dissolutionem viscositatis et subtiliationis ciborum : quia aliter morbos graves, et humores graves ex melancholico sanguine generarent : et ideo etiam tales species magis sunt medicina quam cibus. Hoc igitur dictum sit de tempore.

Tempus autem duplici consideratione determinat Ecclesia : generalis scilicet Quadragesimæ, in quæ (alias, qua) est anni decima, accipiens formam a Christo et Moyse et Elia, sicut in antehabitis dictum est¹ : et ponit hoc tempus in principio veris, quando humores humore hiemis multiplicati, et frigore hiemis repressi, calore veris fluere incipiunt in humore juvati. Tunc enim humores libidinem magis nati sunt facere et morbos : et tunc congruit et naturæ et gratiæ corpora desiccari per longum jejunium et macerativum. Alia consideratio est generalis Ecclesiæ secundum quartas anni : quia tunc secundum quartas anni etiam moventur humores, et moti inducunt libidinem. Et quia tunc particulariter moventur, per parva jejunia obviat. Ecclesia jejuniis quatuor temporum. Unde, Levit. xvi, 29, dicitur de talibus jejuniis. *Affligetis animã vestras.* Et adhuc, Levit. xxiii, 29 : *Omnis animã quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.* Hoc igitur dictum sit de temporibus jejuniorum. Alia enim jejunia diver-

¹ Cf. expositionem in cap. iv Matthæi, §§.

1 et seq., pag. 113 et seq.

sis de causis particularibus fiunt, et a diversis diversimode observantur.

Debet autem jejunium nobis esse voluntarium, sicut dicit David, Psal. xxxiv, 13 : *Humiliabam in jejunio animam meam.* I Esdræ, viii, 23 : *Jejunavimus, et rogavimus Deum nostrum per hoc : et evenit nobis prospere.* Esther, iv, 16 : *Ego jejunabo, et tunc ingrediar ad regem.*

Tertium est ipsum jejunium, quod est maceratio carnis ex duobus, scilicet ex tempore, et qualitate ciborum. Ex tempore, quia cum supra dictum sit quod tempus comestionis est in sexta, protrahitur jejunii tempore usque ad nonam, et tunc corpus exsiccatur. Ex qualitate autem ciborum, sicut paulo ante diximus : unde, Act. x, 30, dicit Cornelius : *A nudiusquarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea.* Psal. cviii, 24 : *Genua mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea immutata est propter oleum,* hoc est, pinguedinem amissam ex maceratione.

Hoc est ergo quod dicit : « *Cum autem jejunitis.* »

Sequitur :

« *Nolite fieri sicut hypocritæ, tristes.* »

In ista mali modi inhibitione tangit tria : primum est inhibitio ejus quod in nobis est, cum dicit : « *Nolite,* » hoc est, voluntas sit contrarii, etiamsi tristitia sit ex maceratione. Secundum est id quod prohibet, hoc est, « *Fieri tristes.* » Tertium est malus modus, dicendo : « *Sicut hypocritæ.* »

« *Nolite.* »

Non enim voluntarie talia nobis signa procurare debemus : licet enim necesse sit hominem destitui in maceratione longa jejunii, tamen voluntas non debet esse hujus, sed potius gaudium de obsequio Dei, II ad Corinth. vi, 4 et 5 : *Ex-*

hibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros... in jejuniis. Ministerium enim Dei debet esse voluntarium, et non tristitia afflictionis. Isa. lviii, 5 : *Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum?*

« *Fieri tristes.* »

Ecce secundum. Et est aliud esse tristes, et aliud fieri tristes. Necesse est enim per longum jejunium esse tristem, quia hoc est consequens naturæ destitutionem : fieri autem tristes, est effectus ejus quod est nos facere tristes per imposturas, cum non simus : quia « quod fit, non est, » ut dicit Aristoteles. Et hoc est, quando nobis facimus signa tristitiæ, cum tamen naturam per jejunium destitutam non habeamus. Eccli. xii, 11 : *Et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo.*

« *Sicut hypocritæ.* »

Ecce tertium, in quo removet malam formam hypocritarum. Hypocrisis enim semper mendax est, et aliud simulat, et aliud est. Proverb. xi, 9 : *Simulator ore,* hoc est, vultu, *decipit amicum suum : justi autem liberabuntur scientia :* scientia enim est conscientia bene conversans.

« *Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* »

Hic describit modum hypocritarum, qualiter se faciunt tristes.

Et dicit duo : primum est qualiter se tristes efficiunt : secundum est, quare hoc faciunt.

De primo dicit :

« *Exterminant enim facies suas,* »

Hoc est, extra terminos coloris et con-

sistentiæ naturalis faciunt, et ponunt per imposturas quasdam. Job, viii, 12 et 13 : *Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit : sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit.* Hypocrita enim est in flore non destitutæ naturæ in occulto, nec carpitur manu asperæ pœnitentiæ, sicut alii virores Sanctorum, qui per herbas significantur : et tamen simulata pœnitentia arescit. Psal. cxxviii, 6 : *Fiant sicut fœnum tectorum : quod priusquam evellatur, exaruit.* Tectorum enim est, quia longe et in propatulo volunt videri.

« Ut appareant hominibus jejunantes. »

Ecce quare faciunt, « *ut appareant hominibus jejunantes.* »

Bene dicit, « *hominibus,* » quia de Deo non curant : nec ille facie decipi potest, sicut homines, I Reg. xvi, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Infra, vii, 13 : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

« Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. »

Hic tangitur per confirmationem assertio vacuæ mercedis : unde præmittit assertionem in confirmatione, cum dicit : « *Amen :* » et in dicto veritatis, cum dicit : « *Dico vobis.* » Et subdit vacuitatem mercedis, cum dicit : « *Receperunt mercedem* » quia laudem quærebant : ideo laudantibus hominibus, mercedem habuerunt quam voluerunt. Et dicit : « *Suam,* » quia adhuc expectabunt mercedem justitiæ vindicantis, quam non voluerunt. Sapient. ii, 22 : *Neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.*

« Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava. »

17

Ecce secundus paragraphus, in quo exclusa forma mala includit formam debitam jejunii.

Et dicit tria : primum est quod pertinet ad absconsionem coram hominibus : secundum est quod facit placere Patri spiritus, et in occultis : tertium est de remuneratione mercedis. Et hæc patent in littera.

In primo horum dicit tria : primo enim supponit jejunium debito tempore debere fieri : secundo, ponit occultantia jejunium : et tertio, subjungit causam.

Quod autem jejunium debet fieri, innuitur, cum dicit :

« Tu. »

In quo notat debere esse voluntarium, non sicut Simon crucem portavit in angaria, sicut jejunant tria genera hominum, scilicet repleti, ne suffocentur : avari, ut ditentur : hypocritæ, ut laudentur, quia aliter non laudantur : et illi per devotionem non sunt causa sui jejunii, nec jejunant Deo. Zachar. vii, 5 et 6 : *Cum jejunaretis, et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunastis mihi ?* Quasi diceret : Non, sed vobismetipsis. *Et cum comedistis et bibistis, numquid non vobis comedistis et vobismetipsis bibistis ?* Quasi diceret : Sic, et non mihi : quia non comedistis et bibistis ut fortiores essetis in obsequio meo, sed potius ut aliquid vobis inde commodi, vel laudis proveniret.

Propter medicinam enim abstinens vult consequi sanitatem : quia dicitur, Eccli. xxxi, 23 et 24 : *Vigilia, cholera et tortura viro infrunito, somnus sanitatis in homine parco : dormiet usque mane, et anima illius cum ipso delectabitur.* Eccli. xxxvii, 32 et seq. : *Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam : in*

multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est adjiciet vitam. Hoc quidem jejunium est bonum, sed non est satisfactivum, quamvis sit virtutis actus aliquando: quæ (alias, qui) medium considerat quoad sufficiens naturæ.

Jejunium autem avari est, ut plus habeat: quia de bonis suis non audet saturari. Eccle. vi, 1 et seq.: *Est et aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas et miseria magna est.*

Hypocrisis autem mendax necessitatem habet suppositionis: quia nisi jejunet, non habebit laudem quam intendit, sicut dixit Pharisæus, Luc. xviii, 12: *Jejuno bis in sabbato.*

Egens etiam jejunat ex necessitate, quia non habet. I ad Corinth. xi, 21: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.*

De his jejuniis est versus:

Jejunant justus, medicus, simulator, avarus.

Vel sic:

Abstinet æger egens, cupidus, gula, simia, virtus

De his omnibus dicitur simul, Isa. lviii, 3: *Quare jejunavimus, et non adspexisti? humiliavimus animas nostras, et nescisti?*

Ad hæc ergo excludenda dicit: « *Tu autem.* »

Distinctionem autem temporum jejuniorum tangit, cum dicit:

« Cum. »

Et dictum est supra, quæ tempora conveniunt jejunio afflictivo generaliter: speciali autem jejunio conveniunt duo tempora emergentia, licet plura sunt numero.

Aliquando enim emergit necessitas tribulationis, et tunc ut facilius impetretur venia, indicitur jejunium. Joel, ii, 15 et 16: *Sanctificate jejunium, vocate cætum, congregate populum.* Jonæ, iii, 7 et 8: *Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam: nec pascantur, et aquam non bibant. Et operiantur saccis homines et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine.*

Aliquando autem est emergens causa lætitiæ spiritus, lætitia omnino abstracta a carne: et tunc iterum indicitur jejunium, in signum quod tale gaudium facit oblivisci corporaliter delectantium, et ut spiritus a suo gaudio per delectabilia corporis non abstrahatur, sicut est jejunium, quod indicit Ecclesia in septimana Pentecostes in adventu Spiritus sancti, in quo *Alleluia* cantatur, et nihil omnino luctus est, nisi lugeatur in desiderio cælestis patriæ, in qua gaudium spiritus est plenum, et per consequens pro incolatu miseriæ, per quem retrahimur a gaudio illo: et de illo dicitur, Matth. ix, 15: *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* supple, secundum (alias, per) præsentiam corporalem: *Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt*¹, quando scilicet vinum novum, gaudium sancti Spiritus mittetur in utres novos, confortatos et innovatos per Spiritum, qui, Apocal. xxi, 5, sedens in throno dicit: *Ecce nova facio omnia.* Tunc enim, ut dicit

¹ Marc. ii, 19 et 20: *Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt in*

illis diebus. Luc. v, 34 et 35: *Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare? venient autem dies cum ablati fuerint ab illis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus.*

Gregorius, « gustato spiritu, desipit
« omnis caro et carnalis delectatio. »

Sic ergo dicit : « *Tu autem cum jejunas.* »

Tertium autem, quod in verbo dicitur, est res verbi, cum dicitur :

« *Jejunas.* »

Et licet superius dixerimus de qualitate ciborum sumendorum in jejuniis, tamen adhuc notandum est, quod sicut dicunt Philosophi, tria sunt facientia libidinem : calor faciens, et humidum materiam subministrans, et ventosum membra extendens : legumina autem ventosa sunt, ita quod Avicenna dicit, quod « faba tenet ventositatem usque ad tertiam digestionem. » Et Constantinus, quod « hordei potus provocat libidinem ex ventositate. » Tamen licet ista sint ventosa, fuerunt tamen semper cibus jejunantium : quia ventositatem illam habent, antequam carni socientur et uniantur, et ideo transitoria est : sed illa, quæ calida et humida adduntur carni, faciunt libidinem permanentem : et ideo illa vitari præcipiuntur. Daniel. I, 12 : *Tenta nos, obsecro, servos tuos, diebus decem, et dentur nobis legumina ad vescendum, et aqua ad bibendum.* Et ita dabat eis legumina. Pueris autem his dedit Deus sapientiam et disciplinam in omni libro et sapientia, Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum. Licet autem biberint aquam hi pueri, tamen hoc non potest trahere in consequentiam nostra fragilitas, sed potius nobis conceditur vinum propter fomentum caloris naturalis.

Hoc igitur modo dicit : « *Tu autem cum jejunas.* »

« *Unge caput tuum, et faciem tuam lava.* »

Deinde subjungit ea, per quæ jejunium occultatur : et sunt duo : unctio

capitis, cum dicit : « *Unge caput tuum :* » et lotura vultus, cum dicit : « *Faciem tuam lava.* » Et sicut dicit Chrysostomus : « Ridiculum est ut ista ad litteram accipiantur : quia licet moris fuerit Palestinis multis uti unguentis et odoribus, tamen hoc non erat apud alias gentes, evangelium autem generalis est doctrina omnium gentium : et ideo per unctionem capitis omne exhilarans accipitur : per loturam autem faciei accipitur omnis depositio sordium. » Unde Glossa dicit : *Faciem lava a luctuosis sordibus, in quibus etiam jactantia est, et magis sub specie religionis decipit : unde prohibet, quod quidam cinerem in capite sparserunt, et cinerem sibi substraverunt, ut luctum jejunii ostentarent. Hoc enim antiqui tempore tristitiæ et afflictionis suæ fecerunt, sicut dicitur, Job, II, 11 et seq. Et quod illi laudabiliter fecerunt, postea hypocritæ in venatione laudis alias sibi personas alligantes assumpserunt.*

Dicamus igitur, quod oleum nitore quem confert, spirituale significat gaudium, et jucunditatem, quibus abstrahitur animus, ne sentiat corporis in jejuniis rationabili afflictionem, sicut dicit Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Eccli. XXXV, 11 : *In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas.* Proverb. XXVII, 9 : *Unguento et variis odoribus delectatur cor.* Et hac delectatione abstrahitur, ne inclinet vultum ad tristitiam.

« *Et faciem tuam lava.* » Eccle. IX, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida : et oleum de capite tuo non deficiat.* Genes. XLIII, 31 : *Lota facie egressus, continuavit se Joseph, ne tristis esse videretur.*

De omnibus his simul dicitur, Isa. LXI, 3 : *Ut ponerem, scilicet consolationem, lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.*

18

« Ne videaris hominibus jejunans. »

Ecce tertium, ubi ponitur finis, sive causa finalis eorum quæ dicta sunt : videri enim hominibus vanum est. Sapient. XIII, 1 : *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei*, hoc est, quod solum sciant et approbent Deum. Apostolus, I ad Corinth. IV, 3 : *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.*

« Sed Patri tuo qui est in abscondito. »

Hoc est secundum, quod dividitur contra præcedens totum : et hoc est studium, quod placeas Patri spirituali in occultis : et tangit duo : affectum Patris, et veritatem spiritualitatis. Affectum quando dicit : « *Sed Patri tuo,* » qui tibi dulcis est : et ideo placet ei, quod aliquo modo placere poterit. Proverb. III, 12 : *Quasi pater in filio complacet sibi.*

Secundo, tangit veritatem spiritualitatis, cum dicit : « *Qui est in abscondito,* » hoc est, in conscientia : et hæc est spiritualis, quia nihil illabitur conscientiæ nisi Pater cœlestis. Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* I Petr. III, 4 : *Qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.*

« Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. »

Ecce tertium, in quo dicit tria : affectum Patris, beneplacitum videntis et approbantis, et justitiæ æquitatem retribuentis. Primum notat, cum dicit : « *Et Pater tuus.* » Secundum notat, cum dicit : « *Qui videt,* » hoc est, visionem approbat. « *In abscondito,* » quia placet ei cordis secretum in intentione, qua sibi soli placere desideramus. Psal. VII, 10 : *Scrutans corda et renes Deus.* Jerem. XVII, 10 : *Ego Dominus scrutans cor, et probans renes : qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinven-*

tionum suarum. « *Reddet tibi.* » Ecce justitiæ retributio. Apocal. II, 23 : *Scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes et corda : et dabo unicuique vestrum secundum opera sua.*

» Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. »

Postquam Dominus docuit verum finem justitiæ specialis per partes suas, quæ est justitia satisfaciens, consequenter hic docet finem justitiæ generalis in omni facto bono, qui reponitur in cœlo tamquam in Domini gazophylacio.

Et tangit circa hoc duo : exclusionem videlicet mali finis, et inclusionem boni, ibi, §. 20 : « *Thesaurizate vobis.* »

In priori horum dicit duo : prohibitionem scilicet thesaurizandi in terra, et rationem prohibitionis, ibi, « *Ubi ærugo et tinea* ».

In priori horum quinque continentur : primum est prohibitio ejus quod maxime in nobis est, ne possimus nos excusare, cum dicit : « *Nolite,* » hoc est, velitis non thesaurizare : voluntas enim in verbo manet affirmata, et negatur volitum : et hoc facit Deus, ut ipse cor habeat. I Paralip. XXII, 19 : *Præbete corda vestra et animas vestras, ut quæratis Dominum Deum vestrum.* Proverb. XXIII, 26 : *Præbe, fili mi, cor tuum mihi : et oculi tui vias meas custodiant.*

Secundum est accumulatio divitiarum, cum dicit : « *Thesaurizare.* » Eccli. V, 1 : *Noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris : Est mihi sufficiens vita : nihil enim proderit in tempore vindictæ et obductionis.*

« *Vobis.* » Ecce tertium. Ad utilitatem vestram : Sanctis enim, et nobis possumus aliqua thesaurizare, sicut fecerunt Sixtus et Laurentius. II ad Corinth. X, 1, 14 et 15 : *Non debent filii parentibus*

19

thesaurizare, sed parentes filiis. Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.

« *Thesaurus.* » Quartum est, scilicet congregatio pretiosorum et incorruptibilium.

Quintum : « *In terra,* » hoc est, qui est locus non tutus, ubi totum perditur, quod impenditur. Baruch, III, 16 et seq : *Ubi sunt principes gentium, ... qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum ? qui argentum fabricant, et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum ? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt.* Omne enim quod in terra thesaurizatur, perditur. Job, XXVII, 19 : *Dives cum dormierit, nihil secum auferet : aperiet oculos suos, et nihil inveniet.*

Et subjungit hujus prohibitionis rationem.

« Ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. »

Attende autem, quod aliud vocatur terrenus thesaurus, et aliud annui redditus : scitur enim, quod annui redditus devolvuntur ad hæredes : sed thesaurus ad hoc accumulatur, ut homo in se sibi ex eo sufficiat : et ille thesaurus non potest esse nisi aut de metallis, aut de pannis et vestibis, aut lapidibus pretiosis : et si est de metallis, consumitur ærugine, quia ærugo dicitur æris rubigo : si autem est de pannis, consumitur tinea : si autem de lapidibus, suffoditur, et a furibus tollitur : et sic dicit Theophrastus : « Non tute possidetur, cui ab omnibus insidiatur. »

Vel, dicamus secundum Chrysostomum, quod omnes divitiæ congregatæ *thesaurus* dicuntur : et illæ triplici subjacent obnoxietati : aut enim de ipso thesauro consumptio nascitur, aut non de ipso, sed aliunde : si de ipso, hoc contingit dupliciter : aut enim est ex ipsius rei thesaurizatæ destitutione simplici, aut

de destitutione simul et generatione consumentis ipsam. Et primo consumitur per æruginem : quia ærugo non est materia alicujus generationis propter amaritudinem sulphuris et frigiditatem argenti vivi, ex quorum destitutione fit ærugo : alia autem molliora sic corrumpuntur, quod ex alteratione generantur vermiculi, qui consumunt residuum. Quæcumque alia sunt majorum patent avaritiæ. Et suffossio furum vocatur quæcumque alienatio rei, quæ fit fraude, vel rapina, vel furto, vel quocumque alio modo perditionis eorum.

De duobus primis dicitur, Jacob. V, 1 et seq : *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.* Proverb. X, 2 : *Nil proderunt thesauri impetiatis, justitia vero liberabit a morte.* Psal. XXXVIII, 7 : *Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.*

« Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. »

Tria dicit in hac parte : ponit enim admonitionem, ut in cælo thesaurizemus : et ostendit ibi reconditi thesauri securitatem : et tertio, omnium dictorum assignat rationem.

Circa primum tangit tria : thesauri accumulationem, cum dicit « *Thesaurizate.* » Thesauri utilitatem, cum dicit « *Vobis.* » Thesauri locationem, sive securitatem, cum dicit : « *In cælo.* »

De primo dicit : « *Thesaurizate autem,* » per gratiæ et meritorum accumulationem. II ad Corinth. IV, 7 : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus : ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex no-*

bis. Job, III, 15 : *Cum principibus qui possident aurum, et replent domos suas argento.* Psal. cxviii, 12 : *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.*

« *Vobis,* » hoc est, ad utilitatem vestram. Deuter. xxxiii, 17 : *Inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum.* Thesauri enim illi sunt, qui de temporalibus et de fluctibus hujus sæculi congregantur.

« *Thesaurus* » Genes. xliii, 23 : *Deus vester, et Deus Patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris.*

« *In cælo.* » Ecce locus securitatis : et hic est thesaurus sapientiæ. Eccli. I, 26 : *In thesauris sapientiæ intellectus et scientiæ religiositas.* Dicitur autem *thesaurus sapientiæ*, qui per saporem æternorum congregatus est in cœlestibus. Sapient. vii, 14 : *Sapientia infinitus thesaurus est hominibus : quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitæ Dei.* Et de hoc dicitur, Proverb. xxi, 20 : *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi : habitaculum justi est cœlum.* Sic thesaurizare docuit Apostolus, I ad Timoth. vi, 17 et seq : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) : bene agere : divites fieri in bonis operibus : facile tribuere, communicare : thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

« *Ubi neque ærugo, etc.* »

Ecce ratio securitatis. Et exponenda sunt ista sicut prius. I Petr. I, 3 et 4 : *Regeneravit nos in spem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcessibilem, conservatam in cœlis.* Matth. xii, 35 : *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Ibi enim non erit ærugo reatus peccati, neque tinea vermis conscientiæ, neque fures dæmones. Et horum contraria erunt in inferno. Eccli. xiv, 20 : *Omne*

opus corruptibile in fine deficiet : et qui illud operatur, ibit cum illo. Job, xiii, 28 : *Quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea.* Osee, vii, 1 : *Fur ingressus est spolians, latrunculus foris.* Matth. xxiv, 43 : *Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.* Effoditur autem homo per occultam suggestionem. Et furantur dæmones per concupiscentias homines, ne damnum advertant, soporantes.

« *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* »

21

Ratio est omnium præcedentium : quia ubi posuit homo labores longos et expensas, ibi fixum est cor ejus, et non de facili vult amittere. Unde qui multa habet in cælo, non de facili perdit quod ibi diu reposuit. Job, iii, 21 et 22 : *Qui expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum : gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum.* II ad Timoth. I, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.*

Hoc est ergo, quod dicit : « *Ubi est thesaurus tuus, ubi est et cor tuum.* »

« *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* »

22

Post opera justitiæ, ad quæ exigitur intentio recta, de qua docuit quo intendere et pergere debet, quia in cœlum : docet hic in ultimo isto capitulo simplicitatem intentionis : ne una pars ejus tendat in cœlum, et altera in mundum. Ideo enim Dominus ascendit in cœlum, ut illuc ubi est ipse, nostræ mentis intentio semper intendat : et quo fide pergit conversatione perveniat.

Dicit autem hic *tria* : primo enim tangit intentionis proprium usum : secundo,

tangit intentionis divisionem penes malum et bonum, adjungendo utriusque proprium consequens, ibi, « *Si oculus tuus fuerit simplex.* » Tertio, elicit inde conclusionem comparativam, ibi, in medio ꝑ. 23 : « *Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt.* »

In primo autem dicit tria : naturam intentionis, usum, et ad quid refertur usus ille.

Naturam intentionis innuit per oculum, quando dicit :

« *Oculus tuus.* »

Et dicitur « *oculus* » quoad naturam, « *tuus* » autem quoad Dominum : quia inter ea quæ sunt in potestate nostra, est intentio, unum ex his quæ maxime sunt in potestate nostra.

Quoad primum horum attende, quod secundum Platonem, oculus videns (qui dirigit opera omnium membrorum corporis, et ostendit) componitur ex igne claro, et tunicis perspicuis circumpositis, per quas egreditur radius luminis interioris, et incidit in res visas. Ignis autem clarus et caliditate tenet naturam, ne rigescat, et sic efficiatur immobilis. In puritate manet impermistus, ne efficiatur umbrosus, et claritate multiplicat lumen, et bene ostendit id super quod cadit : et ut ista facere possit, interius custoditur. Et quoad hæc accipiuntur proprietates intentionis, quæ a diversis Sanctis assignantur.

Vult etiam dicere Chrysostomus, quod « *intentio est oculus dexter,* » hoc est, spiritualis. Et hæc est ratio finem determinans : lumen autem, quod est in ea sicut ignis clarus et purus, est fides operans per dilectionem, ex lumine fidei habens illuminationem, ex calore charitatis habens mobilitatem et usum : quia sicut organa sensuum destituta calore naturali rigescunt et immobilia efficiuntur, et ad litteram obtenebrantur oculi ex contractione tunicarum : ita etiam refrigerante charitate congelatur cor, et effici-

tur tenebrosus. Psal. cXLVII, 17 : *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ?* Eccli. XLIII, 22 : *Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua.* Lamine (alias, lumen) autem fidei illuminat intentionem, ut videat quo intendendum est, et ubi debet ponere finem. Psal. XII, 4 : *Illumina oculos meos,* etc. Ad Ephes. I, 18 : *Illuminatos oculos cordis vestri.* Antequam enim sit fides in corde, homo non nisi nihil videt, hoc est, ea quæ sunt materia peccatorum. Act. IX, 8 et 17 : *Apertis oculis nihil videbat : qui cum instructus esset de fide, audivit ab Anania : Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto.*

Quidam etiam Sancti ad hoc addunt lumen contemplationis, quo amplius oculus illuminetur : de quo dicitur II ad Corinth. IV, 6 : *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.* Sic ergo illuminata ratio et purificata per fidem, sicut dicitur, Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum : scit quo pergendum est, et verum statuit finem operum nostrorum.*

Tamen Augustinus in alio loco dicit, quod « *intentio est voluntas cum fine.* » Sed ad hoc intelligendum, sciendum quod est intentio præstituens finem, et est intentio tendens ipso opere in finem. Sicut etiam alicui quærenti viam quæ dirigit in finem quo intendit pervenire, dupliciter via monstratur. Ille enim qui secum non pergit, monstrat digito : alius autem qui per eandem viam pergit, monstrat pergendo secundum actum per viam. Et primo quidem modo ratio præstituens et indicans finem dicitur *intentio* : et secundo modo *voluntas*, quasi pergens per affectum in finem : ad hoc ergo redeunt dicta Sanctorum de intentione.

Hujus intentionis usus est sicut lucernæ quæ dirigit gressus, et ostendit quo sit pergendus. Proverb. XXXI, 18 : *Non*

extinguetur in nocte lucerna ejus. Luc. XII, 35 : *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Emittit autem lumen lucerna per aliquod perspicuum, sicut pellem, vel vitrum, vel cornu lucidum : sic etiam intentio lumen conceptum fidei et scientiæ contemplationis et naturalis rationis emittit per perspicuitatem sensuum, et membrorum : quia per illa operatur circa ea circa quæ operandum est. Sic enim dicitur, Joan. v, 35, quod *Joannes erat lucerna ardens et lucens.*

Est autem iste usus relatus ad corpus. Et hoc est, quod dicitur :

« Corporis tui. »

Et ad (alias, de) hoc sunt multæ expositiones Sanctorum. Et ad hoc quod illæ in unum colligantur, attendendum est, quod corpus dupliciter dicitur : uno modo dicitur carnale corpus absolute sumptum : et hoc modo non sumitur hic corpus. Alio modo dicitur corpus organum virium animæ, per quod operatur anima : et sic corpus habet legem membrorum, quæ fomes est, per quam offuscatur, et indiget illuminatione dirigente : et hoc modo sumitur hic corpus, et ad illud reducitur tota congeries omnium operum nostrorum (alias, omnium virium nostrarum) quæ corde corporeo, vel ore, vel aliis membris fiunt cogitando, imaginando, loquendo vel exterius operando. Et sic dicit Chrysostomus, quod « corpus est « corporeus actus : » et alii Sancti dicunt, quod « tota congeries operum vocatur « corpus. » Sicut etiam propter tenebras fomitis nescimus qualiter proficiat nostrum opus, et circa quem operamur, et quem exitum habeat : et ideo dicitur actus corporeus *tenebra*, sicut dicunt Glossa Augustini. Job, III, 23 : *Viro cuius abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.*

« Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si au-

tem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. »

Ecce geminatio usus oculi per bonum et malum. Bonitas autem oculi est simplicitas, et malitia ejus est duplicitas.

Et de simplicitate quidem dicit duo : unum, quod est causa : et alterum, quod est causatum ex illo.

De primo dicit :

« Si oculus tuus fuerit simplex, »

Sine plica duplicitatis et erroris. Matth. x, 16 : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Cantic. I, 14 : *Oculi tui columbarum.* Cantic. IV, 9 : *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum,* hoc est, in unitate et simplicitate : et hic est oculus qui respicit æterna per intensionem rectam.

« Totum corpus tuum lucidum erit. »

Jam hoc expositum est per præcedentia. Luc. XI, 36 : *Si corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lunerna fulgoris illuminabit te.* Proverb. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : dedisti lætitiā in corde meo.* Sapient. XVII, 1 : *Sanctis autem tuis maxima erat lux.*

« Si autem oculus tuus fuerit nequam. »

Nequitia oculi est, quod strabus avertitur a via recta. Eccli. XXXI, 14 et 15 : *Memento quoniam malus est oculus nequam. Nequius oculo quid creatum est? Quidquid enim perversitatis incidit in toto corpore et opere, oculus ostendit nuntiando : ducit pervertendo viam rectam, et conjungit cum ipso fruendo pec-*

cato. Unde, Genes. 11, 6, principium per-
versitatis fuit oculus. Dicitur enim : *Vi-*
dit igitur mulier lignum, quod esset
pulchrum oculis, etc. Dicitur autem
« *nequam,* » quod in malo ultra nequit :
qua totum quod potest, facit oculus ma-
lus.

Idem (alias, ideo) omnino dicitur :

« Totum corpus tuum tenebrosus
erit ⁴. »

Tob. v, 12 : *Quale gaudium mihi erit,*
qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non
video ? Job, 111, 4 : Dies ille vertatur in
tenebras, ... et non illustretur lumine.
Et ibidem, 5, 6 : *Noctem illam tenebro-*
sus turbo possideat. Sapient. xvii, 5 :
Ignis quidem nulla vis poterat illis lu-
men præbere, nec siderum limpida flam-
mæ illuminare poterant illam noctem
horrendam. Proverb. iv, 19 : *Via impio-*
rum tenebrosa : nesciunt ubi corruant.

« Si ergo lumen quod in te est tene-
bræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ
erunt ! »

Ecce tertium, ubi ex præmissis conclu-
sionem ponit comparativam spiritualis
tentationis ad corporeos actus : et dicit
duo : et primum est causa secundi.

De primo dicit :

« Si ergo lumen, »

Spiritualis intentionis, quod lumen est
patriæ : quia in ipso est lumen agendo-
rum descriptum in ratione. « *Quod in te*
est, » in spiritu, et quoad potestatem ti-
bi commissum : ut utaris eo ad directio-
nem operum. « *Tenebræ sunt.* » Tenebræ
dicuntur a tenendo, quia tenent oculos :
et ita facit intentio terrenorum, vel car-
nalianum, quæ (alias, quia) tenet oculos,
ne videant lumen. Psal. xxxiv, 6 : *Fiat*

via illorum tenebræ et lubricum : et An-
gelus Domini persequens eos. Eccli. xxi,
11 : *Via peccantium complanata lapidi-*
bus, et in fine illorum inferi, et tenebræ,
et pœnæ.

« Ipsæ tenebræ quantæ erunt ! »

Ecce secundum quod est. Si enim in-
tentio quæ in te est, et tibi nota, est offu-
scata, corporalis actus, qui in se tenebra
est, carens lumine intentionis super ip-
sum surgente, erit densarum tenebrarum.
Exod. x, 21 : *Sint tenebræ super terram*
Ægypti tam densæ, ut palpari queant.
Sapient. xvii, 17 : *Una catena tenebra-*
rum omnes erant colligati. Licet autem
corpus tenebrosus sit in se, tamen illu-
stratur, quando luminosa est intentio,
sicut patet per antecedentia. Mich. vii, 8 :
Cum sedero in tenebris, Dominus lux
mea est. Psal. cxxxviii, 12 et 11 : *Nox*
sicut dies illuminabitur. Et nox illumi-
natio mea in deliciis meis. Isa. lviii, 10 :
Orietur in tenebris lux tua, et tenebræ
tuæ erunt sicut meridies.

« Nemo potest duobus dominis ser-
vire. »

24

Postquam docuit Dominus opera per-
fectionis, et debitum modum circa opera,
subjungit hic in tertia parte remotionem
impedimentorum ab operibus perfectio-
nis.

Hæc autem impedimenta aut sunt in
nobis, aut sunt in aliis : et ideo duæ sunt
partes illius doctrinæ, in quarum prima
removet impedimentum quod est in no-
bis : in secunda autem removet impedi-
menta quæ sunt in aliis, ibi, cap. vii, 1 :
« *Nolite judicare.* »

In prima autem harum duo continen-
tur, in primo quorum quamdam proponit
similitudinem, ex qua sumit doctrinam :

⁴ Luc. xi, 34 : *Si oculus tuus fuerit simplex,*
totum corpus tuum lucidum erit : si autem ne-

quam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosus erit.

et in secundo, juxta similitudinem propositam et expositam format doctrinam, ibi, 7. 25 : « *Ideo dico.* »

In primo horum duo continentur, scilicet similitudinis propositio, et similitudinis expositio, ibi, « *Non potestis Deo servire,* etc. »

In priori istorum duo sunt paragraphi : in quorum primo proponit similitudinem de humanis acceptam, dicens : « *Nemo potest duobus dominis servire :* » in secundo autem probat hoc per rationem, ibi, « *Aut enim,* etc. »

Circa propositam autem similitudinem tria notantur, quorum primum est servientis indivisibilitas : secundum autem domini diversitas : et tertium, servitutis qualitas.

Primum horum tangit, cum dicit :

« *Nemo potest.* »

Quasi dicat : Nullus homo (cum sit unicus, et omnia sua tam in anima quam in corpore reducantur ad unum) potest esse divisus in duos dominos. I ad Corinth. x, 21 : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* II ad Corinth. vi, 14 et 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial ? Quæ societas luci ad tenebras ?* Sicut enim unum membrum non est duorum corporum, nec una avis facit duos nidos, nec unus bos in duobus trahit jugis, sic nec unus indivisus homo duobus dominis servire potest.

Contra, I ad Corinth. vii, 33 : *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est :* ergo unicus homo potest dividi in duo servitia. RESPONSIO, quod non dividitur in duo dominia, sed in duos actus unius domini : et hoc est bene possibile, quia matrimonii vinculum est de dominio bono Christi : licet ergo in actu honestiori non semper sit matrimonio ligatus, tamen est in actu aliquo Christi officiorum, quæ dispensantur inter fideles, ut unus sit in uno, et alius in alio. Psal. XLVII,

14 : *Distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.* I ad Corinth. xv, 23 : *Unusquisque in suo ordine.* III Reg. x, 5, mirabatur regina Saba ordines ministrantium Salomoni. Si aliquis autem velit dividi omnino in duo dominia, perdit dominium boni domini, qui nec dignatur, nec potest habere dimidium servum : et ideo dicit Apostolus, ad Ephes. iv, 27 : *Nolite locum dare diabolo.*

« *Duobus dominis.* »

Ecce secundum, in quo notatur domini diversitas : unde uterque terminus formaliter est accipiendus : « duo enim formaliter acceptus principium est alteritatis, » sicut dicit Pythagoras, eo quod primus recessus est ab unitate.

« *Dominis* » autem formaliter. Sunt domini forma dominationis differentes : et horum usus non est sub alio : quia quorum unus est sub alio, materialiter sunt plures, et secundum formam domini sunt unus solus : duo ergo formaliter domini non conveniunt in legibus et præceptis : et si unus est urbanæ potestatis in præceptis, alter est tyrannus : et ideo dicit Glossa de contraria imperantibus dominiis. Forma enim domini non multiplicatur a vero domino, sed corrumpitur in tyrannidem. Isa. xix, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum.* Isa. xxvi, 3 : *Possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui.* Tyrannidem talem conqueritur, Isa. LXIII, 19 : *Facti sumus quasi a principio, cum non dominareris nostri, nec invocaretur nomen tuum super nos.* E contra consolans nos Jeremias, dicit, xxiii, 6 : *Hoc est nomen, quod vocabunt eum : Dominus Justus noster.*

« *Servire.* »

Ecce tertium, servitii qualitas : quod est per modum propriæ servitutis, non cujuscumque obsequii. Si enim aliquis

servus est, totum esse, nosse, et posse expendere habet in servitio ejus cujus est : licet ergo aliquid parvi obsequii possit aliquando exhiberi alteri domino, tamen servitus alteri non potest impendi. Ad Roman. vi, 16 : *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam ?* III Reg. xviii, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ? si Dominus est Deus, sequimini eum : si autem Baal, sequimini illum.*

« Aut enim unum odio habebit et alterum diligit, aut unum sustinebit et alterum contemnet. »

Hic inducta probat per rationem : et est ratio super divisionem, quasi disjunctivus sit syllogismus. Et habet duas disjunctiones, quarum una prima est de dominio, sive servitute voluntaria : et altera, de coacta.

De voluntaria servitute dicit :

« Aut unum odio habebit, et alterum diligit. »

Et odio quidem habitus est tyrannus, dilectus autem verus secundum urbanitatis ordinem dominus. Et ideo dicit Augustinus in Glossa hic : « Diabolus semper est odio habitus, Deus vero diligendus. Neque enim aperte umquam aliquis Deum odio habuit, sed omnes se eum amare confitentur : et diaboli non men exsecrantur ; quamvis vitiosi eum dominantem super se sustineant : Deum vero odio non habent, sed contemnunt victi concupiscentia sua et persuasione diabolica. »

Sed adhuc quæritur, Utrum Deum aliquis odit. Psal. lxxiii, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper : ergo videtur quod aliqui odiunt Deum.*

Adhuc, Augustinus retractavit istud.

RESPONSIO. Cum Deus sit principium dans esse, et continens in esse, et guber-

naus ad optimam suæ naturæ unumquodque : et cum omnia appetant esse sicut et bonum : constat quod in ista consideratione omnia aut naturali, aut animali, aut intellectuali motu amant Deum. Cum autem iterum sit judex per justitiam reddens unicuique quod suum est, nihil prohibet eos qui odiunt justitiam et judicium, etiam odire Deum judicem, et blasphemare, sicut dicitur in Psal. ii, 1 et seq. : *Quare fremuerunt gentes,* etc. Sapient. i, 1 : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum.* Cantic. i, 6 : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas,* etc. Cantic. iii, 3 : *Num quem diligit anima mea nidistis ?* Ab altera parte de diabolo dicitur, Psal. cxxxviii, 22 : *Perfecto odio oderam illos : et inimici facti sunt mihi.* Habac. i, 7 : *Horribilis et terribilis est : ex semetipsa judicium et onus ejus egredietur.*

« Aut unum sustinebit. »

Istud est, quod de subjectione violenta : tunc enim violenter et tyrannice subjicientem « sustinebit. » Aut propter timorem mundanum, quia timet amittere quod sub eo habet : aut propter timorem humanum, quia timet separari a concupiscentiis suis. Isa. xiv, 5 et 6 : *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter.*

« Et alterum contemnet. »

Hoc est, dominium Dei. Est autem contemptus duplex : specialis, qui est peccatum speciale separatum ab aliis peccatis : et hoc est, quando aliquis cogitat actualiter de domino suo, cui debet subesse, et vilipendit contemnens ipsum. Alter contemptus est operis, et hic conjunctus est operi : sicut quando aliquis non obediens domino suo, non subjicit

se præcepto domini, et præcipienti domino : et hoc est in omni transgressione præceptorum, et non est speciale peccatum. Et de hoc loquitur hic. Psal. XLIX, 17 : *Projecisti sermones meos retrorsum*. Liberari a contemptu hoc petit, Psal. CXVIII, 22 : *Aufer a me opprobrium et contemptum*. Isa. XXXIV, 1 : *Qui spernis, nonne et ipse sperneris ?* Isa. 1, 2 : *Ipsi spreverunt me*.

« Non potestis Deo servire et mammonæ. »

Ecce explanatio similitudinis.

« *Non potestis Deo servire.* » Isa. XIX, 1 : *Dominus ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti*. Cum Domino enim in uno habitationis templo non poterant stare. Habacuc, III, 13 : *Percussisti caput de domo impii*.

« *Et mammonæ.* » Mammona Syra lingua sonat latine *divitiæ*, et significat dæmonem, qui per divitias tentat.

Et tunc quæritur, quare magis nominat hunc dæmonem, qui præest divitiis, quam qui præest alicui alii vitio, vel pluribus aliis vitiis ? Et dicendum, quod divitiæ inter cætera bona conmutabilia promittunt sufficientiam, et habita sufficientia, habetur unde exerceantur omnia delectabilia vitiorum : et ideo potius nominat hunc dæmonem quam alium

Sed adhuc quæritur, utrum diabolus possit dici dominus alicujus hominis quantumcumque perversi ?

Videtur, quod sic : quia dicitur aliquis servus peccati¹ : ergo multo fortius diaboli. Præterea, ante vocavit duos dominos : ergo diabolus est dominus, ut videtur. Contra, diabolus non habet unde superponatur, sed potius unde supponatur : quia suus casus est a deiformi intellectu, hominis tantum a ratione : iterum suus casus est irremediabilis, hominis autem remediabilis : adhuc suus casus per se ipsum, et hominis per alium.

Ex hoc autem quod peccator se ei subicit, nihil acquirit altitudinis, quia subjectio illa est in vilibus, et potius deprimentibus : sicut si dicerem, quod subicit se aliquis purgatori, vel potius immundatori latinarum in mundando latrinas : licet enim in talibus ille qui se subdit, vilificetur, ille tamen qui (alias, cui) se subdit, non exaltatur ex hoc, sed deprimatur : ergo cum multo vilius sit peccatum, subdens se diabolo in peccatis, nihil domini confert diabolo : et hoc puto esse concedendum : unde licet homo servus sit diaboli et peccati, non tamen diabolus est dominus, nec peccatum est dominus peccatoris.

Ad hoc, quod supra dixit duos dominos, dicendum, quod hoc dominium est commutabilis boni, per quod tentat diabolus, et non ipsius diaboli, vel peccati : et hæc etiam est causa, quod non dicit : Non potestis Deo servire et diabolo, sed ponit nomen pretiosorum inter commutabilia bona, hoc est, divitiarum, quia talia bona ad minus secundum hic et nunc habent unde superponantur : sic ergo *nemo potest Deo servire et mammonæ*. I Reg. v, 2 et seq., cum arca Dei poneretur in templo Dagon, cecidit Dagon, capite, et summitatibus amputatis supra limen. Isa. XXVIII, 20 : *Coangustatum est stratum ita ut alter decidat : pallium breve utrumque operire non potest*.

« Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. »

Hic juxta similitudinem propositam format doctrinam, et dicit duo : primo enim præmittit id quod intendit : et secundo, probat illud, ibi, « *Nonne anima plus, etc.* »

In prima ubi dicit id quod intendit, dicit duo : primo enim dicti confirmat veritatem, cum dicit :

¹ Joan. VIII, 34 : *Omnis qui fecit peccatum, servus est peccati.*

« Ideo dico vobis. »

Quasi diceret : Quia ita constat in humanis similitudinibus, « *ideo dico vobis,* » qui solus scio veritatem eorum quæ Deo bene placent : quæ nemo scit, nisi cui revelo : quia, Joan. 1, 18 : *Deum nemo vidit umquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Ego igitur, qui secreta Patris scio, dico vobis :

« Ne solliciti sitis. »

Ecce secundum, ubi prohibet sollicitudinem victus et vestitus : victus, cum dicit : « *Ne solliciti sitis animæ vestræ.* » Anima enim dupliciter dicitur, ab animalitate videlicet, et animeitate : dicta autem ab animalitate est brutalitas, in qua nihil ultra commune genus animalium manifestatur : et hæc anima indiget cibis, « *Quid manducetis.* » Non facit autem mentionem de poculento : quia potus est propter escam, et est vector ejus, sicut superius dictum est.

« Neque corpori vestro quid induamini. »

Ecce vestitus : quia de istis duobus est necessitas major. I ad Timoth. VI, 8 : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Hæc enim duo sunt, quæ natura parat animalibus, quando nascuntur. Pelle enim pilosam, vel penosam dat pro vestitu, et parat lac in mammillis, vel vitellis ovorum pro cibo. Et si objicitur, quod aves, et quædam animalia faciant domos, dicendum, quod illas faciunt quasi pro vestitu.

Sed quæritur hic, de qua sollicitudine dicitur quod hic dicit, quia non omnis sollicitudo vituperatur. Luc. x, 4 : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima :* et constat, quod sollicita erat circa frequens ministerium ciborum et vestimentorum.

Adhuc, ad Galat. II, 9 : *Qui videban-*

tur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem : tantum ut pauperum memores essemus : quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Adhuc, I ad Corinth. VII, 33 : *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori : et divisus est :* et tamen talis sollicitudo non condemnatur.

Ad hoc dicit Glossa, quod est sollicitudo duplex : una est suffocans, et hæc interdicitur, quia hæc mentem perturbat : et hoc est servire divitiis : alia est providentiæ, et hæc non interdicitur. Hæc autem fit, cum timent homines, quod aut possessa ab eis dispereant, aut elaborata non attingant : et amore præsentium, vel timore futurorum torpentes fiunt. Ad quod intelligendum scire oportet, quod suffocare secunda syllaba correpta idem est, quod extinguere : idem autem secunda syllaba producta sonat guttur adstringere : unde versus :

Suffocet, exstinguit : suffocet, guttura stringit.

Quocumque ergo modo sumatur, vitalis spiritus est in nobis lucens fide et calens charitate : qui si sollicitudine præsentis sæculi sic stringitur, vel omnino exstinguitur, quod ad Deum extendere se non possit, nec vehere virtutem ad obsequium Dei, nec sperare auras sancti Spiritus, tunc fit hoc quod dicitur, Matth. XIII, 22, et Luc. VIII, 14, quod verbum inter spinas cadens a sollicitudinibus et curis hujus sæculi suffocatur, et non fert fructum. Et hæc sollicitudo est, quando tanta cura habetur mundanorum, quod lucra mundana præponuntur divinis. Et hæc sollicitudo hic interdicitur. Alia est sollicitudo spiritum vitalem non stringens, neque operiens, ut exstinguat : sed potius dilatans, ut ille qui totus ascendit per devotionem ad Deum, dilatetur etiam in providentiam commissorum : et hoc modo dicitur, ad Roman. XII, 8 : *Qui præest in sollicitudine.* Et hæc non

interdicitur, sed conceditur, et etiam illis quibus incumbit, præcipitur. I ad Timoth. v, 8 : *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Intendere autem rebus supervacaneis non promoventibus ad salutem est damnabile. De qua in diversis his appetibilibus disputat Ecclesiastes multum¹ : de qua non oportet hic inducere, quia non est ad propositum.

Sollicitudo autem quæ est in spiritualium studio, est exercenda semper, sicut dicitur, Michæi, vi, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te :... Sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Et hoc est, quod dicunt quidam, quod est sollicitudo laudabilis, vituperabilis, tolerabilis miserabilis.

Laudabilis quidem est in præcepto : et hæc est multiplex. Est enim sollicitudo regendi commissos, Ad Roman. xii, 8 : *Qui præest in sollicitudine.* II ad Corinth. xi, 28 : *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum.* Alia est sollicitudo obediendi quoad subditos, Josue, xxiii, 6 : *Estote solliciti, ut custodialis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* Alia est sollicitudo pacifice vivendi quantum ad pares, Ad Ephes. iv, 3 : *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* Alia est sollicitudo proficiendi quoad se : et hæc triplex est. Prima est memorandi præcepta de Deo, Deuteron. iv, 9 : *Custodi temelipsum et animam tuam sollicite. Ne obliviscaris verborum quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.* Secundo, sit hæc sollicitudo declinandi malum, Deuteron. iv, 15 et 16 : *Custodite sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem, in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis : ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem.* Tertia est sollicitudo fervoris faciendi bonum, Ad Roman. xii, 11 : *Sollicitudine non pi-*

gri : spiritu ferventes : Domino servientes. Hæc igitur est sollicitudo *laudabilis* et in præcepto.

Sollicitudo autem *vituperabilis* etiam est multiplex. Est etiam inordinata sollicitudo sciendi vana et superflua, Eccle. ii, 21 : *Cum alius laboret in sapientia, et doctrina, et sollicitudine, homini otioso quæsitæ dimittit : et hoc ergo vanitas et magnum malum.* Alia est acquirendi divitias cum cupiditate, Eccle. ii, 26 : *Peccatori dedit Deus afflictionem et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo : sed et hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis.* Alia est sollicitudo avare (alias, avari) conservandi divitias, Matth. xiii, 22 : *Sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.* Alia est sollicitudo peccandi in adinventionem generis peccati, Sapient. xiv, 17 : *Imaginem regis quem honorare volebant fecerunt, ut illum qui abierat tamquam præsentem colerent sua sollicitudine.* Alia est in studio peccandi, Daniel. xiii, 11 et 12 : *Volentes concumbere cum ea, observabant quotidie sollicitius videre eam.* Hæc igitur est sollicitudo prohibita.

Sollicitudo *tolerabilis* est multiplex. Aliquando enim est dilectionis naturalis Tob. x, 1 : *Cum vero moras faceret Tobias, causa nuptiarum, sollicitus erat pater ejus Tobias, dicens : Putas quare moratur filius meus ?* Alia est sollicitudo esse rei familiaris, I Reg. ix, 20 : *De asinis quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt.* Alia est sollicitudo necessariæ providentiæ, Luc. ix, 41 : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris, etc.* Alia est sollicitudo infirmitatis humanæ, I ad Corinth. vii, 33 : *Sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* Alia est sollicitudo curæ moderatæ. Tob. v, 16 et seq. : *Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu ? Cui Raphael Angelus dixit :*

¹ Cf. præcipue septem prima capita libri Ecclesiastæ.

Genus quæris mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Sed ne forte sollicitum te reddam, ego sum Azarias, Ananiæ magni filius. Hæc igitur indulgetur.

Miserabilis autem sollicitudo etiam est multiplex. Alia enim est laboris in operando, Eccle. II, 18: Detestatus sum omnem industriam meam quam sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens an stultus futuris sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui: et est quidquam tam vanum? Alia est passionis, I Machab. VI, 10 et 11: *Recessit somnus ab oculis meis, et concidi, et corruï corde præ sollicitudine: et dixi in corde meo: In quantam tribulationem deveni, et in quod fluctus tristitiæ.* Alia est sollicitudo præcavendi insidias hominum, Jerem. XXXVII, 19: *Sollicitus sum propter Judæos qui transfugerunt ad Chaldæos, ne forte tradar in manus eorum, et illudant mihi.* Multi igitur sunt modi sollicitudinum: et non interdicitur hic aliqua, nisi ista quæ est suffocans et perturbans spiritum mentis qui ad Deum est convertendus.

« Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? »

Hic incipit inducere rationes ad probationem et persuasionem doctrinæ inductæ.

Sunt autem duo, quæ probat esse removenda tamquam impedimenta perfectionis: quorum unum est sollicitudo abundantiae: secundum autem est sollicitudo longi temporis, ibi, ꝯ. 34: « *Nolite solliciti esse in crastinum.* »

In priori horum sicut bonus Doctor duo facit: removet enim impedimentum perfectionis, et secundo ponit id quod veræ perfectionis est secundum sollicitudinem, ibi, ꝯ. 33: « *Quærite ergo primum, etc.* »

Adhuc, ubi removet impedimentum sollicitudinis, duo facit: primo enim os-

tendit, quod majora data sunt nobis a Patre cœlesti absque nostra sollicitudine et solertia: et secundo, inducit ex hoc rationes, quod etiam minora superaddentur ex eodem Patre, ibi, ꝯ. 26: « *Respicite volatilia cœli, etc.* »

In primo horum inducit duo: relinquit enim ex judicio omnium animam, hoc est, animalem vitam esse meliorem quam esculentum, pro quo sollicitamur: et hoc est:

« Nonne anima plus, »

Hoc est, melius aliquid est « *quam esca?* » In rebus enim quæ non mole magnæ sunt, idem est majus esse, quod melius esse, sicut dicit Augustinus. Hoc autem a communi rei judicio supponitur: quia esca quæritur propter animam: et ideo anima melior et dignior est.

Eadem probatur ratione corpus melius esse quam vestimentum: et hoc est:

« Et corpus plus quam vestimentum. »

Constat autem, quod animam et corpus habemus ex dono Patris sine labore nostro et sollicitudine: ergo multo magis addet ea quæ propter animam et corpus creavit. II Machab. VII, 22 et 23: *Nescio qualiter in utero meo apparuisti: neque enim ergo ipsa spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, etc.* Hic igitur qui hæc dedit, et scit quia sine victu et vestitu esse non possunt, et omnia propter hominem creavit, adjiciet ex sua largitate victum et vestitum sine nostra sollicitudine.

Sed quæritur hic, quare dictis suis adhibet rationem, cum ex hoc ipso quod dicta sunt sua, majoris sint auctoritatis quam ex aliqua ratione humana? Et ad hoc dicendum, quod non ponit rationem

propter dictum, sed propter nos : quia familiarius conjungitur intellectui nostro quod humana ratione accipitur, quam quod simpliciter ponitur : et ideo dixit parabolas, in quibus humanas proposuit similitudines.

26 « Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea : et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? »

Hic inducit rationes ad probandum, quod creata propter nos sine sollicitudine adjiciuntur.

Et dividitur hæc pars in tres : in quarum prima inducit rationes de adjectione esculenti : in secunda, de adjectione vestimenti, ibi, §. 28 : *Et de vestimento quid solliciti, etc.* » In tertia adducitur de adjectione utriusque simul, ibi, §. 31 : *« Nolite ergo solliciti esse. »*

In prima harum duo adducit : primum est de adjectione esculenti : secundum sumitur a supposito quodam : quoniam etiam si multum solliciti sumus, non possumus unquam providere, quod proficiat nobis hoc quod sollicitudine acquisitum est, ibi, §. 27 : *« Quis autem vestrum cogitans. »*

In primo horum quatuor facit : Primo enim monet volatilia cœli respicere, cum dicit : *« Respicite volatilia cœli. »*

Secundo, ostendit quid in eis respiciendum : *« Quoniam neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea. »*

Et tangit tres sollicitudines remotas, quarum una est in generando et elaborando esculento, secunda est in congregando, tertia est in conservando : et circa hæc tria maxime occupatur humana sollicitudo.

Tertio, proponit benignitatem Patris cœlestis ad ea, cum dicit : *« Pater vester cœlestis pascit illa. »*

Et dicit : *« Pater vester, »* non illorum : quia non sunt ad imaginem ejus, neque habent spiritum adoptionis filiorum : et ideo minor cura est ei de eis quam de sanctis. I ad Corinth. ix, 9 et 10 : *Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit?*

Quarto, hic de dictis facit comparationem, et concludit a minori. Quoniam si talia adjiciuntur creatis non filiis, multo magis adjiciuntur hæc filiis qui multo pluris æstimationis sunt illis. Et hoc est, quod dicit : *« Nonne vos magis pluris estis illis? »*

Hæc est ergo expositio litteræ.

Sed quæritur, quare sumit potius similitudinem a volatilibus cœli quam a natalibus, vel gressibilibus, vel reptilibus?

Ad hoc sunt tres rationes : una quidem est, quia cibus volatilium magis sparsus et incertus est quam aliorum animalium : propter quod etiam natura dedit eis et alas ad volandum, et pedes ad ambulandum : ut veloci motu vitæ cibum acquirant, et cum illa sint sine sollicitudine, quod multo magis nos. Alia ratio est, quod nulla animalia minus conservant quam aves : quoniam et gressibilia faciunt thesauros, sicut mus montanus : et reptilia, sicut formica : et natatilia, sicut habentia antra : sed volatilia omnino sunt sine sollicitudine : et ideo de sollicitudine tollenda melior et congruentior ab eis accipitur similitudo. Tertia ratio est Ambrosii, et est moralis, quia « per altitudinem volatus, magis « volatilia spiritualibus et contemplati- « vis viris assimilantur. Psal. lrv, 7 : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, « et volabo, etc. »

Videtur autem ista doctrina Domini contrariari sermonibus ejus : quia, Genes, iii, 19, dicit : *In sudore vultus tui vesceris pane.* Job, v, 7 : *Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum.* Apostolus, I ad Corinth. iv, 12 : *Laboramus operantes manibus nostris.* II ad Thesal. iii, 10 : *Si quis non vult operari.*

nec manducet. Jacob. v, 7 : *Agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum.*

Ad hoc dicendum, quod est labor duplex, scilicet spiritualis, et corporalis : ad alterum istorum laborum meo iudicio, tenetur omnis homo : est autem uterque istorum laborum duplex : universalis, et particularis. *Universalem* voco, qui fit circa populum universalis Ecclesiæ, vel civitatis, vel provinciæ, vel plebis alicujus : et tunc illi qui circa tales laborant, possunt accipere ab illis, aut per modum debiti, sicut Prælati : aut per modum eleemosynæ, sicut Prædicatores missi : aut alii aliquid circa tales militiæ christianæ officii exercentes. *Particularem* autem laborem voco, qui est in uno actu simplici spirituali, vel corporali. Spiritualis, sicut est Canonico- rum, vel Monachorum in cantando et legendo, et disciplinam religionis portando : corporalis est autem, sicut arando, vel suendo, vel lanas operando, vel aliquid tale : in omnibus enim talibus labor exercendus est, sollicitudo suffocans tollenda, sicut in antehabitis dictum est.

« Quis autem vestrum cogitans potest est adjicere ad staturam suam cubitum unum? »

Ecce secundum. Et intendit arguere ex supposito, quod ponatur quod esculentum nostra sollicitudine perquiratur, hoc non proficiet nobis nisi per Patrem cœlestem, et sic sollicitudo nostra cassa et vana est : et hoc est quod dicit : « *Quis vestrum,* » potens, vel sapiens, cogitans sollicite et solerter, potest sua solertia et sollicitudine « *adjicere ad staturam suam,* » per esculentum quod procuravit, « *cubitum unum,* » vel aliquod quantumcumque parvum incrementum. Cum ergo solliciti sumus de esculento propter incrementum corporis, quod ex eo puta-

mus accipere, et hoc non accipimus nisi virtute et cura Patris cœlestis, incassum sollicitamur de hoc quod non possumus convertere in nostrum profectum, sed potius cura projicienda est in Patrem qui nos nutrit, et dat nobis incrementum. I ad Corinth. iii, 7 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat, Deus.*

« Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant, neque nent. » **28**

Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. » **29**

Si enim fœnum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei! » **30**

Hic arguit de cura vestimenti abjicienda.

Et dicit quinque : primo enim per modum interrogationis innuit removendam esse sollicitudinem vestimentorum : et hoc est : « *Et de vestimento quid solliciti estis?* »

Secundo, dicit consideranda esse lilia agri crescentia : et sumit similitudinem a liliis, quia alta sunt, et flore et candore suo munditiam significant corporis Sanctorum. *Agri* autem vocat, non hortensia, quia campestribus cultura non adhibetur : « *Considerate lilia agri quomodo* » sine cultura « *crescunt.* » Cantic. ii, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Isa. xxxv, 1 : *Exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium.* Osee, xiv, 6 : *Israel germinabit sicut lilium.* Cantic. ii, 1 : *Ego flos campi, et lilium convallium.*

Tertio, dicit quid in talibus sit considerandum : quia « *non laborant,* » forti labore sicut viri, « *neque nent,* » lanam vel linum operantes, sicut fœminæ. Pro-

verb. xxxi, 13 : *Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.*

Quarto, tangit gloriam ornatus eorum, dicens : « *Dico autem vobis,* » qui non possum mentiri, I Petr. ii, 22 : *Nec inventus est dolus in ore ejus : « quoniam nec Salomon,* » qui ultra modum, sicut dicitur, curiosus fuit in vestibus. III Regum, x, 5, Regina Saba mirabatur de vestibus suorum servorum. « *In omni gloria sua,* » hoc est, in gloria vestitus sui, « *coopertus est,* » tam venusto et tam vernanti colore habitus, « *sicut unum ex istis.* » Omnia ergo simul in diversitate colorum suorum incomparabilia sunt habitui Salomonis.

Attende autem, quod innuit flores operiri coloribus : quia coloris natura de lumine perficitur, et in superficie rei diffunditur : propter quod et Pythagorici colorem *epiphanium*, hoc est, superapparentem vocaverunt. Unde terra vestita floribus in quamdam similitudinem stellati cæli ornatur. Isa. lxi, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me :* talis enim habitus habitum virtutis in Sanctis demonstrat, in quo procedunt sicut dies verni vernantes.

Quinto, tangit comparisonem curæ Patris ad fœnum et ad filios adoptionis : et ostendit curam Patris ad fœnum parvum ex tribus : ex natura, cum dicit : « *Si enim fœnum,* » quod parvi est momenti : secundo, ex loco, cum dicit : « *Agri,* » cui nulla custodia adhibetur, sed decerpendum omnibus exponitur : tertio, ex vilitate, quia dicit, « *quod hodie est,* » brevi apparens tempore, « *et cras,* » hoc est, post modicum, « *mittitur in ignem,* » quia ad minus sarmenta comburuntur, ne agrum occupent : et nullius momenti reputantur. Vel, « *in clibanum* » (alia littera ¹), quia homines clibanum inde succendunt, in quo coquant panes, vel aliquid aliud et incendit : et tamquam res parvi momenti exi-

stens quacumque consumptione consumitur, et æternæ vitæ non reservatur. « *Deus sic vestit,* » hoc est, exornat pictura colorum.

Et deinde transit ad Sanctos per comparisonem, dicens :

« *Quanto magis vos,* »

Qui in natura estis ad Dei Patris imaginem, et in custodia commissi Angelis qui custodiant vos in omnibus viis vestris, et in præordinatione prædestinationis præordinati ad æternam vitam.

Et subjungit increpationem, si talia non advertant, cum dicit.

« *Modicæ fidei,* »

Hoc est, modicæ fiduciæ : qui parva de Patre cœlesti præsumitis. Matth. xiv, 31 : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Ad Roman. iv, 20 et 21 : *Confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere.*

Sed contrarium est, quod dicitur, I ad Corinth. iv, 11 : *Esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus.* Ad Hebr. xi, 37 et 38 : *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti : quibus dignus non erat mundus.* Matth. xxv, 42 et 43 : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi bibere : nudus, et non cooperuistis me.* Ergo Sancti sæpe in his habent indigentiam necessitatis : et sic videtur, quod non concludit ratio Domini.

Ad hoc dicendum, quod in veritate non placet Deo, nec intendit hic adstruere quod aliquis sequatur inertiam et otium, sed exercent aliquid militiæ christianæ, sicut dicit Augustinus in libro de *Operibus Monachorum*. Et si exercet hoc, dignus est cibo, et veste quam procurat ei Deus ex labore suo. Unde etiam Chri-

¹ Uti patet ex textu, littera hæc est Vulgata.

stus dixit ista illis qui prima fundamenta fidei ponere debebant, et propter multum discursum instantiæ prædicationis non poterant cogitare nisi de pane quotidiano. Quibus etiam, Luc. x, 1, dicit : *Edentes, et bibentes quæ apud illos sunt* : unde etiam illis de domo nihil dixit : quia instabiles esse oportuit. Quando igitur instanter ea quæ sunt militiæ christianæ exercemus, et si tunc desunt, necessaria dispensatio Patris cœlestis est, vel ad probandam nostram patientiam, vel ad purganda delicta, vel ad condemnationem eorum qui ista negant pro tempore, cum bonorum pauperum vident necessitates : quidquid horum fiat, pie Pater cœlestis providet Sanctis. Psal. xxxvi, 25 : *Junior fui, etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Absque dubio enim credendum est, quod si in talibus deest auxilium humanum, non deerit divinum, dummodo homo non desit gratiæ Dei. « Multi enim sunt, ut dicit Augustinus, « qui interiore aure audiunt a Domino, « Psal. xl, 2 : *Beatus qui intelligit suæ per egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus* : et illorum « granaria sunt granaria pauperum sanctorum. »

81 « Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ?

82 Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. »

Hic incipit ponere rationes de removenda sollicitudine de utroque simul, scilicet tam de esculento quam de vestitu corporis.

Et inducit duas rationes : quarum una est, quia talis sollicitudo nobis ignorantibus Patrem cœlestem assimilat : se-

cunda autem, quia hæc sollicitudo fidei filiorum ad Patrem præjudicat.

In prima ergo ratione concludens ex præmissis dicit : « *Nolite ergo solliciti esse,* » sollicitudine vos a militia in qua positi estis revocante, « *dicentes* : » Si sequamur Christum pauperem, occupantes nos Evangelio ejus, « *Quid manducabimus, aut quid bibemus,* » quoad necessitatem sustentandæ vitæ ? « *Aut quo operiemur,* » quoad operimentum corporis ? « *Hæc enim omnia gentes inquirunt,* » quæ ignorant Deum, et putant hominem non ad aliud creatum, nisi ut sua industria hic ad tempus vivat. I ad Thessal. iv, 4 et 5 : *Sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum.* His ergo in hoc non debemus assimilari, cogitantes quod manna sequentibus Deum in deserto non defuit, et vestes eorum quadraginta annis non sunt attritæ¹. Hæc enim Pater cœlestis mundo ministrat propter electos.

« Scit enim. »

Secunda ratio : quia « *Pater vester,* » ad vos habens viscera pietatis, « *scit,* » eo quod nihil latet eum. Job, xlii, 2 et 3 : *Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio. Quis est iste qui celat consilium absque scientia ?* Quasi diceret : Stultus et despiciendus est, qui putat se celatum consilium habere quod Deus ignorat, et absque scientia vera est talis.

« *Quia omnibus his indigetis.* » Psal. cxxxviii, 16 : *Imperfectum meum videntur oculi tui,* etc. Qui enim nos talibus indigentibus creavit, scit nos talibus indigere : et pro certo non procurat nisi voluntati suæ militemus, sicut, Luc. xv, 14 et seq., Filius prodigus recedens a patre in regionem dissimilitudinis, cœpit egere et fame perire : et statim quando redi-

¹ Cf. Deuter. xxix, 5.

vit, non solum panes accepit, sed abundantiam omnium bonorum.

33

« Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. »

Postquam sufficienter excludit sollicitudinem abundantiae temporalis, hic docet, in quo militantes, et quid quærentes digni sunt provisione Patris cœlestis. Unde duo dicit, scilicet quid quærendum, et qualiter nobis hoc quærentibus erit providendum.

Circa primum duo dicit, finem scilicet quæstionis, et id quod ducit ad finem illum.

De fine loquens dicit :

« Quærite ergo primum regnum Dei. »

Et locutio est duplex : eo quod hoc ipsum « *primum* » potest determinare hoc verbum quærendi : et tunc sensus est : « *Quærite primum,* » hoc est, imprimis, vel prius : et tunc sic militantes digni eritis, quibus Pater cœlestis provideat. Potest etiam determinare hoc, quod dico « *regnum Dei :* » et tunc sensus est : Quærite ergo primum regnum Dei, hoc est, quod primum est, et vobis congruum est quærere, qui estis filii Israël, probantes vos esse filios tanti Patris, per hoc quod digna vobis quæritis, et indigna vobis non curatis, providebitur vobis in necessariis. Uterque ergo sensus congruit litteræ, sed primum puto esse litteraliorum.

Et attende, quod dicit Chrysostomus, quod regnum Dei dicitur hic retributio æterna : et hoc est verum, quoad ultimum finem intentionis. Sed regnum quod injungitur hic quærendum, est quo regnat Deus in hominibus (alias, omnibus). Et est sensus : « *Primum,* » militando, prædicando, bene operando, instanter « *quærite regnum Dei,* » hoc est,

quod regnet confirmato regno in hominibus. Joan. xv, 16 : *Ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis : et fructus vester maneat.*

« Et justitiam ejus. »

Hoc est, justitiam qua regnum istud confirmatur, et quæ ad regnum perpetuum conducit. Sapient. vi, 21 : *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.* Psal. xxvi, 4 : *Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus,* etc. Luc. x, 42 : *Porro unum est necessarium : Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luc. i, 75 : *In sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*

« Et hæc omnia adjicientur vobis. »

Non enim sunt petenda, sed tamquam parva adjicienda : non enim evangelizare debetis, ut manducetis, quia tunc quæritis ista : quia ista non sunt finis, sed adjecta sustentationi vitæ ad illa quærenda. I ad Corinth. ix, 4 et seq., multum est de ista materia. Inter cætera dicitur, ibidem, v. 14 : *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere :* sed non propter ista prædicare. Unde de se, ibidem, v. 18, dicit Apostolus : *Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.*

« Nolite ergo solliciti esse in crastinum. »

Hic incipit removere sollicitudinem extensam in longum et futurum. Et circa hoc dicit duo : ponit enim primo inhibitionem, dicens :

« Nolite ergo solliciti esse. »

Et conjunctio illativa continuationis

nota est præinducta. Quasi diceret: Sicut non expedit sollicitos esse de abundantia temporalium, vel etiam de necessariis, sollicitudine nos a militia christiana retrahente, eadem ratione prohibeo, ne solliciti sitis in futurum eadem sollicitudine.

« In crastinum. »

Hoc est, in longum futurum. Licet enim providentia futuri concedatur, sicut et Dominus oculos habuit¹, reservabantur pro futura necessitate: tamen sollicitudo dejiciens ab opere militiæ professæ et ex officio debitæ interdicitur.

« In crastinum. »

Hoc est, in futurum. Genes. xxx, 33: *Respondebit mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te*, hoc est, in futuro. Ratio autem hujus tangitur, ad Hebr. xiii, 8: *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula*. Matth. xxviii, 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. Cum igitur procurator nobiscum sit, non oportet sollicitari. Luc. xxii, 35 et 36: *Quando misi vos sine sacco, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil*. Unde Chrysostomus dicit, quod « ac-
« cedens ad fontem non sollicitatur de
« bibendo: et tunc stultus est, qui se-
« cum habet Deum Patrem, et sollicita-
« tur de futuris: quia Pater cœlestis
« omni fonte magis manat. Psal. lxxvii,
« 19 et 20: *Male locuti sunt de Deo:*
« *dixerunt: Numquid poterit Deus pa-*
« *rare mensam in deserto? Numquid et*
« *panem poterit dare, aut parare men-*
« *sam populo suo? »*

« Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua. »

Hoc est secundum, ubi præinductæ prohibitionis inducit rationes. Et inducit duas: unam, quod futurum habet onus suæ sollicitudinis. Et sicut dicitur, Proverb. xxvii, 1, ignoramus quid futura pariat dies, et ideo cassa est sollicitudo de ipsa². Sed, sicut dicit Hieronymus, præsentia grate suscipiamus, et futura post providentiam ordinatam Domino committamus: sicut enim dicit Apostolus, II ad Corinth. viii, 21: *Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*. Et ideo, Proverb. vi, 6 et seq., mittitur piger ad formicam, quæ in æstate congregat cibum sibi.

Est ergo sensus, quod grate suscipientes præsentia munera Patris, et providentia ordinata, caventes futuros malorum incursus, sollicitudinem ampliorem Domino, qui futura novit, committamus. Ad Hebr. xiii, 5: *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus: ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam*.

Aliam rationem ejusdem inducit, cum dicit, quod

« Sufficit diei malitia sua. »

Et vocat *malitiam* pœnalem sollicitudinem, qua multi propter necessitates temporis hujus involvuntur, qui multis sollicitudinibus alligantur: qua malitia Apostolus liberos esse voluit suos, suadens se matrimonio et curæ domus non obligari. I ad Corinth. vii, 32: *Volo autem vos sine sollicitudine esse*. Et sic etiam Dominus hic suadet eos qui militare debent sibi, ab omnibus animum occupantibus abstinere. I ad Corinth. ix, 25: *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*. II ad Timoth. ii, 4: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæ-*

¹ Cf. Joan. xiii, 29.

² Proverb. xxvii, 1: *Ne glories in crastinum,*

ignorans quod superventura pariat dies.

cularibus, ut ei placeat cui se probavit.

Cum ergo dicit, quod « *crastinus dies sollicitus est*, prosopopeia utitur, personam mutans, attribuens tempori quod hominum est temporali necessitati se adstringentium. Et cum dicit, quod « *sufficit diei malitia sua*, » suam malitiam notat, non ut Mathematici dies infaustos, sed pœnam sollicitudinis hujus necessitatis vocat *malitiam*. Exod. xxxii, 14 : *Placatus est dominus ne faceret malum*

quod locutus fuerat adversus populum suum. Pœna enim malum quoddam est et vocatur, eo quod contrariatur natura bono, sicut dicit Augustinus. Ad Ephes. v, 16 : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Genes. xlvii, 9 : *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali*.

Sic ergo malitiam unius diei non oportet cumulare super aliam, quia *sufficit unicuique diei malitia sua*.

CAPUT VII.

Docet non judicandum : de festuca in oculo fratris, et trabe in proprio oculo : sanctum non dandum canibus : omnem petentem, quærentem, et pulsantem a Deo exaudiri : faciendum aliis quod nobis fieri volumus : per angustam portam ad vitam intrandum : quomodo dignoscantur falsi prophetæ, et arbor bona a mala : comparatio de audiente Christi verba, et operante aut non operante juxta illa.

1. Nolite judicare, ut non judicemini ¹.
2. In quo enim iudicio judicaveritis, iudicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis ².
3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides ?
4. Aut quomodo dicis fratri tuo : Sine, ejiciam festucam de oculo tuo : et ecce trabs est in oculo tuo ?
5. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.
6. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos : ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.
7. Petite, et dabitur vobis ³ : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis.
8. Omnis enim qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur.
9. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei ⁴ ?
10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei ?
11. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis

¹ Luc. vi, 37 ; ad Roman. ii, 1.

² Marc. iv, 24.

³ Infra, xxi, 22 ; Marc. xi, 24 : Luc. xi, 9 ;

Joan. xiv, 13 ; Jacob. i, 6.

⁴ Luc. xi, 11.

- bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est dabit bona petentibus se !
12. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis ¹. Hæc est enim Lex et Prophetæ.
13. Intrate per angustam portam ² : quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam.
14. Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam ! et pauci sunt, qui inveniunt eam.
15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.
16. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus ?
17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit.
18. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.
19. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur ³.
20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.
21. Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum ⁴ : sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.
22. Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus ⁵ ?
23. Et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem ⁶.
24. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram ⁷.
25. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat super petram.
26. Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, similis erit viro stolto, qui ædificavit domum suam super arenam.
27. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.
28. Et factum est, cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrinam ejus.
29. Erat enim docens eos sicut potestatem habens ⁸, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi.

¹ Tob. iv, 16 ; Luc. vi, 31.² Luc. xiii, 24.³ Supra, iii, 10.⁴ Infra, xxv, 41 ; Luc. vi, 46.⁵ Act. xix, 13.⁶ Psal. vi, 9 ; Infra. xxv, 41 ; Luc. xiii, 27.⁷ Luc. vi, 48 ; ad Roman. ii, 13 ; Jacob. i, 22.⁸ Marc. i, 22 ; Luc. iv, 32.

Adhuc, in prima dicit duo : prohibitionem, et transgredientium pœnam.

De primo dicit :

IN CAPUT VII MATTHÆI

ENARRATIO.

« Nolite judicare ut non judicemini. »

Hic incipit removeve impedimenta perfectionis, quæ occasionantur ex aliis. Hæc autem impedimenta perfectionis apostolicæ præcipue insidiantur jurisdictioni iudicii, et doctrinæ.

Et dividitur ista pars in duas partes, in quarum prima docet, qualiter sine impedimento nos habeamus ad subditos : in secunda autem, qualiter ad eos qui speciem habent pietatis, et virtutem ejus abnegant, ibi, 13 : « *Attendite a falsis prophetis.* »

Adhuc, anterior harum in duas dividitur : ita quod in prima docet, quales simus in iudicio : et in secunda, quales simus in exemplo, ibi, 7 : « *Petite, et dabitur vobis.* »

In prima, tria continentur, quæ removement impedimenta : in primo quorum removement usurpatum iudicium : in secundo, indignum, ibi, 3 : « *Quid autem vides,* etc. » In tertio, indiscretum, ibi, 6 : « *Nolite dare sanctum canibus.* »

Vel, dicatur melius, quod dividitur in duas : ita quod in priori removement impedimenta iudicii a iudice : et in secunda, docet qualis debet esse iudex Prælati in dispensando sancta sibi credita, quia Prælati et iudex est, et dispensator sacrorum.

Et tunc prior ulterius in duas dividitur, in quarum prima removement iudicium usurpatum : et in secunda, indignum.

In prima harum duo continentur : eo quod primo ponit prohibitionem, et in secundo, adhibet rationis persuasionem, ibi, 2 : « *In quo enim iudicio.* »

« Nolite judicare. »

Attendendum autem hic est, quod est iudicium rationis, et iudicium jurisdictionis.

Judicium rationis licet sit de omnibus de quibus inquirimus an sint, vel non sint, tamen hoc iudicium quod hic quaeritur, est iudicium quod fit de actibus humanis, et de hominibus utrum bona sint, vel mala.

Et si est de actibus humanis, aut de actibus propriis in propria conscientia discussione, aut de alienis in alienarum conscientiarum curiosa investigatione.

Et si est de propriis in suæ conscientia investigatione, numquam est temerarium : quia propriam conscientiam habet testem, quæ non fallitur in factis propriis, quia sibi constat et factum, et causa facti, et intentio facientis. Et de hoc dicitur, I ad Corinth. xi, 31 : *Si vosmetipsos dijudicavimus, non utique iudicavimus.* Job, xiii, 13 : *Vias meas in conspectu ejus arguam. Et ipse erit salvator meus.*

Si autem est de alienis, aut est de actibus humanis, aut de ipsis agentibus.

Si est de actibus, considerandum est, utrum sint de his quæ jam iudicata sunt a Spiritu sancto in Scriptura : et hæc sunt, de quibus dicit Philosophus, quod « mox nominata sunt mala : » et iudicium condemnationis in illa non est temerarium, sed potius, si hæc non condemnabilia iudicantur, est error. Joan. iii, 18 : *Qui non credit, jam iudicatus est.* Ad Roman 1, 32 : *Non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte : et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Aut est de his quæ iudicata non sunt, nec mox nominata sunt mala : et ideo illa omnia

possunt bono animo et malo fieri, et bono fine et malo, et bene et male, quoad alias circumstantias: et ideo judicare illa et condemnare illa temerarium est iudicium, sicut in exemplo, quod dicit Glossa: Quia licet expediat temporalia abjicere et sine sollicitudine esse, tamen si hoc aliquis non faciat, non est iudicandus. In tali ergo iudicio sunt duo consideranda: unum est indagatio causæ quæ ex ipsa re est probabilis, et via ad veram causam inveniendam: et hæc est solertia, non temeritas. Aliud est adhibere causam quam res ipsa non demonstrat, et in pejorem partem interpretari: et hæc est interpretatio facti potius quam verum de re iudicium: et si hoc fiat in sinistram partem, temeritas est: si autem in meliorem partem fiat, hoc boni animi signum est, quia de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium. De hoc dicitur, Job, 29 et 30: *Id quod justum est iudicate. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.*

Si autem est de ipsis qui agunt talia, qualia inducta sunt, hoc fit duobus modis: aut enim iudico de agente secundum præsentem actum, aut secundum perseverantiam, sive permanentiam in illo. Si iudico secundum præsentem actum a quo denominatur agens bonus, vel malus, tria sunt, sicut dicit Tullius, quæ informant iudicium accusandæ personæ, vel excusandæ: par, pactum, et iudicatum. *Par* autem est, quod æquitati et juri est congruum: hoc enim totum in paritate et æqualitate consistit, sicut supra diximus. *Pactum* autem est, quod licet æquum non sit, vel æquale, tamen ex libera voluntate convenit inter pāngentes (alias, paciscentes), et non contrariatur civilitati, vel honestati. *Judicatum* autem est, quod auctoritate legis est sancitum. Si ergo video aliquem, cujus factum, aut æquo, aut pacto, aut legi contrariatur, si iudico eum injustum, non est iudicium temerarium: si autem nihil talium video in ipso, et iudico in-

justum, non est iudicium ex ipsa re iudicatum, sed temerarium ex temeritate formatum, et tunc est temerarium: si autem iudico de permanentia in malo quod agit, non potest esse nisi temerarium: quia qui hodie est bonus, cras melior erit: et qui hodie malus, cras potest esse, vel fieri bonus, et in ultimo instanti suæ vitæ potest esse bonus, sicut latro pendens in cruce: de nemine desperandum est, dum vivit. Ad Roman. xiv, 4: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem, potens est enim Deus statuere illum.*

Attende autem quod in utroque istorum iudiciorum in quibus iudicat ratio, si occurrit rei necessitas, iudicium est verum, et oppositum iudicium est erroneum, sicut in his quæ mox nominata sunt mala. Et si sequatur rei probabilitatem, solertia est, quam attendit rhetor, qui ex signis probabilibus acclamationes (alias, exclamationes) format ex accusationis vel defensionis iudicio, sicut si video loquentem cum muliere hominem, et est homo honestus, et locus honestus, matrona honesta, sumitur exclamatio defensionis. Si autem invenis (alias, invenio) tonsorem diligens, comptus, politus, composito gradu incedens, molliter scapulas gestans, et gestiens placere lenitate (alias, levitati), et locus suspectus, et mulier non notæ honestatis, sumuntur ex talibus acclamationes accusantes, et præsumptionem contra eum facientes.

Hoc igitur est iudicium rationis, quod præponitur iudicio jurisdictionis: quia non debet constitui iudex, in quo iudicium rationis non est justum, sed potius amoveri debet a solio iudicii, etiam si solium iudicis acceperat.

Judicium autem *jurisdictionis* consideratur dupliciter, quoad præsentem partem lectionis: et tertia consideratio erit in parte sequenti, et in ultima parte lectionis. Unus autem duorum modorum est in adeptione jurisdictionis: alius in executione iudicii.

In adeptione jurisdictionis duæ sunt

considerationes : una est si præsumatur iudicium sine jurisdictione : et tunc potestas iudicandi et iudicium præsumptum est. Genes. xix, 9 : *Ingressus es ut advena, numquid ut iudices ?* Exod. ii, 14 : *Quis te constituit principem et iudicem super nos ?* Adhuc, si ingerat se aliquis in cathedram, et solium iudicis propria voluntate, imprudenter, vel simoniace : præsumit talis temere iudicium. II Reg. xv, 4 : *Quis me constituat iudicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et juste iudicem ?* ita dixit iniquus et temerarius fratricida, et patris expulsor Absalom. Ad Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Jacob. iii, 1 : *Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus iudicium sumitis :* et intelligit de magisterio auctoritatis iudicandi, quod habent Prælati. Hi ergo quoties iudicant, temere se de iudicio intromittunt : quia non a summo iudice potestatem iudicariam acceperunt. Unde sicut in iudicio hominum, inferior iudex inductor est, qui a Papa, vel Imperatore, vel rege in suo regno non est institutus : ita inductor est talis, qui a Deo non vocatur ad iudicariam potestatem. Daniel. xiii, 5 : *Constituti sunt de populo duo senes iudices in illo anno, de quibus locutus est Dominus : Quia egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.* Hoc enim sonat nomen : quia iudex debet esse constitutus, quia se ipsum non debet ingerere.

Alius autem modus, qui est in iudicii executione, unam solam habet considerationem. Si enim in tali executione voluntas præit, et ratio informata rationibus juris sequitur, tunc est sicut dicitur proverbialiter :

Sic volo, sic jubeo : sit pro ratione voluntas¹.

Et tunc semper voluntas impia præva-

let contra juris rationem : et semper egreditur iudicium perversum et temerarium. Habacuc, i, 4 : *Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur iudicium perversum.* Nulla enim voluntas nititur præcedere rationem nisi impia : bona enim voluntas non est bona, nisi ordinetur a ratione, et illa sequitur. Deuter. xvi, 18 et 19 : *Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quos Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut iudicent populum justo iudicio, nec in alteram partem declinent.* Aliter tamen exponit Chrysostomus. Et hoc inferius prosequemur, ibi, x. 3 : « *Quid autem vides, etc. ?* »

De omnibus igitur temerariis iudiciis loquens, dicit :

« Nolite iudicare, etc. »

Et dicit duo : prohibitionem et pœnam.

Prohibitio est quam ponit, dicens : « *Nolite,* » hoc est, velitis non « *iudicare :* » quia si voluntas vult iudicare, temerarium est iudicium ejusmodi : si autem non vult, sed cogitur ab institutione ad jurisdictionem, et ab allegatis iuribus ad sententiam, tunc non est temerarium. Quod autem dixit, quod iudex debet cogi ab allegatis, non est intelligendum ab allegatis ab homine, sed ab allegatis a jure. Et ideo non debet esse iudex nisi sciens et potens discernere inter allegata, ne fraudem faciant advocati. Eccli. vii, 6 : *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates :* virtute enim iniquitates irrumpit, qui habitu scientiæ et virtutis iniquitatem videt, et non sustinet.

« Ut non iudicemini »

Vel, « Et non iudicabimini. »

Duæ litteræ.

¹ JUVENALIS, vi, 222.

Videtur autem factum, quod dicitur Apocal. xx, 12, quod mortui, pusilli et magni judicati sunt secundum ea quæ scripta sunt in libro ¹. II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit.* Matth. xxv, 32 : *Congregabuntur ante eum omnes gentes, etc.* Ergo omnes judicabuntur, et iudices, et alii.

Ad hoc dicendum, quod prohibet iudicium temerarium, sicut et dictum est : et illud quasi semper est ad condemnandum injuste : et ideo etiam istud intelligitur de iudicio condemnationis. Unde sensus est : « Et non judicabimini, » hoc est, non condemnabimini.

Sed tunc videtur, quod sine ratione hæc pœna adjungitur huic peccato : quia peccans quolibet peccato mortali condemnatur.

Ad hoc dicendum, quod sicut dicitur, Sapient. xvi, 1, per quæ peccaverunt, per hæc et digne passi sunt tormenta ² : et ideo qui peccat iudicando, punitur immisericordiori iudicio et duriori quam alius, quia licet *universæ viæ Domini misericordia et veritas* ³, et licet *miserationes ejus sint super omnia opera ejus*, sicut dicit Psalmus cxlv, 9, tamen duplex est misericordia, liberans scilicet, et relaxans, ut dixit Chrysostomus. Sine liberante quidem misericordia condemnantur omnes qui condemnantur, sed non sine misericordia relaxante aliquid de pœna merita, condemnatur qui condemnatur : quia nullus ad tantam pœnam condemnatur, quantam meruit. Sed iudices iniqui propter hoc quod iudicium eorum multis nocet, et generalem perversitatem inducit, minus experiuntur de misericordia relaxante quam alii peccatores : et ideo pœna hæc adjungitur huic peccato potius quam alii. Jacob. ii,

13 : *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Sapient. vi, 7 : *Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Et, ibidem, x, 6 : *Judicium durissimum his qui præsumunt, fiet.*

« In quo enim iudicio judicaveritis, judicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remittetur vobis. »

Hic inducit rationes ad prohibitionem inductam, et inducit duas : unam sumptam ex parte sententiæ : alteram autem ex parte rei sententiantæ, quæ est sicut pœnæ inflictio. Prima autem talis est, quod sicut iudicant et sententiant, ita sententiabuntur : et videtur falsum esse : quoniam iniquus iudex iniquam fert sententiam, et tamen a Deo non recipit nisi justam.

Ad hoc dicendum, quod similitudo vocatur, non in qualitate iudicii, secundum quam procedit a iudice, sed potius in proportione sententiæ, secundum quod procedit contra eum contra quem fertur : et secundum qualitatem, qua fertur in eum. Quia sicut contra illum dant sententiam, ita contra se recipient : et sicut dure, et sine misericordia dant sententiam, ita dure et sine misericordia illa quæ aliis condemnatis fit, contra se recipient. Et istæ sunt formæ iudicii, secundum quas iudicia procedunt in innocentes condemnatos. Daniel. xiii, 52 et 53 : *Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius, iudicans iudicia injusta, innocentes opprimens, et dimittens noxios, dicente Domino : Innocentem et justum non interficies.* Iudicum, i, 7 : *Sicut feci, ita reddidit mihi Dominus.* I Reg. xv, 33 : *Sicut fecit absque liberis mulieres gla-*

¹ Apocal. xx, 12 : *Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni : et libri aperti sunt, et alius liber apertus est qui est vitæ, et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant*

in libris, secundum opera ipsorum.

² Sapient. xvi, 1 : *Propter hæc, et per his similia passi sunt digne tormenta, etc.*

³ Psal. xxiv, 10.

dus tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.

qua mensi fueritis, remetietur vobis. Hoc est ergo, quod dicit.

« Et in qua mensura, etc. »

Secunda ratio sumpta penes proportionem pœnæ inflictæ : quia sicut acerbas et crudeles pœnas secundum mensuram iniquæ voluntatis, et non secundum mensuram meriti eorum quos judicabant, infligebant : ita etiam secundum delicti hujus proportionem, majores aliis pœnas accipient a justo judice Deo.

Videtur autem, quod hoc sit falsum : quia multo ampliori pœna condemnatur, et majori damno, in æternum durante pœna, cum ea quam injuste affligerunt, et minus sit acerba, et minoris damni, et temporaliter durans.

Ad hoc dicendum, quod majori pœna damni et sensus punit Deus : et hoc ideo est, quia dignitas ejus contra quem peccatur, aggravat peccatum : peccatur autem in Deum, cujus dignitas et honor infinitus : et ideo etiam in nihilum contemnendus esset peccator, si non misericordia relaxans remitteret judicium. Pœna autem æterna est ideo, sicut dicit Glossa Septuaginta, quia « voluntas peccandi est æterna. » Cum enim aliquis cum finali impœnitentia in peccato moritur, voluntas ejus in malo obstinatur, et in æternum propter hoc gratiæ insusceptibilis efficitur : et ideo numquam peccatum aliquod ab eo solvitur : et cum pœna peccatum insequatur in æternum, consequens est ut puniatur. Hoc est ergo quod dicit, III Reg. xxi, 19 : *In loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Esther, vii, 10 : *Suspensus est Aman in patibulo quod paraverat Mardocheo.* Isa. xxvii, 8 : *In mensura contra mensuram, cum adjecta fuerit, judicabis eam.* Deuter. xxv, 2 : *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Luc. vi, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura*

« Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides ? »

Hic incipit pars illa, in qua removet judicium indignum. Quia, sicut dicitur, I ad Corinth. vi, 2 : *Sancti de hoc mundo judicabunt.* Et in Psalmo cxxix, 9 : *Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus, et non peccatoribus.* Et ideo hic agit de dignitate eorum, qui esse debent Prælati et judices aliorum.

Dicit autem circa hoc duo : quorum primum est, quod probat sine crimine judicando debere esse judicem : secundum autem est, quod in criminisum ponit invectionem, ibi, x. 5 : « *Hypocrita, ejice primum, etc.* »

In prima parte ponit duas rationes : quarum prima sumitur penes judicii discussionem, et secunda penes peccati quod judicatur et accusatur, purgationem.

In prima ratione tria innuuntur : judicantis videlicet major criminisitas, et judicati minor criminisitas, et judicantis et judiciali per naturam paritas : et ex his relinquitur quartum, quod est discussionis per judicium idoneitas.

Attende autem, quod majus crimen in judice duobus modis dicitur, ex genere videlicet, et ex nocumento. *Ex genere*, si simul subjacet judex odio et judicandus iræ : quia ira etsi forte appetat vel inferat vindictam verbo, vel verbere, tamen non repugnat reconciliationi. Odium autem est inveterata ira, quæ reconciliari non vult. Et sic magis opponitur charitati, et ideo pejor : et sic accipit Glossa Augustini. Unde Augustinus in *Regula* : « Melior est qui quamvis ira « sæpe tentetur, tamen impetrare festinat ut sibi dimittat cui se fecisse « agnoscit injuriam : quam qui tardius « irascitur, et ad veniam petendam diffi-

« cilius inclinatur. » Similiter in alio genere forte aliquis accusatur de fornicatione, et forte iudex subjacet incestui, vel adulterio, et sic est de aliis.

Alio modo quantitate *nocumenti* dicitur majus crimen iudicis : quia « in pluribus res redundat, et audaciam dat delinquenti, » sicut dicit Gregorius in *Pastorali*. Hunc quippe peccantem nemo arguere præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reverentia gradus peccator honoratur : et hoc modo *trabs* vocatur : quia sicut dicit Psalmus LXXII, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*. Peccatum enim iudicum convincit urbes et terras, et redundat in nocumenta multorum. Hoc igitur modo *trabs* vocatur : et oppositis modis peccatum subditi dicitur *festuca*. Non autem ponit festucam in iudice : quia si festucæ considerentur ad impedimenta iudicii, nullus omnino iudex inveniretur. *Frater* autem dicitur, quia natura æqualis est, et non est iudex nisi secundum quod justitia unum elevat per auctoritatem, et alterum deprimit iniustitia. Eccli. xxxii, 1 : *Rectorem te posuerunt ? noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis*.

Ex his constat, quod discutientem visionem in tali causa iudex non habet, ofuscato oculo justitiæ suæ per trabem. Ad Roman. II, 1 : *In quo iudicas alterum, te ipsum condemnas : eadem enim agis quæ iudicas*. Luc. IV, 23 : *Medice, cura te ipsum*. Nam

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Unde dicit Chrysostomus : « Omne peccatum, quod crimen est in sacerdote, trabs est propter ordinem, et in laico festuca. »

Hoc est ergo, quod dicit :

« Quid autem vides, »

Hoc est, per iudicium discutis et redarguis, « *festucam*, » hoc est, parvum

genere, vel nocumento, vel gradus circumstantia, « *in oculo*, » providentiæ operum, vel morum, « *fratris tui*, » tibi per naturam æqualis, etsi gradu alleviante peccatum tibi inferioris : cui etiam propter gradum magis est ignoscendum quam tibi.

« Et trabem, »

Hoc est, majus peccatum genere peccati, vel nocumento, vel circumstantia gradus, et ideo minus ignoscendum, « *in oculo*, » providentiæ tuæ, « *non vides*, » per discussionem et emendam.

Unde etiam Chrysostomus omnia hæc lenius exponit quam Augustinus, et alii Sancti, dicens, quod « sicut in præhabitis docuit Christus consequentia ad eleemosynam, quando voluit suos non esse sollicitos, quo minus largarentur, ita hic docet consequentia ad orationem, quando dicit : *Nolite iudicare, et non iudicabimini*. Si enim quis vult non iudicari a Domino pro suis delictis, non iudicet in se delinquentem : quia in quo iudicio illum iudicaverit, et in qua mensura ille mensuraverit pœnas ex iudicio infligendas, quo iudicat eum, eodem iudicio iudicabitur, et eadem mensura remetietur ei a Domino. » Unde; Luc. VI, 37 et 38, latius ista prosequens, dicit : *Nolite iudicare, et non iudicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite te, et dimittite temini. Date, et dabitur vobis*. Et « subjungit : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis*. Si enim non iudicans dimittis sine iudicio, merito charitatis dimittet tibi Deus : et hæc est mensura bona. Si autem iudicans quidem, sed non condemnans dimittis, iudicans te, sed non condemnans dimittit tibi Deus : secundum litteram « Græcorum. Si autem iudicas et con-

« demnas, dicens, quoniam tantum me-
« ruit qui mihi injuriatus est : et tamen
« condonas ei, judicans et condemnans,
« et tamen condonans dimittet tibi
« Deus : et hæc est supereffluens mensu-
« ra, eo quod Deus plura et majora tibi
« dimittit quam tu proximo. »

In hoc autem sensu etiam subjungit :
« *Quid vides festucam in oculo fratris
tui,* » qui te offendit : « *et trabem* » of-
fensæ Dei « *in oculo tuo non vides ?* »

Aut, qualiter per judicium et ultio-
nem vis ejicere festucam de oculo fratris,
qui trabem geris in oculo tuo, hoc est,
offensam Patris cœlestis ? Revertentes
autem ad litteram secundum omnes istas
expositiones in communi sequentia pro-
sequamur.

Dicit igitur :

4 « Aut quomodo dicis fratri tuo :
Sine, ejiciam festucam de oculo tuo :
et ecce trabs est in oculo tuo ?

5 Hypocrita, ejice primum trabem de
oculo tuo, et tunc videbis ejicere fe-
stucam de oculo fratris tui. »

Secunda ratio est, quæ est post di-
scussionem delicti purgatio. Dicit igitur :

« Aut quomodo, »

Omnis judex, aut sacerdos, vel quili-
bet alius, « *dicis fratri tuo,* » trahendo
eum in causam, vel citans coram te : si
judex es Ecclesiasticus, vel sæcularis,
frater est æqualis per naturam et partici-
pationem divinæ paternitatis. « *Sine,* »
hoc est, dimitte absque defensione tui,
« *ejiciam,* » per vindictam, vel discus-
sionem et purgationem judicii, « *festu-
cam de oculo tuo,* » sicut superius expo-
situm est, parvum genere, vel nocumen-
to, vel circumstantia gradus alleviantis
peccatum, « *et ecce trabs* » peccatum
magnum in genere, nocumento, et cir-
cumstantia gradus aggravantis, « *in*

oculo tuo est, » quo tua, vel aliorum
providere habes ? Ad Roman. II, 21 et
seq. : *Qui alium doces, teipsum non do-
ces : qui prædicas non furandum, fura-
ris : qui dicis non mæchandum, mæcha-
ris : qui abominaris idola, sacrilegium
facis : qui in lege gloriaris, per prævari-
cationem legis Deum inhonoras.*

Et ideo subjungit invectionem :

« Hypocrita, »

Larvate : quia judicando alium lar-
vam tibi alligas justitiæ, et secundum
viam propriam justitiæ non tenes verita-
tem et formam, « *ejice prius trabem de
oculo tuo,* » hoc est, de providentia, qua
tibi prospicere debes, « *et tunc videbis,* »
claro lumine providentiæ, quo prospici-
cere debes aliis, « *ejicere festucam de
oculo fratris tui.* » Unde Chrysostomus :
« Quis audiet eum docentem, qui se
« ipsum non audit ? » I ad Timoth. III,
5 : *Si quis domui suæ præesse nescit,
quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habe-
bit ?* Eccli. XIV, 5 : *Qui sibi nequam est,
cui alii bonus erit ?*

« Nolite dare sanctum canibus. »

Hic incipit pars illa, quæ est de di-
tributione sacrorum, quæ ministris et
Rectoribus Ecclesiarum committuntur.
Licet enim faciles velit eos esse ad in-
dulgendum, eo quod hoc facit ad lu-
crum animarum, non tamen vult eos
esse improvidos et faciles ad sacra indi-
gnis communicandum. Et ista occasione
etiam inducitur pars ista : quia possent
credere, quod ex quo non debent me-
minisse injuriarum, quod etiam in hoc
benignitatem deberent ostendere, quod
facile communicarent sacra talibus. Et
dicit, quod non : quia ex hoc non se-
quitur lucrum animarum, sed contem-
ptus Sacramentorum.

« Et hoc est : »

« Nolite dare sanctum, etc. »

Dicit autem duo : primo enim ponit inhibitionem, et secundo, adjungit inhibitionis rationem.

Inhibitio autem duplex est : prima est : « *Nolite dare sanctum canibus.* »

In qua tria notantur, scilicet quid prohibet ex parte ministri Ecclesiastici, cum dicit : « *Nolite :* » et quid non est communicandum, quia « *sanctum :* » et quibus non est communicandum, quia « *canibus.* »

« Nolite dare. »

In primo notatur, quod ministri Ecclesiæ voluntatem habeant non communicandi sanctificationes canibus, quamvis aliquando rapiant eas de manibus eorum : quia publice accedentem, de quo nesciunt caninum peccatum, nisi occulte, arcere non debent a communione Sacramentorum, quia per hoc proderent : sed occulte dissuadere, et inhibere : et in aperto non voluntarie, sed quasi coacti sustinere. Sicut ipse Dominus inter alios secum in catino intingentem non prohibuit Judam, ut dicitur, Matth. xxvi, 23, et Marc. xiv, 20.

Secundum est :

« Sanctum, »

Quod non est communicandum.

Et distinguit Chrysostomus inter sanctificatum et sanctificationem, ea distinctione quam ponit Augustinus inter sanctum Sacrum (alias, sacrans) et sanctum Sacramentum. Et ut hoc bene intelligatur, dicendum, quod *sanctificatio* proprie est forma illa quæ facit sanctitatem in omnibus quibus imponitur : sicut est benedictio et invocatio Trinitatis in sacramentis Ecclesiæ. *Sanctificans* autem et *sacrum* est sacramentum Ecclesiæ invocatione divini nominis sanctificatum, et gratiam conferens ei qui accipit. *Sanctificatum* autem *non sanctificans* est id

quod benedictione aliqua sanctificatur, sed gratiam non confert. Et hoc non proprie *sanctum* vocatur : quia sanctum est quod formam habet sanctitatis, sicut facientem sanctitatem in alio cui confertur : et hoc modo aqua benedicta, et prandium benedictum, et cætera hujusmodi sunt sanctificata. I ad Timoth. iv, 5 : *Sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem.* Sanctum ergo, quod hic vocatur *sanctum*, est sanctum sacrans, quod est sanctum sacramentum Ecclesiasticum, sicut Baptismus, Confirmatio, et Eucharistia, et alia hujusmodi. Unde de figura Eucharistiæ dicitur, I Reg. xxi, 4 : *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus,* manducant. I ad Corinth. xi, 28 et 29 : *Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Hoc igitur est *sanctum*.

Hoc dicit non esse dandum

« Canibus. »

« Canis enim, ut dicit Chrysostomus, « duas habet immunditias : quia nec ungulam dividit in duo, nec ruminat. » Et ego addo, quod tres habet secundum proprietates moris : duæ autem immunditiæ, ut dicit Chrysostomus, significant immunditiam ex infidelitate et ex moribus, sicut sunt pagani, hæretici, et perfidi Judæi.

Tres autem immunditiæ secundum mores sunt, una in latratu, et duæ in cibo. In latratu autem duas habet proprietates singulares, quæ sibi soli inter animalia conveniunt. Inter omnia enim animalia habet, quod vix emittit voces nisi ad abigendum supervenientes : cum alia animalia ad hoc non vociferent. Secunda est, quod cum clauso ostio deintus latrat, statim latrat ad quælibet impellentem ostium, antequam consideret utrum blandimento caudæ respiciendus sit, vel minantibus latratibus abi-

gendus. In cibo autem duas habet : quia et vorax est animal, ultra saturitatem se superimplens : propter quod etiam in hominibus talis appetitus vocatur *caninus*. Secunda est, quod redit ad vomitum, et iterato devorat eum.

Infideles igitur et corrupti in moribus significantur ex duabus immunditiis legalibus. Contentiosi autem et semper contra veritatem garrientes significantur ex hoc, quod non nisi abigendo latrat. In epistola III Joannis, 9 et 10 : *Diotrephes non recipit nos. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera quæ facit, verbis malignis garriens in nos : et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, et eos qui suscipiunt prohibet, et de ecclesia ejicit.* Per hoc autem quod latrat, non discernendo prius utrum amicus sit, vel non : significat iram, quæ oppugnat non discernendo quid oppugnet. Per voracitatem autem significat carnis et avaritiæ insatiabilitatem, quæ sunt duæ filiæ sanguisugæ¹. Isa. lvi, 11 : *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Per reversionem ad vomitum significat inconstantiam pœnitentiæ et virtutis : quia si etiam aliquid boni aliquando inceperint, statim ad pristina mala relabuntur. II Petr. ii, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti.*

His ergo sancta non sunt danda.

Secunda inhibitiō est :

« Neque mittatis margaritas vestras ante porcos : ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos. »

Et hic utitur alio modo loquendi quam prius.

Et quatuor hic notantur : quorum pri-

mum est, quod non dicit : Nolite mittere, sed dicit : « *Neque mittatis,* » innuens, quod hoc in nostro opere est cavendum, ne aliquo modo fiat.

Secundum est, quod dicit : « *Margaritas.* » Margarita enim est id quod invenitur in ostrearum conchis conclusum. Et hoc significat sanctarum Scripturarum sacrum et pretiosum intellectum in littera sicut in concha clausum. Unde, Psal. cxviii, 127 : *Dilexi mandata tua super aurum et topazion.* Et, Psal. xviii, 11 : *Judicia Domini vera, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum.* Matth. xiii, 46 : *Inventa una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.*

Tertio, notandum est quod dicit : « *Vestras,* » cum hoc de sanctis supra non dixerit : quia licet Spiritu revelante percipiamus veritatem Scripturæ, tamen quia studium adhibemus, nostrum est quod revelatur. Ad Roman. ii, 16 : *In die, cum judicabit Dominus occulta hominum, secundum Evangelium meum.* Quædam tamen Glossa hic ad idem refert et sanctum et margaritam, et dicit veritatem Evangelii per utrumque significari : per sanctum quidem, quia sanctificatum est et inviolabile : per margaritam autem propter proprietatem quæ inducta est, et quia propria corruptione non corrumpitur. Sed prima expositio est magis propria.

Quartum, quod hic notatur, est quod dicit : « *Ante porcos,* » quia veritas Scripturæ exposita proponitur ante audientes potius quam detur eis : et magister unus, qui in cœlis est, docet omnem illum qui docetur².

Sed attendendum est, quod porcus quatuor pessimas habet proprietates, præter immunditiam legalem, quam tangit Chrysostomus. Una est, quia est animal inter omnia naturalia animalia mon-

¹ Cf. Proverb. xxx, 15 : *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, affer.*

² Matth. xxiii, 8 : *Vos autem nolite vocari Rab-*

bi : unus est enim Magister vester. Cf. etiam, Jacob. iii, 1.

struosum. Secunda est, quia numquam est sui capitis erectivum, sed semper depressivum. Tertia est, quia cibi est sordidissimi. Quarta autem, quia in luto semper quærit volutari.

Monstruositas autem est, quia conjunguntur in eo oppositorum animalium proprietates quasi quædam membra monstruosa. Cum enim nullum animal in duo dividens unguam sit, quod non tamen ruminet, porcus in duo dividit unguam, et non ruminat. Adhuc, animal fissi pedis in multos digitos habet multos filios, et dividens unguam in duo tantum parit unum, et raro duos gemellos. Porcus autem convenit cum utroque : quia non habens in multa fissum pedem; sed in duo dividens unguam, parit multos porcos simul. Adhuc, animal in duo dividens unguam, habet in uno loco corporis mamillas : et animal in multa dividens, habet multas per totam longitudinem ventris mamillas. Porcus autem dividit in duo pedem, et per longitudinem ventris totam habet mammas. Adhuc, animal dividens unguam, habet sepum : porcus dividit, et non habet, sed sagimen. Adhuc, in pilis medium est inter hericium et pilosum, quasi compositum ex utroque. Adhuc, culmos habet in mandibula inferiori ad corrixandum, et similiter in mandibula superiori, licet sint breviores quam elephas : cum culmos habeat, non habet nisi in inferiori mandibula : et sic multa monstruosa deprehenduntur in porco. Propter quod etiam porcus dicitur quasi spurcus (alias, spurius) ex talibus compositionibus : quia cum conveniat diversis animalibus, semper retinet ex quolibet magis spurcam proprietatem : et quoad hæc significat monstruosos homines ex diversis vitiis compositos. Numer. XIII, 34 : *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo.*

Per hoc autem, quod est capitis depressivum, significat totos inhiantes terrenis.

Psal. XVI, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Daniel. XIII, 9 : *Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum.*

Cibi etiam est vilissimi, significans eos qui pascuntur immunditiis. Job, xxx, 7 : *Esse sub sentibus delicias computabant.* Isa. xxxvi, 12, dicit Rapsaces, qui diabolus significat, se esse missum *ad viros qui sedent in muro, ut comedant stercorea sua, et bibant urinam pedum suorum.* Thren. IV, 5 : *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercorea.*

Quod autem in luto volutatur, ut dicit Petrus ¹, significat transitum de peccato in peccatum : et non quiescit nisi in fœtore. Jerem. XLVIII, 11 : *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fœcibus suis.*

Immunditia autem legali est immundum : eo quod non in toto est immundum, ut dicit Chrysostomus, quia dividit unguam, sed in parte est immundum, quia non ruminat. Et per hoc significat non errantes in fide, sed in moribus : de quibus dicit Apostolus, ad Titum, I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

His ergo margaritæ non sunt proponendæ. Eccli. XXI, 18 : *Verbum sapiens quodcumque audierit sciens, laudabit, et ad se adjiciet : audivit luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum.* Proverb. XVIII, 9 : *In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui,*

Sed contra, Matth. X, 27, dicitur : *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* II ad Timoth. IV, 2 : *Insta opportune, importune.* Marc. XVI, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ.*

RESPONSIO, quod sancta sunt non talibus communicanda, quamdiu tales sunt : et si prædicatur eis, hoc non est quod exponantur eis occulta et clausa in Scri-

¹ II Petr. II, 22 : *Sus lota in volutabro luti.*

pturis profunda, sed potius fidei rudimenta : et hoc non contrariatur ad ea quæ sunt hic dicta. Joan. II, 23 et seq. : *Multi crediderunt in nomine ejus... Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine.* I ad Corinth. II, 6 et 7 : *Sapientiam loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.*

« Ne forte, etc. »

Istud est secundum, ubi dictarum prohibitionum assignat rationem, et ponit duas : unam, quæ sumitur ex parte Sanctorum, et margaritarum : et aliam, ex parte eorum quibus ista sunt credita tamquam dispensatoribus.

Prior est hæc : « *Ne forte conculcent eas pedibus suis.* » Et dicit : « *Forte,* » propter libertatem arbitrii : quia possunt conculcare, si volunt. Et dicit : « *Eas,* » innuens margaritas, quæ primo ante sancta præponuntur. Et non dicit : rumpent eas, quia verba Dei rumpi non possunt, licet possint vilipendi. Eceli. XIX, 12 : *Sagitta infixæ in femore canis, sic verbum in corde stulti.* Psal. XLIV, 17 : *Projecisti sermones meos retrorsum.*

« Et conversi dirumpant vos. »

Secunda ratio sumpta ex parte ministrorum. Et est sensus : « *Conversi,* » sive canes, sive porci, contra vos, « *dirumpant vos,* » quia tales accepta potestate impugnant et occidunt Sanctos. Psal. LXXVIII, 2 : *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cæli.* Dirumpunt etiam aliquando ad mala vitia pertrahendo.

Hoc est igitur, quod dicit de impedimenti istis.

« Petite et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. »

Hic incipit pars illa, quæ est de exemplis quæ monstranda (alias, monstrantur) ab his in quibus lex est perfecta, et intentio recta secundum superius inductum modum.

Et dividitur in tres partes : ita quod in prima ostenditur, quales esse debeant in affectu pietatis : in secunda, quales in operibus communicationis, ibi, §. 12 : « *Omnia ergo quæcumque vultis.* » In tertia, quales in progressu, sive profectu virtutis, ibi, §. 13 : « *Intrate per angustam portam.* »

In priori autem harum duo continentur : quorum primum est, quibus modis affectus pietatis ad Patrem ostenditur : secundum autem de fiducia, qua id quod pie petimus, impetratur, ibi, §. 8 : *Omnis enim qui petit, accipit.*

Continuatur autem primum ad præcedens secundum Chrysostomum, tribus modis : et secundum Augustinum, quatuor : et secundum quatuor continuatio-nes quatuor recipit distinctiones.

Secundum Chrysostomum, prima continuatio ejus ad omnia præcedentia : dictum enim est de legis impletione, de justitiæ modo secundum omnes partes sui, de non judicando aliquo : quæ omnia magna sunt, et supra hominis infirmi virtutem. Quia cum natura omnia armaverit animalia, aut robore corporis, aut armis ut cornibus, aut dentibus, aut ungibus, aut velocitate, aut aliquo tali, homini fortissima imperantur, cum debilissimus sit : et hoc ideo est, quia Deus ipse virtus ejus est. Unde, II Reg. XXII, 2 et 3 : *Dominus petra mea et robur meum, et salvator meus. Deus fortis meus, sperabo in eum.* Et ideo ad fortitudinem suam post omnia inducta monet eum converti, dicens : Non desperitis de imbecillitate vestra, quia magna impero. sed

« Petite, et dabitur vobis. »

Et secundum hunc modum tria sunt necessaria ad implenda prædicta : robur gratiæ, unde possimus : quæsitio viæ per quam perficiamus (alias, proficiamus), et perfectio per quam ad statum perfectionis introeamus. Primo namque paupertatem, et destitutionem nostram cognoscentes, non quærimus, quia scimus hoc quod deest, quod virtutem et robur implendi ministrat : et hæc est gratia virtutis a Deo danda.

Sed hac habita, dubitamus de modo proficiendi qui magis expedit nobis, et congruit secundum statum, et compendiosior est ad profectum : hoc enim ignoratur, et ideo quæritur : et hoc est, quod sequitur :

« Quærite »

Consilium ab expertis, et Scriptura, et scrutando in vobisipsis. Deuter. xxxii, 7 : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi : majores tuos, et dicent tibi.* Jerem. vi, 16 : *State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea.* Sic autem invento modo profectus pervenientes ad statum perfectionis, manu operis, et voce desiderii pulsamus ad mansionem æternæ beatitudinis, ut dicit :

« Pulsate, et aperietur vobis. »

Ad quod tria exiguntur, scilicet, quod immediate simus conjuncti januæ, et quod manu pulsemus, et vocem clamoris emitamus. Primum fit per statum perfectionis, qui est possibilis homini secundum modum vivendi, in quo est, sicut dicitur, III Reg. xix, 4 : *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam : neque enim melior sum quam patres mei.* Secundum fit per pulsationem magni meriti diu facti. Ter-

tium fit intentione desiderii. Cantic. v, 2 : *Vox dilecti mei pulsantis.*

Sunt autem tres gradus, quibus proficimus usque ad januam. Primus est in ordinatione passionum, et operum, et electionum sub medio virtutis : et hoc per virtutes morales, et intellectuales. Secundus est in ordinatione omnium animalium motuum, et virium sub mensura mentis : et hoc fit per virtutes heroicæ. Sed quia adhuc in his mens respicit inferiora, non est ibi status perfectionis. Tertius ergo est in ordinatione intellectuum et omnium delectationum et voluntatum nostrarum sub intellectibus et delectationibus divinis, altis, puris, et firmis : et tunc stamus ad ostium felicissimæ mansionis. Matth. xvii, 4 : *Bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, admirationis videlicet, delectationis, et quietis. Admirationis, in lumine veritatis : delectationis, in dulcedine bonitatis : quietis, in tota anima quietante (alias, quietantis) perventione ultimi et optimi finis, Ibi sedebit populus Dei in pulchritudine pacis, propter veritatem liberantem ab omni ignorantia et errore : in tabernaculis fidei, propter bonitatem excludentem omne genus malitiæ : et in requie opulenta¹, propter optimum quietis (alias, quietans) desiderium, excludens omne genus miseræ.*

Alius modus continuationis secundum Chrysostomum est iste, quod in præhabitis ponit consequentia ad partem justitiæ : quæ est oratio, quæ conditionem habuit hanc, quod si dimiserimus in nos peccantibus, quod etiam nobis dimittetur : et quales essemus in dimittendo, quod nec judicarem, nec condemnarem : talis esset nobis Pater cœlestis in dimittendo debita nostra. Si ergo omnia hæc observamus, libenter festucam non advertentes, ut Pater dimittat nobis trabem, dicit nobis Dominus : Si tales estis, exaudibilis est oratio omnis, quam facitis.

¹ Isa. xxxii, 18.

« Petite ergo, et dabitur vobis. »

Et secundum hæc tria sunt : unum est finis, ad quem volumus pervenire : et hoc est bonum increatum : et duo sunt universaliter ducentia ad illud, quorum unum est bonum virtutis, et alterum, lumen veritatis : et secundum hoc petite quodcumque bonum virtutis. Joan. xvi, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

« Quærite »

Lumen veritatis. Baruch, iii, 14 : *Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus : ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax.*

« Pulsate, »

Ante introitum ad increatum bonum æternitatis in conjunctione spiritus, in charitate affectus. Ad Philip. iii, 12 : *Sequor, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum.* Act. xvii, 26 et seq. : *Definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, scilicet hominum, quærere Deum si forte attrectent eum, aut invenient, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* Sumus enim bono gratiæ, movemur veritatis lumine, sed vivimus conjunctione vitæ æternæ. Sic etiam Christus dicit, Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, exemplo virtutis : et veritas, lumine veritatis : et vita, æternitate (alias, æternæ) divinitatis.*

Tertius modus continuationis secundum Chrysostomum, est ad immediatum præcedens. Dictum est, quod sancta non sunt danda canibus, et margaritæ non sunt mittendæ ante porcos. Et possent quærere Apostoli dicentes : Dicis quod mittis nos sicut oves in medio luporum, ut capiamus lupos : et prohibes ne tua communicemus eis : qualiter ergo convertemus eos ? Respondit Christus :

« Petite, et dabitur vobis. »

Et secundum hoc sic distinguitur : « *Petite* » animarum vobis commissarum salutem, « *et dabitur vobis.* » Jacob. v, 16 : *Orate pro invicem ut salvemini.* Petivit Stephanus, et datus est ei Paulus : petivit et Christus, et multi dati sunt ei. II Machab. iii, 33 : *Oniæ sacerdoti gratias age : nam propter eum Dominus tibi vitam donavit.* Job, xlii, 8 : *Job servus meus orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam ut non vobis imputetur stultitia.*

Ne autem crederent, quod sola oratione laborandum est : ideo addidit :

« Quærite et invenietis : »

Eos ad salutem monendo, arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia et doctrina, instando opportune, impertune ¹. Genes. xxxvii, 16 : *Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant greges ?* Luc. xv, 8 : *Accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat.*

« Pulsate, et aperietur vobis. »

Nec tantum sic quærendum est, sed etiam manu sollicitudinis continuæ pulsandum et excitandum ad profectum exemplo ejus, qui dicit, Apocal. iii, 20 : *Ecce sto ante ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Cantic. v, 2 : *Aperi mihi, soror mea, unica mea, columba mea, immaculata mea : quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* Quia etiam si contingat rore perfundi et infundi imbribus, a pulsatione non desistamus : quia tandem intrabimus improbitate in corda eorum : sic enim intraverunt Martyres tandem quasi fatigato diabolo devicto.

¹ Cf. II ad Timoth. iv, 2.

Hæc igitur dicta sunt secundum Chrysostomum.

Beatus autem Augustinus continuat at mediatum præcedens sic : Dixisti non esse dandum sanctum canibus, et margaritas non esse spargendas ante porcos. Hoc divitum est, habentium sancta et margaritas : nos autem conscii nostræ paupertatis et infirmitatis, unde accipimus sancta, quæ non debemus dare canibus ? Et unde venient nobis margaritæ, quas non mittamus ante porcos ?

Ad hoc per antipophoram respondet Dominus dicens : « *Petite.* » Et secundum hoc ista tria distinguuntur per similitudinem quamdam ad fidem, spem, et charitatem. Si enim aliquis debens proficisci et pervenire ad patriam, virtutem ambulandi in pedibus non habeat, et etiam viam per quam ambulet, nesciat, primum est ut petat a medico sanitatem pedum, qua data, sibi quærat viam, qua inventa, et pervento ad patriam, pulset ad ostium, et intret in domum, et maneat. Hæc ergo tria secundum quamdam Glossam Augustini ita distinguuntur, ut petatur fide : quia, Act. xv, 9 : *Fide purificans corda eorum.* Et sic fides operans per dilectionem dat vires. Quæritur autem spe : quia sicut dicitur, ad Hebr. vi, 19 et 20 : *Spes incedit usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus.* Et sic anchora projecta in littus æternitatis non permittit nos abduci per devia erroris, et voluptatis sæculi. Charitate autem pulsamus, et ingredimur : quia illa aperit januam regni. Isa. xxxi, 9 : *Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem.*

Alia Glossa Augustini sic distinguit sub eodem modo continuationis, quod duo sunt necessaria ad vitam viæ, vires ad agendum, et demonstratio rerum : et ad primum exigitur robor sanitatis : et hoc petitur, et datur in bono virtutis : secundum autem quæritur, et invenitur in cognitione veritatis : et unum est se-

cundum perfectionem activæ, alterum autem est secundum perfectionem contemplativæ, sed possessio non est nisi ex dono perseverantiæ, et illa pulsatur. Luc. xi, 8 : *Si perseveraverit pulsans, dabit illi quotquot habet necessarios.* Et tunc redit ad hoc, quod petitur perfectione actionis : quæritur veritate contemplationis : pulsatur autem perseverantia consummationis. Licet enim in humanis demonstratio veritatis sit ante perfectionem actionis, tamen in divinis est e converso : quia, sicut dicit Gregorius : « Per operationem venit ad contemplationem, « et per hæc duo ad perseverantiam, « quæ introducit ad æternitatis possessionem. »

Ad hæc ergo redeunt expositiones Sanctorum pro maxima parte. Petitur autem corde, quæritur ore, pulsatur manu : ut plena orantis notetur conversio ad Deum : vel quia in oratione tria sunt, ascensio intellectus in Deum, ut dicit Damascenus : ascensio affectus in Patrem, ut dicit Augustinus : et instantia lacrymis demonstrata : petitur affectu, quæritur intellectu, et pulsatur lacrymis. Sic orabat Jacob ¹, et Tobias ². Unde Glossa super Tobiam : « Oratio Deum « lenit, lacryma cogit : hæc ungit, illa « pungit. » Vel, quia sunt tres gradus maximæ perfectionis in Ecclesia : petunt virgines, quærunt Doctores, pulsant Martyres. Aut quia oratio est petitio decentium a Deo, petitur triplex bonum, temporale infirmitatis solatium, virtutis ad meriti profectum, et gloriæ in præmium. Quæritur etiam bonum triplex, viæ, veritatis, et vitæ : in via dirigit consilium, in veritate Scripturarum studium, vitam largitur Spiritus sancti solatium. Pulsatur etiam ad triplex ostium, clementiæ ad peccati remissionem ; intelligentiæ ad veritatis revelationem, familiaritatis divinæ ad Spiritus Dei societatem. His et aliis plurimis modis variari possunt ista.

¹ Cf. Genes. xxv, 25 et xxxii, 24 ; Osee, xii, 4.

² Cf. Tob. iii, 1.

Sed hoc advertendum est, quod cuilibet trium adjungitur proprium respondens : petitioni enim adjungitur datio doni : « *Petite, et accipietis.* » Donum enim est datio irreddibilis, ut dicit Philosophus. Ad Roman. xi, 35 : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei ?*

« *Quærite, et invenietis.* » Quæsitio autem adjungitur inventio, hoc est, intus inventio per experimentum : quia cum quæsitio fiat profectu virtutis, non potest esse, quod virtutis actus et bonum exeat, et fiat ab anima viva et perceptivam vim habente, quin experimento gustus spiritualis percipiat quid dulcedinis est in virtute. I Petr. ii, 3 : *Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus.* Psal. xxxiii, 9 : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* Et sic per gustum intus venit, et in fructus spiritus perficit.

« *Pulsate, et aperietur vobis.* » Pulsationi autem adjungitur apertio ad introitum quasi ad mansionem quietis, quæ status est quietissimus in optimo totum desiderium quietante. Et ostium illius est apertio præsentiae remoto repagulo similitudinis vestigii, vel imaginis. Et introitus est sine medio perceptio summæ bonitatis. Psal. cxvii, 20 : *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.* Item, Psal. xxiii, 7 et 9 : *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales.*

8 « Omnis enim qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur. »

Hic dat fiduciam impetrandi, et habet duas partes. Una est sumpta ex parte orantium : altera ex parte ejus, qui oratur, ibi, v. 9 : « *Aut quis ex vobis homo, quem si filius petierit panem.* »

Prima dat fiduciam ex parte orantium : quia omnis sive justus, sive injustus fuerit, sive dives, sive pauper, qui orat in

prædictis conditionibus, exauditur. Et ideo non oportet causari, *quia peccatores Deus non audit*¹ : et quia *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*². Quia

« Omnis qui petit, accipit. »

Joel, ii, 32 : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Nam, ut dicitur, ad Roman. x, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* I Joan. iii, 21 et 22 : *Fiduciam habemus ad Deum : et quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* Joan. xvi, 24 : *Petite, et accipietis.*

Sed contra, Paulus, II ad Corinth. xii, 8 et 9 : *Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me : et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea.* Matth. xx, 22 : *Nescitis quid petatis.*

RESPONSIO. Quidquid petitur pie, pro se, perseveranter, ad salutem, datur, sicut superius diximus. Unde, Joan. xv, 7 : *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quod pertinet ad pietatem : quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.* Et, in eodem, xvi, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et dicit, *petieritis*, quod est futurum conjunctivi, descendens a præterito, et significat perseverantiam ex præterito in futurum per præsens. *In nomine* autem Jesu, est ad salutem petere : et hoc *fiet vobis*, quia hoc pro vobis est petere. Bonus enim aliquando malum sibi bene petit, sicut Paulus : et pessimus aliquando alicui bonum male petit, sicut qui petunt tentari. Jacob. iv, 3 : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.*

« Et qui quærit, invenit. »

Sapient. i, 1 et 2 : *In simplicitate cordis quærite illum : quoniam invenitur*

¹ Joan. ix, 31.

² I Joan. 1, 8.

ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum. Isa. LV, 6 : Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est.

« Et pulsanti aperietur. »

Hic dicit in futuro, « *aperietur*, » cum petitioni et quæstioni reddiderit respondentia in præsentia : quia petitur gratia sanitatis et roboris, quæ in præsentia exhibetur, ut reducamur (alias, deducamur). Psal. XLII, 3 : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Pulsatur autem ad reserationem præsentem veritatis ac mansionem beatitudinis : et hæc in futuro plene fient, et non nisi raptim et imperfecte in hoc præsentia. Isa. XXII, 22 : *Dabo clavem domus David super humerum ejus : et aperiet, et non erit qui claudat : et claudet, et non erit qui aperiat.* Isa. XXVI, 2 : *Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.*

Sic ergo habetur fiducia ex parte orantium.

« Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei ? »

Hic ostenditur fiducia impetrandi, sumpta ex parte Dei qui oratur.

Et tangit duo : primo enim tangit affectus humani ad filium hominis quamdam similitudinem : et secundo, arguit effectus Patris cœlestis ad filios adoptionis majorem esse benignitatem, ibi, ꝯ. 11 : *Si er- go vos, cum sitis mali, etc.*

Affectus autem humani similitudinem ponit in petitionibus duabus, panis scilicet, et piscis, ibi, ꝯ. 10 : « *Aut si piscem petierit.* »

In prima similitudine quinque notantur, quorum primum est, ejus a quo in humanis petitur natura : secundum, affe-

ctus ejus a quo petitur : tertium, fiducia ratio ejus qui petit : quartum est petitum : quintum autem, auditio ejus qui petitur.

Primum notatur in hoc, quod dicit :

« Quis ex vobis homo. »

Et tangit tria : universalitatem per infinitatem ejus, cum dicit, « *Quis.* » Bonam dispositionem, cum dicit, « *Ex vobis,* » quia barbari quidam aliquando filios suos devorant. Tertium, cum dicit, « *Homo,* » qui imperfectæ est bonitatis et ex se ipso malus. Psal. XIII, 3 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt,* etc. Ad Roman. III, 10 : *Non est justus quisquam :* tamen si aliquis est de Apostolis, et pietatem colentibus est. Eccle. VII, 29 : *Virum de mille unum reperi,* hoc est, pietatem naturæ colentem. Illi enim omnes faciunt istud quod hic dicitur. Sicut enim dictum est, barbari quidam feritatem belluarum excedentes, devorant aliquando filios, et præcipue filias, quando plus una, vel duabus genuerunt, quod non facit aliquod animal : quia etiam si ea quæ sunt suæ speciei comedat, tamen natis pareit, quamdiu sunt parvi. Isa. LIX, 16 : *Vidit Dominus quia non est vir : et aporiatus est.* Genes. VI, 12 : *Omnis quippe caro corruperat viam suam.*

Hæc ergo est causa, quod dicit, « *Ex vobis homo.* » Naturam tangens in hoc, quod dicit, « *homo,* » cultum autem pietatis in hoc, quod dicit, « *ex vobis.* » Qui enim nec nuptias custodiunt, nec filios utrum sui sint, cognoscunt, faciunt illud Sapient. XIV, 23 et 24 : *Filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insanix plenas vigiliis habentes, neque vitam, neque nuptias mundas jam custodiunt.*

Deinde tangit eum, a quo petitur, dicens :

« Quem si petierit »

Patrem, qui suum habet in filio

per naturam, et Ideo conjunctissimus est ei : nec potest esse, quod natura cultu pietatis innata, affectu non sequatur substantiam quam habet in filio.

Et deinde tangit petentem, dicens :

« Filius suus, »

Per naturam, imaginem et disciplinam.

Et tangit petitum, cum dicit :

« Panem, »

Per quod intelligitur sustentatio necessitatis et perfectio roboris.

« Numquid lapidem poriget illi ?

Affectus est exauditionis in necessariis.

10 « Aut si piscem, petietit numquid serpentem porriget ei ? »

Similitudo est sumpta a secunda petitione, et exponenda est, sicut prior, nisi quod piscis significat dulcoramentum naturalis refectionis.

Attende autem, quod in ista similitudine Deus excedit natura hominem : quia non imperfecte, sed substantialiter (alias, supernaturaliter) est bonus, Matth. xix, 17, et Marc. x, 18 : *Nemo bonus, nisi unus Deus*. Pietatis cultu excedit omnem hominis pietatem, Isa. xlix, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*. Filii autem sunt spiritum adoptionis ab ipso accipientes, Ad Roman. viii, 14 : *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*. Panis autem qui cor hominis confirmat, ut dicit Glossa, est charitas, quæ confortat. Cantic. viii, 6 : *Fortis est ut mors dilectio*. Et sicut omnis mensa quidquid deliciarum habet, inops est sine pane, ita omnes virtutes sunt inopes sine charitate. I ad Corinth. xiii,

2 : *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*. Piscis autem est fides, secundum Glossam, quia in aquis baptismi nascitur, et de invisibilibus profundis eruitur. Ad Hebr. xi, 1 : *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Et per has duas virtutes intelligitur media spes, quam Luc. xi, 12, significat in ovo, in quo nondum habetur pullus, sed expectatur : sicut in spe beatitudo non habetur, sed expectatur. Ad Roman. viii, 24 et 25 : *Nam quod videt quis, quid sperat ? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus*. Lapis autem significat cordis obdurationem charitati contrariam, Job, xli, 15 : *Cor ejus indurabitur tamquam lapis*. Serpens autem significat perfidiam erroris contrariam, fidei, Genes. iii, 13 : *Serpens decepit me*. II ad Corinth. xi, 3 : *Timeo ne sicut serpens decepit Hevam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri et excidant a simplicitate, quæ est in Christo*. Scorpio autem propter aculeum significat retro adspicere, quod est causa desperationis. Genes. xix, 26, Uxor Lot adspexit retro, et conversa est in statuam salis. Secundum Chrysostomum, omnia ista sunt sicut hic : nisi quod dicit, quod panis significat virtutem quam confert robur Patris. Psal. clvii, 14 : *Adipe frumenti satiat te*. Piscis autem significat cognitionem Filii, quæ accipitur in aquis Scripturæ. Unde, Joan. xxi, 13, dedit discipulis panem et piscem.

Forte non incongrue secundum præinductas expositiones dicetur, quod cum in virtute duo sint, difficile et bonum : et bonum illud est honestum, quod sicut dicit Tullius, sua vi nos trahit, et sua dignitate nos allicit : et de quo (alias, qua) dicit Ambrosius, quod fructus est, qui suos possessores delectat sancta et sincera delectatione (alias, dilectione) : quod virtus per hoc quod est circa difficile, significatur per panem :

quia sic pro certo confortat. Unde etiam virtus dicitur quasi vi tuens. Et hic est panis, quem Abraham Patriarcha, Genes. xviii, 3, proposuit dicens : *Ponam buccellam panis, et confortate cor vestrum* : quia buccella est captum in cella oris, et virtutis difficile commensuratur capacitati hominis. Bonum autem, sive dulce virtutis significatur per piscem : propter quod et Dominus numquam pavit turbas nisi pane et pisce : et ideo non facit mentionem de carne, quia inflammat ad libidinem, et piscis temperat ad sedationem libidinis. Et hæc est causa, quod misit piscatores qui docerent, et non carnifices. Et ideo Religiosi patres exemplum a Christo accipientes concedunt in suis Ordinibus pisces, et prohibent carnes. Turba enim Christi non est pasta in deliciis nisi pane et pisce. Aliquando etiam esuriunt : secundum hoc lapis significat duritiam ad virtutem, Ezechiel. xi, 19 et 20 : *Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum : ut in præceptis meis ambulent*. Serpens autem illecebrosus et repens, delectationem significat contrariam dulcedini virtutis : et venenum delectationis serpens in natura. I ad Corinth. x, 9, Numer. xxi, 3 et 6, qui ex delectatione gastrimargiæ murmuraverunt, a serpentibus perierunt. Hoc igitur modo possunt non incongrue exponi prædicta.

« Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est dabit bona petentibus se !

Secundum est istius partis, in quo arguit a minori secundum similitudinem inductam : et ideo duo facit. Primo repetit notam minoris, hoc est, ejus quod minus videtur, ex quo arguit : et secundo, inducit ex illo majus, sive hoc quod magis videtur cum nota majoritatis, ibi, « *Quanto magis, etc.* »

Dicit ergo :

« Si ergo vos, »

Homines, vel Apostoli, secundum Chrysostomum.

« Cum sitis mali, »

Ad malitiam inclinati. Genes. viii, 21 : Proni sunt sensus hominis ad malum. Vel, « *mali,* » in malo originali nati, Ad Ephes. ii, 3 : *Eramus natura filii iræ*. Psal. l, 7 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus, sum, etc.* Malo tomitis subjecti, Ad Roman. vii, 18 : *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum*. Et, ibidem, 21 : *Invenio legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet*. Vel, « *mali,* » hoc est, corruptibilitati, cui omnis creatura subjacet, inclinati, Job, iv, 18 et 19 : *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem : quanto magis hi qui habitant domos luteas, et qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tineas ?* Vel, « *mali,* » secundum Chrysostomum, Deo comparati, Job, xxv, 4 et seq. : *Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere ? Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus : quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis ?* Aut, « *mali,* » mali veniali, quæ remittit fervorem boni. Isa. lxiv, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ*. Licet ergo, Genes. i, 31, viderit Deus cuncta quæ fecerat, et fuerint valde bona, tamen istis modis etiam hi qui boni sunt in se, mali vocantur.

« Nostis, »

Per approbationem eorum, et beneplacitum filiorum, quibus datis. Proverb. iii, 12 : *Pater in filio complacet sibi*.

« Bona, »

Temporalia. Isa. I, 19 : *Bona terræ comedetis*. Genes. XLV, 18 : *Dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ.*

« Data, »

Vobis, quæ non vestra sunt. I Paralip. XXIX, 14 : *Quæ de manu tua accepimus dedimus tibi*. I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti?*

« Filiis vestris, »

Quos non fecistis, sed qui ex vobis facti sunt. Psal. XCIX, 2 : *Ipsè fecit nos, et non ipsi nos*. Jerem. XVII, 6 : *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel*. A patre enim carnali non habetur nisi luti misti materia.

« Quanto magis Pater vester, »

Per substantiam bonus. Psal. CXVIII, 68 : *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas*. Non attendens aliquid in filiis nisi bonum filiorum. Ad Hebr. XII, 10 : *Ad id quod utile est, erudit nos Pater spiritu, in recipiendo sanctificationem ejus.*

« Qui est in cœlis. »

Non sustinens mutationes effectuum, sicut terrena. Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus ut filius hominis, ut mutetur*. Isa. LV, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.*

« Dabit »

Liberaliter, faciliter, et abundanter. Cantic. V, 14 : *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis* : in manibus est abundantia potestas. In hoc quod torna-

tiles sunt dandi facilitas : in hoc quod aureæ, doni utilitas : in hoc quod plenæ hyacinthis qui sunt sereno cœlo similes, doni pretiositas : in hoc autem quod plenæ, abundantia copiositas.

« Bona, »

Omnia. Exod. XXXIII, 19 : *Ego ostendam omne bonum tibi*. Luc. XI, 13, dicitur : *Dabit spiritum bonum* : quia utraque dat et spiritum bonorum distributorem, et bona spiritus ipsius.

« Petentibus se, »

Filiis quos ipse fecit. Isa. LX, 21 et 22 : *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam.*

« Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim Lex, et Prophetæ.

Hic incipit pars illa, quæ est de effectu communicationis ad proximum : et circa hoc dicit duo. Primo enim ponit effectum communicationis : secundo autem (alias, ostendit) in hoc esse perfectionem legis, ibi, « *Hæc est enim Lex.* »

Adhuc, in priori duo dicit : primo enim dat formam mandati : et secundo, mandatum communicationis proximi.

Continuatio autem est ad præcedens. Quoniam dixit petendum, etc. : sed si vultis omnia illa fieri, « *omnia ergo quæcumque, etc.* » Vel, quia multa dixit de legis impletionem et intentionis simplicitate : sed si omnia hæc ad summum vultis implere, « *ergo omnia quæcumque vultis, etc.* »

In forma autem hujus mandati continentur quinque : quorum primum est acceptationis eorum quæ nobis volumus fieri, universalitas : secundum est forma, quæ est voluntatis acceptantis qualitas :

tertium, eorum quæ nobis fieri volumus, in opere efficacitas : quartum, eorumdem apud nos utilitas : et ultimum est eorum a quibus hæc fieri volumus, rationabilitas : et de his dicemus per ordinem.

Universalitas autem est hic duplex : quia dicit :

« Omnia quæcumque. »

Et prima distributio distribuit pro generibus singulorum, in quibus communicant homines secundum legitimos actus : secunda autem distribuit pro singulis generum sub generibus illis acceptis. Et est sensus : Omnia communicabilia secundum genera, et quæcumque sunt sub generibus illis accepta.

Attende autem quod ad communitatem vitæ civilis inter homines non pertinent, nisi quæ sunt secundum legitimos actus : similiter ad communicationem vitæ, quæ est civium Ecclesiæ, non pertinent, nisi quæ sunt legitima secundum ordinem legis divinæ et statuta sanctorum Patrum. Sic enim dicitur, ad Ephes. II, 19 : *Non estis hospites, et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei.*

Secundo, tangit formam et qualitatem ejus, quod (alias, quia) hæc, in quibus nobis communicant homines, acceptat, cum dicit :

« Vultis. »

Et dicit Glossa, quod voluntas hic tantum de bonis accipitur : unde Augustinus : « Voluntas namque non est nisi in « bonis : nam in malis, flagitiosisque factis non voluntas, sed cupiditas dicitur « proprie : » et hoc est, quod supra diximus secundum Damascenum et Aristotelem (alias, Augustinum), « voluntatem « omnem in ratione esse : » de hoc autem in philosophicis in libro nostro de *Anima*, plene est determinatum¹. Hoc

igitur modo acceptans id in quo communicat nobis proximus, est formatum secundum rationis qualitatem, in qua sunt juris rationes et ordines, et charitatis communicationes.

Tertium (quod est operis efficacitas) notatur in hoc, quod dicitur :

« Ut faciant. »

Non enim satis est velle, si adsit facultas, sed oportet quod reducatur ad opus. II ad Corinth. VIII, 11 : *Quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo quod habetis.*

Utilitas autem tangitur, cum dicitur :

« Vobis. »

Hoc enim nobis fit, quod utiliter nobis fit : sed quod nocet, non nobis, sed contra nos fit.

Per hoc autem, quod ultimo tangit :

« Homines, »

Quorum est ratione gubernari, vult intelligere tantum hoc quod fit rationaliter.

Et per istam lectionem omnes objectiones sunt exclusæ : quia secundum hoc non volumus nobis fieri concubitus, vel adulterium, vel injuste, vel irrationabiliter fieri aliquid.

Et ideo secundum hanc formam, qua volumus nobis communicare proximum, ponit præceptum communicandi proximo dicens :

« Et vos facite illis. »

Natura enim ordinata (alias, ordinabiliter) præponit se : et hoc modo perficit eam charitas. III Reg. XVII, 13 : *Mihi primum fac de ipsa farinula : tibi autem et filio tuo facies postea.* Cum enim omnis virtus sit in medio quod quoad nos

(¹) Cf. Lib. II de *Anima*, tract. I, cap. 44 et 42. Tom. V hujusce editionis.

determinatur, oportet quod prima ratio modificandi omne opus virtutis accipiatur ex nobis. Et ideo etiam Dominus primo in mandato isto formam jubet accipi ex nobis. Hoc autem idem est quod dicitur, Levit. xix, 18, et Matth. xxii, 39 : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Negativa autem pars hujus mandati continetur, Tob. iv, 16 : *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias*. Et tunc sunt ista duo completa justitia, cujus perfectam declinationem a malo dicit Tobias : perfectam autem inclinationem ad bonum dicit hic Dominus.

Attende autem, quod quidam dicunt in his duobus jus naturale contineri : quod nullo modo est verum. Quia illud quod hic dicitur utiliter de omnibus, præponitur illis in quibus sibi mutuo communicant homines secundum formam unius charitatis et juris : et hoc est tam naturale quam positivum, quam emergens : etiam de hoc nihil a legislatore est constitutum. « Jus autem naturale, ut dicit Tullius, quod non opinio genuit, sed innata quædam vis inse-ruit. » Sicut enim intellectus speculativus apud se habet communes animi conceptiones, quas non discit a magistro, sed mediantibus illis accipit scientiam per doctrinam : ita etiam intellectus activus apud se habet universalis morum, quæ sunt communes animi conceptiones, quas quisque probat auditas, per quas accipit scientiam et electionem moralium et prudentiam. Sicut non esse mæchandum, non esse furandum, et hujusmodi. Unde Boetius in libro de *Consolatione Philosophiæ* dicit, quod « intellectus naturalis « summa retinet, et singula perdit : » et dicit, quod « verba juris scripta sunt in « naturali judicatorio, » et illa sunt jus naturale proprie loquendo.

Posito igitur hujusmodi præcepto communicationis, adjungit utilitatem ejus, cum dicit :

« Hæc est enim Lex, et Prophetæ. »

Attende autem, quod non dicit : tota lex : quia non dixerat nisi *quæcumque vultis ut faciant vobis homines* : et non dixit simpliciter, quæcumque vultis vobis fieri. Et ex quo in modo loquendi non tetigit nisi communicationem et dilectionem proximi, non dicit tota lex : quia pars legis est de dilectione Dei. Matth. xxii, 40 : *In his duobus mandatis universa Lex pendet, et Prophetæ*. Possemus tamen dicere, quod hic non loquitur nisi de communicatione proximi, cui communicamus in operibus : quod non facimus cum Deo, quia illi communicamus affectu et spiritu. In dilectione autem proximi, quando propter Deum proximum diligimus, includitur dilectio Dei : et sic cum dicit, « *Hæc est Lex,* » intelligitur tota lex. Ad Roman. xii, 9 et 10 : *Non adulterabis : Non occides : Non furaberis : Non falsum testimonium dices : Non concupisces : et si quid est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.*

Sed quæritur quare addit *Prophetas* ?
RESPONSIO. Per Prophetas notat omnes scripturas additas legi : quia in illis sunt promissiones, quæ etiam implentur merito communicationis justitiæ, et merito communicationis charitatis.

Hoc est ergo quod dicit de communicatione, quæ pertinet ad proximum, in qua est operis perfectio.

« Intrate per angustam portam. »

Hic ultimo inducit profectum virtutis quoad seipsum. Quia enim aliquis diceret : omnia gravia sunt quæ imperas : ideo dicit, quod hoc verum est, quia per angustam portam oportet ingredi ad vitam.

Tangit autem duo : primo ponit ad-

monitionem, et secundo inducit suæ admonitionis rationem, ibi, « *Quia lata,* etc. »

In admonitione tria sunt notanda, scilicet, quæ sit porta, qualiter angusta, et qualis introitus.

« *Intrate per portam.* »

Porta autem est hic introitus ad vitam, sicut inferius dicitur : et multiplicatur porta, scilicet introitus ad vitam. Est autem introitus ad vitam redemptionis Ecclesiæ : et est introitus ad vitam gratiæ : et est introitus ad vitam gloriæ.

Et primus quidem introitus duplex est : unus est per Christum redimentem, et alter est per sacramenta, per quæ gratiam redemptionis accipimus. Primo modo dicitur, secundum quamdam Glossam, Christus *porta*. Joan. x, 9 : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur.* Secundo modo, vulnus lateris ex quo fluxerunt sacramenta, aqua expiationis et sanguis redemptionis, dicitur *porta*. Unde Glossa dicit : « Quid « *angustius illo foramine quod lancea militis fecit in latere Christi, per quod tamen fere totus intravit mundus?* » Psal. cxvii, 20 : *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam.*

Ad vitam autem gratiæ non intratur nisi per portam virtutis, de qua dicitur in Psalmo cxvii, 19 : *Aperite mihi portas justitiæ.* Genes. xxviii, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli.* Isa. xxviii, 6 : *Erit Dominus fortitudo revertentibus de bello ad portam.* Introitus autem iste in vitam gratiæ specialiter est per charitatem : et ideo charitas dicitur *porta*. Hæc est enim porta orientalis, per quam oriens ex alto princeps Jesus ad nos ingressus est, et per quam etiam egressus est in cælum : et clausa omnibus non pertinentibus ad membra corporis ejus : nec unquam alicui nisi sibi in integritate membrorum suorum aperietur. Ezechiel.

xliv, 2 et 3 : *Porta orientalis clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam : quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi.* Hæc dicitur *arcta*. Angustum enim est inimicos diligere, nullum judicare, ad unum contendere, nil nisi Christum amare, et hujusmodi.

Introitus autem ad gloriam est per portam perseverantiæ, quæ datur in fine omnium bonorum ad viam pertinentium : et inchoatur a principio eorum, in proposito permanendi cum Christo. Et hæc est porta, de qua dicitur in Psalmo cxxvi, 5 : *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis : non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.*

Omnes istæ portæ angustæ sunt valde, ita quod foramini acus comparantur. Sed Littera specialiter videtur intelligi de porta virtutis, et antonomastice de porta charitatis, et per effectum intrandi, de porta perseverantiæ. Unde forte melius dicitur, quod porta est virtus : apertura, charitas : introductio, perseverantia. Proverb. xxxi, 23 : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.*

« *Angustam.* »

Hæc porta dicitur *angusta* tribus de causis secundum Chrysostomum : una est propter præcisionem eorum quæ adhærent intranti, cum quibus intrare non potest : altera, propter paucitatem euntium eorum qui cohærent intranti : tertia, propter difficultatem transeundi per eam. Ea enim, quæ cohærent homini, sunt in quibus et natus et enutritus est contemporanea naturæ existentia : quæ sunt, gaudere in præsentia delectabilium corporis, et tristari in absentia eorundem : tristari in præsentia tristabilium corporis, et gaudere in eorundem absentia. Delectabilia autem corporis sunt ad luxum pertinentia concupiscentiæ in gustu et venereis : et ad concupiscentiam

oculorum in his quæ avare congregantur, et avarius retinentur : et in his quæ pertinent ad pompam sæculi, superbiam vitæ, dignitatum ambitionem, et honorem primatum, et vani applausus, et laudes, in quibus gaudet humanæ vitæ concupiscentia, et tristatur in absentia eorumdem. Tristatur etiam in præsentia jejuniorum, orationum, humilitatis in veste, dimissione sociorum, asperitate vestitus, et hujusmodi, et in eorumdem absentia gaudet et exultat. Quia, sicut dicitur, Sapient. II, 7, nihil aliud quærit talis populus nisi vino pretioso et unguentis implere se, in omnibus locis signa luxuriæ relinquere¹ : et hanc esse sortem suam, quod in bonis patentibus gaudeat : et non neget vitæ, quin omnibus deliciis perfruatur. Virtus autem hoc habet, quod in præsentia talium delectabilium tristatur, in absentia gaudet : in potentia parcimoniæ gaudet, et in absentia tristatur. Et ideo est arcta, et angusta dicitur esse : ex una enim, et sola, et ex tota causa constituitur, sicut supra docuimus. Vitium autem fit omnifariam. Sic ergo oportet præcidi ab homine latitudinem et luxum vitiorum. Jerem. IV, 4 : *Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda.* Genes. XVII, 10 et 11 : *Circumcidetur ex vobis omne masculinum : et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fæderis inter me et vos.* Ad Roman. II, 29 : *Circumcisio cordis in spiritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Paucitas etiam comitantium (alias, commeantium) in via et per portam, ostendit quod angusta est : quia in via concupiscentiæ homo vadit cum uxoribus, filiis, cognatis, affinibus, et amicis, sicut dicitur, Job, XXI, 11 et seq. : *Infantes eorum exsultant lusibus. Tenent tympanum et*

citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt : sed in via descendunt virtutis. Si quinque sunt in domo, duo in tres, et tres in duos dividuntur : si duo sunt in lecto, aut in agro, aut in mola, unus proficiscitur, et alter remanet². Deuter. XXXIII, 9 : Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt pactum tuum, et eloquium tuum servaverunt. Et, Marc. X, 29 et 30, præcipitur ut patrem et matrem et cæteros amicos relinquamus, si volumus esse digni, ut sequamur Christum per portam angustam. Matth. XX, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Secunda causa est : quia pauci etiam incipientes proficiunt : et multi, qui profecerunt, deficiunt, et revertuntur. Hoc optimè significat David, Psal. LXXII, 2 et 3, ubi dicit : *Mei autem pene moti sunt pedes : pene effusi sunt gressus mei : quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Quis enim considerans tantum commodum peccatorum, non zelat vitam eorum ? videns quod in omnibus pacem habent, et plantati proficiunt, et Sancti impugnantur, vix est cujus pedes non moveantur, et offendantur gressus : nisi quod unum est adiutorium, quod dicit David, Psal. LXXII, 24 : *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.* Joan. VI, 67 : *Multi discipulorum ejus abierunt retro : et jam non cum illo ambulabant.* II ad Timoth. I, 15 : *Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes qui in Asia sunt.* II ad Timoth. IV, 9 : *Demas me reliquit, diligens hoc sæculum.*

His ergo de causis dicitur *angusta*, et sic habitum est de porta et de angustiis ejus.

¹ Sapient. II, 6 et seq. : *Venite, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereant nos flos temporis.*

Coronemus nos rosis antequam marcescant : nullum pratium sit quod non pertranseat luxuria nostra.

² Cf. Matth. XXIIV, 41.

Introitus autem est per inceptionem, profectum, et perfectionem : inceptio est per conversionem, profectus per virtutum et meritorum accumulationem, et perfectio per cursus et status consummationem. Inceptio est angustissima, progressus latior, lætissima (alias, latissima) et jucundissima perfectio. Psal. xvii, 20 : *Eduxit me in latitudinem : salvum me fecit, quoniam voluit me.* Eduxit me de angusto conversionis in latitudinem profectus virtutis, et in perfectione salvum fecit. Proverb. iv, 18 : *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.*

Sic ergo expeditum sit de admonitione.

« Quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. »

Hic admonitionis inductæ subjungit rationem : « *Quia lata est porta.* »

Et dicuntur duo : quorum primum est, quod inducit oppositum, ut magis propositum manifestetur : quia oppositorum eadem est disciplina. Secundum est, quod inducit (alias, includit) propositum ex opposito, ibi, « *Quam angusta porta,* etc.

De opposito autem quatuor dicit, latam videlicet esse portam, spatiosam viam quæ ducit ad portam, finem viæ et introitum portæ ducere ad perditionem, et multitudinem intrantium. Et hæc patent in littera.

« Quia lata porta, et spatiosa via est. »

Porta autem ista dicitur introitus ad perditionem : et iste est hians et patulus ingressus mortis. Et iste est duplex : unus est ingressus mortis culpæ, et iste est vitium capitale : et alter est ingressus mortis, et iste est mors naturæ. Et

diabolus est ostiarius in primo ostio, et carceris custos : in secundo, utraque istarum portarum est lata : quia licet mors naturæ sit arcta, tamen adminicula mundi in mollitie strati, et multitudine foventium, et aliis dilatant eam, quod levius fertur, sicut patet, Luc. xvi, 19 et seq., in divite purpurato et Lazaro. De prima porta dicitur, Infra, xvi, 18 : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* De secunda dicitur, Job, xxxviii, 17 : *Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti ?* De utrisque portis dicitur in Psalmo cvi, 16 et 17 : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum.*

Spatiosa autem dicitur via, voluptas, quæ licentiosa est ad omnia quæcumque vult. Eccle. ii, 10 : *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis : nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his quæ præparaveram.*

« Quæ ducit ad perditionem. »

Prima quidem porta ad perditionem vitæ gratiæ, et boni naturæ : secunda autem ad perditionem gehennæ. De prima dicitur, Luc. xv, 32 : *Frater tuus hic mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.* Mortuus privatione vitæ gratiæ, et perditus in bonis naturæ. Osee, xiv, 1 : *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum ! in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, et fætæ ejus discindantur !* Pereat, inquit, in bono naturæ et gratiæ : quia per peccatum amaricavit Deum, qui natura dulcis est : in gladio duro ancipiti pereat [morte gehennæ. Qui gladius *procedit ab ore Dei*¹ et hoc est sententia condemnationis æternæ. Parvuli ejus sunt inchoationes peccatorum, fætæ conceptiones malorum propositorum.

¹ Apocal. i, 16.

De hac porta dicit :

« Et multi sunt qui intrant per eam. »

Non enim hæc quæritur, quia spatiositas patet omnibus : et licet a principio lascivæ juventutis lata sit omnibus, et spatiosam se exhibeat, tamen paulatim stringitur per senectutis gravedines, donec tandem ad punctum colligitur foveæ æternæ. Isa. xxiv, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Formido pœnalitatis, fovea carceris, et laqueus æternæ condemnationis.

14 « Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad viam ! et pauci sunt qui inveniunt eam. »

Hic incipit secunda pars hujus rationis : in qua ex positionibus (alias, ex oppositi dispositionibus) ostendit propositum.

Et dicit quatuor : angustiam portæ, arctitudinem viæ, et finem vitæ, et frequentantium paucitatem. Et de angustia portæ jam dictum est supra. Eccli. i, 5 : *Ingressus sapientiæ mandata æterna.* Arcta autem via est profectus per ardua opera. Baruch, iv, 26 : *Delicati mei ambulaverunt per vias asperas.* Tamen hæc via dilatatur paulatim, ut supra dictum est.

« Quæ ducit ad vitam. »

Ecce finis, et ideo dicitur, Eccli. li, 35 : *Modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem.* Quia sicut dicitur, Genes. xix, 20 : *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Et ideo in apocrypho Esdræ dicitur, quod est civitas posita in sublimi, plena omnium bonorum, cujus introitus est angustus, a

dextris ignis, et a sinistris aqua ¹ : scilicet ignis concupiscentiæ et tribulationis, et aqua voluptatis et persecutionis Sanctorum. Act. xiv, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Psal. lxxv, 12 : *Transivimus per ignem et aquam : et eduxisti nos in refrigerium.*

« Et pauci sunt qui inveniunt eam, »

Quia stricta latet, unica, et multis deviis circumposita. Et pauci sunt, qui quærunt : pauciores, qui inveniunt : paucissimi, qui inventam perficiunt : quia multi, sicut supra diximus, revertuntur retrorsum. Hoc autem, ut Timæus (alias, Tullius) narrat, optime ostendit Pythagoras. Invenit enim ad vitam hominis instruendam litteram, quæ usque hodie vocatur littera pythagorica : et hæc est illa quam nos vocamus *upsilon* (ϵ), quæ incipit ab imo per strictum lineæ, et ascendit per illam, et postea bifurcatur induos ramos, quorum unus directe ascendit, et alter ad inferiora reflexus incurvatur sic (ϵ) : volens, quod infantia et nativitas in omnibus stricta est, quæ ascendens per ætatis incrementa usque ad ultimam ætatem, ramum rectum rationis mittit per gradus virtutis ad summum felicitatis : et alterum ramum concupiscentiæ recurvans per gradus vitiorum ad ima brutalitatis, et infidelitatis. *Paucos* autem esse dixit, qui difficiles altitudines velint scandere : plurimos autem per prona ad ima concupiscentiarum eligunt reflecti. Et de ascensu quidem est in Psalmo lxxxiii, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.* De descensu autem et reflexu, Isa. li, 23 : *Dixerunt animæ tuæ : Incurvare, ut transeamus : et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus, supple, dæmonibus.*

¹ Cf. IV Esdræ, vii, 6 et seq.

« Attendite a falsis Prophetis. »

Hic incipit pars illa, quæ est de impediēte. Et nontantum retrahit, sed potius pervertit per falsam speciem pietatis.

Et dividitur in partes tres secundum ea quæ exiguntur ad speciem pietatis: quorum unum est species pietatis usurpata: alterum, falsi nominis scientia præsumpta, quam tangit, ibi, ῥ. 21: « *Non omnis qui.* » Tertium est alta potestas ad jactantiam sanctitatis ostensa: et hanc tangit, ibi, ῥ. 22: « *Multi dicent mihi in illa die.* »

Prima autem harum dividitur ulterius in tres: in quarum prima ponit inhibitionem cum declaratione ejusdem: in secunda, ponit declarationis probationem, quadam inducta de vegetabilibus similitudine, ibi, in medio ῥ. 16: « *Numquid colligunt?* » In tertia autem per omnia probat intentam conclusionem, ibi, ῥ. 20: « *Igitur ex fructibus eorum.* »

Adhuc in prima harum duo continentur, scilicet inhibitio, et declaratio.

Inhibitio est, quod dicit:

« Attendite a falsis Prophetis. »

Est autem continuatio ad præcedens, quod quidem nemo judicandus est, et justitia nostra coram hominibus facienda non est, et quod per angustam portam intrandum est.

Sed in omnibus his, quia species pietatis et exhibenda et attendenda est, et hæc est causa deceptionis etiam hæreticis: ideo ne decipiamur, dicit: « *Attendite.* »

Et per hoc notat duo: quia vix caveatur, et quia multum nocet decipi.

Vix caveatur, quia bonis valde sunt similes, II ad Corinth. xi, 13 et seq.: *Cujusmodi Pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum: ipse enim Sata-*

nas transfiguratur se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ.

Quod autem multum noceat, II ad Timoth. ii, 16 et 17: *Multum proficiunt ad impietatem: et sermo eorum ut cancer serpit.*

Et quia sic vix deprehenduntur, et multum nocent, « *Attendite.* »

A quibus autem attendant, subdit:

« A falsis Prophetis. »

Sed videtur, quod cum, Matth. xi, 13: dicatur, quod *Prophetæ et lex usque ad Joannem*, quod non oportuit post tempora Joannis a talibus attendere: et hæc est objectio Chrysostomi. Et solvit, quod Prophetia omnis fuit de Christo, et sacramentis ejus: quia Prophetia proprie est divina inspiratio sub immobili veritate, tales rerum eventus denuntians, qui sunt de Redemptore et sacramentis ejus: et hoc modo Prophetia finita fuit ad Joannem, qui digito Salvatorem demonstravit: et tunc inceperunt Apostoli in labores Prophetarum intrare, et regnum cælorum vim pati, et violenti rapuerunt potens regnum, quod annuntiabatur per Christum.

Sed si Prophetia dicitur quæcumque enuntiatio futurorum, tunc fuerunt et sunt Prophetæ post Joannem, sicut Agabus et filiæ Philippi Evangelistæ, qui futuram famem et vincula Pauli prænuntiabant¹. Sed hic, ut dicit Chrysostomus, « Prophetæ dicuntur Doctores Ecclesiæ, qui divina docere non possunt, nisi spiritu divino intelligantur, quem habuerunt Prophetæ. » I ad Corinth. xiv, 29 et 31: *Prophetæ duo, aut tres dicant, et cæteri dijudicent... Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, et omnes exhortentur.* Et, ibidem ante, ῥ. 1: *Æmulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis.* Et, ibidem, ῥ. 4: *Qui pro-*

¹ Cf. Act. xxi, 11.

phetat, Ecclesiam Dei ædificat. Veri igitur Doctores, veri sunt Prophetæ: falsi autem Doctores sub specie pietatis latent, falsi sunt Prophetæ. Jerem. vi, 13: *A Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Sophon. iii, 4: *Prophetæ ejus vesani, viri infideles.*

Est autem attendendum quod non dicit, Attendite ab his qui videntur falsi Prophetæ, vel a fallacibus hominibus qui Prophetæ videntur, et non sunt: quia bene possunt vere prophetare, et etiam veri Prophetæ esse, et tamen falsi sunt per alium modum. Dupliciter enim dicitur falsus Propheta, a falsitate doctrinæ scilicet, et ab intentione fallendi, vel seducendi, quamvis vera doceat.

A falsitate doctrinæ, III Reg. xxii, 11, fuit Propheta falsus Sedecias, qui sibi fecit cornua, et enuntiavit quod Achab iret in Ramoth Galaad, et ventilaturus esset Syros: et sicut ibidem dicitur, xxx. 22 et 23, spiritus mendax erat in ore ejus, et aliorum Prophetarum complicium suorum: et decepit Achab, ut iret ubi occidendus fuit.

Ab intentione autem fallendi, quamvis vera dicerent, falsi Prophetæ fuerunt Balaam et Caiphas. Balaam, Numer. xxiii et xxiv, qui vera et bona dixit: sed pergens ad populum suum dedit consilium, quid factururus esset Balac populo, ut deciperetur per idolum Phogor, hoc est, idolum tentiginis. Et Caiphas, Joan. xi, 49 et 50, vera dixit: sed tamen malitiam intendit, delere scilicet nomen Christi: et sic est in multis aliis.

Utroque autem modo simul et divisim dicuntur hic falsi Prophetæ. Jerem. xiii, 14: *In prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii.* Adulterii similitudo, quando veritatem quam docent, adulterantur per seductionis intentionem: iter autem mendacii, quando mendacia, vel falsa proponunt. Jerem. xiv, 14: *Falso prophetæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos, et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos.* Deuter. xiii, 1 et seq.:

Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et venerit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus, et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis: non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non. Et, ibidem, infra, x. 5: Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est ut averteret vos a Domino Deo vestro. Isti ergo sunt falsi Prophetæ.

Hos autem describit dicens:

« Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. »

Et dicit tria: speciem pietatis, qua decipiunt: ferocitatem lupinam, qua nocent: et signum, per quod cognoscuntur.

De primo horum dicit duo: simulationem charitatis etiam ultronea ingestione, cum dicit: « *Qui veniunt ad vos.* » Non enim exspectant donec ab eis requiratur, sed ingerunt se hominibus, sicut dicitur de Domino, supra, iv, 23, quod *circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni.*

Secundum est exhibitio exterior ovinæ simplicitatis et innocentiae, cum dicit: « *In vestimentis ovium.* » II ad Timoth. iii, 5: *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Propter blandimentum autem vestis, Apocal. ix, 10, significantur per scorpiones, quarum potestas nocendi fuit in cauda, et blandiebantur facies earum exterius.

Attendendum autem, quod ovis, manente substantia ejus, mutuatur lanam, sine differentia eorum quibus mutuatur, et sine differentia colorum: omnes enim induuntur lanis ovium, et in omnes colores variantur: et in hac proprietate et

boni vere, et apparentes fecte, et mali Prophetæ aperte lanis ovium utuntur, et abutuntur. Verus enim est Propheta sive Doctor, qui et vitæ bonitate, et doctrinæ veritate, et potestatis perfectione, vervex gregis est, Domini locum tenens, et vitam et doctrinam agni immaculati : sed fictus est, qui specie vitæ intentionem falsæ ingerit doctrinæ, et potestatem usurpat : aperte malus est, qui aliquando non habet nisi locum in potestate, et vita malus est, et doctrina nullus. Aliquando autem doctrinam habet, et potestatem, et vita est perversus. Ficti gregem decipiunt, ut aberrare faciant : mali cornibus impingunt potentia suæ, et devorant : quia licet cornua habeant, ut agnus, tamen efferati sunt, ut lupi. Daniel. viii, 4 : *Vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, et contra Aquilonem, et contra Meridiem, et omnes bestia non poterant resistere ei, neque liberari de manu ejus.*

« Intrinsicus autem sunt lupi rapaces. »

Intrinsicos autem dentes habent lupinos per corrumpentem rationem in errore, et corrumpentem intentionem in malo fine, et corrumpentem voluntatem in nocumento quod faciunt. Lupus enim non solum habet dentes mordaces, sed etiam venenatos. Joan. x, 12 : *Lupus rapit, et dispergit oves.* Isti enim ab ovilibus Ecclesiæ dispergunt, et dentibus venenatis diripiunt. Act. xx, 29 : *Scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Ezechiel. xxii, 27 : *Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam.* Habacuc, 1, 8 : *Leviore pardis equi ejus, et velociore lupis vespertinis.* Vespertini autem lupi magis rapaces sunt, quia per diem latentes magis esuriunt. Ista est ergo vera existentia rerum.

« A fructibus eorum cognoscetis eos. »

Hic dicit signum per quod cognoscuntur.

Et quæritur, qui sunt fructus? Quia si fructus dicantur opera, per prædicta constat quod illa ovina : et sic per illa non possent cognosci. Si autem, ut dicit Augustinus, fructus dicantur filii et proselyti eorum, eo quod illi permanent cum ipsis sicut fructus cum opera trans-eant : adhuc non videtur conveniens, quia filii eorum sunt sicut ipsi, et ita sunt latentes, et non cognoscibiles.

RESPONSIO. Videtur mihi, quod *fructus eorum* dicuntur ea in quibus quæ-runt refici, sicut in finibus suarum intentionum : quia si illos fines sub ordine Ecclesiæ collocant, non sunt lupi, sed veri Prophetæ : si autem in mundanis collocant, hypocritæ fuisse cognoscuntur : et si procurant scissuram eorum ab ordine Ecclesiastico, tunc hæretici esse cognoscuntur, et usque ad illos fructus non cognoscuntur. Omnis enim passer et omnis turtur invenit sibi domum, et nidum ubi reponat pullos suos, altaria Domini virtutum, qui est Rex et Dominus¹ : unde quando nolunt subdi ordini Ecclesiastico, statim dignoscuntur. Et hoc est quod dicit Augustinus, quod in filiis, hoc est, in obedientia filiorum cognoscuntur.

Et ista etiam intenta per opera eorum, sicut dicit alia Glossa. Sapient. iv, 5 : *Fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti.* Sicut enim zizania non cognoscitur a tritico, quam diu similem cum tritico habet virorem in herba, sed statim cum seminat (alias, format) folliculos ad fructum, cognosci incipit quia non sunt similes aristis tritici : ita est de hæreticis et falsis Prophetis, sive Doctoribus, quamdiu prætendunt vivorem virtutis, cognosci non possunt : sed quando folli-

¹ Cf. Psal. LXXXIII, 4 et 5.

culos faciunt ad fructicandum vel in temporalibus, vel conciliabulis in aristis Ecclesiæ non collocatis, tunc sunt vitandi. Eccli. xi, 30 : *In filiis suis agnoscitur vir.* Sapient. iv, 6 : *Ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiae adversus parentes in interrogatione sua.* Si autem quis etiam velit advertere modum operum suorum in circumstantiis operum, ut frequenter percipitur lupinum cor eorum. Proverb. xxii, 19 : *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.*

« Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus. »

Hic per similitudines inductive manifestat propositum, et dicit duo. Primo enim inducit in particularibus duobus : secundo, inducit generaliter in omnibus arboribus, ibi, y. 17 : « *Sic omnis arbor bona.* »

Duo autem inducit particularia malorum arborum, quæ ex peccato nasci dicuntur : primum est de spinis, secundum est de tribulis : similiter inducit duplicem fructum dictis arboribus denegatum.

Oportet autem scire, quod magna spina dicitur hic spina, et hæc est, cujus succus niger est, cortex nigra : spina crescens de centro ligni, longa, nigra, et acuti anguli, fructus acris, propter quod etiam *acacia* propter acumen vocatur, de qua dicit Chrysostomus, quod « non est habitatio nisi serpentium, qui repunt « juxta terram, » et significat hæreticos nigros squalore, et præcipue in cortice coram hominibus, quorum spina ex intimo procedit corde, fortis et longa, quæ est punctura obstinationis, et acutæ defensionis suorum dogmatum : succus doctrinæ amarus, fructus acerbus, dentes Ecclesiæ obstupescens. II Reg. xxiii, 6 et 7 : *Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi : quæ non tolluntur manibus. Et si quis tangere eas voluerit, ar-*

mabitur ferro et ligno lanceato. Quia hæretici manu molli Ecclesiæ tangi non possunt, sed ferro domantur acutæ argumentationis et severæ coercionis. Proverb. xxiv, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.* Cantic. ii, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

« *De tribulis.* » Tribuli sunt illa quæ vocamus spinam albam : et hæc est extrinsecus in superficie corticis. Spinam habent albam, triangulam, brevem, valde acutam, aduncam versus terram, et fructus ejus extra rubeus, et intus lapidosus : et significat credentes et adhærentes hæreticis, qui extra in temporali potestate habent spinam brevem, quia non nisi in falsa opinione fundatam, et non in cor profundatam, nec extra ad multos conversos prolongatam, albam, quia Christianis sunt similes, triangulam, quia in abusu sæcularis potestatis, qua pungunt, abutuntur potentia, divitiis, et amicis. Fructus rubeus in sanguine, et lapidosus in obstinatione. Genes. iii, 18 : *Spinas et tribulos germinabit tibi.* Ad Hebr. vi, 7 et 8 : *Terra... proferens spinas et tribulos, reproba est, et maledicto proxima.*

« Numquid colligunt de spinis uvas? »

Uva autem autem est succus generativa vitis bonæ spei, ut dicit Aristoteles, et gaudii, Psal. ciii, 15 : *Vinum lætificat cor hominis : societate conjuncta racemo, qui palmiti adhæret, et hæc adhæret veræ viti, uncis repens semper super ligna aliena, ut sustentetur : et in his proprietatibus significat verorum Prophetarum doctrinam, spem æternorum, et gaudium spirituale generantem, primatum non desiderantem, sed in congregatione Sanctorum palmiti ecclesiastici ordinis adhærentem, et per hunc viti Christo contiguam, non novella et singularia ferens,*

sed potestatis rationum suarum et persuasionum repens super ligna in paradiso Dei stantia, hoc est, super auctoritatem Patrum. Judicum, ix, 12 et 13: *Locuta sunt ligna ad vitem: Veni, et impera nobis. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri?* Quasi dicat: Non. Non enim desiderat primatum verus Doctor: sed rhamnus, sive spina lignis quæsivit imperare, et combussit omnia. Talis ergo uva de spinis non colligitur.

Hæc uva crescit in vite, de qua dicitur, Joan. xv, 1: *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.* Et, ibidem, x. 4: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.* Genes. xlix, 11: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.* Jerem. ii, 21: *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum.* Hæc uva, et hoc vinum non crescit, nisi in vinea Domini Sabaoth, id est, exercituum, quæ domus Israel est ¹, hoc est, in Ecclesia. De spinis autem hæreticorum non colligitur. Isa. xvi, 10: *In vineis non exsultabit, neque jubilabit. Vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat: vocem calcantium abstuli.* Vinum enim spiritum dirigit sursum, lætificat mentem, bonam spem ingerit, calorem accendit, et spiritus facit fervorem: et hoc facit doctrina, quæ est succus de vite Christo in vinea Ecclesiæ: et ideo spiritum sursum bulliens Ecclesia læta mente celeuma jubilat, et calore charitatis accensa firmam spem concipiens æternorum, bibit, et inebriatur, oblita posteriorum, et ad anteriora se extendit ². Sed licet hæresis vinum habere videatur, in colore quidem similitudo vini est, re autem vera est quod dicitur, Deuteron. xxxii, 32-33: *Uva eorum uva fellis, et botri amaris-*

simi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.

« Aut de tribulis ficus? »

Ficus quatuor habet, quando bona est: multitudinem granorum in unum collectorum, dulcedinem humoris quæ granis infunditur, mollitiem pellis, et quod non floret inter arbores. Et granorum quidem collectio Sanctorum in Ecclesia significat communionem, dulcedo humoris dulcedinem significat charitatis in consolatione spiritus omnia grana infundentis, mollities autem pellis mititatem significat convictus et societatis, carentia autem floris inter ligna significat non florere in mundanis. De quibus dicitur, Isa. xviii, 6: *Ante messem totus effloruit, et immatura perfectio germinabit.*

De primo dicitur in Psalmo cx, 4: *In consilio justorum, et congregatione.* Psal. cxxxii, 1: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* Psal. liv, 14: *Tu vero homo unanimitatis, dux meus, et notus meus,* etc.

De secundo, Eccli. xxiv, 27: *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.*

De tertio, Matth. v, 4: *Beati mites,* etc. Numer. xii, 3: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur super terram.* Matth. xi, 29: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.*

De quarto, Isa. xxviii, 1: *Væ coronæ superbix, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exsultationis ejus!* Jerem. xxiv, 3: *Ficus, ficus bonas, bonas valde.* Quatuor dicit propter quatuor inducta.

Ficulnea autem Christus est, et hortus Ecclesia: et sufficit talibus dulcedo Spiritus sancti non quærens promoveri sicut hypocrita, nec quærens silvam hominum sibi subdere, sicut hæretici sibi conciliabula facientes. Judicum, ix, 11, dixit ficus: *Numquid possum deserere dulce-*

¹ Cf. Isa. v, 7.

² Cf. ad Philip. iii, 13: *Quæ retro sunt obli-*

viscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, etc.

dinem meam fructusque suavissimos, et ire ut inter cætera ligna promovear?

De hujusmodi vite, et hujusmodi ficu dicitur, III Reg. iv, 25: *Habitabat Juda et Israël absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua.* Hujusmodi enim ficus non colligitur de tribulis supra inductis, sed potius ea quæ supra dicta sunt: et si similitudinem aliquando usurpent ficuum, sunt idola ficus. Revera autem sunt pestiferi, et lapidosi, et acres fructus. De quibus dicitur, Jerem. xxiv, 3: *Ficus, ficus malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ.*

17 « Sic omnis arbor bona fructus bonos facit. »

Hic transfert similitudinem in particulari sumptam ad genus omnium arborum. Et dicit tria: proprietatem arboris in fructu secundum actum, et proprietatem arboris in fructificando secundum potestatem, et consumptionem arboris nocivæ. Et hæc patent per ordinem in littera.

In primo istorum duorum continentur variata secundum proprietatem arboris bonæ et malæ. Et de bona quidem dicit: « *Sic omnis arbor bona.* »

Et cum dicit, « *Sic,* » notat illationem ex prædictis. Ex quo enim una ratio est de omnibus, quæ est de duabus inductis, universaliter infertur de omnibus.

Dicitur autem: « *Arbor bona,* » delectabilis, et salutaris, et utilis in fructu.

De utilitate, Ezechiel. xlvii, 12: *Erunt fructus ejus in cibum, et folia ejus in medicinam.* Isa. xxxvii, 30: *In anno secundo pomis vescere.* Genes. ii, 16: *Ex omni ligno paradisi comede.*

De delectabilitate, Cantic. ii, 3: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.*

De salubritate, Apocal. xxii, 2: *Ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim: de quibus dici-*

tur, ad Galat. v, 22 et 23: *Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas: ex his enim arbor dicitur bona.* Melior autem est ex plantatione super aquas, ex quibus non exsiccatur, Psal. i, 3: *Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Jerem. xvii, 8: *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas.* Optima autem, si multoties fert fructum, Ezechiel. xlvii, 12: *Per singulos menses afferet primitiva.* Apocal. xxii, 2: *Per singulos menses reddens fructum suum.* Jerem. xvii, 8: *In tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.*

Hæc est igitur arbor bona, quæ facit bonum fructum.

« *Fructus* » autem ejus sunt dulcedines sanctorum donorum et operum, et menses sunt illuminationes cælestes, quibus sibi redivivi fructus lumen continue ministratur.

« Mala autem arbor fructus malos facit. »

Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. »

Hic per oppositum agit de mala arbore, quæ fructus malos facit: et est arbor mala, et arbor inutilis. Arbor mala est, quæ malos facit fructus: arbor autem inutilis quæ nullos facit fructus. Fructus autem mali sunt indelectabiles, pestiferi, et inutiles.

De primis dicitur, Ezechiel. xviii, 2: *Patres comoderunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt.*

De secundis, Daniel. iv, 11: *Dispergite fructus ejus.* Hoc autem dixit, quia non est salubris.

De inutilitate dicitur, Job, ix, 26: *Pertransierunt quasi naves poma por-*

tantes. Quasi diceret : Inutiliter, nihil relinquenda nisi vanum odorem. Inutiles autem arbores sunt steriles. Habacuc, III, 17 : *Mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum*. Inde arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ ¹.

Hæc omnia de facili aptantur viris bonis, quorum vita arbor est, bonitas arboris bonitas gratiæ, et bonitas fructus bonitas operum, et refectio bonitatis Spiritus sancti informantis opera. Mala autem arbor mala vita, malorum fructus mala opera, et refectio concupiscentiæ, quæ est in eis.

« Non potest arbor bona malos fructus facere. »

Hic loquitur de fructu bonarum arborum secundum potestatem, et convertit sermonem, comparans fructus bonos ad arborem malam, et e converso fructus malos ad arborem bonam.

Videtur autem, quod contrarium ejus quod dicit eveniat : quia sæpe videmus, quod arbor mala fit bona per incisionem et cultum, et homo bonus malus fit, et e converso malus fit bonus.

Ad hoc autem dicendum, quod *arbor bona* vocatur hic liberum arbitrium sub forma bonitatis gratiæ gratum facientis. Et hoc modo secundum potestatem formæ efficientis non potest arbor bona fructum malum facere. Similiter *arbor mala* dicitur, secundum quod est informata vitiis : et hoc modo ex forma non habet potestatem fructus faciendi bonos. Similiter est in physicis. Quando per incisionem, vel insitionem arbor emendatur, tunc forma efficitur alia : quia in loco insitionis, vel incisionis, efficitur nodus et tortuositas viarum, sive pororum inflexio. Et ideo diutius stat ibi succus, propter quod calore arboris et solis melius digeritur : in strictis etiam et multis poris subtilius dividitur, et melius obedit di-

gestionem : et aliter quod hic dicitur, fieri non potest.

De bona dicitur, Ezechiel. xvii, 8 : *In terra bona super aquas multas plantata est, ut faciat frondes, et portet fructum*. De mala, Daniel. iv, 11 : *Succidite arborem, et præcidite ramos ejus : excutite folia, et dispergite fructus ejus*. Sunt autem isti ramunculi mali fructus. Ad Roman. vii, 5 : *Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*.

« Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. »

Ecce consumptio malæ arboris : et de hoc supra ² multa sunt dicta. *Excisio* autem arboris est præcisio ab Ecclesia, vel vita, per sententiam, vel mortem. *Missio* autem in ignem est, quando adversarius veritatis hic flammis exurit, vel in inferno æternis incendiis mancipatur. II Reg. xxiii, 7 : *Spinæ igne succensæ comburentur usque ad nihilum*. Ad Hebr. vi, 8 : *Cujus consummatio in combustionem, supple, erit*. Isa. ix, 5 : *Erit in combustionem, et cibus ignis*. Ezechiel. xv, 4 : *Ecce igni datum est in escam : utramque partem ejus consumpsit ignis, et medietas ejus redacta est in favillam*.

« Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. »

Conclusio est intenta ex omnibus præinductis.

Quasi diceret : Ex quo sic est in omnibus naturalibus, quæ sunt exempla diviniæ et immobilis ordinationis, tunc similiter erit etiam in his quæ ordinem hunc effugere non possunt. Ratio autem redditur, Luc. vi, 45 : *Bonus homo de bono*

¹ Cf. epist. Judæ, §. 12.

² Cf. enarrationem in §§. 17 et 18.

thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro profert malum. Ad Roman. vi, 21 : *Quem fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis ? Nam finis illorum mors est.*

Qualiter autem, et per quem fructum cognoscuntur, in præcedentibus expeditum est.

21 « Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. »

De Prophetis, in quibus est species pietatis, habitum est jam in præmissis ¹. Agit autem hic consequenter de falsis Prophetis, qui veri sunt in doctrina, et aperte falsi in vita, sicut sunt præcipue modo in Ecclesia, de quibus dicit, Matth. xxiii, 3 : *Quæcumque dixerint vobis, servate et facite : secundum vero opera eorum nolite facere.*

Dicit autem circa hæc duo : in quorum primo ostendit quod confessio fidei informis, et confessio prædicatæ veritatis non sunt efficaces ad salutem. In secundo autem dicit, quod confessio perfectæ voluntatis et obedientiæ efficax est ad salutem, ibi, « *Sed qui facit voluntatem, etc.* »

De primo igitur dicit : « *Non omnis qui dicit mihi.* »

In quo quatuor notantur, scilicet universalis instantia, cum dicit : « *Non omnis.* » Duplex fidei et prædicatæ veritatis confessio, cum dicit : « *Qui dicit mihi : Domine, Domine.* » Finis et bonæ intentionis appositio, cum dicit : « *Mihi.* » Regni Dei non consecutio, cum dicit : « *Intrabit in regnum cœlorum.* »

De primo nota, quod aliqui confessione fidei et veritatis prædicatæ intrant in regnum : quia fidem moribus probant, et faciunt quod prædicant. Nam aliter, I ad Corinth. xiii, 1 : *Si linguis homi-*

num loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æsonans, aut cymbalum tinniens.

Sed contra, Ad Roman. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem : ergo videtur, quod plura non exiguntur ad introitum regni cœlorum.* Item, Joel, ii, 32 : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

RESPONSIO. Sicut dicit Glossa, « Perfecta invocatio conficitur ex tribus, ex devotione et fide cordis, et confessione oris, et operis attestazione : » et tunc perfecta est invocatio. Aliter est mendax. Psal. lxxvii, 36 et 37 : *Dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei : cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.* Matth. xv, 8 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* ². Jerem. xii, 2 : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.*

Et hoc est, quod dicit : « *Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* » Regnum cœlorum accipitur sicut supra ³ : et in illud non intratur nisi per observationem justitiæ et legum ad ipsum regnum pertinentium. Usurpatio autem doctrinæ sine justitia non est veritas regni, sed vanitas nudi sermonis. De quibus dicit Philosophus : « Sunt qui opera non faciunt : ad rationem autem confugientes quærunt philosophari, et esse boni : aliquid simile facientes ægris qui medicos quidem audiunt studiose, faciunt autem operandorum nihil : et quemadmodum isti numquam bene habebunt corpus sic curati, sic nec isti mentem sic philosophantes. »

« Sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. »

Istud est secundum, ubi adjungit at-

¹ Cf. expositionem, §. 15.

² Cf. Isa. xxix, 23 ; Marc. vii, 6.

³ Cf. expositionem in §§. 3 et 10 cap. v.

testationem operis cum confessione fidei et oris.

Tangit autem tria simul, operis videlicet perfectionem, voluntatis Patris acceptationem, et regni cœlestis consecutionem. Primum exigitur ex parte merentis, secundum ex parte præmiantis, et tertium ex parte mercedis.

Dicitur igitur :

« Sed qui facit, »

Quasi adversando insufficienti confessioni. Ad Roman. II, 13 : *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* II ad Corinth. VIII, 11 : *Facto perficite : ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo quod habetis.*

« Voluntatem Patris mei qui in cœlis est. »

Tria tangit : « *Voluntatem,* » quæ est mensura et norma omnis rectitudinis, quia injusta esse non potest. Habacuc, I, 13 : *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.*

Secundo, notat affectum acceptantis, cum dicit : « *Patris mei.* » Et attende, quod paulatim per hoc erigit ad notitiam suæ deitatis, ut credatur quod justitia ab eo prædicata accepta sit ei qui Pater suus est. Joan. III, 35 : *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.* Voluntas enim Patris est id quod docet Filius. Joan. VI, 28 et 29 : *Quid faciemus ut operemur opera Dei? Respondit Jesus, et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Sic enim fit voluntas Dei sicut in cœlo, et in terra.

Per hoc autem, quod dicit : « *Qui est in cœlis,* » tangit altam justitiam, non pollutam terrenis, sed eam quæ fulget in cœlis, de qua dicit, Psal. LXXXVIII, 17 :

In justitia tua exaltabuntur. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Joan, VI, 38 : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris.*

« Ipse intrabit in regnum cœlorum. »

Tangit præmium, et dicit : *Intrabit,* quia continuus semper est introitus in regnum, secundum quod continuus est profectus. Matth. XXV, 21 et 23 : *Intra in gaudium domini tui.* Genes. XXIV, 31 : *Ingredere, benedicte Domini : cur foris stas?*

Sic igitur de falsis Prophetis, hoc est, Doctoribus quoad falsi nominis scientiam sit determinatum.

« Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine. »

22

Hic tangit falsos Prophetas confirmantes officium prophetale et actum quibusdam divinæ potestatis mirabilibus (alias, miraculis).

Et dividitur in duo : in quorum primo, pseudoprophetarum continetur invocatio : in secundo, Dei invocati responsio.

In primo horum tria continentur : quorum primum est invocantium quædam per numerum et tempus descriptio : secundum est ipsa invocatio : et tertium, invocantium allegatio. Et hæc patent in littera.

Primum tangit, cum dicit :

« Multi dicent mihi in illa die. »

Et tangit tria : Multitudinem confusam et inordinatam, cum dicit : « *Multi,* » qui non conveniunt nisi in collectione, sed non unit eos charitas. Eccle. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Non enim est eis cor unum et anima una,

sicut multitudini credentium ¹ : sed tantum multi sunt, confusam habentes multitudinem. Judicum, vii, 2 : *Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus, ne gloriatur contra me Israel.*

Secundum est, quod non sunt nisi in verbis, et non in virtute Spiritus : et hoc tangit dicens : « *Dicent.* » Matth. xxiii, 3 : *Dicunt enim, et non faciunt.* I ad Corinth. xiv, 9 et 10 : *Eritis in aera loquentes. Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo, et nihil sine voce est.*

Tertium est quod tangit, tempus, quando conscientia testis, et opera requirentur, cum dicit : « *In illa die.* » Ad Roman. ii, 5 : *In die iræ et revelationis justi judicii Dei.* Nec vocat *diem* pro qualitate temporis, vel aeris tunc illuminatam, sed pro qualitate luminis quod tunc conscientias singulorum perlustrabit. I ad Corinth. iv, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.*

« Domine, Domine. »

Ecce invocatio : et scitur expositio ejus per præcedentia ². Isa. i, 15 : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Luc. vi, 46 : *Quid autem vocatis me Domine, Domine, et non facitis quæ dico ?*

« Nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus. »

Hic ponitur allegatio. Fiunt enim isti de illis, qui in multiloquio putabant audiri, et per allegationes Deo volebant persuadere.

¹ Act. iv, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.*

Dicunt autem duo : allegant formam operis, et opus bonum.

Formam tangunt, quando dicunt :

« Nonne in nomine tuo. »

Quasi dicant : Te volumus habere testem, quod non in nomine nostro, sed « *in nomine,* » hoc est, virtute tui nominis fecimus. Et isti ignorant, quod ad hoc quod aliquid perfecte fiat in nomine Dei, quatuor exiguntur : quod videlicet faciens sit in nomine, notam sibi sanctificati nominis habens impressam : et quod virtus qua operatur, sit nominis invocatio : et quod opus quod facit, nota nominis informetur : et quod non fiat nisi ad gloriam nominis. Sic dicitur, Joan. xvi, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Psal. cxiii, 1 : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Marc. xvi, 17 et 18 : *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.*

Specialiter autem de primo dicitur, Isa. xxvi, 13 : *Tantum in te recordemur nominis tui.* Primo enim ponit se in Deo, et tunc recordatur nominis jam in se transfusi. Hi autem fuerunt quidam exorcistæ virtute nominis divini quædam mira facientes, quæ Deus propter gloriam nominis sui demonstrandam fecit, quamvis illi hoc non meruerunt. Ezechiel. xxxvi, 22 : *Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum.* Et, ibidem, infra, x. 32 : *Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus : notum sit vobis : confundimini, et erubescite super viis vestris.*

« Prophetavimus, etc. »

Tria tangit, quæ fecerunt magna ope-

² Vide supra, in principio explanationis x. 21.

ra in genere. Opus enim altum, aut est in spiritu factum, aut in corpore : si in spiritu, aut est secundum inspirationem spiritus spirantis ad bonum, aut secundum repulsionem spiritus qui bono contrariatur : et secundum hoc tangunt ista tria genera operum.

Primum est secundum inspirationem spiritus spirantis ad bonum, et hoc est, quod dicunt :

« Prophetavimus. »

Quæ tamen prophetia sine charitate, ut dicitur, I ad Corinth. XIII, 2, nihil prodest ¹. Exemplum autem est de Balaam ², et de Caïpha ³, et de Saul, de quo exivit proverbium : *Num et Saul inter Prophetas* ⁴ ?

« Et in nomine tuo dæmonia ejecimus. »

Vel invocatione solius nominis, vel virtute exorcismorum. Luc. IX, 49 : *Vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.* Et ideo etiam non magnum est ista facere. Luc. X, 20 : *In hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur.* Matth. XII, 27 : *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Et loquitur de exorcistis.

« Et in nomine tuo virtutes multas fecimus. »

Virtus est ultimum potentiæ in re. Hæc est igitur virtus, quod ita stat in summo, quod ad ipsum non potest ratio, vel naturæ facultas. I ad Corinth. XIII, 2 : *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Jerem. XXIII, 32 :

¹ I ad Corinth. XIII, 2 : *Et si habuero prophetiam, ... charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Ecce ego ad Prophetas somniantes mendacium, ait Dominus : qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo, et in miraculis suis, cum ego non misissem eos.

Miracula autem mendacia dicuntur duobus modis : aut quia falsa sunt, et apparent tantum sicut mira, quæ sunt in præstigiis necromanticis : aut quia in se vera sunt, sed veritatem utilitatis miraculorum non habent, ut dicit Chrysostomus : sicut miracula Simonis Magi qui fecit latrare canes de aere, et hujusmodi, in quibus nulla est utilitas, nisi quod in admiratione et gloria efficitur faciens ea : et talia dicit esse Chrysostomus miracula pseudoprophetarum. II ad Thessalon. II, 9 : *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus.* Matth. XXIV, 24 : *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* I Joan. II, 18 : *Nunc Antichristi multi facti sunt.*

« Et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem. »

23

Hic ponitur Christi invocati responsio. Et tangit duo, confirmationem scilicet dicti, et pœnæ inflictionem.

Dicti confirmatio est :

« Tunc confitebor, »

Hoc est, firmiter fatebor. Unde et græcus sermo habet : « tunc jurabo. » Psal. XCIV, 11 : *Quibus jaravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam.*

² Numer. XXIV, 3 et seq.

³ Joan. XI, 49 et 50.

⁴ I Reg. X, 12.

« Quia numquam, etc. »

Ecce inflictio pœnæ. Et est duplex : una et prima est privatio luminis divinæ notitiæ : et secunda est ejectio a contemplatione beatitudinis Sanctorum.

De prima dicit :

« Quia numquam novi vos. »

Sed qualiter hoc est verum, cum omnia noverit Deus.

Præterea, multi eorum aliquando fuerunt in gratia : ergo aliquando novit eos : et ita non est verum, ut videtur, « *numquam novi vos.* »

Ad hoc dicendum, quod intelligendum est de notitia beneplaciti Dei prædestinantis : quia illa non est gratiæ tantum, sed est gratiæ ordinantis ad gloriam et illa numquam novit eos : sed notitia simplicis visionis novit eos. Matth. xxv, 12 : *Amen dico vobis, nescio vos.*

« Discedite a me. »

Secunda pœna est, et dicit duo, pœnæ videlicet inflictionem, et causam. Pœnæ inflictio est : « *Discedite a me.* »

Sed contra : *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam*¹ ?

RESPONSIO. Deus ubique est : sed disceditur ab eo, quando projicitur aliquis a visione contemplationis ejus, secundum quam objicitur Sanctis in ratione summi boni. Isa. xxvi, 10 : *Tollatur impius, ... ne videat gloriam Dei*². Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, etc.* Matth. xxv, 30 : *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus, et stridor dentium.*

Causam autem tangit, cum subdit :

« Qui operamini iniquitatem. »

Non dicit : qui operati estis, ne tollat

potentiam : sed, *qui operamini*. Quia sicut dicit Damascenus, « quod est in Angelis casus, hoc est in hominibus mors : » et ideo sicut Angeli remanserunt in obstinata voluntate ejus quod concupierunt, ita etiam homines obstinati efficiuntur in voluntate peccati, in qua moriuntur. Ezechiel. xxxii, 27 : *Descenderunt ad infernum cum armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis, et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum.* Et arma eorum cum quibus in infernum descenderunt, sunt iniquæ voluntates : et gladii quibus Deum impugnaverunt et Sanctos, sunt conatus eorum ad malum : et iniquitates in ossibus, sunt notæ peccatorum in viribus animæ : et hæc est causa, quod ignis semper eos incendit, quia voluntates illæ perpetuæ erunt in eis, eo quod non sunt susceptibiles gratiæ : quia cum ceciderunt a statu merendi, impossibile fuit redire ad gratiam, et per consequens necesse est remanere in pœna. Anima enim rationalis, quæ, sicut dicit Dionysius, discussam habet disciplinam per signa vestigii et imaginis acceptam, sine sensu perfici non potest : et cum ceciderit ab usu sensuum, est sibi impossibilitas resurgendi.

Hoc est igitur, quod dicit de falsis Prophetis, tripliciter describens eosdem.

« Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. »

Hic incipit pars, quæ divisa est contra totum sermonem integrum.

Expletis enim omnibus quæ ad perfectionem vitæ humanæ dicere voluit, tangit et monet observandum ea quæ dicta sunt. Et tangit duo : quorum primum est de laude observantium : secundum, de vituperio non observantium, ibi, ꝑ. 26 :

¹ Psal. cxxxviii, 7.

² Vulgata habet, Isa. xxvi, 10 : *Misereamur*

impio, ... et non videbit gloriam Domini.

« *Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea.* »

Adhuc, prior istarum habet duos paragraphos : in quorum primo tangit hominem, quem assimilat : et in secundo tangit eum, cui assimilat, ibi, « *Assimilabitur, etc.* »

Eum autem quem assimilat, tangit universaliter, cum dicit :

« *Omnis.* »

Et per auditum disciplinalem describit eum, cum dicit :

« *Audit.* »

Est autem auris idoli, quæ non audit : et est auris stolidi, audiens quidem, sed non interius percipiens, nam stolidus est quasi brutum : et est auris audiens, et disciplinam interius accipiens.

De prima dicitur, Psal. cxiii, 6 : *Aures habent, et non audient.* Et de secunda, in epistola Judæ, ʒ. 10 : *Quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.* De tertia, Apocal. ii, 7 et alibi : *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

Et sic audiunt isti

« *Verba mea hæc.* »

Signanter et discretive dicit « *hæc,* » quia alibi optima quidem dixit, et ex quibus ipse fuit in admiratione : hic autem ea dicit, et nusquam alibi tantum quantum hic, ea quæ sunt perfectionis hominis, tam in perfectione legis quam in simplicitate intentionis, quam etiam in remotione impedimentorum. Hæc est enim veritas sanctificans totum hominem. Joan. xvii, 17 : *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Et hæc sunt, de quibus dicitur, Apocal. xxii, 6 : *Hæc verba fidelissima sunt, et vera.* Et licet omnia verba Domini optima sint, tamen ista præ aliis omnem in se habent modum perfectionis.

« *Et facit ea.* »

Ad Roman. ii, 13 : *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Jacob. i, 22 : *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.*

« *Assimilabitur viro sapienti.* »

Secundum est. Et tangit duo : assimilationem, et assimilationis rationem. Et si quidem sumitur similitudo a corporalibus ad spiritualia, levis est littera : quia ita videmus ædificare omnem sapientem in architectura. Sed hoc modo non exponunt Glossæ tres Chrysostomi dicentis, quod « *aliud oportet esse eum qui assimilatur, et aliud cui assimilatur.* » Qui autem assimilatur, est audiens auditu interiori et faciens : cui autem assimilatur, dicit, « *viro,* » hoc est, Christo, qui fuit vir virens, a quo omnis viror est : et virilis.

De primo dicitur, Jerem. xvii, 8 : *Erit quasi lignum quod ad humorem mittit radices suas.* De secundo, Job, i, 3 : *Erat ille vir magnus inter omnes Orientales.*

« *Sapienti,* » quia æternam habet cognitionem divinorum. Jerem. xxiii, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit.* Eccle. ii, 9 : *Supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem : sapientia quoque perseveravit mecum.* Eccle. ix, 15 : *Inventus est in civitate vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam.*

Et tangit, in quo assimilatur isti viro, dicens :

« *Qui ædificavit,* »

Ædificatione virtutis. Ad Ephes. ii, 20 et seq. : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino,*

in quo et vos coedificabimini in habitaculum Dei in Spiritu. I ad Corinth. III, 9 : *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.*

« Domum suam, »

Ecclesiam. Genes. XXVIII, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli.* Isa. II, 2 : *Erit mons domus Domini in vertice montium,* etc.

« Supra petram, »

Hoc est, veritatis divinæ soliditatem, quæ verbis exprimitur, fide in fundamento locatur, et per formam charitatis per quam operatur, in summo confirmatur, spe autem erigitur, et virtutibus compaginatur, et meritis operum fulcitur. Exod. I, 20 : *Ædificavit eis domos.* I ad Corinth. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus,* hoc est, fides Jesu Christi. Psal. LXXXVI, 2 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis,* hoc est, in summis altitudinibus articulorum fidei. Matth. XVI, 18 : *Super hanc petram, hoc est, solidum confessionis fidei, ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc enim fuit confessio æternæ fidei, qua dixit Petrus, ibidem, 16 : *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Eccli. XXVI, 24 : *Fundamenta æterna supra petram solidam.*

25 « Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti. »

Ecce ratio, secundum quam fit assimilatio.

Et tangit tria facientia ad ruinam : quorum unum est emolliens et resolvens, et alterum impellens et remolliens, tertium autem violenter (alias, vehementer) impellens, et subtiliter penetrans : et ista sunt hostis tentamenta.

« Et descendit pluvia. »

Emolliens et resolvens est pluvia descendens, quæ sicut dicit Glossa, sunt aereæ potestatis impugnatione : et addendum est quod cum impugnatione est emolliens libido, per quam impugnat. Job, XX, 23 : *Emittet in eum iram furoris sui, et pluet super illum bellum suum.* Hæc libido *litigiosa mulier* vocatur in Proverb. XIX, 13 et seq. : *Tecta jugiter perstillantia, litigiosa mulier,* etc.

« Et venerunt flumina. »

Ecce impellens et emolliens simul, quæ sunt, ut dicit Glossa, potentium persecutio, non tantum tyrannorum qui persecuti sunt Martyres, sed etiam eorum quæ potentissima sunt in mundo : et hæc sunt divitiæ, deliciae et honores. Sapient. V, 23 : *Flumina concurrent duriter.* Psal. LXVIII, 9 : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Psal. XCII, 3 : *Elevaverunt flumina vocem suam.* Isa. VIII, 7 et 8 : *Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus : et ascendet super omnes rivos ejus, et fluet super universas ripas ejus, et ibit per Judam inundans, et transiens usque ad collum veniet.* Syria enim interpretatur *sublimis*, et significat sublimia mundi tria quæ dicta sunt.

« Et flaverunt venti. »

Tertium est, quod est impetu violenter irruens, subtiliter penetrans : et significat suggestiones et spiramina malorum, quæ fiunt modo blanditiis subtiliter penetrantibus, modo minis impetu irruentibus : aliquando ab aliis, aliquando ab homine ipso contra bonum propositum, quod concepit. Job, I, 19 : *Ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus.* Sapientia, V, 24 : *Contra illos stabit spiri-*

tus virtutis. Ezechiel. 1, 4 : *Ventus turbini veniebat ab Aquilone : et nubes magna.*

« Et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat super petram. »

Tangit impetum omnium horum simul dicens : « *Irruerunt in domum illam.* » Psal. xxvi, 3 : *Si consistent adversum me castra, non timebit cor meum.* « *Et non cecidit.* » II ad Timoth. 11, 19 : *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc.* Psal. cxxiv, 1 : *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in æternum, etc.*

Et subjungit tantæ firmitatis rationem, dicens : « *Fundata enim erat super petram.* » Isa. liv, 11 et 12 : *Fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua.* Sapphiri coloris cœli, articuli sunt fidei : jaspis autem viror fidei.

« Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam.

Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna. »

Hic per contrarium comparat non observantem viro stulto. Et dicit duo : describit eum quem comparat, et postea facit comparisonem : et in secundo, facit comparisonem, et ostendit in quo comparatus tangit comparisonis rationem, sicut fecit in præhabitis.

Dicit ergo :

« Omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea. »

Ille non audit, nisi more bestiali extrinsecus. Isa. vi, 9 : *Audite audientes,*

et nolite intelligere. Et sequitur, y. 10 : *Excæca cor populi hujus.* Jacob, 1, 23 et 24 : *Comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo : consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.* Ad Hebr. iv, 2 : *Non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis quæ audierunt.*

« Similis erit viro stulto, »

Hoc est, diabolo : quia stultus dicitur stans in alto : quia altius stat, quam sit facultas ejus. Hic est senex fatuus, de quo loquitur Ecclesiasticus, xxv, 4.

« Qui ædificavit domum suam, »

Scilicet corda malorum in quibus diabolus habitat. Job, viii, 15 : *Innitetur super domum suam, et non stabit.* Non enim vere domus est diaboli habitatio : sed potius parietina sunt quædam ruinosæ, et similitudinem quamdam domus habentia. Job, xviii, 15 : *Habitent in tabernaculo illius socii ejus qui non est.*

« Super arenam. »

Arena vocatur congeries peccantium, et synagoga multitudine infinita et tumultuosa, nullo glutino charitatis unita, nulla fertilitate fœcunda, pondere terreni affectus gravissima.

De primo dicitur, Eccle. 1, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Isa. iii, 5 : *Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.*

De secundo dicitur, Ezechiel. xiii, 11 : *Dic ad eos qui liniunt, parietem scilicet, absque temperatura, quod casurus sit.* Eccle. 1, 2 : *Arenam maris quis dinumeravit?* Quasi diceret : Nullus : quia non est continua in spiritu et glutino charitatis, sicut sancti.

De tertio dicitur, Job, xxviii, 5 : *Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igni subversa est :* ex terra autem incensa, et in minima redacta nascitur arena.

De quarto dicitur, Proverb. xxvii, 3 : *Grave est saxum, et onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior.* Propter hoc dicitur, Apocal. xii, 18, quod draco stetit super arenam.

« Et descendit pluvia, etc. »

Hoc exponendum est sicut supra. Curanda non est hic expositio Chrysostomi, quia non multum valet.

Et si quærat, qualiter tentamenta diaboli irruant in domum diaboli, Dicendum, quod diabolus non habet domum, sed potius ruinosam naturam et boni naturalis dicuntur domus ejus : et hanc ipsam plus et plus continue nititur subvertere semper, præcipitans se de peccato in peccatum. Jerem. ii, 16 : *Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem.* Psal. cxxxvi, 7 : *Qui dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Et ideo pluvia mollientis concupiscentiæ descendit in illam domum, et suffodit eam molliendo paulatim : et flumina tentantium a sæcularibus desideratis irruunt, et suffodiunt a fundamentis : et tunc ventus suggestionis irruendo premit in desperationis ruinam. Job, xxii, 16 : *Sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum.*

« Et irruerunt in domum illam, et cecidit. »

Apocal. xviii, 2 : *Cecidit, cecidit Babylon magna : et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi.* Cecidit enim per stillicidium concupiscentiæ : et cecidit per tentamina sæcularis pompæ, et per flatum dæmonum facta est habitatio dæmonum.

« Et fuit ruina illius magna. »

Et hoc est ideo, quia a fundamento concutitur : et tunc oportet quod simul totum ruat : sed quando a fundamento

fidei non cadit, non fit magna ruina : quia forte per mortale peccatum aliquis decedit, et ædificatur per pœnitentiam. Sed quando fundamentum subvertitur, fides non remanet : et ideo tunc de pœnitentia non cogitatur, neque de reædificatione. Apocal. xvi, 19 : *Facta est civitas magna in tres partes, et civitates gentium ceciderunt.* In tres enim partes fieri vel frangi, est in perfidiam contra fidem, per suffossionem fluviorum : et in desperationem contra spem, ex emolitione pluviarum : et in dejectionem tecti contra charitatem, per odium et malam voluntatem diaboli. Magna autem est ruina : quia non possibilis reædificari, quia in toto cadit, et quia in infernum corpore et anima cadit, et quia profunde de vitio in vitium cadit : et sic omnia patent ruinæ. Apocal. xii, 8 : *Non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo.*

Sic ergo consummatus est totus sermo Domini in monte.

Et factum est, cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus.

Hæc pars divisa est contra totum sermonem præcedentem, quia hic ponitur sermonis effectus in audientibus. Et tangit tria : sermonis perfectionem, et ejusdem in audientibus effectum, et effectum illius causam.

Perfectionem sermonis tangit per hoc quod dicit :

« Et factum est. »

Sermo enim Dei non est dictus tantum, ut sermo hominis, sed etiam factus : quia facit se invisibiliter in cordibus audientium. Joan. x, 35 : *Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est.*

« Cum consummasset Jesus verba hæc. »

Hoc est, ad summam perfectionem deduxisset, et in illa conclusisset tam in perfectione legis, quam in modo simplicis intentionis, quam etiam in remotione omnium impedimentorum. Deuter. xxxii, 3 et 4: *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera.* Eccli. xliii, 29: *Consummatio sermonum ipse est in omnibus.*

« Admirabantur turbæ. »

Ecce effectus. Est autem *admiratio* suspensio et agonia cordis in magno aliquo apparente, quod cor nec concipere plene, neque tamen negare potest. Unde Damascenus, dicit, quod « admiratio est « stupor in magna phantasia. » Et est hæc admiratio nondum credentis, sed tentantis venire ad fidem, et quærentis qualiter sit, quod apparet. Joan. vi, 14: *Illi homines, cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, etc.* Luc. vii, 16: *Et quia Deus visitavit plebem suam.* Luc. ii, 47: *Stupebant omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis ejus.*

Est autem objectio de hoc, quod dicit turbas admiratas fuisse, « *admirabantur turbæ:* » quia sermo iste, sicut apparet in principio sui, non est habitus ad turbas, sed ad discipulos.

Sed ad hoc dicendum sicut supra, quod quædam sermonis hujus primo in supercilio montis habita sunt ad discipulos, et postea in campestri (quod erat in devexo ejusdem montis) ad turbas: et eadem per modum epilogi cum aliis additis sunt perfecta.

Turbæ autem istæ admirabantur

« Super doctrina ejus. »

Doctrina proprie dicitur disciplina quæ a docente per rationes tales proponitur, quæ generales sunt audientibus, qualis

est iste totus sermo. Ea enim quæ omiserat lex, et in imperfectione remanserant, propter carnales remanserant imperfecta: ratio tamen naturalis probabat illa fore addenda: et ideo rationes istas audientes et in corde rationabili recipientes admirabantur suspensi ad doctrinam: omnis enim veritatis inquisitio incipit ab admiratione, sicut superius diximus. Cantic. iv, 3: *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce.* Vitta enim dicuntur labia ligantia corda audientium ad dictorum fidem, vel admirationem: coccinea autem sunt convertentia ad amorem. Et dulce eloquium, quando est de suavitate gratiæ et morum honestate. Psal. xlii, 3: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Cantic. iv, 11: *Mel et lac sub lingua tua.* Joan. vii, 46: *Numquam sic locutus est homo.*

Hujusmodi autem admirationis subjungit causam, dicens:

« Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi. »

Est autem alia potestas docentis: et alia potestas docentis mores, sive persuadentis: et tertia est potestas docentis persuadentis Prophetæ: quarta autem est potestas docentis et persuadentis Prophetæ et Legislatoris.

De potestate enim docentis dicit Aristoteles in I *Metaphysicorum*: « Signum autem omnino scientis est posse docere. « Quando enim rationabiliter probantur dicta et incontradicibiliter, hoc est signum potestatis docentis: et quando balbutiendo, et ratione quasi tremente dicuntur, signum est quod qui dicit ea, non intelligit. Sed cum ignorans sit in veritate, sicut simia figuram docentis assumit: et illi sunt magistri erroris. » Matth. xxii, 29: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.*

Potestas autem persuadentis in moribus est in exemplo vitæ: quia talis do-

ctrina, sicut dicit Aristoteles in I *Ethico-
rum*, non est contemplandi gratia, sed ut
boni fiamus. Et de hac dicitur, Act. 1, 1 :
Cœpit Jesus facere et docere. Ad Roman.
xv, 18 : *Non audeo aliquid loqui eorum
quæ per me non efficit Christus*.

Potestas autem docentis persuadentis
Prophetæ, est in probatione per mira-
cula : quia Propheta. supernaturalia do-
cet quæ ratione probari non possunt,
nec exemplo communium operum per-
suaderi : sed oportet quod actibus super-
naturalibus evincantur esse vera. Luc.
xxiv, 19 : *De Jesu Nazareno, qui fuit
vir propheta, potens in opere et sermone
coram Deo, et omni populo*. Deuter. xviii,
15 : *Prophetam de gente tua et de fratri-
bus tuis sicut me, suscitabit tibi Domi-
nus Deus tuus : ipsum audies*.

His autem potestatibus Legislator,
Doctor, persuasor et Propheta addit po-
testatem statuendi, statuta interpretandi,
et eisdem addendi et minuendi prout sta-
tui et tempori viderit expedire : quæ om-
nia Christus in hoc sermone exhibuit. Ja-
cob. iv, 12 : *Unus est legislator et iudex*.
Isa. xxxiii, 22 : *Dominus legifer noster*.
Luc. vi, 5 : *Dominus est Filius hominis,
etiam sabbati, secundum potestatem mu-
tandi*. Sic enim in hoc sermone, *os suum
aperuit sapientiæ, et lex clementiæ fuit
in lingua ejus*¹.

« Et non sicut Scribæ eorum et Pha-
risæi. »

Scribarum enim impotentia fuit, qui
tenentes doctrinam legis erraverunt in
dicendo quæ non intelligebant, et exem-

plis non ostenderunt : et loquentes de
lege tamquam servi legis, legi nihil ad-
diderunt gratiæ, et nihil ostenderunt de
figurarum legis veritate. Contra quod di-
citur, Joan. 1, 17 : *Lex per Moysen data
est, gratia et veritas per Jesum Christum
facta est*.

Defectus autem Pharisæorum erat,
traditionibus et humanis justitiis legi
velle addere, sed hoc per nihil omnino
probare, et legis spiritum in nullo de-
monstrare. Contra quod dicitur de Chri-
sto, Joan. 1, 16. *De plenitudine ejus nos
omnes accepimus, et gratiam pro gratia*.

De utrisque autem dicitur, ad Roman.
x, 2 et 3 : *Testimonium perhibeo illis
quod æmulationem Dei habeant, sed non
secundum scientiam. Ignorantes enim
justitiam Dei, et suam quærentes sta-
tuere, justitiæ Dei non sunt subjecti : et
ideo in nulla pietate docebant : propter
quod etiam non persuadere poterant, nec
in admiratione esse, sicut Christus. Pro-
pter quod etiam dixit, Luc. xxi, 15 : *Ego
dabo vobis os, et sapientiam, cui non
poterunt resistere et contradicere omnes
adversarii vestri*. Psal. lxx, 15 et 16 :
*Quoniam non cognovi litteraturam, in-
troibo in potentias Domini*. Et hæc est
causa, quod, I ad Corinth. 1, 24, dicitur :
*Prædicamus... Christum Dei virtutem,
et Dei sapientiam : quia verba ejus erant
in potestate probata. Quia, sicut in ta-
ctibus ejus erat quidem humanitas tan-
gens, deitas autem virtutem dans curan-
di, ita etiam in verbis ejus semper virtus
deitatis diffundebatur in audientium cor-
da, quantum in se erat*.*

¹ Proverb. xxxi, 26.

CAPUT VIII.

Curatum leprosum Jesus mittit ad sacerdotes : sanat puerum centurionis, cujus fidem commendat : item socrum Petri febricitantem, aliosque plurimos male habentes : verbo spiritus ejicit : scribam sequi volentem rejicit, alium vero patre insepulto mox sequi jubet : navicula fluctibus periclitante excitatus a discipulis mare sedat : duos quoque dæmonicos apud Gerasenos liberat, dæmonibus in porcos ingredi permittens : quo viso Geraseni precantur ut a suis finibus discedat.

1. Cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.
2. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare ¹.
3. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens : Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra ejus.
4. Et ait illi Jesus : Vide nemini dixeris : sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis ².
5. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum ³,
9. Et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur.
7. Et ait illi Jesus : Ego veniam, et curabo eum.
8. Et respondens centurio, ait : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus ⁴.
9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites : et dico huic : Vade, et vadit : et alii : Veni, et venit : et servo meo : Fac hoc, et facit.
10. Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.
11. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient ⁵, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob, in regno cælorum.
12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium.
13. Et dixit Jesus centurioni : Vade, et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.
14. Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem.
15. Et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris : et surrexit, et ministrabat eis.
16. Vespere autem facto, obtulerunt

¹ Marc. I, 40 ; Luc. v, 42.

² Levit. xiv, 2.

³ Luc. vii, 1.

⁴ Luc. vii, 6.

⁵ Malach. I, 11.

- ei multos dæmonia habentes ¹ :
 et eiciebat spiritus verbo, et
 omnes male habentes curavit :
17. Ut adimpleretur quod dictum est
 per Isaiam prophetam dicen-
 tem : Ipse infirmitates nostras
 accepit, et ægrotationes nostras
 portavit ².
18. Videns autem Jesus turbas mul-
 tas circum se, jussit ire trans
 fretum.
19. Et accedens unus scriba, ait illi :
 Magister, sequar te quocumque
 ieris.
20. Et dicit ei Jesus : Vulpes foveas
 habent, et volucres cœli nidos :
 Filius autem hominis non ha-
 bet ubi caput reclinet ³.
21. Alius autem de discipulis ejus ait
 illi : Domine, permitte me pri-
 mum ire, et sepelire patrem
 meum.
22. Jesus autem ait illi : Sequere me,
 et dimitte mortuos sepelire mor-
 tuos suos.
23. Et ascendente eo in naviculam,
 secuti sunt eum discipuli ejus ⁴.
24. Et ecce motus magnus factus est
 in mari, ita ut navicula operi-
 retur fluctibus : ipse vero dor-
 miebat.
25. Et accesserunt ad eum discipuli
 ejus, et suscitaverunt eum, di-
 centes : Domine, salva nos, per-
 imus.
26. Et dicit eis Jesus : Quid timidi
 estis, modicæ fidei ? Tunc sur-
 gens, imperavit ventis et mari,
 et facta est tranquillitas magna.
27. Porro homines mirati sunt, di-
 centes : Qualis est hic, quia
 venti et mare obediunt ei ?
28. Et cum venisset trans fretum in
 regionem Gerasenorum ⁵, occur-
 rerunt ei duo habentes dæmo-
 nia, de monumentis exeuntes,
 sævi nimis, ita ut nemo posset
 transire per viam illam.
29. Et ecce clamaverunt, dicentes :
 Quid nobis et tibi, Jesu, Fili
 Dei ? Venisti huc ante tempus
 torquere nos ?
30. Erat autem non longe ab illis
 grex multorum porcorum pa-
 scens ⁶.
31. Dæmones autem rogabant eum,
 dicentes : Si ejicis nos hinc,
 mitte nos in gregem porcorum.
32. Et ait illis : Ite. At illi exeuntes
 abierunt in porcos : et ecce im-
 petu abiit totus grex per præ-
 ceptum in mare, et mortui sunt in
 aquis.
33. Pastores autem fugerunt, et ve-
 nientes in civitatem, nuntiave-
 runt omnia, et de eis qui dæ-
 monia habuerant.
34. Et ecce tota civitas exiit obviam
 Jesu : et viso eo, rogabant ut
 transiret a finibus eorum ⁷.

¹ Marc. i, 32.² Isa. LIII, 4 ; I Petr. II, 24.³ Luc. IX, 58.⁴ Marc. IV, 36 ; Luc. VIII, 22.⁵ Marc. v, 1 ; Luc. VIII, 26.⁶ Marc. v, 11 ; Luc. VIII, 32.⁷ Marc. v, 17 ; Luc. VIII, 37.

IN CAPUT VIII MATTHÆI

ENARRATIO.

« Cum autem descendisset Jesus de monte, secutæ cum eum turbæ multæ. »

In ista parte inducuntur ea quæ faciunt ad doctrinæ confirmationem, sicut etiam virtus confirmans sermonem discipulorum. Marci, xvi, 20 : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Hoc enim pertinet ad potestatem prophetalem, sicut diximus in antehabitis.

Dividitur autem hæc pars in duas partes, in quarum prima inducit ea quæ faciunt ad suæ potestatis demonstrationem, per quam confirmatur veritas inductorum. Sed quia, sicut dicitur ad Titum, 1, 9, Prælati debet esse *potens exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* : ideo in secunda parte ponit ea ex quibus arguuntur contradicentes in capitulo sequenti, ibi, ix, 1 : « *Et ascendens, Jesus scilicet, in naviculam.* »

Istud autem capitulum dividitur in partes duas, quarum prima inducit ea quæ ad potestatis faciunt demonstrationem : in secunda, tangit ex hoc secutam credentium confirmationem, ibi, x, 18 : « *Videns autem Jesus turbas multas circum se.* »

In prima harum fides generatur : in secunda confirmatur. Aut sic : Quæ fiunt in prima, fides expostulat : ne autem tanta fides destruat, in secunda confirmat.

Adhuc, prior harum dividitur in duas, in quarum prima quasi inducendo,

inducit facta magnæ potentiæ divinæ demonstrativa, in quantum magna est virtus : in secunda, quasi universaliter concludendo inducit in omnibus hujusmodi hanc virtutem operantem, in quantum universalis est et divina, ibi, x, 16 : « *Vespere autem facto.* » Hæc enim duo debentur Christo, secundum quod virtus est, et sapientia Patris¹ : in quantum enim sapientia est, docuit sapientiam perfectorum : in quantum virtus est, probat dicta testibus miraculorum : et hæc non sunt perfectæ virtutis demonstrativa, nisi et magna possit et omnia : et ideo ad utriusque istorum probationem procedit Evangelista.

Prima autem harum, in qua ostendit virtutis magnitudinem, dividitur secundum ea quæ virtutem probant esse magnam in reparando illud quod virtus creatrix instituit. Hæc autem sunt tria : aut enim est penes virtutem quæ conservat substantiam secundum materiam : aut penes ea quæ per sensum vim motivam ministrant, ibi, x, 5 : « *Cum autem introivit Capharnaum.* » Aut penes ea quæ ministrant vitam, ibi, x, 14 : « *Et cum venisset Jesus in domum Petri.* »

Quod ut melius intelligatur, sciendum quod nutrimentum conservat substantiam corporis. « Animatum enim ab inanimato, ut dicit Aristoteles, duobus maxime differt, motu, et sensu : vita autem est actus animæ secundum ipsam suam essentiam, et ideo isti actus sunt principales. » Aut enim est secundum id in quo perfectissime apparet vita, aut secundum id quod in omnibus est principium vitæ ad omnia quæ vivunt : secundum nutritionem enim primum apparet vita in omnibus corporaliter viventibus : et ideo dixit Dionysius Philosophus, quod « vita est principium generis nutritibilis naturam assequens : » et penes hoc accipitur lepra : lepra enim omnis corruptio est nutrimenti ex corruptione venarum ad fontes membrorum

¹ I ad Corinth. 1, 24 : *Prædicamus... Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

derivata : et ideo etiam membra cadunt leprosis. Perfectissima autem est vita secundum sensum et motum, et illius dissolutio in instrumentis sensus et motus est paralysis. Principium autem vitæ in omnibus corporaliter viventibus est cor : et accessio extranei caloris a corde, per spiritum et sanguinem, per arterias et venas, per totum corpus diffusa, est febris. In reparatione ergo istorum trium est ostensio magnitudinis potentiæ divinæ. Nec potest dici, quod pluribus modis formaliter ista pars possit variari : quia intellectus, secundum quem etiam vivere dicimur, non est potentia quæ sit actus alicujus organi : et ideo penes ipsam non accipitur ostensio potentiæ divinæ secundum magnitudinem.

Horum autem primum, quod est de sanatione lepræ, dividitur in tres partes secundum ea quæ exiguntur ad miraculum : in quarum prima ponitur miraculi expositio : in secunda, exhibitio, ibi, *ÿ. 3* : « *Et extendens Jesus munum.* » Et in tertia, conservatio sanitatis adeptæ, ne redeat infirmitas, ibi, *ÿ. 4* : « *Et ait illi Jesus.* » Et hæc patent in littera.

In miraculi autem expositione tria exiguntur, utilitas, idoneitas, et devotio petens ipsum.

Utilitas est, quæ viso a multitudine miraculo credit, et hanc tangit, cum dicit : *Cum autem descendisset Jesus*, etc. Idoneitas est in adoratione : devotio, in petitione.

Signa enim non fidelibus, sed infidelibus sunt data ¹, et ideo præsentibus fieri debuerunt. Et de hoc dicit duo : descensum Domini, et sequelam turbæ.

De primo dicit :

¶ « Cum autem descendisset Jesus de monte. »

Mons autem hic significat eminentiam

¹ Cf. I ad Corinth. xiv, 22.

² Cf. Psal. xxiii, 4 : *Quis ascendet in montem*

spiritus et perfectionem doctrinæ : ad quem montem vilis plebecula numquam valet ascendere : quia non ascendet in montem sanctum Domini, neque stabit in loco sancto ejus nisi innocens manibus et mundo corde, etc. ².

Sed cum descendit humilia dicens, tunc vilis turba sequitur eum : et hoc est, quod sequitur :

« Secutæ sunt eum turbæ multæ. »

Eccli. xxiii, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum* Job, xxiii, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi.*

Quatuor autem causæ assignantur hic in Glossa, quare secuta est eum turba : alii enim propter charitatem, et alii propter curiositatem videndi miracula, et alii propter doctrinam, et alii propter curationem. Augustinus super *Joannem*, vi, 2, dicit quinque causas fuisse, quare sequebantur eum turbæ : ut videlicet curarentur quidam, et quidam ut signa viderent, alii ut instruerentur : et istæ tres causæ tanguntur hic. Quidam autem sequebantur ut observarent eum, et accusarent : et quidam, ut utilitatem victus acciperent ab eo et cum eo : sive quando multiplicabat panes, sive cum ab aliquo recipiebatur, sive et quia ipse data sibi egenis distribuere solebat. Unde versus :

Morbus, signa, cibus, blasphemia, dogma fuere
Causæ cur Dominum turba secuta fuit.

Unde, Joan. vi, 26 : *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus.*

Sic ergo dictum est de utilitate miraculi, quia propter turbam fit istud miraculum.

Domini, etc.

« Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare. »

Hic tangitur idoneitas ejus in quo fit miraculum. Et conficitur ex tribus : ex indigentia infirmitatis, ex accessu ad Christum conversionis, et ex cultu adorationis.

Indigentia infirmitatis tangitur, cum dicitur : « *Ecce leprosus* : » cujus lepra patenter erat demonstrabilis, et ex magnitudine lamentabilis : et ideo, Luc. v, 12, dicitur iste *plenus lepra*. Et, Marc. i, 41, dicitur quod *Jesus fuit misertus ejus*.

Accessus autem conversionis notatur in hoc, quod dicit, « *Veniens*. » Ipse enim tales invitavit. Matth. xi, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis*. Nec debet tamen istud intelligi de adventu corporali, sed potius de eo quem Dominus intuebatur de adventu mentali. Cultus autem adorationis notatur, ibi, « *Adorabat eum*. » Marcus autem dicit, quod *genu flexo* ante eum rogabat. Isa. xlv, 14 : *Te adorabunt, teque deprecabuntur* Psal. xlv, 12 : *Ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum*.

« Dicens : Domine, si vis, potes me mundare. »

Hic ponitur devotio petens miraculum. Et conficitur ex quatuor : ex professione majestatis, cum dicit : « *Domine*. » Ex judicio discretionis, cum dicit : « *Si vis*. » Ex fide omnipotentiae, cum dicit : « *Potes*. » Ex effectu, cum dicit : « *Me mundare*. »

Dominus enim nomen est majestatis, ex quo omne magnum in cælo, et in terra exoritur. Jerem. xxxii, 18 : *Fortissime, magne, et potens, Dominus exercituum nomen tibi*.

Per hoc autem, quod dicit : « *Si vis*, » significat se non dubitare in aliquo : sed

quia scivit quod voluntas Dei est omnipotens, et non nisi bona est, et bonum cuilibet facit : et nescivit, an sibi bonum esset quia (alias, quod) mundaretur, vel non, ideo sub conditione locutus est. Quasi diceret : Si bonum est mihi, tunc rogo, quod velis : et si non bonum est mihi, tunc scio, quod non vis : et ideo, « *si vis*, » quia voluntas tua necessitati non subjacet. Sapient. xii, 18 : *Subest tibi, cum volueris, posse*.

« *Potes* » Ecce fides omnipotentiae. Esther, xiii, 9 : *In ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris liberare Israel*.

Sed quia multa potest Deus quæ non efficit, ideo conjungit cum potestate effectum, dicens : « *Me mundare*. » Job, xxiii, 13 : *Ipse solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus : et anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit*. » Psal. cxxxiv, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo, in terra, in mari et in omnibus abyssis*. Ad Romanos, ix, 19 : *Voluntati ejus quis resistit ?*

« Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens : Volo, mundare. »

Hic tangitur miraculi exhibitio. Constat ex quatuor : quorum primum est efficax virtutis operatio : secundum, benignæ voluntatis electio : tertium, munditiæ præceptio : et quartum, ad jussum sanitatis perfectio.

De primo dicit duo : primum est virtutis ad operandum protensio, et secundum, modi operationis expressio.

Dicit ergo :

« Et extendens Jesus manum. »

Manus est organum organorum, sicut diximus in antehabitis : et significat virtutem divinam universalem et expeditissimam ad opus : et extensio illius signi-

ficat virtutis processum ad actum. Quod autem nomen *Jesu* interponitur, significat quod extenditur ad salutem. Matth. ix, 22, et Luc. viii, 46: *Ego cognovi virtutem de me exiisse*. I Esdræ, viii, 22: *Manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum*. Psal. cxxxvii, 7: *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua*.

Modus autem operationis exprimitur, cum dicit :

« Tetigit eum. »

Non enim potuit esse, quin ad esse tangens eum devotione operaretur deitas quæ latebat in carne, sicut tactus carnis vim regenerativam contulit aquis ex operatione deitatis.

Quæritur autem, cum Eliseus Naaman non visu, nec tactu curaverit, sed verbo, IV Regum, v, 10, quare Christus majoris existens potentiæ, non solo verbo vel etiam voluntate curaverit leprosum, præcipue hic ubi potentiam suam demonstrare voluit?

Et dicendum, quod Eliseus suæ infirmitatis sibi conscius tactu curare non potuit, sed potius ad figuram misit sacramenti, in quo curatio perficitur, quod talem habere effectum ex tunc Deus præsignare voluit. Christus autem sanitatem quam dant sacramenta, sacramentis non alligavit, nec sacramenta sanitatem propria virtute efficiunt: et ideo Christus, ut hoc significaret, hic virtutem protensionis (alias, protensione) ostendit, et exhibuit: non enim in se aliter deitatem corporaliter inhabitasse significasset.

Sed adhuc objicitur, quod, Levit. xii et xiv passim, dicitur quod qui tetigerit leprosum, immundus erit usque ad vesperam: et tunc lotus aqua ingredietur in castra. Christus autem, supra, v, 17, dixit quod *non venit legem solvere, sed adimplere*.

RESPONSIO. Sicut supra docuimus,

Christus est justus, et est superjustus, quem Græci ἐπιείκην vocant: ἐπιείκην autem, sive superjustus tenet legem ad legislatoris intentionem: et sic tenet legem ipse legislator, qui lex est viva. Cum igitur causa inhibitionis de tactu leprosi fuerit ne inficeretur sanus ex leproso, et sic plures fierent immundi (cum lepra sit morbus contagiosus), superjustus eo ipso debet et potest manu tangere lepram, qua lepræ morbus effugetur, et sic natura juvetur, et mundetur: et non solvit legem, sed potius superimplet legem, et sic est videre in omnibus factis Domini: et hoc est, quod ipse dixit, Joan. v, 36: *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me*. Sed hoc perfidia excæcati Judæi non intellexerunt.

Sed adhuc contra prædicta esse videtur, quod dicit Chrysostomus, quod non tactu, sed verbo hunc curavit leprosum: sed tactum fecit, ut se super legem esse demonstraret.

Sed ad hoc dicendum, quod non propter aliud eum leprosum tetigisse, nisi ut contra legem faceret, est omnino improbabile: sed potius ex causis supra dictis tetigit: et ideo dictum Chrysostomi sic intelligitur, quod tactum exhibuit in operatione virtutis: et hæc virtus verbo dignitatis (alias, benignitatis) perfecit operationem sanitatis, dicens: « *Volo*. »

Ecce verbum benignitatis divinæ, cum dicit:

« *Volo*. »

Voluntas enim Dei est semper bonum nostrum. Jerem. xxix, 11: *Ego scio cogitationes quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, et non afflictionis*. Ezechiel. xviii, 23: *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus?* Qualiter enim posset esse nisi de bono nostro: quia, ad Roman. xii, 2, dicitur: *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta*.

« Mundare. »

Ecce præceptio, non modo præceptum sanitatis. Et bone dicit : « *Mundare*, » ut intelligatur magis mundus anima quam corpore. IV Reg. v, 14 : *Restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli, et mundatus est*, scilicet a lepra sua. Matth. xi, 5 : *Leprosi mundantur*. Psal. cii, 3 : *Propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas*.

Hoc autem jussum consequenter sequitur sanitatis perfectio : unde dicit :

« Et confestim mundata est lepra ejus. »

Tria sunt hic dicta de perfectione miraculi. Unum quidem, quod factum est subito : et in hoc transcendit modum operis naturæ, cum dicit : « *Confestim*. » Alterum est finis integræ sanitatis, cum dicit : « *Mundata est*. » Tertium est hujus sanitatis integritas in reparatione causæ, cum dicit : « *Lepra ejus*, » hoc est, causa lepræ.

Primum est virtutis infinitæ : quia probavit Aristoteles in VII *Physicorum*, quod « si tanta virtus movet in tanto » tempore, quod dupla movet in dimidio « illius temporis, et decupla in decima » parte temporis illius, et infinita movebit in nunc temporis : » et sic factum est hic. Genes. xviii, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile ?*

De secundo dicitur, Joan. vii, 23 : *Totum hominem sanum feci in sabbato*. Ezechiel. xxxvi, 25 : *Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*.

De tertio nota, quod, cum lepra est corruptio vasorum quæ corrumpunt nutrimentum, et convertunt ipsum in choleram nigram ex omni humore : et mundatio lepræ est curatio vasorum, ne corrumpant digerendo nutrimentum, sed potius ad statum sanæ digerant complexionis : et in hoc notatur, quod ta-

ctus exterior, et verbum exterius sonans interiora penetravit. Ad Hebr. iv, 12 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis*. Sic ergo tactus factus est, ut deitas in eo corporaliter habitare demonstraretur. Verbum autem dictum est, ut turbæ adstanti potestas ejus significaretur. Joan. xii, 30 : *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos*. Sanitatis autem præceptio facta est, ut Dominus et creator naturæ significaretur. Sanitatis autem perfectio secuta est, ut Dominus Redemptor hominum venisse probaretur.

« Et ait illi Jesus : Vide, nemini dixeris : sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis. »

Hic agitur de conservantibus sanitatem adeptam, ne redeat infirmitas. Sicut enim natura quando dat sanitatem, confortat eam, ne alterationibus sequentibus destruat : ita etiam facit hic auctor naturæ Dominus dans præcepta conservandæ sanitatis. Joan. v, 14 : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*.

Ad hoc autem tria dat præcepta, quorum primum est humilitatis et cautelæ, cum dicit : « *Vide, nemini dixeris* » Secundum est divini cultus et obedientiæ, ibi, « *Sed vade, ostende te sacerdoti*. » Tertium autem est gratiarum actionis et reverentiæ, ibi, « *Et offer munus*. »

Primum est ergo præceptum humilitatis secundum Augustinum, et cautelæ secundum Chrysostomum. Ut enim vere dicit Augustinus, « de bonis a Deo perceptis non oportet gloriari, nec jactare » ea in publico, » sicut dicit Apostolus, II ad Corinthios, xii, 1 : *Si gloriari oportet*

*tet (non expedit quidem). Et Ezechias thesaurum ostendens perdidit eum, et regnum*¹. Matth. xiii, 44 : *Quem qui invenit homo, abscondit. Job, iv, 12 : Ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.*

Sed contra hoc videtur esse, quod dicitur, Marc. i, 43, quod iste leprosus *egressus cœpit prædicare et diffamare sermonem, ita ut jam non posset introire manifeste in civitatem, sed foris in desertis locis esset : et conveniebant ad eum undique.* Et videtur bene fecisse iste, quia dicitur, Tob. xii, 7 : *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est.* Iste autem confessus fuit opera Dei, non ad laudem suam, sed ad gloriam Dei. Isa. xii, 5 : *Annuntiate hoc in universa terra.*

RESPONSIO. Dicendum, quod in veritate Dominus intendit, quod iste gloriam propriam non quæreret de hoc quod dignus habitus esset a Domino præ multis aliis leprosis ut curaretur : quia hoc esset jactantiæ : sed opus divinæ potentiæ ad hoc factum fuit, ut potentia innotesceret, et prædicaretur : et hoc fecit iste. Primum autem cavet, et ideo inobediens non fuit.

Cautelæ etiam fuit istud præceptum secundum Chrysostomum. Et hoc notatur ex ordine istorum præceptorum, quia primum est : et ideo non tenebat, nisi donec se ostenderet Sacerdotibus : quia si ante prædicasset miraculum, cum jam conceperint Principes Sacerdotum odium contra Christum, non recepissent eum ad iudicium emundationis, sed dixissent eum adhuc esse immundum : et tunc tantum non valisset prædicatio leprosi, quia calumniam habuisset miraculum, Sacerdotibus dicentibus quod non esset vere mundatus : quia lepra est morbus, qui non de facili cognoscitur, nisi multum processerit in destructionem membrorum. Sed postquam Sacerdotes eum iudicaverunt mundum, et munus

testificans munditiam receperunt, in contradicibile fuit miraculum, et tunc valuit prædicatum (alias, prædicatio). Proverb. i, 4 : *Ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia et intellectus.* Augustinus in primo libro de *Trinitate* : « Gratanter « recipit osculum columbinum dulcissima charitas : dentem autem caninum « vel retundit solidissima veritas, vel « evitat cautissima humilitas. »

« Sed vade, ostende te sacerdoti. »

Ecce præceptum divini cultus, et obedientiæ : hoc enim præceptum est, Levit. xiv, 2. Et pertinebat ad cultum Dei. Nec adhuc passus fuit Christus, ut ista essent mortua, sed adhuc in statu erant : et ideo oportet adhuc hæc tenere, quantum ad emundatum, licet Christus legi non subderetur. Præterea, utile fuit ad miraculum testificandum, sicut jam dictum est : et ideo dicit Marcus, quod dixit ei : *Vade, ostende te Principi Sacerdotum*² : quia ab illis magis valuit testimonium. Unde, Joan. xi, 47 : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ?* Act. iv, 16 : *Quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem : manifestum est, et non possumus negare.*

Hoc etiam allegorice accipitur, quod etiamsi aliquis curatus sit a Deo a lepra peccati per compunctionem, quod adhuc tenetur ostendere se sacerdotibus per confessionem. Jacob. v, 16 : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini.*

« Et offer munus. »

Ecce tertium præceptum gratiarum actionis et reverentiæ. Tangit autem tria : oblationem muneris, justitiam oblationis, et finem. Oblationem, cum dicit : « *Et offer munus.* » Isa. xix, 24 : *Colent cum in hostiis et in muneribus.*

¹ Cf. Isa. xxxix, 4 et seq.

² Marc. i, 44.

Justitiam tangit, cum dicit : « *Quod præcepit Moyses.* » Eccli. xxiv, 33 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum.* Finem tangit, cum dicit : « *In testimonium illis.* »

Et est constructio : Offer illis munus in testimonium tuæ curationis, hoc est, ut sint testes quod sis curatus. Job, x, 17 : *Instauras testes tuos contra me.* Testimonium enim ab adversariis laudabile est. Augustinus tamen legit istud, « *in testimonium illis,* » hoc est, contra eos, qui si non credunt, justius damnentur. Deuter. xxxi, 26 : *Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium.* Numer. xvii, 10 : *Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut sit ibi in signum rebellium filiorum Israel.*

« Cum autem introisset Capharnaum. »

Secundum est potentiæ divinæ demonstrativum. Quod factum est in restitutione duobus (alias, duorum), in quibus animatum ab inanimato maxime diffinitur differre, et quæ sunt præcipua opera sensibilis animæ. Paralysis enim quod est emollitio nervorum, per hoc quod replet nervos, impedit viam sensus, et insensibilitatem inducit : et per hoc quod emollit, inducit virtutis motivæ detrimentum : quia illa vult habere viam siccam et duram, eo quod non est receptiva formarum sensibilium, sicut vis sensitiva, sed potius activa, et actio potentiæ activæ melioratur sicco : quia humidum non est instrumentum actionum, sed cedit in seipsum, et patitur magis a contrario. Per hoc autem quod humor paralyticus replendo distendit nervos in latum, contrahit eos a longitudine debita : et tunc virtus naturalis nititur eos distendere ad debitum situm : et sic ex lucta morbi et naturæ tremor membrorum inducitur, et aliquando tortura magna et valde sensi-

bilis afflictionis, præcipue si humor dissolvens et emolliens calidus fuerit : et talem passionem iste paralyticus sustinuisse videtur. Hæc autem dicta sint, ut ex magnitudine morbi magnitudo appareat divinæ potentiæ curantis.

Dicuntur autem hic tria : quorum primum est id quod est ad miraculi perfectionem inclinativum : secundum autem, laus fidei centurionis, ibi, ꝯ. 8 : « *Respondens centurio, ait illi,* etc. » Tertium est perfectio miraculi, ibi, ꝯ. 13 : « *Et dixit Jesus centurioni.* »

In primo horum duo continentur, quorum primum est enumeratio eorum quæ ad faciendum miraculum inclinabant : secundum autem, promissio miraculi faciendi, ibi, ꝯ. 7 : « *Et ait illi Jesus,* etc. »

Tria autem sunt ad miraculum faciendum inducentia : primum, loci solemnitas et intercedentium multitudo, quia ibi multos ædificare potuit : et secundum, personæ rogantis devotio et dignitas : et tertium, ejus qui patiebatur miserabilitas. Et hæc patent in littera.

De primo dicit :

« Cum autem introisset Capharnaum. »

In quo duo notantur, loci scilicet solemnitas, et intercedentium multitudo. Unde, Luc. vii, 3 et seq., dicitur, quod misit ad eum seniores Judæorum, qui rogabant pro eo, dicentes : *Quia dignus est ut hoc ei præstes. Diligit enim gentem nostram, et Synagogam ipse ædificavit nobis.* Quoniam, ut Ptolomæus dicit in *Almagesti* principio, quod « intercessor est petentis ala. » Locus igitur per metonymiam hic ponitur pro his qui in loco intercedebant. Quod Christus voluit, ut solemnus, et per consequens utilius esset miraculum. Propter quod etiam, Luc. iv, 23 : *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.* Joan. vii, 4 : *Nemo quippe in abscondito quid facit, et quærit ipse in palam esse :*

hæc si facis, manifesta teipsum mudo.

« Accessit ad eum centurio, rogans eum. »

Istud est secundum, ubi ponitur personæ rogantis dignitas et devotio. Et tanguntur hic tria : appropinquatio devotionis, dignitas appropinquantis, et supplicitas exorantis.

De primo dicit :

« Accessit. »

Jacob. iv, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.*

Sed contra, Luc. vii, 7, dicit centurio : *Meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te.* Et dicitur ibi, quod misit ad eum Judæorum seniores.

RESPONSIO. Dicendum, quod primo non venit, sed accepta fiducia, postea venit per seipsum : et unum narrat Lucas, alterum autem Matthæus.

« Centurio. »

Ecce dignitas. Qui centum milites sub se habuit centurio cohortis unius dicebatur. Isa. xlv, 14 : *Viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt.*

« Rogans eum. »

Ecce supplicitas orationis : et in hoc commendatur centurio, quod tantum rogavit pro puero, hoc est, pro servo. Commendatur autem de humilitate, et de affectu compassionis, et de fidelitate ad servum.

De humilitate, quia dicit Chrysostomus, quod « in corde recognovit eum esse « fratrem, et apud Deum non esse distantia inter dominum et servum. » Ad Philemonem *ÿÿ. 13 et 16 : Ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes, jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem.* Ad Ephes. vi, 9 :

Vos, domini, eadem facite servis, remittentes minas : scientes quia et illorum, et vester Dominus est in cælis, et personarum acceptio non est apud eum.

De compassione dicitur, II ad Corinth. xi, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?* Ad Roman. xii, 15 et 16 : *Flere cum flentibus. Idipsum invicem sentientes.*

De fidelitate dicitur, Luc. vii, 2, quod servus erat isti centurioni pretiosus. Eccli. xxxiii, 31 : *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua.* Non fecit sicut iste Amelecita, de quo, I Reg. xxx, 13 : *Dereliquit me dominus meus, quia ægrotare cæpi nudiustertius : et hunc refocillavit David.*

Et ideo etiam vocat eum *puerum suum.*

« Et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. »

Hic tangitur miserabilitas illius in quo factum est miraculum. Et tanguntur quinque : destitutio infirmi, cum dicit : « *Jacet.* » Magnitudo languoris, cum dicit : « *Paralyticus.* » Impossibilitas adjutorii, cum dicit : « *In domo.* » Sicut infra patebit. Vexatio ad dolorem sensus, cum dicit : « *Male.* » Vexatio ad dissolutionem compositionis membrorum, cum dicit : « *Torquetur.* »

Ante præmiserat illud, quod sonat fidem potentiæ in Salvatore, cum dixit :

« Domine, »

Cujus velle facere est. Exod. xv, 3 : *Dominus omnipotens nomen ejus.* Et, Apocal. xix, 16 : *Habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* In quo perfectum est posse per solum imperium faciendi quod vult in creaturis sibi subjectis. Illa enim est potestas Domini verbo et imperio faciendi quod voluerit, Psal.

CXXXIV, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo, in terra, in mari et in omnibus abyssis.*

Præmisit etiam de cura servi affectum dicens :

« Puer meus. »

Sed de hoc jam ante dictum est. Isa. VIII, 18 : *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus.*

« Jacet. »

Ecce destitutio infirmitatis. Quidam enim adhuc non victi infirmitate ista ambulat, et stant : et quidam minus sustentati se trahunt potius quam ambulat : quidam autem magis victi sedent : iste autem omnino destitutus jacet. Psal. XL, 4 : *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Unde, Joan. v, 3, dicitur, quod *in his jacebat multitudo magna languentium.*

« Paralyticus. »

Ecce languoris difficultas : quia quasi incurabilis est ista infirmitas. III Reg. XVII, 7 : *Erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus.* Eccli. x, 11 : *Languor prolixior gravat medicum.*

« In domo. »

Ecce impossibilitas adjutorii. Jam enim desperans de adjutorio retraxerat se in domum, ubi nihil nisi mortem exspectaret. Eccli. xxx, 17 : *Melior est mors quam vita amara : et requies æterna, supple, in sepulcro, quam languor perseverans.*

« Et male. »

Quoad vexationem sensus. Simile, Matth. xv, 22 : *Filia mea male a dæmonio vexatur.*

« Torquetur. »

In tortum contrahitur inordinate et distenditur. Thren. I, 12 : *Attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.* Psal. XXXVII, 7 : *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem : tota die contristatus ingrediebar.*

Et attende, quod tantæ est humilitatis iste, quod petere non audet : et tantæ fiducia de misericordia Domini, quod non nisi exponit ei miseriam pueri : et tantæ discretionis, quod exaudire si expedit, vel non exaudire si non expedit, relinquit judicio Domini : et his tribus de causis non format petitionem.

« Et ait illi Jesus : Ego veniam, et curabo eum. »

Ecce pars, in qua est miraculi perficiendi promissio. Et tanguntur tria : quorum primum est benigna allocutio Domini, quam centurio meruit ex devotione : secundum, promissio personalis visitationis, quam meruit ex humilitate : tertium est sponsio curationis servi, quam meruit ex supplicatione.

Dicit ergo primo de allocutione :

« Et ait illi Jesus. »

Quia enim devote alios miserat, seipsum venire reputans indignum, sibiipsi meruit loquentem audire Dominum. Numer. XII, 8, dicit Dominus de Moyse : *Ore ad os loquor ei, et palam,* etc. Loquebatur ei ore ad os. Exod. XXXIII, 14 : *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.*

« Ego veniam. »

Ecce promissio visitationis. Psal. LXXIX, 3 : *Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos.*

Sed contra : Non legitur venisse per-

sonaliter. Dicendum, quod personaliter venit : quando secundum præsentiam suæ deitatis per beneficium curationis se præsentem exhibuit. Osee, vi, 3 : *Veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ.*

« Et curabo eum. »

Sponsio est beneficii sanitatis. Osee, xiv, 5 : *Sanabo contritiones eorum : diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis.* Eccli. v, 4 : *Curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione.*

S « Et respondens centurio, ait : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. »

Hic incipit pars quæ est de laude centurionis. Et dividitur in duo : in quorum primo ponitur de causa laudis : et in secundo, ponitur ipsa laudatio, ibi, ꝯ. 10 : « *Audiens autem hoc Jesus.* »

Et tanguntur duo : primum est accepta fiducia ex allocutione Domini, quæ ostenditur in verbis Evangelistæ, cum dicit :

« Respondens centurio, ait. »

Ad Roman. ix, 20 : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Et ideo intelligitur, quod præcedentia verba per intercessores proposuit, sed modo accepta fiducia per seipsum respondit.

Secundum est ipsa responsio : et in hac quatuor continentur : quorum primum est humilis suæ indignitatis cognitio : secundum est facilis et ad nutum virtutis Dei operatio : tertium, creaturæ ad Creatorem secundum obedientiam plena et cum effectu subjectio : quartum, hujus per simile persuasio.

In primo autem horum rursum duo

continentur : quorum primum est suæ ad Dominum cognitio indignitatis : secundum est in usu rerum hujus mundi parcitas sustentationis.

De primo dicit :

« Domine, non sum dignus. »

I Petr. v, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Jacob. iv, 6 : *Humilibus dat gratiam.*

« Ut intres sub tectum meum. »

Ecce quam parca sustentatio ex usu rei familiaris. Princeps enim existens, habitationem non vocat domum, sed tectum, quod solum est defendens ab incommodis aeris : nec palatium puto eum habuisse, qui apud Dominum quem libenter honorasset, et quem nihil latere putavit, non nisi de tecto facit mentionem : jam imitans ipsum Dominum, qui reclinatus, cum nasceretur, fuit in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio. Jerem. xxii, 14 : *Væ... qui dicit : Edificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa : qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide.*

« Sed tantum dic verbo. »

Ecce recognoscit facilem ad nutum virtutis Dei esse operationem. Ex plena fide enim scivit jam illud Sapient. xviii, 15 : *Omnipotens sermo tuus, Domine, de cœlo a regalibus sedibus venit.* Et, ibidem, xvi, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos : sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Psal. cXLVIII, 5 : *Ipse dixit, et facta sunt.*

« Et sanabitur puer meus. »

Credidit iste tantum subjectiois quamlibet habere creaturam ad Deum, quod verbo suo simplici omnis mutatio fieret

in creaturis et ad vitam et ad mortem. Job, v, 18 : *Ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt.* Jerem. xvii, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero.*

« Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites : et dico huic : Vade, et vadit : et alii : Veni, et venit : et servo meo : Fac hoc, et facit. »

Ecce persuasio per (alias, secundum) similitudinem. Et secundum Chrysostomum, attenditur similitudo inter potestatem Christi, in quantum homo est, et potestatem centurionis. Quia sicut centurio sub potestate erat Imperatoris, vel præsidis, vel alterius cujuscumque secundum ordinatam potestatem : ita potestas Christi hominis erat sub potestate Patris. Et sicut non præjudicabat potestas superior in centurione potestati inferiori, quominus militibus jubendo diceret : *Vade*, vel *Veni* : ita non præjudicabat potestas Patris potestati Christi, quominus posset præcipere Angelis, quibus disperserat ministeria hominum, et per eos frequenter perficit corporales sanitates hominum, sicut, Joan. v, 4, descendit Angelus movens aquam : et tunc sanabatur qui primus descendit in aquam.

Adhuc, ex superiori potestate non præjudicabatur centurioni, quin præciperet servis de faciendo, vel non faciendo : et similiter potestas superior Patris non præjudicabat Christo, quin ad nutum præciperet creaturis corporalibus de omni eo quod vellet ad sanitatem, et (alias, vel) ægritudinem, et ad vitam, et ad mortem. Et in his notatur, quod non solum magnam et humilem, sed valde habuit iste fidem distinctam.

Quatuor ergo notantur in ista similitudine : in hoc enim quod dicit : « *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus,* » notat similitudinem potestatis Christi ho-

minis ad eam quæ super eum erat, potestatem Patris. In hoc autem quod dicit : « *Habens sub me milites,* etc., » notatur similitudo potestatis Christi super Angelos. In hoc etiam quod dicit : « *Et servo meo : Fac,* etc., » notatur similitudo potestatis Christi super creaturas corporeas.

Dicit ergo :

« Nam et ego, »

In humanis, sicut tu in quantum homo es in divinis, « *homo sum sub potestate* » altiori « *constitutus.* » Psal. lxxv, 12 : *Imposuisti homines super capita nostra.* Ad Roman. xiii, 1 : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* De Christo autem, Joan. xiv, 28 : *Pater major me est.* Joan. v, 27 et 28 : *Potestatem dedit ei,* Pater scilicet, *judicium facere, quia Filius hominis est.* *Nolite mirari hoc,* etc.

« Habens sub me milites. »

Minimus centum militibus præerat, et maximus mille. Unde etiam *centurio* dicebatur. De Christo autem dicitur, Job, xxv, 3 : *Numquid est numerus militum ejus ? et super quem non surget lumen illius ?*

« Et dico huic : Vade, et vadit : et alii : Veni, et venit. »

Notat similitudinem euntium et redeuntium Angelorum ad Deum cum votis hominum : et ad homines cum gratia et illuminatione divina, sicut dicitur, Joan. i, 51 : *Videbitis... Angelos Dei ascendentes et descendentes supra filium hominis,* sicut patet in principio Zachariæ, i et ii passim.

« Et servo meo : Fac hoc, et facit. »

Notat qualiter servilis creatura, quæ est corporea, subjicitur Creatori. Psal.

viii, 8 : *Omnia subiecisti sub pedibus ejus, oves et boves*, etc. Esther, xiii, 11 : *Dominus omnium es*. Psal. cxxii, 2 : *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum*, etc.

Princeps gentilis de fortitudine gentium advenit, sicut et tres Magi.

Et ideo subjungit de ipsa laude : et primo tangit apud quos laudavit, dicens :

« Et sequentibus se dixit. »

10 « Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. »

Hic ponitur ipsa laudatio. Et dicuntur hic duo : quorum primum est de admiratione auditus fidei : secundum autem est de ipsa laude, ibi, « *Amen dico vobis*, etc. »

« Audiens Jesus miratus est. »

Sed de primo est objectio, qualiter Christus audiens admiratus sit, qui omnia scivit, antequam audiret, et de nullo admirari potuit : quia admiratio est stupor quidam in eo, quod ita magnus est, quod ultra facultatem cognitionis et operis ejus est qui admiratur : et nihil ita excedit Christi facultatem.

Et dicendum ad hoc, quod duplex scientia est in Christo : una quidem infusa sibi a Patre secundum hominem : et altera, in qua natus est a Patre secundum Deum : et secundum neutram istarum ex auditu admirari potuit. Est autem adhuc in ipso scientia experimentalis, qua audivit quod ante per illum modum nescivit, licet alio modo sciverit : et de hac dicitur, quod audivit. Admiratio autem sua non fuit stupor cordis, ut in nobis, sed potius ostensio, qua aliis ostendit esse virum mirabilem in hoc quod ad modum mirantis se habuit. Simile huic dicitur, II Machab. vii, 20 : *Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna*. Isa. lx, 5 : *Mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi*. Iste enim

Cum autem non dicantur eum sequi nisi discipuli, quæritur quare non laudavit eum apud omnes, sed apud discipulos tantum. Et ad hoc dicendum, quod si hoc verbum in commune (alias, communi) protulisset, multos turbasset Judæorum, eo quod fidem Gentilis fidei eorum prætulisset : et hoc facere noluit. I ad Corinth. x, 32 et 33 : *Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei : sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant*.

Deinde ponit laudem et dicit tria : primo enim tangit laudem istius de fide : secundo, prædicat vocationem gentium futuram per Apostolos : tertio, prædicat futuram excæcationem et ejectionem futuram Judæorum.

De primo dicit :

« Amen dico vobis, etc. »

Quod confirmatio est sermonis, sicut patet ex præhabitis. « *Non inveni tantam fidem in Israel*. » Ad Roman. i, 18 : *Gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo*. Eccli. xlv, 4 : *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne*.

Sed videtur dubitabile dictum : quia in Israel invenit fidem Patriarcharum et Prophetarum, quæ major fuit quam istius. Si autem dicas cum Glossa, quod loquitur secundum præsentem statum, Contra : Secundum statum præsentem invenit fidem Apostolorum et gloriosæ virginis Mariæ.

Ad hoc dicendum, quod fides dicitur

magna dupliciter, intensive scilicet et facilitate credendi. Et bene potest esse quod intensive majorem invenerit in quibusdam Judæis secundum statum præsentem, sed quoad facilitatem credendi non invenit tantam : quia Judæi inducti et edocti per Scripturas crediderunt, iste autem non. Vel dicatur, quod non includit eos quibus loquebatur, sed alios de Israel, sicut consuetum est, cum dicimus quibusdam fidelibus Judæis, non inventa est tanta fides in Judæis, quanta in gentibus. Et ideo Judæi dicuntur *fæces* : quia aliquatis electis fidelibus, alii quasi nihil rationis, et omnino nihil fidei habuerint. Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* De his ergo fæcibus hic loquebatur,

« Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum, »

Ecce subjungit de futura gentium vocatione. Dicit autem tria, multitudinem videlicet undecumque venientium, et quietem eorum in promissionibus Patrum, et collectionem eorumdem in unum Christi regnum.

Multitudinem autem venientium describit dupliciter : a multitudine, cum dicit :

« Multi. »

Isa. LX, 4 : *Leva in circuitu tuo oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Jerem. XXXI, 8 : *Inter quos erunt cæcus et claudus, prægnans et pariens simul, cætus magnus revertentium huc.*

Deinde tangit adversitatem locorum de quibus veniunt, cum dicit :

« Ab Oriente et Occidente. »

Isa. XLIII, 5 et 6 : *Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni : Da : et Austro : Noli prohibere.* Jerem. XXXI, 8 : *Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, et congregabo eos ab extremis terræ.*

Sed tunc quæritur, quare non nominat nisi duas plagas cœli, cum alibi dicat, a quatuor ventis cœli esse congregandos¹.

Ad hoc dicendum, quod in cœlo est duplex Oriens, et duplex Occidens, secundum motum rectum videlicet circuli æquinoctialis, et secundum motum obliquum circuli signorum. Secundum motum rectum circuli æquinoctialis oritur sol et quælibet stella super circulum horizontis, quando in mane emergit, et occidit in sero sub eodem, quando declinat ad occasum : et secundum hanc distantiam duorum punctorum tota terræ longitudo distinguitur. Secundum motum autem obliquum oritur sol et cæteræ stellæ, quando ascendere incipiunt a puncto Capricorni, et continue ascendunt a meridie in aquilonem super polos orbis signorum rotati, donec perveniunt ad punctum Cancræ in aquilone : decidunt autem, quando descendunt a puncto Cancræ in aquilone continue rotati usque ad punctum Capricorni in meridie : et secundum hæc duo puncta, distinguitur cœli et terræ longitudo et latitudo : et secundum hoc in communi sumendo, Oriens et Occidens intelligitur totius terræ longitudo. Apocal. VII, 9 : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum.*

Aliter potest dici, sed non ita conve-

¹ Matth. XXIV, 31 : *Et mittet Angelos suos,...*

et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, etc.

nienter, quod tota terræ longitudo quæ est inter Oriens et Occidens, habitatur : sed non tota latitudo, quæ est inter Meridiem et Aquilonem, habitabilis est : sed tantum climatium latitudo, quæ septem et parum ultra tunc sunt deprehensa : et ideo tangit puncta longitudinis. Malach. i, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Psal. cxii, 3 : *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.*

« Et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob. »

Recubitus iste dicit quietem in promissionibus Patrum : quia in his tribus perfecta promissio de semine nascituro, sicut diximus in principio hujus libri ¹, quia in Abraham facta est promissio, in Isaac autem distinctio eorum quæ ad promissiones pertinent, in Jacob autem pertinentium ad promissionem plena benedictio. Et quia hæc exiguntur ad promissionem, ideo hos tres commemorat præ aliis. Ad Ephes. iii, 5 et 6 : *Revelatum est sanctis Apostolis ejus et prophetis in Spiritu, gentes esse cohæredes, et concorporales, et participes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium.* Ad Roman. xv, 8 et seq. : *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum : gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo. Et iterum dicit : Lætamini, gentes, cum plebe ejus.*

12

« Filii autem regni ejicientur. »

Hic dicit futuram Judæorum ejectionem. Et hic dicit tria : naturam, ejectionem

nem a præmissis, et miseriam loci in quem projicientur.

Naturam tangit, quando dicit :

« Filii autem regni, »

Hoc est, nati in regnum ex hæreditate Patrum, si non degenerassent. Ad Roman. xi, 28 : *Secundum electionem, charissimi propter patres.* Ab hac autem generatione degeneraverunt, sicut dicitur, Isa. i, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis ! dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.*

« Ejicientur, »

Ecce expulsio contra spem promissionum. Psal. v, 11 : *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.* Jerem. xxiii, 33 et 34 : *Vos estis onus, Domini scilicet : projiciam quippe vos, dicit Dominus. Et propheta, et sacerdos, et populus qui dicit : Onus Domini, etc.*

« In tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium. »

Hic determinat miseriam in quam projicientur. Et sunt tres : et quarta præsupponitur tamquam harum trium causa.

Tenebræ autem exteriores sunt tenebrosus carcer inferni : fletus significat fumum incendii : et stridor dentium algorem gelicidii.

His præsupponuntur tenebræ interiores excæcati animi, sive cordis, de quibus dicitur, Isa. vi, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggravata, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* Sapient. xvii, 3 : *Dum putant se*

¹ Cf. enarrationem in principio Evangelii se-

cundum Matthæum, cap. i, v. 2.

latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrende, et cum admiratione nimia perturbati.

« In tenebras exteriores. »

Ab his ergo, et cum his, et in his tenebris, « *ad exteriores* » æterni carceris « *tenebras* » projicientur. Isa. LX, 2 : *Ecce tenebræ operient terram, et caligo populos.* Hoc enim de terra infernali est dictum, ubi nec lux est corporalis, nec lux spiritualis. Thren. III, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Job, III, 6 : *Noctem illam tenebrosum turbo possideat,* Et, supra, X, 4 : *Non illustretur lumine.*

« Ibi erit fletus. »

CONTRA : Fletus lacrymarum non est sine corporis resolutione : corpus autem quod resolvitur in parte, resolubile est in toto : et sic possunt consumi mali in inferno.

Si forte dicatur, quod intelligitur de fletu spirituali, CONTRA : Glossa dicit hic, quod per hoc intelligitur vera resurrectio corporum.

Ad hoc dicendum, quod ad litteram intelligitur de fletu oculorum. Sed in fletu sunt tria : quorum unum est constrictio cordis ex tristitia et sensu pœnæ : alterum est causatum ab illo, quod est constrictio panniculorum cerebri, ex cordis constrictione proveniens : quia panniculi cerebri per telas et nervos et arterias et venas concurvantur ad cor : et cum cor extremitates suorum ventriculorum constringit, tunc attrahit panniculos cerebri et comprimit cerebrum, et cætera membra, in quo (alias, quo) panniculi et venæ et nervi diffunduntur : et ex hoc tertio consequitur inordinata distractio figuræ et situs membrorum in facie : et hæc tria sunt in fletu infernali. Sed quartum (quod est lacrymatio, quæ provenit ex hoc quod quando cere-

brum comprimitur, exprimitur ab eo humidum aqueum, seu humor aqueus qui distillat per oculos) hoc non erit meo iudicio in inferno. Matth. XIII, 42 : *Mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium.* Apocal. XVIII, 9 : *Flebunt, et plangent se super illam omnes reges terræ qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt.*

« Et stridor dentium. »

Stridor dentium provenit ex frigore, sicut et aliorum tremor membrorum. Cum enim frigus constringit nervos et contrahit, virtus naturalis eosdem distendit : et ex pugna quæ est inter contrahens et distendens, ex duobus motibus tremor accidit : et ille in dentibus est stridor, et in aliis membris est tremor. Job, XXIV, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Et sicut libidini debetur calor ignis, ita frigiditati destitutorum a charitate debetur frigus algoris per pœnam respondentem. Matth. XXIV, 12 : *Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam.*

Sed objicitur, quia licet in excellentia duorum contrariorum sit afflictio, tamen in medio misturæ amborum est temperatio et delectatio. Cum igitur transeant ab excellentia unius ad alterum, sicut dicitur, Job, XXIV, 19, in medio delectabuntur. Quod falsum est.

Et dicendum ad hoc, quod calor et frigus non affligunt in ratione qualitatum elementalium, sed potius in virtute justitiæ vindicantis : et ideo virtutes illius habent in se : et ideo per extremorum excellentias intensas et exacutas ad acerbiter tantæ vindicationi competentem, agit tam in animas quam in corpora damnatorum. Et exemplum hujus est in calore digestivo animalium, qui licet sit calor ignis, non tamen agit ad modum caloris ignis, sed ad modum animæ quæ movet ipsum tamquam instrumentum. Sapient. XVI, 24 : *Creatura enim tibi*

Factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos : et lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt. Sapient. v, 18 : *Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.*

13

« Et dixit Jesus centurioni : Vade, et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. »

Hic agitur de perfectione miraculi : merito enim tantæ fidei et humilitatis et devotionis et curæ domesticorum et inferiorum suorum, « *dixit Jesus centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi.* »

Duo dicit : meritum sanitatis, et affectum.

De merito sanitatis tria dicit, scilicet profectum in fide incepta, fidem, et præceptum affectus futuri.

De primo dicit :

« Vade. »

Hoc est, in hac fide, quam habes profice : quoniam in corporalibus super spiritualia sunt accipienda. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.* Luc. vii, 50 : *Fides tua te salvam fecit : vade in pace.* Psal. LXXXVIII, 16 : *In lumine vultus tui ambulabunt.* Isa. ii, 3 : *Ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini.*

« Sicut credidisti, »

Hoc est, quod absens curare possem præsentia deitatis. Non sicut ille regulus, de quo habetur, Joan. iv, 6 et seq., qui nisi Dominus corporaliter descenderet, non credebat quod sanare posset. Luc. xvii, 6 : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare : et obediet vobis.*

¹ Ad Roman. x, 17.

Sed quæritur, quare effectus hujusmodi miraculorum non ita attribuitur charitati, vel spei, sicut fidei ? Ad hoc dicendum, quod sola fides est ex auditu¹ : et ideo ex parte illa quærit persuasionem : cum autem auditus sit de supernaturalibus, oportet quod inductivum et persuasivum ejus sit per supernaturalia : spes autem et charitas non sunt ex auditu, sed sunt affectiones simplices : et ideo persuasiva habere non possunt.

« Fiat tibi. »

Matth. xv, 28 : *O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis.* Luc. i, 45 : *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.*

« Et sanatus est puer in illa hora. »

« Nescit enim tarda rerum molimina » Spiritus sancti gratia, » ut ait Gregorius. Jerem. xxx, 17 : *Obducam cicatricem tibi, et a vulneribus tuis sanabo te.* Jerem. xxxiii, 6 : *Ecce ego obducam eis cicatricem et sanitatem, et curabo eos.*

« Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, et febricitantem. »

Et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris. »

Hic incipit agere de ostensione magnitudinis potentiæ divinæ in restitutione spiritus et caloris vitalis. Febris enim est calor extraneus accensus in corde, procedens ex eo, mediantibus spiritu et sanguine, per arterias et venas in totum corpus, inflammatus ex corde inflammatione quæ impedit operationes naturales. Unde patet ex corde habere hunc calorem et inflammationem : et ita esse ipsum in membro principali et instrumentis

14

15

ejus præcipuis, quæ sunt calor et spiritus : et in principali nutrimento, quod est sanguis : et ita potentissimam (alias, potissimam) oportet esse virtutem quæ curat hunc defectum. Est enim hic defectus in eo quod principaliter est sedes animæ, quod est cor, a quo fluit actus vitæ in totum corpus. Et ideo etiam anima diffinitur, quod « est principium et « causa vitæ. »

Dicit autem ad ostensionem potentiæ Christi quinque circa hoc miraculum : quorum primum est opportunitas loci et intercedentium, secundum autem est consideratio molestiæ febricitantis, tertium est ad febricitantem cum effectu protensio virtutis, quartum est consecutus effectus sanitatis, quintum et ultimum per operationem demonstratio restituti vigoris naturalis : quæ omnia patent in littera.

Objicitur autem de ordine istorum miraculorum, quia Marc. 1, 29, et Luc. 14, 28, istud de curatione socrus Simonis ordinatur ante duo inducta : et sic Evangelistæ non convenire videntur in ordine.

Ad hoc dicendum, quod Marcus et Lucas, ut puto, sequuntur ordinem historiæ : quia gratia familiaritatis probabile est quod primo intraverit in domum Simonis, ut ibi instrueret et confortaret ad fidem verticem Apostolorum, cui commissurus erat Ecclesiam, qui præ omnibus aliis prius et honorandus et instruendus et confortandus erat. Sed Matthæus respicit ordinem, quo magis Dei potentia demonstratur, sicut diximus superius. Nec hoc oportet hic repetere. Glossa autem Augustini levem dat solutionem et simplicem, quæ patet in ipsa cuilibet : et forte illa verior est omnibus aliis.

Dicit igitur :

« Et cum venisset Jesus, »

Tamquam Salvator ubique circumferens effectum salutis.

« In domum Petri. »

Luc. XIX, 9 : *Hodie salus huic domui facta est.* Domus autem Petri dicitur, quia ibi fuit habitatio familiæ ipsius.

Dicitur autem, Marc. 1, 29, quod erat domus Petri et Andreæ : et quod introivit cum Jacobo et Joanne, qui jam ad familiaritatem ejus vocati fuerant.

« Vidit, etc. »

Ecce secundum, et istud videre est oculo misericordiæ adspicere. Genes. XVI, 13 : *Tu Deus qui vidisti me.* Exod. III, 7 : *Vidi afflictionem populi mei.*

« Socrum Petri, » et propter affinitatem discipuli esse juvandam. « *Jacentem.* » Ecce destitutio. « *Et febricitatem.* » Luc. IV, 38, dicitur, quod *tenebatur magnis febris*, ut magis ad misericordiam moveretur, et magis appareret magni miraculi effectum potentia divina : et ideo voluit Christus quod sic accenderetur febris. Quia autem omnia fecit ad instructionem discipulorum : ideo, Marc. 1, 30, dicitur, quod *dicunt ei de illa* : Lucæ autem, IV, 38, quod *rogaverunt illum pro ea* : quia quanto beneficium magis est requisitum, tanto magis est gratum. Unde Ptolomæus in *Almagesti* : « Non dis- « seras nisi cum intelligente : nec des « consilium nisi quærenti et avide pe- « tenti. » Isa. XXXVII, 13 : *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea* : et loquitur de magnitudine suæ infirmitatis. Job, XXX, 27 : *Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, prævenerunt me dies afflictionis.*

« Et tetigit manum ejus, »

Hoc est, elevavit eam per manum. Et istud est protensio virtutis divinæ cum effectu ad febricitantem. Unde, Marc. 1, 31, dicitur sic : *Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus.* Luc. IV, 39, autem dicitur : *Stans super illam, imperavit febrim.* Et intelligitur, quod tactu ma-

nus vivificæ salutis imperatum fuit ut discederet umbra mortis, quæ est febris. Act. ix, 41 : *Dans illi manum, erexit eam, etc.*

« Et dimisit eam febris. »

Ecce effectus salutis. Luc. xiii, 12 : *Mulier, dimissa es ab infirmitate tua.* Joan. iv, 52 et 53, simile est huic : *Hæc hora septima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit : et credidit ipse, et domus ejus tota.* Ad Hebr. xi, 34 : *Fide convaluerunt de infirmitate.*

« Et surrexit, et ministrabat eis. »

Ecce probatio restituti vigoris per ministerium operis. Et tanguntur duo : primo, quod surrexit, contra hoc quod dicta fuit jacere : et secundo, quod illis ministravit contra hoc, quod febricitavit.

« Surrexit. »

Surrectio est sursum sui erectio, non tam corpore, quam mente. Sic, Act. ix, 34 et 35 : *Æneas continuo surrexit. Et viderunt eum omnes qui habitabant Lyddæ, et Saronæ, qui conversi sunt ad Dominum.* Ad Coloss. iii, 1 et 2 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

« Et ministrabat eis. »

Ministerium hoc, et vigorem in probationem divinæ virtutis, et officium pietatis in obsequio Christi, et hospitalitatem in procurationem Apostolorum, et humilitatem in serviendo Sanctis demonstravit. Ad Hebr. vi, 10 : *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis*

vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis. Ministerium hujus officii quod fit in Sanctos, non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino ¹. Ad Hebr. xiii, 2 : *Hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.*

Sic igitur terminata est pars illa, in qua fit demonstratio divinæ potestatis, per hoc quod est magna et super magna.

« Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes : et eiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit : »

Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem : Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrota-
tiones nostras portavit. »

Secundum autem est, quod oportet eam esse universalem. Demonstratur consequenter in parte, quæ incipit, ibi, « *Vespere autem facto.* » Et ad utilitatem ipsius demonstrandam tria inducuntur : quorum primum est demonstratio potestatis universalis super adversantem spiritum universaliter : et secundum est demonstratio ipsius universaliter super impotens corpus, ibi, « *Et omnes male habentes.* » Tertium, probatio dictorum per Prophetiam, ibi, ꝑ. 17 : « *Ut adimpleretur.* »

Attendendum autem, quod universaliter potens demonstratur Christus secundum illum modum, quo secundum electionem voluntatis operans, potens demonstratur, hoc est, quod curat quotquot et quoscumque vult : et si aliquos non curat, quod illius non est causa, nisi quia non vult.

¹ II ad Corinth. ix, 1 : *Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex abundantia est mihi scribere*

vobis : scio enim, etc.

De prima harum partium dicit sic :

« Vespere autem facto, etc. »

Tangit quatuor : temporis congruitatem, adstantium devotionem, miraculorum potestatem, et operis facilitatem.

De primo dicit : « *Vespere autem facto,* » quia in die occupatus erat verbi prædicatione, ex compassione ad ignorantiam populi : et in sero per miraculum confirmavit quæ prædicaverat, et excitavit populum ad laudem Dei. Psal. XLII, 9 : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.* Hoc etiam tempus congruit illi tempori, quo virtus dæmonum exclusa fuit, et virtus divina exaltata, quando videlicet sol verus Christus Dominus noster in passione declinavit ad occasum. Psal. LXVII, 5 : *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Judicum, XVI, 30, Samson, qui *sol fortis* interpretatur, plures occidit occidens quam ante fecerat vivens.

« Obtulerunt ei multos dæmonia habentes. »

Ecce offerentium devotio et adstantium, propter quorum fidem generandam, vel confirmandam facta sunt miracula. Act. V, 14 et 15 : *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos in lectulis et grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis.*

« Et eiciebat spiritus immundos. »

Ecce miracula faciendi potestas : virtute enim præsentis suæ eiecit spiritus immundos. Act. X, 38 : *Pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Luc. IV, 41 : *Exibant autem dæ-*

monia a multis clamantia, et dicentia : Quia tu es Filius Dei.

Eiecit hujusmodi spiritus immundos

« Verbo. »

Et in hoc tangit operis facilitatem et modum. Psal. CIII, 7 : *Ab increpatione tua fugient : a voce tonitru tui formidabunt.*

Sed incidit in (alias, hic) dubium, utrum aliquis sit a diabolo obsessus.

Et videtur, quod non : quia in anima non potest esse obsessus : eo quod, ut dicit Beda, « nihil illabitur in animam nisi Deus Trinitas. »

Adhuc, in spiritualibus quando duo sunt ejusdem simplicitatis, neutrum est in alio : diabolus autem, et anima rationalis ejusdem sunt simplicitatis, quoad hoc quod uterque est creatus spiritus, et uterque ad imaginem Dei : et uterque creatus ad hoc quod sit capax Dei : et sic neuter est in alio, et neuter potest esse in alio.

Adhuc, in corporalibus etiam quæcumque sunt ejusdem capacitatis, nullo modo sunt in se invicem : et proportionabiliter loquendo est hoc etiam in spiritualibus : anima autem rationalis ejusdem capacitatis est cum Angelo : ergo neuter istorum spirituum est in alio.

Similiter videtur, quod corporaliter aliquis non sit obsessus : si enim corporaliter aliquis esset obsessus, oporteret quod diabolus esset in corpore : et constat quod non inesset nisi sicut motor et operator sensuum et passionum et actionum corporis : et ad hoc, et secundum hoc inest anima in corpore. Neque potest intelligi, quod duæ substantiæ formales ad idem et secundum idem insint in aliquo, præcipue quando sunt æque formales.

Si dicas, quod una operatur violenter, et alia naturaliter, hoc nihil est : quia operans violenter non est intra, sed sem-

per extra. Adhuc, operans violenter numquam operatur movendo potentiam naturæ, sed semper contra hujusmodi potentiam. In his autem qui dicuntur *obsessi*, videmus operari visum et auditum et alios sensus et opera et passiones et actiones, quas etiam secundum naturam operantur, sed inordinate et sine regimine sunt in eis. Unde dicunt antiqui, quod anima implente corpus, mirabile videtur, si in idem corpus dæmon possit ingredi : et licet videatur simplex dictum eorum, est tamen suffultum multa et forti ratione.

RESPONSIO. Ad hoc dicendum, quod in veritate multi obsidentur secundum animam et secundum corpus a dæmone : et utrumque eorum est possibile, natura ad hoc nihil contrariante. Sicut enim videmus in somno, quando spissitudo fumi elevati spiritum animale obscurat, et caliditas ejus permiscet eum movendo inferiora ejus ad superiora : obscuritas ejus facit eum tetrum et horribilem : et ideo anima in somno fit perturbata, quod nescit iudicium suum, et non videt imagines quæ sunt in obscuro, etsi quæ sunt, transeunt de forma in formam propter spiritus permisionem : et quando adhærent, fiunt aliquando tetra et horrenda, sicut in fumo melancholico : unde fiunt timores inordinati, et impeditur rationis iudicium ex clausura cellularum lucis, sicut dicit Cestabon (alias, Castabon). Sic etiam fit per dæmonium, et obsidet vias spiritus, et motus animalis : et confusione spiritus, et permistione, et denigratione aliquando, vel inordinata claritate ipsius, vel tenuitate et (alias, vel) subtilitate non permittit fieri iudicium rectum. Aliquando etiam cum dictus (alias, dictis) oppilat transitum de cella in cellam : et tunc inordinate reflectitur spiritus ad anteriora super partem aliam ejusdem spiritus qui ascendit : et ex hujusmodi redundationibus et reflexionibus, et, ut ita dicam, refractionibus spiritus multæ fiunt Angelorum formæ et multæ claritates, si lu-

cidus est : et multæ obtenebrationes, si est obscurus : et fiunt in ipso formæ horribiles retractæ secundum longum et latum : et sic obsidet animam in operationibus suis : et hoc sonat nomen *obsessionis*, quia obsessi sunt qui conclusi vias liberas exeundi et intrandi ad operationes sibi congruas non habent. Et bene concedo, quod non illabatur in animam.

Similiter dicendum, quod obsidet corpus in propriis operationibus corporis. Sic enim elevat, deprimit, ligat, et hujusmodi facit tam in toto corpore aliquando discernendo, quam etiam in membro uno, vel pluribus violentiam inferendo. Nec ratio inducta hoc removet : sed probat quod non unitur membris sicut interior motor eorum : et hoc est concedendum. Sed sicut nos videmus, quod humor innaturalis diffusus in membro impedit operationem membri, et aliquando facit hoc qualitas, sive materia humoris, sicut dicit Galenus : ita facit dæmon per operationes humorum, vel qualitatum, quarum movit semina in corpore, impediens corporis operationes, applicans membris et inviscans (alias, inviscerans) ea talibus seminibus.

Si quis autem quærat, unde dæmoni est hæc potestas, Dicendum, quod appetitum habet ex natura : quia omnis potestas superiori potest super corporalia movendo et mutando, sicut patet in omnibus cælestibus motoribus qui nullam habent virtutem organicam : et tamen in potestate habent movere corporalia ad nutum. Et sicut nos videmus quod animæ nutum sequitur motus corporis, sic etiam ex gradu naturæ aptitudinem talia movendi habet dæmon : sed potestatem operandi accipit a summa potestate Creatoris, cujus est dispensatio mundi totius. Et hæc est causa, quod ejecit eos verbo : ideo non oportuit eum solum verbum dicere, nisi vellet propter adstantes, ut in fide suæ potestatis ædificarentur, sicut patet ex supradictis.

« Et omnes male habentes curavit. »

Secundum est superius inductæ divisionis : et hic (alias, hoc) probat utilitatem suæ potestatis in corporalibus, quæ supra naturæ virtutem restituit sanitati. Nec est verum, quod quidam dicunt eum suam hic ostendere potestatem super spiritum humanum : eo quod Glossa facit hic mentionem de passionibus animæ, quæ sunt ira et odium : quia illa Glossa est moralis. Intelligendum autem est, quod generales in his curas habet tres, de quibus supra facta est mentio : quosdam enim curavit verbo et tactu, sicut leprosum : et quosdam solo verbo, sicut paralyticum : et quosdam solo tactu, sicut socrum Petri : quosdam præsens, sicut socrum Petri : quosdam autem absens, sicut paralyticum. Et causa hujus est, quia Christus est Dei virtus et sapientia : et potestas utriusque debebat manifestari.

Adhuc, Christus vere erat Deus, et vere habuit deitatem unitam carni : et hæc omnia voluit innotescere hominibus. Et cum dicitur Christus sapientia, vel verbum : fuit verbum, quod est operativum, et factivum eorum. Et ideo ut in hac potestate innotesceret, quod ipse est sapientia, per quam, et in qua Deus Pater fecit mundum, quosdam verbo curavit, sic patenter operabatur. Unde dicit Ambrosius, quod « non est « mirum, si sermo Dei creaturas mutat, quæ sermone Dei sunt creatæ « et constitutæ : » et ut innotesceret se esse virtutem operantem cum Patre omnia et ubique præsentem, quosdam curavit absens : ut autem innotesceret deitatem corporaliter in carne habitantem, quosdam curavit præsens et per tactum : in omnibus ædificans fidem, et dispensans salutem.

« Ut adimpleretur, etc. »

Ecce tertium, in quo ponit attestationem per prophetiam. Et quia est gratia, quam accepimus ex sua plenitudine, ideo dicit : « *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem : Ipse infirmitates nostras accepit* ¹, » hoc est, abstulit. Non enim accepit, ut haberet : sed ut nos ab eis liberaret. Et vocat defectus corporis et animæ, quæ remittunt firmitatem virium et operationum (alias, operationem) naturalium absque calore innaturali : « *et ægritudines nostras portavit*, » hoc est, asportavit. *Ægritudines* autem dicuntur febres : et sic in his duobus omnem naturæ comprehendit defectum. Exod. xxviii, 38, Aaron iniquitates eorum portavit, qui fuit figura Christi. Psal. xl, 5 : *Sana animam meam, quia peccavi tibi*. I Petr. ii, 24 : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*.

Ad hoc enim abstulit infirmitates corporis, quod sciremus, quod ablaturus erat infirmitates, hoc est, peccata mentis.

Sic ergo terminata est pars in qua suæ potentiae fecit demonstrationem, in quantum loquebatur, ut habens potestatem prophetalem, quæ fuit de supermundanis.

Moraliter autem leprosus corruptus nutrimento (alias, corrupti nutrimenti) ex quo provenit morpheosa varietas, et membrorum putrida corrosio, hæreticum hominem significat ex corruptis interioribus suis, corrumpentem verbum et gratiam sacramentalem : et ex hac corruptione varietas provenit duplex, vitæ scilicet et fidei, una veri, et falsi alia. Hi enim in talibus variant, dum quosdam articulos credunt, et quosdam non : et dum quasdam virtutes sequuntur, et quasdam condemnant : ex hoc etiam inordinata fit membrorum corrosio : et

¹ Isa. liii, 4 : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.*

hos Christus verbo curat et tactu : quia et exterius oportet quod confortentur per verbum, et interius tangantur per gratiam manus, hoc est, adjutorium Christi.

Paralyticus autem significat inconstantem ex longa peccati consuetudine et passionum insecutione, quod in omnibus viis sensus et motus repletur delectatione consuetudinis et passionum quas sequitur. Et ideo conante eo per rationem aliquando ad rectam virtutis operationem, tunc disponitur in partem vitii et delectationis in ea dominantis : et hic (alias, hæc) est tremor capitis positus in Cain ¹. De quo dicitur, Thren. 1, 8 : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* Hunc curat magnitudo fidei, et verbum Christi : quia nisi magna fide passionibus renuntiet, et verbum Christi efficax apprehendat, ratio ipsius (quæ est dominus ejus) non potest curari : et quia passionibus peccatorum sic subjacuit, Christum intra domum recipere non ausus fuit. *Torquebatur* male, quia præ omni genere tormenti est rationem velle movere ad unam partem, et in delectationis vitium in alteram partem projici. Super quo exclamat Apostolus, ad Roman. VII, 24 : *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Et, ibidem, v. 18 : *Nam velle adjacet mihi : perficere autem bonum, non invenio.*

Mulier autem febre æstuans designat carnem æstuante concupiscentia venereorum inflammatam : propter quod etiam mulieris calor est, quæ concupiscentiis est emollita in domo, hoc est, in secreto familiari, in lecto mollitiei et lasciviæ calens resoluta, pro qua rogatur Deus et imperat febri, sanctorum intercessionibus effugans æstum carnis per gratiam castitatis. Sed quia difficile est superare hanc pestem, ideo manum porrigit adjutricem : et sic adjuta digna fit

ministrare Deo et Sanctis, quæ prius indigna judicata fuit. Mulier enim fornicaria est quasi stercus in via : ab omnibus conculcabitur ². Et hanc non decet ministrare Deo et Sanctis.

Possessi autem a dæmonibus sunt sequentes dæmonum malignitates in spiritualibus vitiis, sicut in furore irrationali, odio, malignitate, invidia, superbia, traditione, et hujusmodi : de quibus dicitur, Sapient. 11, 24 et 25 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.*

Male autem habentes sunt diversis et particularibus vitiis irretiti, quæ sunt avaritia, furtum, rapina, usura, et hujusmodi : de quibus dicitur, Isa. 1, 6 : *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Et, iterum, 1, 5 et 6 : *Omne caput languidum, et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Vulnus enim mali amoris, et livor invidiæ, et plaga tumens superbiæ : caput languens male, et languentis in errore et ignorantia rationis cor mœrens male, et secundum sæculi tristitiam voluntatis, et vilis infirmitas (alias, et universales infirmitates) varietatem vitiorum designant. Et hæc omnia ille tulit, de quo dicitur, Joan. 1, 29 : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et, Isa. LIII, 12 : *Ipsæ peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.*

« Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum. »

18

Hic incipit agere de conformatione discipulorum in his quæ audierunt in sermone, ut sint dicta confirmata in se per potentiæ suæ declarationem, et sint confirmata in discipulis per fidem, ne evellantur ab eis per tentationes.

¹ Cf. Genes. iv, 13.

² Cf. Eccli. ix, 10.

Et tangit duo : primo enim ostendit a quo recedendum est, et cui inhærendum : secundo, ostendit qualiter cum illo permanendum in pugna tentationum, ibi, v. 23 : « *Et ascendente eo in naviculam.* »

In prima harum tria dicit : primum est, quid relinquendum sit his qui Deo adhærent : secundum, qualiter a dolose simulantibus se adhærere Deo, cavendum est : tertium, quam sincere est Deo adhærendum. Secundum, ibi, v. 19 : « *Et accedens unus Scriba.* » Tertium autem, ibi, v. 21 : « *Alius autem de discipulis.* » Oportuit enim primo discernere confirmandos, et postea confirmare : et per hoc patet ordo ad sequens.

Ad præcedens autem ratio ordinis est : quia prius est ostendere potestatem ejus cui adhærendum est, et postea discernuntur qui adhærent ei : quia potestas est causa adhæsionis.

In prima harum partium duo tangit, tumultum videlicet sæculi fugiendum, et quod inquietudo in solidum quietis sit commutanda.

De primo dicit :

« Videns autem Jesus turbas multas circum se. »

Et dicit quatuor ad nostram instructionem : primum est tumultus hujus sæculi consideratio, cum dicit : « *Videns autem Jesus.* » Secundo, tangit turbationem ex tumultu proveniente, cum dicit : « *Turbas,* » quia turba a turbando dicitur. Isa. III, 5 : *Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.* Tertio, tangit confusionem, cum dicit : « *Multas.* » Multum enim non ordinatum ad unum, sicut est multum turbæ, nihil aliud nisi confusio est inordinata. Isa. XVII, 12 : *Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis.* Numer. XIV, 27 : *Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me?* Quarto, tangit

intentionem, cum dicit : « *Circum se.* » Non enim appropinquabant ad ipsum : sed in circuitu ipsius inquiete, vane, et insidiosè ambulabant. Psal. XI, 9 : *In circuitu impii ambulant,* imitatores illius qui dicit, Job, I, 7 : *Circuivi terram, et perambulavi eam.* Psal. CXXXIX, 10 : *Caput circuitus eorum : labor labiorum ipsorum operiet eos.*

« Jussit ire trans fretum. »

Istud est secundum, in quo, ut dicit Glossa, significat, ut amarus sæculi fluctus transeamus. Isa, LVII, 20 et 21 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.*

Attendendum autem hic, quod non eadem die jussit discipulos transfretare, qua curata est socrus Simonis : quinimo in vespera ejusdem diei curavit multos, et ejecit dæmonia : in diluculo exivit in desertum orare : et nuntiante Petro, quia multi quærerent eum, ivit in proximos vicos, et villas evangelizare, sicut dicitur, Marc. I, 29 et seq. , et Luc. IV, 38 et seq. Sed Matthæus non sequitur hunc ordinem temporis : sed potius ordinem rerum, prout faciens est ad confirmationem sermonis, sicut patet per ante dicta.

« Et accedens unus Scriba, ait illi : Magister, sequar te quocumque ieris. »

Secunda pars est, in qua ostenditur, qualiter cavendum ab his qui dolose se simulant adhærere Christo. Et tangitur hic duo : primo, dolosi istius tangitur descriptio : secundo, doli ejus manifestatio, ibi, v. 20 : « *Et dicit ei Jesus.* »

In quorum primo tanguntur duo, scilicet dolus in facto, et dolus in verbo.

De dolo in facto duo innuit, scilicet

simulatam ad Christum in exterioribus appropinquationem, cum dicit :

« Accedens unus. »

Quia si cum multis venisset, magis fuisset manifestum : nunc autem per hoc quod unicus venit, voluit videri quod ab aliis esset sequestratus, ut sic magis deciperet. Eccli. I, 40 : *Accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.* Psal. xxxv, 5 : *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.*

Secundum est, quod tangit in eo falsi nominis scientiam, cum dicit :

« Scriba. »

Scribæ enim legis erant periti, qui semper Dominum tentare quæsierunt. Matth. xxii, 13 : *Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ : quia clauditis regnum cælorum ante homines, etc.* Luc. xi, 52 : *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis.*

« Ait illi. »

Ecce qualem dolum habuit in verbo.

« Magister, etc. »

Tangit duo : professionem erroris, et promissionem insecutionis.

Professionem erroris tangit, cum dicit : « *Magister,* » quia, sicut dicit Glossa, non credebat esse nisi unum de communibus magistris in astutia humana præcellentibus. Simili dolo dixerunt, infra, xxii, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo.*

Insecutionem promittit, cum dicit :

« Sequar te. »

Et addit præsumptionem, dicens :

« Quocumque ieris. »

Qui tamen nec per unicam viam se qui posset. Job, xi, 7 : *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* Eccl. ii, 12 : *Quid est homo, ut sequi possit regem, factorem suum?*

« Et dicit ei Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos. »

Hic manifestatur occulte dolus istius. Et tangit duo : simulatoris duplicitatem, et Christi simplicitatem.

Duplicitatem autem simulatoris tangit dupliciter : in astutia dolosa, et superbia præsumptuosa.

Astutiam enim dolosam percutit, cum dicit :

« Vulpes foveas habent. »

Est enim hoc animal dolosum, et insidiosum, et venativum, et in latibulis habitativum. Ex quibus proprietatibus istum percutit, qui dolose tentavit Christum. Jerem. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Et insidiabatur gratiæ. Psal. x secundum Hebræos, 8 : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Et volebat per gratiam acceptam a Christo venari sicut Simon. Act. viii, 20 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* I ad Timoth. vi, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli.* Volebat autem per scientiam quam disceret a Christo, foveas astutiarum facere, in quibus habitans, homines deciperet, et ex eis lucra ageret, sicut faciunt qui jura et leges æquissimas, et divinæ justitiæ congruas propter cavillationes causarum addiscunt. Psal. lvi, 7 : *Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.* Isa. xxix, 15 et 16 : *Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscon-*

datis consilium! quorum in sunt tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos? et quis novit nos? Perversa est hæc vestra cogitatio : quasi si lutum contra figuram cogitet, et dicat opus factori suo : Non fecisti me : et figmentum dicat factori suo : Non intelligis. His proprietatibus dicitur vulpes volvipes : quia cito pedem volvit de astutia in astutiam. Thren. v, 18 : Propter montem Sion quia dispersit, vulpes ambulaverunt in eo. Psal. LXXI, 11 : Partes vulpium erunt. Cantic. II, 15 : Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas.

Præsumptuosam autem superbiam et fastum cordis (quo per gratiam magisterii ab ipso Christo acceptam nitebatur in altis dignitatibus nidum ponere) percutit, cum dicit :

« Et volucres cæli nidos. »

Hæ enim volant ambitione, cælum petunt altitudinis honore, et nidificant, quiescere volentes in eccellente dignitatis prælatione, habentes ad hoc pennas scientiæ, et simulatæ virtutis pietatem. Baruch, III, 17 : *In avibus cæli ludunt.* Istæ sunt aves, quæ descenderunt super sacrificium Abrahæ¹ : quia totum Ecclesiæ oblatum sacrificium, tales hodie devorant : et quomodo Patriarcha modo non abigit eas, sicut fecit Pater patrum? Propter simile hujusmodi factum, quo dæmones excellere cupiebant, dicuntur dæmones aves. Matth. XIII, 5 : *Volucres cæli comederunt, quod de semine cecidit juxta viam*². Sed una est consolatio, quam dicit Abdias, ȳ. 4 : *Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.*

¹ Genes. xv, 11.

² Matth. XIII, 4 : *Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam : et venerunt volucres cæli, et comederunt ea.* Et, infra, ȳ. 19 : *Omnis qui*

« Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. »

Ecce quam puram hic contra istius dupliciter, suam et sui discipulatus proponit simplicitatem, dicens :

« Filius autem hominis. »

Quasi diceret : Licet homo sim, non tamen hominum, sed hominis sum filius, ultra hominem habens unde dolosos arguere possum. Joan. II, 25 : *Opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine.*

« Non habet ubi caput reclinet. »

Qui tamen habet perfectum posse, et perfectum nosse, et perfectam gratiam, et non utitur ad lucrum. Et suis dicit, Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date* : quia alioquin jam non est gratia : quia gratia ideo vocatur, quia gratis datur. In talibus etiam, qui sic lucris terrenis vendunt gratias sibi collatas, Christus non habet ubi caput reclinet : quia non quiescit in cordibus eorum existimantium quæstum esse pietatem. Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Sapient. xv, 12 : *æstimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam esse ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.*

« Alius autem de discipulis ejus ait illi : Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum. »

Hic ostenditur quam sincere Christo sit adhærendum. Et dicuntur hic duo,

audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus : hic est qui secus viam seminatus est.

et tertium præsupponitur ante illa duo : hoc autem est, quod Jesus invitavit eum, et vocavit eum ad sequendum, et scivit eum puro corde audivisse sermonem, et sanctificatum per verbum, sicut ipse dicit, Joan. xvii, 17 : *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Et tunc ille dixit :

« Domine, permitte me. »

Et hoc est primum duorum quæ ponuntur in littera, quod præterdit officium pietatis duplicis, quo differatur insecutio Christi. Est enim pium sepelire mortuos, sicut dicit Angelus Raphael, Tob. xii, 12.

Et secunda pietas est : quia hoc voluit facere circa patrem, cui ex ordine naturæ tenebatur, sicut dicit Tobias ad filium loquens : *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli : et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus* ¹.

Hoc est quod dicit :

« Primum ire, et sepelire patrem meum. »

Genes. l, 5 : *Ascendam, et sepeliam patrem meum, ac revertar.* A simili non quidem pietatis, sed charitatis officio movebatur Elisæus loquens ad Eliam, III Reg. xix, 20, ubi dicit : *Osculer, oro, patrem meum et matrem meam, et sic sequar te.*

Tertium autem quod hic notatur, est obedientiæ discretio, per quam præponitur melius bonum minus bono. « Numquam, ut dicit Gregorius, per obedientiam præcipitur malum fieri : sed nonnumquam quod fieri posset, meliori bono præcipitur commutari. »

Et hoc tangit, cum dicit :

« Jesus autem ait illi : Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. »

Et notantur in hoc duo : primum est optimum quod discipulo præcipitur, cum dicit : « *Sequere me.* » Secundum est bonum, quod propter melius dimittitur : et hoc tangit, ibi, « *Et dimitte mortuos, etc.* »

De primo dicitur, ad Philipp. iii, 12 : *Sequor autem, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum.* Osee, vi, 3 : *Vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum.* Daniel. iii, 41 : *Sequimur te in toto corde nostro, et timemus te, et quærimus faciem tuam.*

« Dimitte mortuos. »

Hoc est bonum, quod præcipitur intermitteri. Et in hoc notantur tria, primum est bonum quod præcipitur dimitti propter melius : secundo, innuitur hunc fuisse mortuum in culpa, et indignum exsequiis Sanctorum : tertium est, quod innuitur hic conjunctus peccatoribus, qui exsequias suas in fastu celebraverunt, et forte ad illum fastum solemnizandum advocatus fuerat discipulus.

Primum notatur in verbo dimittendi. II ad Timoth. ii, 4 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.* I ad Corinth. ix, 25 : *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Simili discretione dixit Petrus, Act. vi, 2 : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis, supple, viduarum et pupillorum.*

Secundum notatur in hoc quod dicit :

« Mortuos suos. »

Non enim connumeraretur mortuis qui dicuntur *mortuorum mortui*, nisi

¹ Tob. iv, 3.

esset mortuus in peccatis : et ideo his mortuus dicitur : alii enim dicuntur mortui in Domino, vel mortui Dei et Sanctorum. Apocal. xiv, 13 : *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. Isa. xxvi, 19 : *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent*. Iste autem dicitur mortuus mortuorum in peccatis, quamvis adhuc carne viventium. Eccli. xxii, 10 : *Super mortuum plora, defecit enim lux ejus*. Psal. xxxiii, 22 : *Mors peccatorum pessima*.

Tertium notatur, cum dicit :

« Sepelire. »

Notatur enim plures ad exsequias ejus in culpa mortuos convenisse. Psal. ix, 7 : *Periit memoria eorum cum sonitu*. Levit. xv, 31 : *Docebitis filios Israel ut caveant immunditiam, et non moriantur in sordibus suis*. I ad Timoth. v, 6 : *Quæ in deliciis est, vivens mortua est*. Job, xxxvi, 14 : *Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effæminatos*.

Sic ergo determinatum est a quo recedendum, et cui adhærendum, his qui commorari quærent cum Christo in tentationibus : eo quod tentatio est vita hominis super terram, sicut dicitur, Job, vii, 1¹.

83 « Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. »

Hic incipit ostendere, in quibus periculis indigent discipuli confirmatione. Omne autem periculum aut est a mundo, in quo etiam intelligitur carnis tentatio, quia et ipsa de mundo est : et in hac tentatione confirmat primo. Aut est ab impetu et sævitia dæmonum in spiritualibus : et in hac confirmat secundo, ibi, x. 28 : « *Et cum venisset (Jesus) trans fretum.* »

Prima autem harum partium habet

tres particulas : in quarum prima ostenditur in quibus, et ubi habet fieri confirmatio. In secunda, ponitur id quod ad miraculi perfectionem exigitur, ibi, x. 24 : « *Et ecce motus.* » In tertia autem miraculi finis, et intentus effectus, ibi, x. 27 : « *Porro homines mirati sunt.* »

In prima harum tria notantur nos instruentia : quorum primùm est motus ascensionis : secundum, instrumentum navigationis : et tertium, secuta eum illuc congregatio sanctitatis.

De primo dicit :

« Et ascendente eo. »

Motus enim fuit semper ascendere : et per hoc ascensiones in cordibus nostris disposuit in valle lacrymarum. Isa. ii, 3 : *Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob*. Matth. xx, 18 : *Ecce ascendimus Jerosolymam*.

Instrumentum autem navigationis designat, cum dicit :

« In naviculam. »

Quæ natura, lignea : usu, super aquas vectiva : quantitate, parva fuit : et licet tunc ad litteram uteretur ea Dominus ultra mare Genesareth navigans, tamen natura, lignum crucis : usu, beneficium crucis (quod vehit ultra fluctus sæculi) : et quantitate, significat crucis humilitatem : et hæc est vita Ecclesiastica cruci conformata. Et de primo et secundo et de tertio simul dicitur, Sapient. xiv, 5 : *Ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera, propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt*. Ideo de Ecclesia allegorice, et de personis Ecclesiasticis moraliter dicitur, Proverb. xxxi, 14 : *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum*. Luc. v, 3 et 4 : *Ascendens Jesus in unam navim, quæ erat Simonis, ... dixit ad Simonem :*

¹ Job, vii, 1 : *Militia est vita hominis super terram.*

Duc in altum, et laxate retia in capturam.

Tertium, est secuta eum congregatio sanctitatis : et hoc notatur cum dicitur :

« Secuti sunt eum discipuli ejus, »

Quia extra navim non est salus. Luc. XI, 23 : *Qui non est mecum, contra me est : et qui non colligit mecum, dispergit*¹. Unde in persona Christi et suorum, dicitur ad Noe, Genes. VII, 1 : *Ingredere tu, et omnis domus tua, in arcam : te enim vidi justum coram me in generatione hac.*

« Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operitur fluctibus : ipse vero dormiebat. »

24

Hic incipit agere de his quæ ad miraculi perfectionem exiguntur. Et sunt quatuor : primum est, impetus tempestatis : secundum est, dissimulatio defensionis : tertium est, interpellatio liberatoris : quartum et ultimum est, efficax auxilium Salvatoris. Et hæc patent in littera.

In primo horum quinque notantur, scilicet tempestatis impetus, et quantitas motus, violentia, locus, et periculum.

Tempestatis impetus tangitur, cum dicit :

« Et ecce motus. »

Motus enim iste est motus et impetus irruentis tempestatis, de qua dicitur, Jonæ, I, 4 : *Dominus misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri.* Unde etiam istum ventum ad litteram præcepit Dominus oriri ad probationem discipulorum. Psal. CVI, 26 : *Ascendant usque ad caelos, et descendant usque ad abyssos : anima eorum in malis tabescebat.*

« Magnus. »

Ecce quantitas. Dicitur autem mag-

nus, quia supra virtutem navigantium. Quamdiu enim gubernator potest navim regere, et per gubernaculum sine arte-mone movere navim quo voluerit, tunc quamvis sit motus, non dicitur esse magnus : sed quando vincit gubernatorem, et motum navis per gubernaculum, et transvertit navim in alteram partem, tunc motus dicitur magnus et superans. Thren. III, 54 : *Inundaverunt aquæ super caput meum : dixi : Perii.* Jonæ, I, 13 : *Remigabant viri ut reverterentur ad aridam, et non valebant : quia mare ibat, et intumescibat super eos.*

« Factus est. »

Ecce violentia. Non enim fiebat modo consueto, sed violentia quadam quasi confringebat mare : et ideo dicitur : « *Factus est motus.* » Job, XXVII, 20 : *Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.* Nahum, I, 3 : *Dominus in tempestate et turbine viæ ejus.* Jonæ, II, 4 : *Omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt.* Psal. LXVIII, 2 : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

« In mari. »

Ecce locus. Non enim erat iste ventus tantum superius in superficie maris incidens, sed etiam de fundo maris spirans : quia lumine lunæ spirat fundus maris, et æstuat, et emittit vaporem continue, qui sequitur motum, et incrementum luminis lunæ : et iste vapor eicit mare in effluxu et refluxu maris : et ideo talis motus dicitur *æstus maris*. Sed cum nimis spirat, nec ab una parte spirat, sed a multis et contrariis sitibus, tunc facit periculose moveri mare de imo ebullientibus undis et inordinate ad contrarios situs refluentibus : et tunc confringit et absorbet naves : et belluæ

¹ Cf. Matth. XII, 30.

marinæ tunc fugientes fundum, etiam inordinate jactatæ aliquando impingunt in naves, et subvertunt eas, et symplogadarum concursus, hoc est, lapidum ex æstu a fundo ebullientium ex impetu vaporis et fluctuum aliquando percutiendo perforat (alias, perforant) fundum navis et destruit: et hæc vocantur a Poetis *Acroceraunia*. Job, xli, 22: *Fervescere faciet quasi ollam profundum mare, et ponet quasi cum unguenta bulliunt*. Eccli. xliii, 25: *Qui navigant mare, enarrant pericula ejus: et audientes auribus nostris admirabimur*.

« Ita ut navicula operiretur fluctibus. »

Ecce periculum factum. Est autem hoc: quia undique venerunt fluctus contra se, et ideo navicula dirigi non potuit contra fluctus: quia si super fluctus vadens exaltata fuisset cum fluctibus, et cum eisdem depressa, non fuisset periculum: sed cum undique venerunt fluctus, oportuit ipsam concludi inter medios fluctus: et tunc fluctus navem operientes submergunt: nec potest aliquid subvenire tunc artificio gubernationis, vel remigationis. Jonæ, ii, 4: *Projecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me: et omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt*. Act. xxvii, 14 et 15: *Misit se contra navim ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cumque arrepta esset navis, et non posset conari in ventum, data nave flatibus ferebamur*. Ventus enim ille compositus erat ex pluribus: et ideo navis in ventum dirigi non poterat, quia fluctus oppositi operuissent eam. Psal. lxxviii, 3: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me*. Et hæc omnia magis in spiritualibus quam corporalibus fiunt.

« Ipse vero dormiebat. »

Hic ponitur dissimulatio adjutorii. Et,

Marci, iv, 38: (ubi ponitur eadem historia) dicitur, quod *erat ipse in puppi super cervical dormiens*. Sicut enim dicit Philosophus, quod « anima aliquando « est sicut somnus, et aliquando sicut vigilia, » ita etiam se exhibuit in Christo divinitas. Quando enim non ostendit se extra, tunc erat ad modum somni, in quo spiritus et calor vitæ in interioribus concluduntur: quando autem exterius suæ potentia fecit indicia, tunc exhibuit se sicut vigilia, in qua spiritus et calor ad exterius procedunt, et sensuum operationes perficiunt. Sic enim dissimulans adjutorium, dormit qui numquam dormit. Psal. cxx, 4: *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel*. Item, Psal. xliii, 23 et 24: *Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis? Cantic. v, 2: Ego dormio, et cor meum vigilat*. In hoc autem quod Marcus eum super cervical dormivisse dicit, notatur quod aliquid commodi in via secum deferebatur. Et forte lassatus tumultu turbarum, et instantia prædicationis quiete indiguit. Et hoc intelligitur ex Marco, iv, 35 et 36, ubi dixit discipulis: *Transeamus contra: et dimittentes turbam, assumunt eum, ita ut erat in navi*. Et in hoc intelligitur, quam diligens et laboriosus fuit circa nostram salutem procurandam.

« Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus. »

Ecce interpellatio discipulorum. Et tria dicuntur: accessus per devotionem ad Salvatorem, suscitatio dissimulantis, et interpellatio.

De accessu dicit:

« Et accesserunt ad eum discipuli ejus. »

Naturale enim est homini in periculis

maris timere, et auxilium quærere: eo quod ibi non patet effugium. Et ideo concurrerunt ad Jesum. Jacob. iv, 8: *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Deuteron. iv, 7: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Et in hoc notatur quidam defectus fidei, quod a propinquitate loci juxta Salvatorem putabant melius salvari. Psal. cxxxviii, 9 et 10: *Si habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.*

« Et suscitaverunt eum. »

Ecce excitatio, in quo (alias, qua) iterum defectus fidei notatur, quod melius putabant salvari posse carne vigilantem quam carne dormientem, qui deitate neque dormit, neque dormitat. Spiritualiter, dissimulans adjuvare Dominus suscitatur, quando instantia devotionis et clamoris quasi manu quadam pulsatur. Proverb. vi, 3 et 4. *Discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis.* Psal. lxxvii, 65: *Excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.*

« Dicentes: Domine, salva nos, perimus. »

Ista est interpellatio, et continet tria: professionem videlicet majestatis, petitionem salutis, et allegationem necessitatis.

Professi sunt enim majestatem, cum dicunt: « *Domine,* » qui omni creaturæ dominaris. Psal. lxxxviii, 10: *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Nahum, i, 4: *Dominus increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens.*

« *Salva nos.* » Ecce petitio salutis. Nahum. i, 7 et 8: *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens*

sperantes in se. Et in diluvio prætereunte consummationem faciet. Psal. cxxliii, 7: *Eripe me, et libera me de aquis multis.*

« *Perimus.* » Ecce allegatio necessitatis. Thren. iii, 54 et 55: *Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi: Perii. Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo.* Item, Thren. iii, 18: *Periit finis meus, et spes mea a Domino.*

« Et dixit eis Jesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? »

Hic ponitur efficax auxilium Domini Salvatoris. Dicuntur in eo tria: quorum primum est discipulorum increpatio: secundum, ventorum et maris sedatio: tertium autem, tranquillitatis perfectio.

De primo dicit: « *Et dixit eis Jesus.* » Primo increpat discipulos propter parvitatem fidei, quam parvam habebant, credendo loco propinquiori melius salvari, et vigilantem majoris potentiae esse Dominum quam corporaliter dormientem: et hoc est, quod dicit: « *Quid timidi estis?* Quasi diceret: Salvatorem et salutem vobiscum habentes, quid timetis? Non est causa in hoc: nisi quia estis « *modicæ fidei.* » Isa. liv, 4: *Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces.* Joan. xiv, 27: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.*

« *Modicæ fidei.* » Marci, iv, 40: *Quid timidi estis? necdum habetis fidem?* Luc. viii, 25: *Ubi est fides vestra?* Matth. xiv, 31: *Modicæ fidei, quare dubitasti?*

« Tunc surgens imperavit ventis, et mari. »

Ecce tempestatis sedatio. Et duo dicit: primo enim sedat ventos, auferendo causam tempestatis: et secundo, imperat mari tamquam tempestatis subjecto et loco. Luc. viii, 24: *Surgens increpavit ventum, et tempestatem aquæ, et cessavit.* Marc. iv, 39: *Et exsurgens comminatus est vento, et dixit mari: Tace, ob-*

mutesce. Et cessavit ventus. Job, xxxviii, 8 et seq. : Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens : cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem ? Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, et dixi : Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Eccli. xliii, 23 : In sermone ejus siluit ventus.

« Et facta est tranquillitas magna. »

Ecce tranquillitatis perfectio. Tob. iii, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis.* Dicit autem Aristoteles, quod « serenum est quies in aere, et tranquillum quies in mari : » et secundum hoc ad magnitudinem miraculi facit, quod tam cito magna quies facta est. Quia, sicut dicit Plato, « cessa-
« sante violenter movente in humido
« aeris et aquæ, non statim cessat mo-
« tus : quia violentia et impetus primi
« moventis manet in humido : nec cessat
« motus, nisi violentia cessaverit. »
Isa. li, 10 : *Posuisti maris profundum viam, ut transirent liberati.* Isa. lxiii, 13 : *Eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem.*

97

« Porro homines mirati sunt, dicentes : Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei ? »

Hic ponit miraculi hujus effectum et fructum. Et tangit duo : admirationem videlicet, et fidem, licet imperfectam.

De admiratione dicit :

« Porro homines mirati sunt, etc. »

Et quæritur, qui homines : quia non erant turbæ in navi, quas reliquerat, sed tantum discipuli ?

Ad hoc dici potest, quia ipsi disci-

puli bene homines hic dicuntur, quia adhuc humana de Christo senserunt. I ad Corinth. iii, 3 : *Nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* Posset etiam dici, quod nautæ, qui ista viderunt, hic homines appellantur, nisi forte diceretur ipsos discipulos nautica arte fuisse præditos, qui piscatores fuerunt. Potest etiam dici, quod stagnum Genesareth fuit in quo navigaverunt, nec tantæ latitudinis est, quin a ripa naves videri possint : et illi considerantes quod tam subito omnia quieverunt, et Jesum videntes surgere, et imperare mirati sunt. Job, ix, 10 : *Facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quarum non est numerus.* Eccli. xliii, 27 : *Illic, hoc est, in mari, præclara opera, Dei scilicet, et mirabilia.*

« Dicentes : Qualis est hic ? »

Sicut supra diximus : Licet admiratio non sit fides, tamen ducit ad fidem potentiæ divinæ. Et ideo isti dicunt : *Qualis est hic ?* hoc est, ultra hominem est, qualis autem nesciunt : licet ergo nondum cognoverunt quia Deus est, eo quod etiam homines divini miracula faciunt, tamen jam confitentur quia ultra hominem est.

Et subjungunt rationem : « *Quia venti,* » in aere, « *et mare obediunt ei.* » Omnis enim creatura sensum habet naturalem, quo imperium percipit et perficit Creatoris, quamvis in se sit insensibilis. Et ideo distinguit Isaac Philosophus sensus naturales et animales : et dat sensus naturales etiam insensibilibus. Marc. iv, 40 : *Timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum : Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obediunt ei ?* Luc. viii, 23 : *Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes : Quis, putas, est hic, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei ?*

Sub eisdem autem divisionibus eisdem concordantiis facile est ista exponere moraliter : si flatus est suggestio

dæmonum, mare autem turbatum et amarum et inquietum, cor hominis : vel sæculum præsens esse dicatur, quod est *hoc mare magnum et spatiosum manibus : illic reptilia quorum non est numerus*¹. Navicula autem vel gratia, vel pœnitentia, vel hominis mensa accipitur, in qua Christus est per fidem et inhabitantem gratiam, Apostoli per doctrinam et exemplum : suscitatio Domini per devotionem spiritualiter efficitur. Et hujusmodi facere adaptationes est facile, etc.

28 « Et cum venisset (Jesus) transfretum in regionem Gerasenorum. »

Postquam perfecit confirmationem discipulorum in periculis mundi, et erexit confidentiam eorum de virtute Christi, ostendit hic confirmationem eorundem contra nequitas invisibiles dæmonum. Et quia apud carnales prius est quod est animale et visibile quam spirituale et invisibile, ideo etiam auctor ordinat præcedens miraculum ante istud.

Circa vero miraculum istud tria inducuntur hic : quorum primum ostendit præsentiam Domini in loco miraculi : secundum autem ea quæ faciebant ad miraculi perfectionem, ibi, « *Occurrerunt ei duo.* » Tertium autem de his quæ a miraculo sunt causata, ibi, §. 33 : « *Pastores autem fugerunt.* »

De primo horum dicit :

« Cum venisset Jesus, etc. »

Ut Salvator, omnibus apportans salutis effectum, et ubique invisibilem salutem ex visibili ostendens. « *Transfretum,* » hoc est, ultra stagnum, « *in regionem Gerasenorum,* » ubi erant præsentibus isti dæmoniacy.

Sed quæritur, quare non fecit absens ista miracula, cum hoc magis fuisset

potentiæ divinæ ostensivum ? Unde, Joan. iv, 48, culpavit regulum, quia non credidit quod absens posset præstare salutem.

Ad hoc dicendum, quod si absens fecisset miraculum, fuisset ab infidelibus et ab his qui imperfectæ erant fidei, non sibi attributum : et ideo ut manuducens nostram infirmitatem, et paulatim instruens, fecit præsens, ut doceret sibi inesse potentiam : et sic manuductos aliquando elevavit altius, curans aliquos absens, ita tamen quod verbum curationis præsentibus audirent : ne casu, et non per ipsum putaretur factum esse miraculum.

« Occurrerunt ei duo habentes dæmonia. »

Hic ponit ea quæ ad miraculi exiguntur perfectionem : et quia miracula duo sunt, scilicet liberatio dæmoniacorum, et submersio porcorum, et unum sequitur ad alterum, ideo duo hic dicuntur : unum, quod est liberatio dæmoniacorum : secundum autem est submersio porcorum ibi, §. 32 : « *At illi exeuntes.* »

In primo horum tria dicuntur : quorum primum est dæmoniacorum occursum, secundum descriptio, et tertium clamor. Et hæc patent in littera.

De primo dicit occursum, numerum, et miseriam.

Occursum tangit, dicens :

« Occurrerunt ei. »

Nec est putandum, quod occurrerunt ei ad nocendum, vel invadendum, sicut occurrerunt aliis : quia etiamsi non esset Deus, tantæ sanctitati occurrere non auderent, sed potius cum isti nullum pro se interpellantem, nullum etiam haberent adducentem, Dominus voluit quod ipsimet sibi occurrerent : et ipse in ea-

¹ Psal. ciii, 23.

dem via se ponens occurrit illis, quia copiosus est in misericordia.

« Duo. »

Ecce numerus eorum. Et videtur esse contrarium, quia, Marci, v, 2, et Luc. viii, 27, non dicitur fuisse nisi unus. Et hoc solvit Augustinus, quod in veritate duo erant, sed unus clarior alio : et alter videbatur quasi adhærens alteri. Et ideo de uno faciunt Marcus et Lucas mentionem.

« Habentes dæmonia. »

Ecce miseria. Dicit autem pluraliter « *dæmonia*, » quia sicut dicunt Marcus, v, 9, et Lucas, viii, 30, multa dæmonia ingressa fuerant in eos : ita quod cum quæreretur nomen dæmonis, dixerunt : *Legio mihi nomen est, quia multi sumus*. Et hoc quidem dixit unus : et forte de illo solo loquuntur alii Marcus et Lucas. Utrum autem secundus etiam habuit multa dæmonia, non habetur nisi ex conjecturis : quia probabile est non habuisse nisi unum : et ideo alios Evangelistas de eo mentionem non fecisse.

Dæmonium autem latinum non est, sed in græco δαίμων idem est quod *intellectus*. Et dæmonium, sicut dicit Remigius, est collectivum dæmonum, sicut populus est collectivum hominum. Alii autem dicunt, quod dæmonium est quasi denominativum (alias, denominatum) a dæmone : et cum græci secundum Platonem dividant dæmones in calodæmones et cacodæmones, nos accipimus dæmonem pro malo dæmone semper : et tunc est apud nos in usu significationis idem quod nequam intellectuale. Et hoc ulterius transferentes dicimus : nequam spirituale, sicut dicit Apostolus, ad Ephes. vi, 12 : *Contra spiritualia nequitiae, in caelestibus*.

Quod autem dicit : « *Habentes dæ-*

monia, » cum potius dæmonia habuerint istos homines, hoc modo intelligitur, quo spirituale habetur a corporali, sicut corpus dicitur habere animam. In omnibus autem talibus spirituale habitum movet, et regit corpus, et continet : et ita est hic. Dæmones enim movebant, et regebant istos, et continebant infra terminos suæ potestatis.

Si autem quæritur, qualiter tot dæmones poterant esse in uno corpore ? Quæstio est absurda : quia loco non circumscribuntur : et operari poterant in uno corpore etiam multo plures eo modo quo superius determinatum est in isto eodem capitulo¹. Unde, Luc. viii, 32, et Marc. v, 13, dicitur quod porci, quos præcipitabant, erant legio et circa duo millia. *Legio* autem consuevit ab antiquis appellari, quod sex millia sexcentos sexaginta sex in armis habebat. Luc. viii, 2, etiam dicitur, quod septem dæmonia exierant de Maria Magdalena. Infra etiam, xii, 45, dicitur, quod dæmon aliquando assumit *septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes*, scilicet in hominem, *habitant ibi*. Nec intelliguntur septem fuisse per numerum subjectorum, quia nulla esset ratio : sed potius septem per numerum malitiarum, sicut exponit Gregorius : « Princeps autem unius vitii « in legione dæmonum non est sine sibi « subjectis dæmonibus. » Et ideo probabile est, quod raro in obsessio homine sit unus dæmon, sed semper plures : et hoc significatur, Marc. v, 2, ubi dicitur, quod *occurrit ei de monumentis homo in spiritu immundo*, qui tamen postea legionem dæmonum sub se habere dictus est : quia tota illa legio uni principi significatur fuisse subjecta.

« De monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. »

Hic ponit horum dæmoniacorum de-

¹ Cf. explanationem §. 16 istius capituli.

scriptionem. Et describit a tribus : ab habitatione, a sævitia, a violentia.

Ab habitatione, cum dixit :

« De monumentis exeuntes. »

Monumenta autem dicuntur cryptæ subterraneæ, in quibus jacebant busta mortuorum : et ibi propter spurcitiam mortuorum, et similitudinem damnationis eorum qui infideles obierant, congruum et similem inferno locum dæmones habebant, forte a Deo ordinante : ut ex hoc malos instrueret, qui opera ibi sepulcorum exercebant, ut a malis resipiscerent, ne habitatio tam malignorum efficerentur dæmoniorum. Marcus autem et Lucas dicunt eos habuisse in monumentis domicilium ¹, et die ac nocte currere in montibus clamantes et concidentes se lapidibus : et forte quando ultra modum fatigati erant, divertebant ad monumenta, et alio tempore agitabantur in montibus et desertis.

« Sævi nimis. »

Ecce descriptio a sævitia : quia sæviebant in (alias, intra) se, et in alios. Unde, Marc. v, 3, et Luc. viii, 29, dicunt eos sæpe rupisse catenas, et compedes comminuisse, et a nullo domari potuisse : et hoc fuit ex duabus virtutibus simul concurrentibus, una quidem dæmonis, de qua dicitur, Job, xli, 24 : *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Alia autem fuit quasi instrumentalis ad istam : quia ex cholericis in cholericis incensis conturbabat istos : et hæc spiritus acuunt et organa, et virtutem etiam in valde debili corpore multiplicant, sicut apparet aliquando in jam morituris insanientibus, qui contra impetum duorum, aut trium se tenentium aliquando surgunt violenter. Apocal. xii, 12, propter hoc dicitur : *Væ terræ*

¹ Cf. iterum Marc. v, 3, et Luc. viii, 27.

et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.

« Ita ut nemo posset transire per viam illam. »

Ecce violentia, quam transeuntibus inferebant : diaboli enim voluntas semper est ad nocendum : et si aliquando prosit temporaliter, hoc non facit, nisi ut postea amplius noceat. Isa. x, 7 : *Ad conterendum erit cor ejus, et ad interuersionem gentium non paucarum.* Simile quid legitur, Act. xix, 16, quod *insiliens homo in quo erat dæmonium pessimum, scilicet in septem exorcistas Scevæ Judæi filios, et dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa.*

« Et ecce clamaverunt, dicentes : Quid nobis et tibi, Jesu, Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? »

29

Hic describuntur a clamore. Et per hoc quod dicit,

« Clamaverunt, »

Notat dæmonum malignam incitationem ad confusos, et quasi sine intellectu clamores. Propter quod et alii duo Evangelistæ dicunt, quod die ac nocte clamabant in montibus. Hic autem plenos bono intellectu proferebant sermones, dolentes quod malignitatis eorum tempus erat finitum.

Unde tria dicuntur : quorum primum est, quod allegant se nihil commune habere cum Domino, sicut cum omnibus aliis in peccato natis habuerunt : secundum autem est, quod ex hoc profitentur potestatem torquendi eos esse in Domino : tertium est, quod petunt quemdam

minoris malitiæ sibi concedi effectum. Et hæc patent in littera.

De primo dicunt :

« Quid nobis, et tibi, »

Supple, commune est,

« Jesu, Fili Dei ? »

Quasi dicerent : Nihil. II ad Corinth. VI, 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial?* et per hoc dicere voluerunt, quod de regno eorum non deberet se intromittere Dominus. Sed mentita est iniquitas sibi, quia regnum Christi fuit : dæmones autem erant tyranni invasores : quod tamen peccatis exigentibus juste permisit Dominus ad punitionem malorum et probationem electorum. Quod autem dicunt : « *Fili Dei* : » et Lucas dicit, IV, 34, dæmonium immundum dixisse : *Scio te quis sis, Sanctus Dei*, ut dicit Ambrosius, « secundum opinionem dixisse intelliguntur quæ orta fuit ex conjecturis : et talem scientiam conjecturalem habuerunt, « et non certam scientiam. » Quia dicit Apostolus, I ad Corinth. II, 8, quod *si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*, hoc est, crucifigi persuasisent. Unde, supra, IV, 3 et seq., omnis tentatio Satanæ composita fuit, et alteram partem semper habuit explorationis. Dixit enim semper : *Si Filius Dei es*, etc.

« Venisti ante tempus torquere nos. »

Ecce secundum, quod (alias, quo) profitetur potestatem : et attende, quod reputant se torqueri, si compellantur cessare a nocendo. Unde Marcus et Lucas dicunt, quod rogaverunt eum, ne mitteret eos in abyssum, ubi tentare non possent, et nocere hominibus. Et hic dicunt : « *Ante tempus*. » Quod duobus modis

intelligi potest : ante tempus videlicet tentationi deputatum, quod est usque ad iudicium : quia, sicut dicitur, II Petr. II, 4, rudentibus inferni detracti sunt de cælo in hunc caliginosum aerem, in locum tentationis reservati usque ad diem iudicii, quando in abyssum inferni cum omnibus suis condemnabuntur¹. Vel, « *ante tempus* » passionis Christi, quando ex Scripturis cognoverunt a parte potestatis se fore casuros. Unde, Apocal. XII, 12, dicitur draco habere *iram magnam, sciens quod modicum tempus habet* : licet enim esset longum, tamen appetitus suæ malignitatis reputat modicum.

« Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. »

30

Istud est tertium, ubi ponuntur preces permittendi sibi effectum minoris malitiæ.

Et dicit tria : primo enim facit parenthesis interponendo de grege porcorum, ut locum habeant sequentia : secundo, innuitur dæmonum infirmitas : et tertio, malitia.

De primo dicit :

« Erat autem non longe ab illis grex porcorum multorum pascens. »

Quia sicut Marcus et Lucas dicunt, erant amplius quam duo millia.

Sed quæritur, unde venerunt porci, cum porcus sit animal immundum secundum legem ad nullum usum Judæorum? Sed huic objectioni occurrit Glossa Hieronymi, dicens quod Gerasa civitas est Arabiæ, non longe a monte Galaad, ubi Jacob et Laban fœdus percusserunt² : et non longe a stagno Tiberiadis, in quo porci sunt præcipitati : et ibi Arabes habitabant, qui porcum comederunt.

¹ II Petr. II, 4 : *Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reser-*

vari, etc.

² Cf. Genes. xxxi, 48.

31

« Dæmones autem rogabant eum dicentes : »

Ecce infirmitas dæmonum, quod etiam in irrationale, et immundum, et monstruosum animal potestatem non habent nisi permissi. Simile, Job, 1, 11 : *Extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet*, hoc est, trade mihi potestatem. I ad Corinth. v, 5 : *Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.*

« Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. »

Ecce malitia voluntatis.

Et dicunt duo : primo enim ponunt sub conditione, in quo notant Christi potestatem, dicentes :

« Si ejicis non hinc. »

Quasi dicant : Hoc in tua est voluntate, quia hoc sæpe Sancti viri fecerunt : et ideo per hoc non certam scientiam de Christo acceperunt. Luc. xi, 20 : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Psal. ix, 7 : *Inimici defecerunt fraxem in finem, et civitates eorum destruxisti.*

« Mitte nos in gregem porcorum. »

Quæritur hic, quare petebant mitti in porcos potius quam in alia animalia?

Dicendum videtur, quod hoc fuit Dei dispensatio : quia sicut in primis parentibus non potuit accipere diabolus formam animalis quam voluit, sed potius suæ malitiæ congruentem, in qua facile deprehendi posset : ita et nunc non potuit intrare in animal nisi sibi permissum, ex quo congrue instruerentur homines, in quos dæmones acciperent potestatem. Animal enim hoc immundum

est et monstruosum, capitis non erectivum, ut alia animalia. Immundum enim est secundum legem ¹. Monstruosum autem, quia componitur ex multis animalibus secundum convenientiam quam habet cum eis. Dividit enim unguam cum ruminantibus, et non ruminat cum habentibus pedem in multa divisum. Adhuc, pedem in duo dividit cum his quæ pariunt unum animal, aut raro duo : et parit multos fœtus, sicut ea quæ pedem in multos dividunt digitos. Adhuc, dividit unguam : et tamen habet per totam longitudinem ventris mammillas, sicut canis vel aliud animal in multa dividens pedes. Adhuc, dividit unguam cum sepum habentibus : et habet sagimen et non sepum cum his quæ non ruminant : et ita componitur ex duobus animalibus, unguam videlicet dividente in duo, et pedem in multa partiente. Quoad setas autem accedit ad naturam hircii : et propter brevitate colli numquam erigit caput, sicut aliud animal. Et tradunt Philosophi, quod nullum aliud animal ita sæpe producit monstruosos partus, sicut porcus. Adhuc autem, omni tempore est amans coitum, et tamen cum hoc corrixativum, et cœni appetitivum : semper fœtores spargens, nihil etiam in voce habens delectationis. Ex quibus omnibus instruit, quod nisi aliquis porcus efficiatur per malos actus, dæmon in eum potestatem non accipit. Job, xii, 7 : *Nimirum interroga jumenta, et docebunt te : et volatilia cœli, et indicabunt tibi.*

« Et ait illis : Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos : et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, et mortui sunt in aquis. »

Hic ponitur secundi miraculi perfectio. Et tanguntur duo : permissio, cum dicit : « *Ite* : » et nocumentum dæmo-

¹ Cf. Levit. xi, 7.

32

num, cum dicit : « *Et exeuntes abierunt in porcos.* »

Sed quæritur, quare Dominus permisit tale damnum fieri hominibus, quorum erant porci?

Et dicendum, quod magis valuit instructio facti quam nocumentum damni porcorum. Et ideo plus profuit quam nocuerit. Intelligitur autem, quod isti etiam alias forte peccaverunt per illicitas acquisitiones : et ideo in hoc puniti sunt, in quo deliquerunt : et hoc quoad eos, quia miserunt porcos. Quoad Christum autem nihil quæstionis habet : quia *Domini est terra, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo*¹.

Dicitur autem, quod *grex per præcep* gradiebatur *in mare, et mortui sunt in aquis*, quia voluit Dominus ut sciretur quod ageretur a dæmonibus. Et cum omnis porcus naturaliter sciat natare in aquis, eo quod motus natationis in eis idem est cum motu ambulationis, non poterant ita subito submergi, nisi vi dæmonum præcipitati. Et in hoc instruxit Dominus ferocitatem dæmonum ad nocendum, ut magis ab hominibus horreantur. Unde, Habacuc, 1, 7 : *Horribilis, est terribilis et : ex semetipsa iudicium et onus ejus egredietur.*

33 « Pastores autem fugerunt, et venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, et de eis qui dæmonia habuerunt. »

Hic ponitur effectus miraculi.

Et tanguntur duo : nuntium pastorum, et admiratio et pavor audientium.

De primo dicit duo : fugam videlicet pastorum ex timore, et nuntium.

De primo dicit : « *Pastores autem fugerunt,* » humanum aliquid ex ignorantia passi : quia nec potestatem Christi, nec iras dæmonum localiter fugientes evadere poterant.

¹ Psal. xxiii, 1.

« *Et venientes.* » Duo nuntiant, scilicet submersionem porcorum, et liberationem oppressorum a diabolo. Unde dicit : « *Venientes in civitatem,* » Gerasæ nomine, « *nuntiaverunt omnia* » miraculum circumstantia, « *et de his qui dæmonia habuerant,* » hoc est, de liberatione eorum, ut darent eis audaciam exeundi, ne timerent invadi ab eis.

« Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu : et viso eo, rogabant ut transiret a finibus eorum. »

34

Ponitur effectus in audientibus.

Et dicuntur tria : primum est honoris : secundum, experientiæ miraculi : tertium autem timoris.

De primo dicit, quod « *tota civitas,* » hoc est, civitatis nominati (alias, nominatæ) habitatores, « *exiit obviam Jesu,* » eum in hoc honorantes, et prævenientes, ne in civitatem eorum intraret : sciebant enim se esse peccatores, et timebant, ne peccatis eorum exigentibus plagarentur in aliis, sicut plagaverat in porcis. Luc. v, 8 : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.*

« Et viso eo. »

Hoc est, experti eum. Hæc Matthæus breviter transit : Marcus autem et Lucas diligentius prosequuntur. Quia viderunt liberatos, vestitos, sedentes, et quietos ad pedes Jesu : et sic experti sunt potentiam Jesu divinam in miraculo : et hæc fuit eis causa timoris.

« Rogabant ut transiret a finibus eorum. »

Tertium est, quod est timoris, sicut diximus. III Reg. xvii, 18 : *Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ, et inter-*

ficeres filium meum. Marcus autem et Lucas dicunt ¹, quod liberati a dæmonibus rogaverunt ut cum Jesu irent, et Dominus præcepit ut in domum suam revertentes nuntiarent omnibus quanta fecisset eis Deus : et hoc est, quod dicit de perfectione miraculi.

Sic ergo experti discipuli potentiam

Christi super pericula mundi, confirmati sunt contra mundi pressuras : et experti virtutes suas super spirituales nequitias, solidati sunt contra dæmonum malignitates, scientes se Dei virtute protectos contra persecutiones mundi, et Dei sapientia contra insidias inimici.

CAPUT IX.

Paralyticum curat, Scribis murmurantibus quod dixisset remissa illi peccata : vocat Matthæum publicanum, et respondet Pharisæis murmurantibus quod cum publicanis ederet, quodque ipsius discipuli non jejunarent : mulierem a sanguinis profluvio liberat : filiam principis mortuam suscitatur : visu duobus cæcis restituto, dæmoniacum mutum sanat : et ubique prædicans omnes sanat infirmitates, dicens multam esse messem, paucos vero operarios.

1. Et ascendens in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam.
2. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto ². Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili : remittuntur tibi peccata tua.
3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphematur.
4. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?
5. Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere : Surge, et ambula?
6. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.
7. Et surrexit, et abiit in domum suam.
8. Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.
9. Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine ³. Et ait illi : Sequere me. Et surgens secutus est eum.
10. Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbant cum Jesu et discipulis ejus.
11. Et videntes Pharisæi dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?
12. At Jesus audiens, ait : Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.

¹ Cf. Marc. v, 18 et 19; Luc. viii, 38.

² Marc. ii, 3; Luc. v, 18.

³ Marc. ii, 14; Luc. v, 27.

13. Euntes autem discite quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium ¹. Non enim veni vocare justos, sed peccatores ².
14. Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes : Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant ³?
15. Et ait illis Jesus : Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus ? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt.
16. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus : tollit enim plenitudinem ejus a vestimento : et pejor scissura fit.
17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres : alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur.
18. Hæc illo loquente ad eos ⁴, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens : Domine, filia mea modo defuncta est : sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.
19. Et surgens Jesus, sequebatur eum, et discipuli ejus.
20. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis ⁵, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.
21. Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.
22. At Jesus conversus et videns eam, dixit : Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora.
23. Et cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibi- cines et turbam tumultuantem, dicebat :
24. Recedite : non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum.
25. Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus. Et surrexit puella.
26. Et exiit fama hæc in universam terram illam.
27. Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes et dicentes : Miserere nostri, fili David.
28. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus : Creditis quia hoc possum facere vobis ? Dicunt ei : Utique, Domine.
29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis.
30. Et aperti sunt oculi eorum. Et comminatus est illis Jesus, dicens : Videte ne quis sciat.
31. Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa.
32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem ⁶.
33. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, et miratæ sunt turbæ, dicentes : Numquam apparuit sic in Israel.
34. Pharisæi autem dicebant : In principe dæmoniorum ejicit dæmones.
35. Et circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem ⁷.

¹ Osee, vi, 6 ; Infra, xii, 7.² I ad Timoth. i, 15.³ Marc. ii, 18 ; Luc. v, 33.⁴ Marc. v, 22 ; Luc. viii, 41.⁵ Marc. v, 25 ; Luc. viii, 43.⁶ Infra, xii, 22 ; Luc. xi, 14.⁷ Marc. vi, 6.

36. Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem.
37. Tunc dicit discipulis suis : Messis quidem multa, operarii autem pauci ¹.
38. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

IN CAPUT IX MATTHÆI

ENARRATIO.

« Et ascendens (Jesus) in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam. »

Hic post confirmatam doctrinam veritatis quoad ea quæ dicta sunt, reprimit eos qui doctrinæ veritatis contradicebant : et hæc duo sunt necessaria : quia dicit Hieronymus, quod quantum sancta rusticitas ædificat Ecclesiam ex vitæ merito, tantum nocet, si destruentibus non resistat. Et Apostolus, ad Titum, 1, 9 : *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Et Philosophus dicit in *Elenchis*, « quod hæc sunt « duo opera sapientis : non mentiri quidem eum, de quibus novit : et mentientem manifestare posse. » Propter hoc igitur et hic, ut perfecta sit doctrina confirmata veritate ejus in devotis, convincit errorem contradicentium.

In Christo autem legislatore, sicut supra diximus, tria considerantur : quorum primum est potestas perfecta, secundum rectitudo legis in vita, tertium est autem principium potestatis : et ideo totum capitulum istud dividitur in tres partes : ita quod in prima parte convincit derogantes suæ potestati : in secunda, confutat detrahentes suæ vitæ rectitudini : in tertia autem, confundit eos qui hæc om-

nia malo attribuerunt principio. Secunda incipit, ibi, x. 9 : « *Et cum transiret inde Jesus, vidit, etc.* » Et tertia, ibi, x. 27 : « *Et transeunte inde Jesu, secutæ sunt, etc.* »

Adhuc autem, prima harum subdividitur in duas : in quarum prima tangitur reprehensio de potestate murmurantium : in secunda autem perfectæ potestatis probatio, ibi, x. 6 : « *Ut autem sciatis.* »

In prima harum tria tanguntur : murmuris occasio, murmur, et reprehensio. Et hæc patent in littera.

Circa autem occasionem murmuris tres inducuntur paragraphi, scilicet loci in quo occasio murmuris accepta est, opportunitas : paralytici præsentia, circa quem accepta est occasio murmurandi : et dictum quod murmurationem occasionevit.

Circa primum tria dicuntur : modus veniendi, unde venit, et quo venit.

Modus veniendi tangitur, cum dicit :

« Et ascendens (Jesus) in naviculam. »

Rogatus subducere se finibus Gerasesorum exaltatus est a capacitate eorum : elevata enim est magnificentia sua super cælos ². Et sic intravit « *naviculam,* » qui terræ et maris habuit potestatem, ut vere homo cognosceretur. Baruch, III, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Et parva navi contentus, ut humilitatis exhiberet exemplum.

¹ Luc. x, 2.

² Cf. Psal. VIII, 2.

« Transfretavit. »

Ecce unde venit : quia de ultra fretum, sive stagnum Genesareth, docens nos inquieta relinquere.

« Et venit in civitatem suam. »

Quæritur autem, quæ hic (alias, quæ hæc) civitas sua vocatur? Marci enim, II, 1, expresse dicitur, quod istud factum est in Capharnaum, quæ non sua civitas dicitur : quia Hieronymus dicit : « *In civitate suam, non aliam intelligimus quam Nazareth, in qua conceptus et nutritus est.* » Nec potest dici, quod civitas sua dicatur Bethleem, in qua natus est, quia illa non fuit prope stagnum.

Ad hoc dicit Glossa quod Galilææ quælibet civitas dicitur *sua* : quia si Romano imperio diffuso per orbem omnis civitas Roma dicebatur, et cives ejus Romani : multo enim magis provincia Galilææ dicitur civitas Christi. Sed hæc solutio non videtur esse conveniens, quia talis modus nusquam est in sacra Scriptura, vel in aliquibus auctoribus. Quia licet in Romano degentes imperio dicerentur Romani, hoc fuit propter jus et privilegia et libertates, et non propter habitationem. Constat autem, quod non sic hic loquitur : et ideo solutio videtur non competere.

Videtur autem mihi dicendum, quod civitas sua, vel alicujus, dupliciter dicitur : uno quidem modo, sicut dicimus nostræ habitationis civitatem, nostram : alio autem modo, quo dicimus nostræ defensionis et munitionis civitatem, esse nostram : sicut, Isa. xxvi, 1, dicitur : *Urbs fortitudinis nostræ Sion*, quod ratione totius Judææ dicitur. Et ita illi, qui sedent in villis ad jurisdictionem alicujus civitatis pertinentibus, dicunt civitatem suam, ad quam tempore belli confugere possunt : et hoc modo Capharnaum civitas Christi dicitur, quia ad eam sicut ad metropolim omnes Galilæi tam Nazarethi quam alii confugere consueverunt.

Dicit etiam Augustinus quod Capharnaum dicitur *sua*, quia ipsam coruscatione miraculorum multorum suam fecerat.

Ad hoc ergo quod dicit Hieronymus, dicendum, quod nulla ratione conceptionis, vel educationis *sua* dicitur nisi Nazareth : sed alia ratione etiam Capharnaum *sua* dici potest, sicut prædictum est. Hoc etiam modo tota Galilæa secundum Glossam, unius et ejusdem civitatis est municeps. Est autem in Domino mirabilis attendenda pietas : quia rogatus recedere recedit, et advenit non rogatus, ubi scit se ea quæ ad salutem hominum pertinent, opportune operaturum. Non enim conviciatus est eos qui eum a se recedere rogaverunt : nec exspectat apud eos quibus advenit, donec cum processione turbarum et salutationibus et choris recipiatur : sed parcens illis se subducit : et diligens salutem nostram non rogatus se nobis ingerit. Ideo exclamat ad eum Sapient. xii, 1 et 2 : *O quam bonus et suavis es, Domine, spiritus tuus in omnibus ! Ideoque eos qui exerrant corripis, et de quibus peccant admones et alloqueris, ut relicta malitia credant in te, Domine.* Et illud Michææ, vi, 3 : *Popule meus, quid feci tibi ? aut quid molestus fui tibi ? Responde mihi ?*

« Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. »

Hic ponitur paralytici pœnitentia, unde murmur est causatum.

Et tangitur hæc historia, Marc. II, 3 et seq., et Luc. v, 18 et seq.

Et tanguntur hic quatuor. Primum est infirmi præsentialitas, quæ notatur in demonstratione, cum dicit : « *Et ecce.* » Secundum est obsequentium infirmo fidelitas, quæ notatur, cum dicit : « *Offerebant ei.* » Tertium est infirmitatis qualitas, cum dicit : « *Paralyticum.* » Quartum est infirmi debilitas, cum dicit : « *Jacentem in lecto.* » Primum horum

quærit intuitus inclinationem : secundum, exigit impetrationem : tertium, compassionis miserationem : quartum autem, adjuvantis attendit potestatem.

De primo dicitur :

« Et ecce. »

Isa. LXIV, 9 : *Ecce, Domine, respice, populus tuus omnes nos.* Psal. XXIV, 16 : *Respice in me, et miserere mei : quia unicus et pauper sum ego.*

De secundo :

« Offerebant ei. »

Ad Hebr. XI, 1 : *Est autem fides sperandarum substantia rerum, hoc est, res sperandas facit subsistere in nobis.* Joan. XX, 31 : *Ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Marc. XI, 24 : *Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.* Unde etiam, Marc. II, 4, et Luc. V, 19, dicitur, quod tanta fuit horum fides ad Christum, et diligentia circa laborantem, quod cum præ turba non valuissent eum inferre per ostium, ascendentes domum submiserunt cum funibus per tectum ante Dominum.

« Paralyticum. »

De tertio dicitur. Psal. X secundum Hebræos, 14 : *Tibi derelictus est pauper.* Isa. LXIII, 15 : *Ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum ?*

« Jacentem in lecto. »

De quarto dicitur. Eccli. XXXVI, 17 : *Da testimonium his qui ab initio creature tuæ sunt, et suscita prædicationes quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores.*

« Et videns Jesus fidem illorum. »

Ecce dictum, quod in cordibus infidelium murmur excitavit.

Et tanguntur duo : causa dicti, et dictum ipsum,

De causa dicti, cum dicit :

« Et videns Jesus fidem illorum, »

Scilicet offerentium. Unde instruit quantum prodest fides propria apud (alias, ad) Deum, ubi tantum profuit fides aliena : et secundum hoc quæritur, utrum iste habuit fidem propriam ? Et oportet dicere, quod sic : quia infirmitas ejus causata fuit ex infirmitate mentis, ut dicit Glossa : et ideo ut totus curaretur, oportuit quod primo in mente inciperet cura : et hoc fieri non potuit, nisi per fidem. Unde, Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum.*

Et tunc quæritur, quare non dicit : Videns fidem illius ? Et ad hoc dicendum, quod paralyticus non submitti se petivisset, nec permisisset, nisi fidem habuisset. Et ideo per pronomen *illorum*, et ipse cum offerentibus supponitur : sed tamquam de fide offerentium loquitur, ut instruat quod intercessio multorum multis impetrat salutem. Prædestinatio enim Sanctorum juvatur orationibus. Dicit autem, « *illorum*, » tamquam de longe positus loquens : quia offerentes accedere non poterant præ turba, sed super tectum fuerunt.

« Dixit paralytico : Confide, fili : remittuntur tibi peccata tua.

Ecce dictum quod est murmuris occasio. Ostendit autem tria, fidei scilicet confortationem (alias, confirmationem) in infirmo, benignitatem in Domino, et causam infirmitatis in corporalibus membris destituta ex anima fuisse causatam.

De primo dicit :

« Confide. »

Et notatur, quod iste primo fuit debilis fidei : et tunc, ut Lucas dicit, non

vocavit eum filium, sed dixit, *homo*, quasi qui peccasti. Jerem. xvii, 7 : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.*

« Fili. »

Ecce benignitas, quæ filium vocat : et humilitas, quæ filium vocat quem sacerdotes tangere dedignarentur. Joel, ii, 13 : *Benignus et misericors est.* Eccli. iii, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

« Remittuntur tibi peccata tua. »

In hoc notatur, quod propter peccatum fuerat infirmatus. Quinque enim modis, ut dicit Glossa, infirmitates et tentationes contingunt. Primo, ut justis merita per patientiam augeantur, ut Job, i et ii. Secundo, ad custodiam virtutis, ne superbia tentet, sicut Paulus, II ad Corinth. xii, 6. Tertio, ad corrigenda peccata, sicut Mariæ lepra, Numer. xii, 10 : et hic paralytico. Quarto, ad gloriam Dei manifestandam, ut Joan. ix, 3, de cæco nato : et Joan. xi, 42, de Lazaro. Quinto, ad initium pœnæ æternæ, quatenus hic videatur quid in inferno sequatur. Unde, Jerem. xvii, 18 : *Duplici contritione contere eos.* Ut, Act. xii, 23, de Herode.

8 « Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat. »

Ecce hic ponitur murmuratio.

Et tanguntur duo, qui scilicet murmurabant, et murmuratio.

Scribarum enim quidam murmurabant inflati humana sapientia, quæ non intelligit ea quæ Dei sunt. Abdiæ, y. 8 : *Perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau.* Dicit autem, « *quidam,* » ideo, quia non omnes fuerunt sicut Nicodemus et Gamaliel. Et forte plures alii, qui magistri fuerunt in Israel.

« Dixerunt intra se. »

Ecce modus murmuris, et murmuris species, et murmuris ratio : quæ tria dicuntur in littera.

De modo dicit :

« Dixerunt intra se, »

Quia timuerunt reprehendi, si aperte dixissent. Psal. xiii, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Psal. xxxv, 2 : *Dixit injustus ut non delinquat in semetipso.*

° « Hic blasphemat. »

Ecce murmuris species : quia « blasphemia est, ut dicit Ambrosius, impositio falsi criminis in Deum, aut attribuendo ei quod non convenit, aut auferendo quod convenit, aut secum attribuendo creaturæ quod solius est Creatoris. » Et hoc genere blasphemie putabant Christum blasphemare. Matth. xxvi, 65 : *Blasphemavit : quid adhuc egemus testibus ? ecce nunc audistis blasphemiam.* Marc. autem, ii, 7, et Luc. v, 21, additur ratio : quia dixerunt : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ?* Isa. xliii, 23 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.*

4 « Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ? »

5 Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere : Surge, et ambula ? »

Ecce murmuris reprehensio.

Et dicuntur tria, scilicet manifestatio peccati, reprehensio, et irrationabilitatis eorum convictio.

De primo dicit :

« Et cum vidisset Jesus, »

Ut Deus,

« Cogitationes eorum. »

Eccli. xxiii, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.* Sapient. 1, 11 : *Custodite vos a murmuratione quæ nihil prodest, et a detractatione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit.*

« Dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris. »

Ecce reprehensio : et dicit « mala, » quia cogitaverunt eum non esse Deum, et blasphemare, et solvere legem, et huiusmodi. Isa. 1, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

« Quid est facilius. »

Ecce convictio irrationabilitatis eorum. Et est sensus : Attendite quid minoris potentiæ sit curare corpus ex propria potestate, vel curare animam? et videbitis quod utrumque est ejusdem potestatis. Sed operatio visibilis circa corpus probatio est invisibilis potestatis circa mentem, vel animam. Et cum signa potestatis divinæ sæpe videritis, « *ut quid mala adhuc cogitatis?* »

Attende autem, quod quoad id circa quod potestas ostenditur, majoris est potestatis curare animam quam corpus secundum Augustinum, quia anima habet peccatum unde obicem ponit, sed non corpus. Sed quoad ipsam potestatem operandi, æqualis potestatis est utrumque, licet unum sit communicabile Sanctis, quod est curatio corporum : et alterum nulli sit communicatum, quod est curatio animarum : quod fecit Deus, ne spes ponatur in homine salutis, vel despe-

ratio justificationis. Matth. 1, 21 : *Ipsæ salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

« Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. »

Pars in qua est potestatis demonstratio, hic incipit.

Et dicuntur tria per verbum operativum : potestatis demonstratio, miraculi ex verbo perfectio, et ejus qui potestatem demonstravit in confusionem detrahentium, magnificatio.

Circa primum duo dicuntur : primo enim ponitur verbum Evangelistæ ad credentes, cum dicit :

« *Ut autem sciatis quia Filius hominis, etc.* »

Sed tunc quæritur, quare hic in hoc miraculo addunt tres Evangelistæ potius quam in aliquo aliorum ?

Et dicendum, quod propter hanc potestatem declarandam totum scriptum est Evangelium : et ideo Evangelistæ posteris hoc voluerunt inculcare. Hic enim fuit dubitatio de hac potestate, et hæc probata fuit. Joan. xx, 30 : *Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei: et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.*

Et quia dubitatio fuit de tribus in peccati dimissione, de remittente, et de potestate remittendi, et de loco, ideo contra tria dicit tria.

De remittente dicit : « *Filius hominis,* » secundum quod est filius hominis : ita quod ly *secundum quod* notat personæ unitatem, non conditionem humanæ naturæ. Act. x, 43 : *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* De potestate autem dicit : « *Habet potestatem.* » Ad Roman. xii, 1 : *Non est potestas nisi a Deo.* Matth. xxvii, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.*

Contra, locum dicit : « *In terra* » Sapient. XVIII, 16 : *Usque ad cœlos attingebat stans in terra.* Ad Philip. II, 10 : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum.*

« Tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

7 Et surrexit, et abiit in domum suam. »

Ecce miraculi perfectivum.

Tria dicit per imperium, scilicet revelationem infirmitatis, cum dicit : « *Surge.* » Restitutionem valoris et vigoris, cum dicit : « *Tolle lectum tuum.* » Quod facere non posset, nisi fortis : quia lectus fuit habens cum stramentis (alias, straminibus) spondam in qua ferebatur. Restitutionem usus in providendis propriis, cum dicit : « *Vade in domum tuam.* » In quo notatur sanitatis permanentia, ne momentanea et phantastica esse credatur. Simile, Joan. V, 8 : *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula.*

« Et surrexit, etc. »

Ecce miraculi secundum actum perfectio. « *Et abiit,* » portans lectum in quo ante portabatur, consolidatis et conglutinatis nervis, consumpto humore resolvente ad verbum Domini. « *Et abiit in domum suam,* » consulens propriis continua sanitate perseverante. Joan. VII, 23 : *Totum hominem sanum feci.*

8 » Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. »

Ecce Christi facientis miraculum magnificatio.

Et dicuntur duo : admiratio, quæ notatur per timorem, cum dicitur, « *Ti-*

muerunt. » Jerem. X, 7 : *Quis non timebit te, rex gentium ?*

Secundum est laudis perfectio, cum causa laudis, ibi, « *Glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* » Eccli. XLIII, 33 : *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major est enim omni laude.* Psal. CXLIV, 21 : *Laudationem Domini loquetur os meum : et benedicat omnis caro nomini sancto ejus.*

Quod autem in causa laudis dicunt : « *Qui dedit potestatem talem,* etc., » contra murmur dictum est : quia murmurantes dicebant hanc potestatem nulli homini dandam. Nec intelligitur de potestate supra corpus tantum, sed de potestate supra corpus, prout est indicium potestatis datæ supra animam. Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam.*

9 « Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi : Sequere me. Et surgens secutus est eum. »

Hic ponitur repressio murmuris facti contra vitæ veritatem.

Est autem consideratio hujus veritatis vitæ triplex, et secundum hoc in tres dividitur partes. Consideratur veritas vitæ in seipso, et in subditis, et in auctoritate operis, quod facit : et in hac prima parte reprimuntur murmurantes contra vitam quoad primum : in secunda, quoad secundum, ibi, 14 : « *Tunc accesserunt ad eum discipuli.* » In tertia, quoad tertium, ibi, 18 : *Hæc illo loquente ad eos,* etc. »

In prima harum tria, dicuntur : causa murmuris, et murmur, et repressio per responsionem.

In prima harum tria dicuntur, scilicet

publicani vocatio, vocati secutio, et sequentis ministratio, qua Christo ministrabat, cum a suis recederet.

Circa vocationem duo inducuntur, vocantis videlicet miseratio, et vocandi descriptio.

Miseratio vocantis in duobus consistit: in diligentia inquisitionis, et hanc notat, cum dicit:

« Et cum transiret inde, »

Quærens videlicet peccatores. Act. x, 38: *Pertransiit benefaciendo.*

« Vidit. »

Secundum est respectus miserationis. Genes. xvi, 13: *Tu Deus qui vidisti me.* Genes. xxii, 14: *In monte Dominus videbit.*

« Hominem, etc. »

Describit vocandum a natura, cum dicit: « *Hominem.* » A quiete in lucrorum studiis, « *sedentem.* » Ab injusta acquisitione, « *in telonio.* » A nomine communi, cum dicit, « *Matthæum nomine.* »

« Hominem. »

Natura vocat a peccati inclinatione ex fragilitate corporis, et in sui recognitionem ex industria rationis. De primo dicitur, I ad Corinth. iii, 3: *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* Genes. vi, 5: *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* De secundo, Psal. iv, 7: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Isa. xlvi, 8: *Redite, prævaricatores, ad cor.*

« Sedentem, »

In quiete et pace peccatorum. Psal. cxxvi, 2: *Surgite postquam sederitis.* Isa. xlvii, 1: *Sede in pulvere, virgo filia Babylonis, sede in terra.*

« In telonio. »

Τέλος græce, latine est *vectigal*: quia præfuit his qui vectigalia accipiebant, quod consuevit cum exactione fieri, et plus debito. Isa. iii, 12: *Populum meum exactores sui spoliaverunt.* E contra de conversis dicitur, Isa. xiv, 4: *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum?*

« Matthæum nomine. »

Ecce descriptio a nomine. Alii enim Evangelistæ vocant eum Levi; binomius enim fuit, sed nomen dignitatis fuit Levi, quod ponunt Marcus et Lucas: nomen autem commune ponit ipse de se humilia sentiens. Eccli. iii, 20: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Et ideo, infra, x, 3, vocat se Matthæum publicanum¹, pronuntians se esse peccatorem. Proverb. xviii, 17: *Justus prior accusator est sui.* I ad Corinth. xv, 9: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

« Et ait illi. »

Ecce vocatio.

« Sequere me. »

Bene dicit: *Sequere*, quia nullius hominis est comitari, impossibile autem præcedere secundum profectum virtutis. Eccli. xxiii, 38: *Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.*

¹ Matth. x, 3, inter nomina Apostolorum: *Et Matthæus publicanus.*

« Et surgens. »

Ecce obedientia ad sequendum. Dicit autem præparationem ad sequendum, cum dicit, « *surgens*, » hoc est, sursum se agens ad cœlestia extendendo. Baruch, v, 5 : *Exsurge, et sta in excelso*. Psal. III, 6 : *Exsurrexi, quia Dominus suscepit me*.

« Secutus est eum, »

Imitando profectum virtutis. Jerem. XVII, 16 : *Non sum turbatus, te pastorem sequens : et diem hominis non desideravi, tu scis*.

10 « Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu et discipulis ejus. »

Hic ponit ministrationem, quæ fuit causa murmuris.

Et dicuntur tria : commodum infirmitatis per discubium, locus familiaris per domum, et consocietas congratulationis et devotionis per eos qui cum eo discumbebant.

De primo dicit :

« Et factum est discumbente eo. »

Simile, Luc. VII, 36 : *Ingressus domum Pharisæi discubuit*. Cantic. I, 2 : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis*. Discubitus autem est positio corporis composita ex sedere et jacere, propter stramentorum ordinationem ad dorsi inclinationem : et hoc commodum est lassatis ex itinere, sicut sæpe ipse fatigatus fuit Dominus. Joan. IV, 6 : *Jesus fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*.

« In domo. »

Ecce locus familiaris. Dicunt autem

Marcus et Lucas ; *In domo sua*. Iste autem quia jam dimiserat omnia, non vindicat eam sibi, sed reputat eam communem omnibus : et ideo simpliciter dicit, « *in domo*. » Act. IV, 32 : *Nec quisquam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat : sed erant illis omnia communia*. Luc. XIX, 9 : *Hodie salus huic domui facta est*. Unde, Luc. V, 11, dicitur, quod *relictis omnibus, secuti sunt eum*. Porphyrius autem hæreticus arguit hic levitate Matthæum, quod ad unius jussionis vocem ignotum hominem secutus sit. Et huic obviat Glossa, quia non levitate ductus sequitur, sed potius virtute operum visa, intus per gratiam tractus sequitur, cujus cognoverat deitatem. Post omnes alios iste suam recitat vocationem propter humilitatem : quia pro certo, sicut dicitur, Luc. VI, 12 et seq., ante sermonem Domini in monte factum vocatus est. Sed post sermonem fecit convivium, cum de cætero animum non haberet ad propria revertendi : et ideo ut simul poneret ea quæ ad idem ordinantur, vocationem prius factam per recapitulationem hic cum convivio inducit.

« Ecce multi, etc. »

Ecce societas congratulantium sociorum, et adspirantium ad eandem spem vocationis. Publicani autem sunt vectigalibus præpositi : peccatores fuerunt alias criminosi et manifesti. Luc. XV, 1 : *Erant appropinquantibus ei publicani et peccatores, ut audirent illum*.

« Discumbebant cum Jesu et discipulis ejus. »

Act. X, 28 : *Mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem*.

Sed quæritur, qualiter vocavit Matthæum obligatum ratiociniis de susceptis vectigalibus : et qualiter comedit illicite acquisita ? Dicit enim Chrysostomus, quod de illicite acquisito comedit.

Et ad primum dicendum, quod vocatio ante convivium facta, significat eum a ratiociniis esse absolutum : quidam tamen dicunt, quod *Domini est terra, et plenitudo ejus* ¹ : et ipse eum potuit absolvere, sicut fecit spoliari *Ægyptios* ². Sed secus est de illis, quia filii Israel ipsis laboraverant, et nihil acceperant de mercede, et alias multa damna illata ab eis sustinuerant, pro quibus fecit Dominus accipi spolia : et ideo primum est probabilius.

Ad aliud dicendum, quod hic innuitur, quod aliquis agens negotia eorum quibus tenetur (ille igitur illicite acquisita accipit) potest accipere victum ab eis in stipendium necessitatis, si non habet unde vivat aliunde. I ad Corinth. ix, 7 : *Quis militat suis stipendiis umquam?* Deuter. xxv, 4 : *Non ligabis os bovis terentis.* II ad Timoth. ii, 6 : *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.*

11 « Et videntes Pharisei dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester ?

12 At Jesus audiens, ait : Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. »

Ecce murmuratio.

Et dicit tria : qui, apud quos, et de quo murmurabant. Qui : quia « *Pharisei*, » de religione præsumentes. Apud quos ? quia « *dicebant discipulis* : » quia timebant confutari, si Christo dicerent. Unde sicut serpens aggressus est Adam in debiliore parte ³, ita isti credebant decipere in discipulis, et reprehensibilem facere Christum. Eccle. x, 11 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.*

« Quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester ? »

Videtur autem justa esse reprehensio. I ad Corinth. v, 11 : *Si is qui frater nominatur est fornicator, aut avarus, ... aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere.* II Joan. x̄x. 10 et 11 : *Nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus infructuosus.*

RESPONSIO. Dicendum, quia dicta Apostolorum intelliguntur de apostatis impenitentibus, de quibus non est spes conversionis : et de præcisi ab Ecclesia, quamdiu præcisi sunt : et tales non fuerunt isti. Matth. vii, 3 : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* Ad Roman. xiv, 4 : *Tu quis es, qui judicas alienum servum ? Domino suo stat, aut cadit.*

« At Jesus audiens, ait. »

Tangit repressionem murmuris. Audivit autem aure zeli, de qua dicitur, Sapient. i, 10 : *Auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur.*

« Non est opus, etc. »

Dicit tria : primum pertinet ad falsæ justitiæ irrisionem, secundum ad erronei intellectus legis confutationem, tertium ad finis sui adventus ostensionem.

De primo dicit : « *Non est opus medicus*, » quoad medicandum, « *valentibus*, » hoc est, vobis, qui vos valere reputatis. Apocal. iii, 17 : *Dicis : quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Unde periculosissime vivit, qui ægrotat lethaliter, et præsumit se sanum esse, quia medicum non requirit. Contra quod dicitur, Eccli. xxxviii, 1 : *Honora medi-*

¹ Psal. xxiii, 1.

² Cf. Exod. xii, 32

³ Cf. Genes. iii, 6.

cum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus. Jerem. viii, 22 : Numquid resina non est in Galaad ? aut medicus non est ibi ? « Sed male habentibus. » Osee, xiv, 5 : Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee : quia aversus est furor meus ab eis. Psal. cii, 3 : Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

13 « Euntes autem discite quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. »

Ecce confutatio erroris in lege. Et duo dicit : primo irridendo vos, qui deberetis magistri esse legis propter tempus. Nunc demum,

« Euntes discite. »

II ad Timoth. iii, 7 : *Semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes.*

« Quid est. »

Quod scriptum est, Osee, vi, 6¹ :

« Misericordiam volo, et non sacrificium. »

Semper enim Deus voluit et facere, et fieri misericordiam : sed numquam sacrificium cruoris immolatitii. Isa. i, 11 : *Quo mihi multitudinem victimorum vestrarum ? dicit Dominus. Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum, nolui. Glossa, ibi-*

¹ Osee, vi, 6 : *Quia misericordiam volui, et non sacrificium : et scientiam Dei plusquam holocausta.*

² Psal. xiii, 2 et 3 : *Dominus de cælo prospexit*

dem : « Numquam volui. » Psal. xxxix, 7 : Holocaustum et pro peccato non postulasti. Proverb. xxi, 3 : Facere misericordiam et iudicium magis placet Domino quam victimæ. Michææ, vi, 8 : Indicabo tibi, o homo, etc. I ad Timoth. iv, 8 : Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.

« Non enim veni, etc. »

Ecce confutatio per finem sui adventus. Dicit ergo, quia « non veni in mundum vocare justos, » hoc est, qui de justitia apparente præsumunt : quia vocatio apud eos est inutilis. Sicut enim dicitur, ad Roman. iii, 23 et 24 : *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius.* Non est justus quisquam, non est intelligens, et non est requirens Deum².

Sed contra, Joan. i, 47 : *Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, et dicit de eo : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.*

Adhuc, Infra, xi, 28, vocat omnes dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis, etc. Eccli. xxiv, 26 : Transite ad me, omnes qui concupiscitis me.*

Propter hoc dicit Glossa quod intelligitur cum determinatione, quam ponit Lucas, v, 32 : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Justo autem vocati sunt ad societatem Christi et ad discipulatum, I Joan. i, 3 : Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo.*

« Sed peccatores. » Jacob. iv, 8 : *Emundate manus, peccatores : et purificate corda, duplices animo. Act. iii, 19 :*

super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum... Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

*Pœnitimini, et convertimini, ut delean-
tur peccata vestra.*

14 « Tunc accesserunt ad eum discipu-
li Joannis, dicentes : Quare nos, et
Pharisæi jejunamus frequenter, disci-
puli autem tui non jejunant? »

Hic incipit pars illa, quæ est de mur-
mure de vita discipulorum : quia perversa
vita discipuli redundat ad magistri in-
famiam.

Et dividitur in tria. In primo tangun-
tur murmurantes, in secundo, causa
murmuris, et in tertio, repressio.

Murmurantes tangit, cum dicit :

« Tunc accesserunt ad eum discipu-
li Joannis. »

Marcus tamen et Lucas innuunt, quod
hæc quæstio a Pharisæis facta sit. Unde,
Luc. v, 33, sic dicitur : *At illi dixerunt
ad eum : Quare discipuli Joannis jeju-
nant frequenter, etc.* Glossa autem sol-
vit hoc, quod hoc a quibusdam Phari-
sæis est quæsitum, et quibusdam Joan-
nis discipulis, qui Christo invidabant.
Joan. iii, 23 : *Facta est quæstio ex dis-
cipulis Joannis cum Judæis de purifica-
tione.*

« Quare nos et Pharisæi. »

Ecce causa murmuris et quæstionis :
quia Joannis exemplum et doctrina fuit
de multa abstinentia, et Pharisæorum
similiter. Unde, Matth. vi, 16 : *Extermi-
nant enim facies suas, ut appareant ho-
minibus jejunantes.*

« Jejunamus frequenter. »

Quasi dicant : Cum tam Magister ve-
ster quam Pharisæorum secta videantur
probatissimam tenere vitam,

« Discipuli autem tui non jejunant. »

Causa autem fuit, quia præsentia Chri-
sti plus abstulit ab eis libidinem quam
omnis afflictio corporalis. Isaiæ, LVIII,
5 et 6 : *Numquid tale est jejunium quod
elegi, per diem affligere hominem ani-
mam suam? numquid contorquere quasi
circulum caput suum?... Nonne hoc est
magis jejunium quod elegi? Dissolve
colligationes impietatis, solve fasciculos
deprimentes, etc.* Et, Nehem, seu II Es-
dræ, VIII, 10 : *Ite, comedite pingua, et
bibite mulsum, et mittite partes his qui
non præparaverunt sibi : quia sanctus
dies Domini est, et nolite contristari.*

« Et ait illis Jesus : Numquid pos-
sunt filii sponsi lugere quamdiu cum
illis est sponsus? Venient autem dies
cum auferetur ab eis sponsus, et tunc
jejunabunt. » 15

Hic ponitur murmuris repressio, pri-
mo per temporis congruitatem, secundo
autem per discipulorum dispositionem,
ibi, x, 16 : « *Nemo autem immittit,*
etc. »

Circa primum dicit duo : primo con-
gruentiam præsentis temporis ad jeju-
nium, vocans se *sponsum*, et discipulos
filios sponsi. Christus enim veniens in
carnem, sibi desponsavit nostram natu-
ram, et Ecclesiam. Unde, Psal. xviii, 6 :
*Ipse tamquam sponsus procedens de tha-
lamo suo.* Joan. iii, 29 : *Qui habet spon-
sam, sponsus est : amicus autem sponsi,
qui stat, et audit eum, gaudio gaudet
propter vocem sponsi.*

Sub quæstione ergo ponit Christus
humanam prætendens similitudinem, di-
cens : « *Numquid possunt filii sponsi?* »
Isa. LXVI, 9 : *Si ego qui generationem
cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus?*
Isa. LX, 4 : *Filii tui de longe venient,
et filia tua de latere surgent.* « *Lugere,* »
hoc est luctus opera exercere : sicut est

jejunium, et cilicium et hujusmodi.
« *Quamdiu cum illis est sponsus ?* »

Et attende, quod apud Sanctos est triplex jejunium : unum quidem satisfactivum, alterum autem contristativum, et tertium lætificativum. *Satisfactivum* est, de quo dicitur, Joel, II, 13 : *Sanctificate jejunium, vocate cœtum.* II ad Corinth. VI, 5 et 7 : *In multis jejuniis... per arma justitiæ a dextris et a sinistris.* *Contristativum* autem est, quando aliquis ex tristitia in tœdium incidit et fastidium solatii corporalis (alias, corporis). Et hoc jejunio jejunaverunt antiqui patres propter tristitiam absentiae Christi. Job, III, 24 : *Antequam comedam suspiro, et tamquam inundantes aquæ, sic rugitus meus.* Sic etiam jejunaverunt Apostoli tempore passionis Christi. Unde narrat Hieronymus de Jacobo, quod « devovit se non comesturum, do-
« nec vidisset Christum a mortuis resur-
« rexisse. » Sic dicitur, Daniel. x, 2 et 3 : *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus : panem desiderabilem non comedi.* Levit. x, 19 : *Quomodo potui placere Domino in ceremoniis, supple, comedendæ hostiæ, mente lugubri ?* Tertium est jejunium *lætificativum*, cum ex plenitudine spiritus oblivioni traduntur et fastidiuntur delectantia corporaliter. Sicut dicit Gregorius, quod « gustato spiritu, desipit omnis caro, et « carnalis delectatio. » Et sic jejunavit Moyses in monte cum Domino. Primum jejunium est fidei, secundum spei, tertium charitatis. Primum pœnitentiæ, secundum veritatis promissæ, tertium autem jucunditatis exhibitæ. Unde de medio istorum jejuniarum intelligitur hoc quod dicit hic. Et hoc est initium novæ vitæ : primum autem est purgatio vetustatis antiquæ : et tertium est perfectio felicitatis æternæ.

Unde sequitur :

« *Venient autem dies,* » passionis tempore, « *cum* » ad horam « *auferetur ab eis sponsus.* » Matth. xxvi, 31 : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves*

gregis. « *Et tunc jejunabunt,* » tristantes et dolentes. Joan. xvi, 22 : *Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis : iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Hoc genere luctus et jejunii luxit (alias, jejunavit) Jacob in figuram desiderantium Christi resurrectionem, et tristitiam habentium in traditione. Genes. xxxvii, 35 : *Congregatis autem cunctis liberis ejus ut linirent dolorem patris, noluit consolationem recipere, sed ait : Descendam ad filium meum lugens in infernum.*

« Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus : tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, et pejor scissura fit. »

16

Hic incipit secundum, ubi idem probat ab infirma dispositione discipulorum. Spiritus enim novus, quem innovat Deus in visceribus nostris, duo operatur in nobis. Et secundum hoc hic duo dicuntur. Virtute enim (quam dat novam) vestit novo vestimento conversationis sanctæ, et gaudio quod infundit inebriat domum voluptatis Dei dulcedine. Et ideo inducit hic duas similitudines novorum duorum ad duo vetera, hoc est, panni novi et vini novi, ad vestimentum vetus et utres veteres.

Et circa primum dicit duo : primo enim generalem inducit consuetudinem, et secundo, probat hanc per contrarii facti damnositatem.

Dicit ergo : « *Nemo* » sapiens « *commissuram,* » hoc est, novi adhuc non extra primam ruditatem positi, « *in vestimentum vetus,* » innuens, quod vetus vestimentum est conversatio terrena carnalis, quæ licet non mala sit, tamen inexpertæ virtutis spiritus non habet delicias, nisi in præsentia corporali Sanctorum. In cujus signum dixit, Luc. xxiv, 49 : *Sedete hic in civitate, quoadusque*

induamini virtute ex alto. Isaïæ, LXI, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento lætitiæ circumdedit me.* De vetere autem vestimento dicitur. Proverb. XXIII, 21 : *Vestietur pannis dormitatio.* Unde etiam Dominus tenella carne indutus, Luc. II, 12, *pannis involutus* dicitur.

« *Tollit enim plenitudinem,* » hoc est, integritatem, « *ejus a vestimento,* » quia pannus novus trahendo scindit vetus. Et ita novitas spiritus communicata tenellæ et carnaliter fovendæ in bono, vitæ aufert integritatem. « *Et fit peior scissura,* » quia novitas non adipiscitur, et vetus bonum, quod corporali consolatione indiget, desperando relinquitur. Joan. VI, 61 : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* I ad Corinth. III, 1 et 2 : *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis.* I Petr. II, 2 : *Sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.*

17 « Neque mittunt vinum novum in utres veteres : alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur. »

Ecce secunda comparatio de gaudio novi spiritus.

Et dicit tria : primo enim quid non fit : et secundo probat per damnum, si contrarium fiat : et tertio, dicit quid fieri debeat.

Dicit ergo : « *Neque mittunt vinum novum,* » hoc est, spiritum novorum gaudiorum, « *in utres veteres,* » hoc est, corpora adhuc corporaliter fovenda.

Psal. CIII, 15 : *Vinum lætificat cor hominis.* Judicum, IX, 13 : *Vinum, quod lætificat Deum et homines.*

« *Alioquin rumpuntur utres.* » Quia vinum novum tres habet calores, unum loci, et alterum circumstantiis aeris, et tertium naturalem : et isti sunt adhuc in materia terrea ignita. Et sicut calor extraneus oppugnat naturalem in febre, ita in vino duo calores oppugnant tertium : et ideo vaporosum est mustum et bullit, et impellit vasa et rumpit, nisi fortia valde sint : et sic faciunt concepta gaudia spiritus vitam veterem. Job, XXXII, 19 : *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit.* Act. II, 13 : *Dicebant : Quia musto pleni sunt isti.* I Reg. I, 14 : *Digere paulisper vinum quo mades.*

« *Et vinum effunditur,* » quoad eos : quia plerumque fit quod propositis spiritualibus his qui eorum capaces non sunt, ex desperatione ad ea perveniendi, etiam ea dimittunt quæ ante minoris justitiæ faciebant opera.

« *Et utres pereunt* » tunc quoad hoc, quod nec nova suscipiunt, nec retinent vetera : et hoc significatur in Canticis, V, 1 : *Messui myrrham meam cum aromatibus meis : comedi favum cum melle meo : bibi vinum meum cum lacte meo.* Myrrha enim propter amaritudinem lamentum gementium ad præsentiam sponsi, qui eum cum aromatibus virtutum expectant, significat. Sed non vino statim se implent, sed lacte infantilis doctrinæ et gratiæ utuntur Dei, ut paulatim crescant : et tunc purum et eliquatum internæ consolationis vinum recipiunt. Hinc etiam est, quod Proverb. IX, 5, Sapientia dicit se miscuisse vinum¹ : quia incipientes nondum perfecti vinum spiritus novum non capiunt, sed inconsumpti talibus, etiam ea perdunt quæ prius habuerunt.

¹ Proverb. IX, 5 : *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.*

« Sed vinum novum in utres novos mittunt. »

Istud est tertium, in quo ostendit, quid secundum ordinem prudentiæ fieri debeat. Et dicuntur *utres novi* corda virtute sancti Spiritus solidata quibus imponuntur fortia. « *Et tunc conservantur ambo.* » Sicut Petrus nondum solidatus ad vocem ancillæ negavit : cujus, posteaquam Spiritum sanctum ad robur accepit, etiam principes constantiam admirabantur. Act. iv, 13 : *Videntes autem Petri constantiam, et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris, et idiotæ, admirabantur : et cognoscebant eos quoniam cum Jesu fuerant.* Cantic. v, 1 : *Bibite, amici, et inebriamini, charissimi.*

« Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens : Domine, filia mea modo defuncta est : sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.

Et surgens Jesus, sequebatur eum, et discipuli ejus. »

Hic incipit pars illa, quæ est de repressione murmuris contra auctoritatem factorum, et dictorum facti. Nescientes enim suam auctoritatem, deriserunt ea quæ fecit et dixit, putantes eum aliis hominibus similem.

Dividitur in tres partes : in quarum prima ponitur qualiter Jesus inclinatur ad viam : secunda est de hoc quod factum est in via, ibi, ꝯ. 20 : *Et ecce mulier.* » Tertia de his, quæ in termino viæ sunt facta ad suæ auctoritatis ostensionem, ibi, ꝯ. 23 : « *Et cum venisset Jesus in domum principis.* » Ista autem divisio sumitur secundum tria ad quæ fuit talis auctoritatis ostensio : quorum unum fuit fides eorum qui de deitate dubitabant, et ideo præsentem requirebant, putantes quod invocatione curaret

sicut Sancti : quibus tamen ire consensit, ut eos ad fidem manuduceret. Secundum autem fuit murmur de virtute quam sensit exisse ab eo, quod fuit pusillæ fidei, quam construxit in via. Tertium autem, perfectæ auctoritatis ostensio contra detrahentes et irridentes.

In primo horum quatuor sunt paragraphi : quorum unus est sicut continuatio, cum dicit :

« Hæc illo loquente ad eos. »

Et est objectio : quia Marc. v, 22 et seq., et Luc. viii, 41 et seq., eadem narratur historia, et non sic continuatur : sed potius ad reditum de regione Gerasænorum, ubi liberaverat eos in quibus legio dæmonum habitaverat. In quo reditu cum expectaretur, et exciperetur a turbis, dicit Lucas istum Principem accessisse, et rogasse ut in domum suam intraret, et filiam suscicaret.

Et ad hoc dicendum, quod hic notatur continuatio, non tam facti ad factum, quam doctrinæ sapientiæ ad confirmationem ejusdem per opera miraculorum. Præcedentia fuerunt argumenta et doctrinæ sapientiæ ad confutandos errores murmurantium. Et ideo, ut omnino obmutescant, et obstruatur os loquentium iniqua, quod dictum est sapienter, ex potentia deitatis accipit confirmationem. Joan. v, 36 : *Opera quæ ego facio, scilicet in nomine Patris, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de me.*

« Ecce princeps unus accessit, etc. »

Secundus paragraphus est de accessu Principis. Et in hoc quinque dicuntur : primum est publicum propter multorum ædificationem quod notatur in demonstratione adverbii : « *Ecce.* » Secundum est descriptio a dignitate, cum dicit : « *Princeps,* » quod pertinet ad famam facti. Tertium est nota excellentiæ singularis, cum dicit : « *Unus,* » quasi unicus inter alios magis dignus. Et ideo

Marc. v, 22, et Luc viii, 41, nominatur per nomen, *cui nomen Jairus*. Ubi etiam innuitur, quod principatus erat spiritualis, ut magis idoneus esse cognoscatur : quia dicitur *Archisynagogus*, tamquam Episcopus, vel Archiepiscopus. Quarto, apponitur appropinquatio per devotionem, cum dicitur : « *Accessit.* » Quinto, professio majestatis per adorationem, cum dicit : « *Et adorabat eum, dicens.* » Scivit enim scriptum esse, Deuteron. iv, 4 : *Vos qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi.* Ad Hebr. iv, 16 : *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

« Domine, filia mea, etc. »

Tertius paragraphus est de interpellatione qua rogavit Dominum pro filia. In qua duo facit : exponit enim miseriam, et petit misericordiam. Exponendo autem miseriam quatuor inducit : profitetur enim potentiam, cum dicit : « *Domine.* » Dolorem ex vinculo naturæ, cum dicit : « *Filia mea.* » Recentiam doloris, ut acerbior esse videatur, cum dicit : « *Modo.* » Magnitudinem doloris, cum dicit : « *Defuncta est.* »

Et hoc habet objectionem : quia, Marc. v, 23, dicitur : *In extremis est.* Et Luc. viii, 42, dicitur, quod *hæc moriebatur*, et sic nondum defuncta erat.

RESPONSIO ad hoc, quod Matthæus ponit verba quæ habuit, cum pervenit ad Jesum. Marcus autem et Lucas loquuntur de tempore, pro quo exivit de domo. Vel, dicatur secundum Augustinum, quod Marcus et Lucas dicunt esse rem, sicut fuit : et Matthæus dicit id quod princeps voluit et intendit : et forte hæc omnia dixit successive. Addit etiam Lucas, quod puella *erat fere annorum duodecim*, jam pubes effecta : et hoc est tempus, quando jam patres magis gaudere de filiabus consuerunt.

Dicit etiam, quod *unica* erat ei : quæ omnia faciunt ad doloris exaggerationem.

« Et surgens Jesus, etc. »

Sequitur quartus paragraphus, in quo benignitas Domini exprimitur in tribus : in promptitudine, cum dicit : « *Surgens Jesus.* » In humilitate, cum dicit : « *Sequebatur eum,* » docens nos exhibere honorem Prælati. Augustinus in *Regula* : « Honore coram vobis Præ- »
« *latus sit vobis.* » In societate solemnitatis, cum dicit : « *Discipuli ejus :* » hos autem secum duxit, ut per miracula confirmarentur, et instruerentur. Isa. viii, 18 : *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus.*

Sed quæritur, quare istum non increpavit, qui præsentiam corporalem quæsivit, sicut increpavit regulum, Joan. iv, 48, dicens : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis :* præcipue cum Chrysostomus dicat, quod « *majoris fidei fuit mulier hæmorroïssa quam iste Princeps, cum Princeps medicum duceret, mulier autem tactu crederet se sanandam ?* »

RESPONSIO. Ex circumstantiis litteræ dictis probabiliter accipitur, quod non tam duxit eum, quod præsentia corporali crederet eum melius posse propinque quam remote, quam ut ostenderet sibi devotionem et dolorem matris, et familiæ : ut sic magis ad misericordiam flecteretur : et ideo non reprehendit.

« Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus :

Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. »

Hic incipit pars secunda, quæ ob duas utilitates inducitur : quarum una

est repressio murmuris, vel contradictionis contra potestatem auctoritatis invisibilis : et altera est confirmatio pusillæ fidei Archisynagogi, ut magis speraret de salute filiæ.

Et sunt hic tres paragraphi : in quorum primo continetur devotio mulieris : in secundo, consolatio per verbum perfectæ sanitatis operativum : in tertio, effectus perfectæ sanitatis in termino viæ factus. Et hæc patent in littera.

In primo horum duo sunt, devotio videlicet in factis, et devotio in dictis intra seipsam.

Devotio autem in factis describitur a sexus fragilitate, a quo magis acceptum est quod facit, quo major est infirmitas faciendi : et hoc notatur, cum dicit : « *Ecce mulier.* »

Secundo, describitur ab infirmitatis periculositate, « *quæ fluxum patiebatur sanguinis :* » quia nutrimentum ultimum est sanguis, et sedes animæ in sanguine est : et ideo periculum fuit : unde Marcus et Lucas dicunt¹, quod multa expenderit in medicos, et nulla poterat medicorum arte liberari. Dicitur autem fuisse *hæmorroïssa* : ἀἷμα enim sanguis est, et *roïss* est *fluxus* persica lingua² : quia forte venæ, quæ *hæmorroidæ* vocantur, apertæ erant omnes, quinque enim sunt : et tunc est magnum periculum, et raro valde accidit in muliere. Dicit enim Hippocrates quod « mulier « raro podagrizat, et raro fit hæmorroïda : » et in hoc notatur, quod fuit ista ex magna complexionis, vel compositionis corruptione.

Tertio, describitur ex morbi diuturnitate, cum dicit : « *Duodecim annis.* » Eccli. x, 11 et 12 : *Languor prolixior gravat medicum : brevem languorem præcidit medicus.*

Quarto, describitur ab humilitate, cum dicit : « *accesit retro,* » reputans non

esse dignam conspectu. Luc. vii, 38 : *Et stans retro secus pedes Domini.*

Quinto, describitur a devotione tangendi in vera fide, cum dicit : « *Et tetigit fimbriam vestimenti ejus.* » Audierat enim a David, Psal. cxxxii, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus :* et in hoc unguento credebat sanari.

Sed quærit Chrysostomus : Cum mulier esset, et in profluvio sanguinis immunda, quomodo audebat tangere ? Et dicit, quod audivit eum etiam mulieribus gratiam non denegare, et ad curationem fœminei sexus per semetipsum ire : et ex hoc fiduciam accepit. Licet autem esset immunda, tamen scivit Christum tangere leprosos, et non inquinari, sed mundare et expellere immunditiam : et hac fiducia ausa fuit tangere. Ambrosius videtur velle, quod hæc mulier fuerit beata Martha, soror beatæ Mariæ Magdalænæ.

« Dicebat enim intra se. »

Ecce devotio, quam pertractabat in corde. « *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero :* » non dubitans quin deitate æqualia posset ubique, sed sciens quod tactus deificæ carnis semper exerceret opera curationis. Miseria autem magna est, quod tactu huic mulieri contulit sanitatem vulneris : et, heu ! multis hodie in Sacramento sumentibus confert (alias, infertur) vulnus æternæ damnationis. I ad Corinth. xii, 20 : *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit*³.

« At Jesus conversus et videns eam, dixit : Confide, filia, fides tua te sal-

¹ Cf. Marc. v, 25 et 26, et Luc. viii, 43.

² Αἰμόρροος-ους, ab ἀἷμα, ῥέω.

³ I ad Corinth. xi, 27 : *Quicumque manduca-*

verit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.

vam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora. »

Secundus paragraphus est. Et omittit hic Matthæus hoc quod dicunt Marcus et Lucas, quod quæsit : *Quis tetigit vestimenta mea ?* Et quod Petrus respondit pro omnibus : *Præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis : Quis me tetigit ?* Et hanc quæstionem non ignorans fecit Dominus, sed ut factum divulgaret, et ut a se non latere ostenderet, et ut ad fidem Principem ædificaret, et detrahentes, et irridentes convinceret. De tactu enim devotionis quæsit, et non de tactu compressionis.

In hoc autem paragrapho tria notantur : benignitas, misericordia, et data mulieri fiducia.

Primum notatur, cum dicit : « *Jesus conversus.* » Benignitas enim fuit, quod ad eam se convertit. Simile, Luc. xxii, 61 : *Conversus Dominus respexit Petrum.*

Secundum notatur, cum dicit : « *Et videns eam, dixit.* » Visio enim Dei misericordia est, sicut sæpe in antehabitis dictum est.

Tertium notatur in allocutione, in qua tria dicuntur, scilicet, data fiducia, cum dicit : « *Confide,* » hoc est, in fide cresce, et persevera, quam jam accepisti. Psal. cxxiv, 1 : *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in æternum,* etc. Secundum, charitas exhibitæ, per hoc, quod dicit : « *Filia.* » Tertium est laus fidei cum dicit : « *Fides tua te salvam fecit.* » Meritoria enim causa salutis fides fuit : Christus autem causa efficiens. Nihil enim prohibet unum effectum plures habere causas diverso modo causalitatis. Luc. vii, 50 : *Fides tua te salvam fecit : vade in pace.*

« Et salva facta est mulier in illa hora, »

Hoc est, salus ei confirmata est. Quia autem salvata fuit per tactum, cognovit

virtutem a se exisse, sicut dicunt Marcus et Lucas. Et, Joan. iv, 53 : *Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit.* Nescit enim tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. Narrat enim Eusebius Cæsariensis, quod mulier hæc fecit imaginem sibi fieri secundum figuram Salvatoris, et vestivit eam similibus fimbriatis vestibus : et ob memoriam posuit eam in horto suo, et accidit, quod omnes herbæ quæ creverunt sub fimbriis illis, habebant idem curationis auxilium quod fimbriæ habuerunt.

« Et cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat :

Recedite : non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. »

Hic incipit tertia pars de perfectione miraculi in termino viæ facti.

Et sunt hic tres paragraphi : quorum primus est de turbæ exclusionem, quæ indigna fuit ut interesset Dei miraculis : secundus, de suscitatione : et tertius, de miraculi manifestatione. Et hæc patent in littera.

Primus autem horum continet quatuor : adventum Christi suscitantis, dispositionem turbæ tumultuantis, ejectionem indignæ multitudinis cum ratione ejectionis, et irrisionem plebeculæ vilis. Attende autem, quod Matthæus hic omittit quod ponunt alii, quod videlicet in via venerunt nuntii, ut non vexaret Magistrum, quia mortua esset filia ejus : et quod confortabat eum Dominus, ut non timeret, sed tantummodo crederet.

Et tunc demum,

« Cum venisset Jesus, »

Salvator,

« In domum Principis, »

Archisynagogi. Genes. xxx, 27 : *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.*

« Et vidisset tibicines. »

Ecce turbæ descriptio. Tibicines autem fuerunt tibiis canentes carmina lugubria, ut alios ad lamentum provocarent. Jerem. ix, 17 et 18 : *Vocate lamentatrices et veniant : et ad eas quæ sapientes sunt mittite, et properent : festinent, et assumant super nos lamentum.*

« *Et turbam tumultuantem,* » cui præcinebant tibicines. Mich. ii, 12 : *Tumultuabuntur a multitudine hominum.*

« Dicebat, etc. »

Ecce turbæ ejectionis. Et dicit duo : imperat enim exire, et subjungit rationem. Primum notat in hoc, quod dicit : « *Recedite.* » Matth. vii, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, etc.*

Sed cum multoties miracula fecerit coram turba, quare modo non facit similiter ? RESPONSIO, quod hæc turba non erat digna : quia signa exhibuit non creditæ resurrectionis, in hoc quod inconsolabiliter lamentabatur. Unde, I ad Thessal. iv, 13 : *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent.*

« Non est enim mortua puella, sed dormit. »

Ecce ratio ejectionis. Et intelligitur dupliciter : primo, secundum potestatem loquentis verbum : quia non est sibi mortua, quia unico verbo poterat suscitare. Ipse enim erat Deus, cui omnia vivunt, et cui non pereunt moriendo corpora nostra. I Reg. ii, 6 : *Dominus mortificat et vivificat.* Deuter. xxxii, 39 :

Ego occidam, et ego vivere faciam. Sapient. xvi, 13 : *Vitæ et mortis habes potestatem.* Joan. xi, 11 : *Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut excitem eum.* Alio modo secundum Glossam interlinearem, puella innocens fuit, et peccato non fuit mortua, sed in sinu Abrahæ spe felici quevit : et ideo mors ejus conversio animæ fuit ad requiem. Psal. cxiv, 8 : *Convertere, anima mea, in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi.* Talibus enim bene fit, cum moriuntur : quia *pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus* ¹.

« Et deridebant eum. »

Ecce tertium, derisio turbarum : ad hoc tamen utilis, quia signum est manifestæ omnibus mortis, licet ex infidelitate fuerit potentiæ suscitantis. Job, xii, 4 et 6 : *Deridetur justi simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum.* Job, xxx, 1 : *Nunc autem derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* Proverb. xix, 29 : *Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus.*

« Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus. Et surrexit puella. » **25**

« Et exiit fama hæc in universam terram illam. » **26**

Ecce suscitatio. Et dicit quatuor. Primo enim facit mentionem ejectionis turbæ indignæ, sicut Elias et Eliseus neminem adesse voluerunt, ubi mortuos suscitaverunt.

Secundo, « *intravit,* » ingerens effectum salutis. Nec potuit esse, ubi ingrediebatur fons vitæ, quin mors ab ædibus fugeretur. Eccli. iv, 12 : *Sapientia filii*

¹ Psal. cxv, 15.

suis vitam inspiravit. Joan. x, 10 : *Ego veni ut vitam habeant.* Marcus et Lucas dicunt, quod introduxit Petrum et Jacobum et Joannem et patrem et matrem puellæ.

« *Et tenuit manum ejus.* » Tertium est, ut tactu divinitatis effectum communicaret : et sic eam in se corporaliter habitantem demonstraret. Psal. LXXII, 24 : *Tenuisti manum dexteram meam.* Job, XIV, 15 : *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Psal. CXVII, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem,* etc.

Quarto, verbum salutis effectivum emitit : « *Et dixit puellæ : Surge¹.* » Ut eodem verbo revocaret ad vitam, quo vocavit eam ad esse non existentem. Ad Roman. IV, 17 : *Vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Psal. LXVII, 34 : *Dabit voci suæ vocem virtutis.* Joan. V, 25 : *Mortui audient vocem Filii Dei : et qui audierint, vivent.*

« *Et surrexit puella.* »

Ecce perfectio miraculi. Luc. VIII, 55 : *Surrexit continuo. Et jussit illi dare manducare :* ut per opus vitæ, verus vitæ probaretur effectus.

« *Et exiit fama hæc in universam regionem illam.* »

Ecce miraculi manifestatio, et irridentium confusio. Isa. XXIX, 23 et 24 : *Sanctificabunt Sanctum Jacob, et Deum Israel prædicabunt : et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem.* Sic ergo demonstrata auctoritate vitæ confusi sunt mussitantes de hoc quod contra legem, vel bonam consuetudinem faceret in se, vel in subditis.

« *Et transeunte inde Jesu, secuti*

sunt eum duo cæci, clamantes et dicentes : *Miserere nostri, fili David.* »

Ab hoc loco convincit eos, qui hæc opera miraculorum calumniari non valentes, attribuerunt ea contrariæ virtutis potestati. Et hæc est etiam causa, quod miracula præmittuntur detractio. Dividitur ergo hæc pars in tres : in quarum prima continentur duo miracula, quæ nullo modo calumniari possunt in opere. In secunda autem ponitur calumnia in principio, per quod fit opus, ibi, §. 34 : « *Pharisæi autem dicebant.* » In tertia, inducitur finis istius totius partis, in qua posita est sermonis confirmatio, per quam etiam confutatur calumnia Pharisæorum, ibi, §. 35 : « *Et circuibat Jesus,* etc. »

In prima autem harum, secundum duo miracula sunt duæ partes, quarum prima est in reparatione naturæ, et secunda in liberatione hominis constituti ex natura, a contraria potestate opprimente, ibi, §. 32 : « *Egressis autem illis.* »

In prima harum duo sunt, scilicet miraculi perfectio, et ex perfectio miraculo nostra instructio, ibi, in medio §. 30 : « *Et comminatus est illis Jesus,* etc. »

In prima harum adhuc sunt tres paragraphi : in quorum primo continetur cæcorum instantia ad lumen impetrandum : in secundo, fidei eorum experientia : et in tertio, miraculi perfectio.

In primo tangit instantiam in facto, et secundo in dicto.

In facto tangit tria : instantiam sequendi, cum dicit :

« *Et transeunte inde Jesu,* »

Ut omnibus lucis suæ beneficium inveharet. Sicut sol ex transitu suo communis efficitur. Eccli. XLIII, 2 : *Sol in adspectu annuntians ex exitu, vas admi-*

27

¹ Hæc verba non inveniuntur in Evangelio Matthæi, sed in Marco, v, 41 : *Et tenens manum puellæ, ait illi : Talitha, cumi : quod est inter-*

pretatum : Puella (tibi dico), surge. Luc. VIII, 54 : *Ipse tenens manum ejus clamavit, dicens : Puella, surge.*

rabile opus Excelsi. Psal. xviii, 7 : A summo cælo egressio ejus, et occursum ejus usque ad summum ejus. « Secuti sunt eum duo cæci, » inseparabiliter adherentes. Psal. lxxix, 29 : Non discedimus a te, vivificabis nos : et nomen tuum invocabimus. IV Reg. ii, 2 : Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Genes. xxxii, 26 : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.

Secundo, tangit intensionem interpellandi :

« Clamantes. »

Simile, Matth. xv, 23 : *Dimitte eam, quia clamat post nos. Luc. xviii, 39 : Ipse vero multo magis clamabat. Habacuc, 1, 2 : Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies ? vociferabor a te vim patiens, et non salvabis ?*

Tertio, ponit modum interpellationis in verbo :

« Dicentes : Miserere nostri, fili David. »

Vocant autem filium David propter quatuor : quia David fuit misericors etiam in illum, qui contra eum egit inimicitias : fuit rex magnificus liberalitate, quia et ædificii Dei paravit copias : fuit compatiens, quando se obtulit Angelo percutienti pro populo : fuit pius in oppressos etiam cum suo periculo liberandos : unde percussit Philistæum, et liberavit Ceylam. Misericordia igitur Christum volebant affici circa suam miseriam, ex liberalitate dona gratiæ assequi, ex compassione cogi, et ex pietate vinci. Matth. xxi, 9 : *Hosanna filio David. Matth. xx, 30 et 31 : Domine, miserere nostri, fili David, etc.*

« Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dixit eis Jesus : Creditis quia hoc possum fa-

cere vobis ? Dicunt ei : Utique, Domine. »

Ecce accipitur experimentum fidei.

Et tanguntur tria, quorum unum est per modum meriti miraculum impetrans : et hoc est accessus per devotionem in domum ad Jesum, cum dicit : « *Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci.* » Et notatur in hoc cæcorum in præstolando perseverantia : quia non defecerunt in via, sed secuti sunt in domum. Luc. xi, 8 : *Si perseveraverit pulsans, dabit illi quotquot habet necessarios.* Et in eodem notatur devotio per accessum. Psal. xxxiii, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.*

« *Et dicit eis Jesus.* » Secundo, fit inquisitio experientiæ fidei. « *Creditis quia hoc possum facere vobis ?* » Hæc autem quæstio non est ignorantis, sed quia professi sunt humanitatem, quærit, ut propter stantes confiteantur deitatis potestatem.

Tertio, fit confessio fidei, cum dicit : « *Dicunt ei : Utique Domine* » Marc. ix, 23 : *Credo, Domine : adjuva incredulitatem meam.*

« Tunc tetigit oculos eorum, dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis. » 29

Et aperti sunt oculi eorum : » 30

Ecce miraculi perfectio ex parte facientis, et ex parte facti.

Ex parte autem facientis primo ponitur factum, et secundo, virtutis verbum.

Factum autem tangit, cum dicit : « *Tunc tetigit oculos eorum,* » ut tactu deitatem in se habitantem ostenderet. Joan. i, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

Verbum tangit, cum dicit : « *Dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis.* » Hæc omnia possibile sunt credenti. Attribuuntur enim miracula fidei, quia ipsa credendo extendit se ad omnipotentiam, credendo id de quo non habet rationem

nisi omnipotentiam divinam : spes autem non nisi exspectat : et charitas diligit. In quibus licet gratia qua hoc possumus, sit a Deo, tamen actus sub nostra est potestate, et non respicit omnipotentiam : et ideo opera omnipotentiae non attribuuntur spei, vel charitati. Unde, ad Hebr. xi, 33 et seq. : *Per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt re-promissiones, ... convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Et omnia miracula attribuuntur fidei, I ad Corinth. xiii, 2 : *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, etc.*

« Et aperti sunt oculi eorum. »

Miraculi est perfectio ex parte facti. Isa. xxxv, 5 : *Tunc aperientur oculi cæcorum.* Et ex modo loquendi notatur, quod pupillas habuerunt, sed ex aliqua causa clausas, vel ex velamine, vel ex oppilatione spiritus visivi, vel turbatione ipsius. Congrue autem dicit, quod *fiat eis secundum fidem eorum* : quia sicut fides est lumen mentis, ita oculus corporis : et sic lux, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*¹ infundit lumen menti, ut ex hoc per redundantiam meriti lumen accipiat etiam oculus corporis. Baruch, iii, 14 : *Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus : ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax.*

« Et comminatus est illis Jesus, dicens : Videte ne quis sciat.

31

Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa. »

Hic ultimo ponitur instructio ex miraculo facto consequens. Et tanguntur duo :

exemplum Christi hominis ad humilitatem, cum dicit : « *Comminatus,* » hoc est, per minas prohibuit. Luc. xvii, 10 : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.* Simile, supra, viii, 4, de leproso : *Vide, nemini dixeris.* Proverb. xxvii, 2 : *Laudet te alienus, et non os tuum.* Joan. v, 44 : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis ?*

Secundum est exemplum cæcorum illuminatorum gloriam Dei manifestantium : et hoc tangit, cum dicit :

« Illi autem exeuntes, »

Ab eo, et a loco, in quo illuminati sunt, « *diffamaverunt eum in tota terra illa,* » hoc est, famam suam ubique prædicaverunt. Isa. xii, 5 : *Annuntiate hoc in universa terra.* Psal. cxliv, 21 : *Laudationem Domini loquetur os meum.*

Sed numquid non erant inobedientes ? Videtur, quod sic : quia directe fecerunt contra inhibitionem.

Adhuc, prohibitio signum est voluntatis divinæ : ergo facientes contra prohibitionem, fecerunt contra Dei voluntatem.

RESPONSIO. Dicendum est, quod est præceptum observationis, et hoc tenemur implere secundum actum qui præcipitur, sicut : Non fornicaberis. Et hoc cognoscitur, quod ipse actus est volitus a Deo : quia præcipitur in eo propter volitum : et hoc est honestum virtutis. Est etiam præceptum instructionis, et ibi non præcipitur nisi aliquid circa actum, quod volitum est : et hoc est hic : quia circa hoc non voluit nisi occultum nostræ laudis.

Ad aliud dicendum, quod modi verborum sunt variæ inclinationes, animi : et in modo imperativo, vel prohibitivo non importatur voluntas, sicut importatur in modo optativo : sed potius impe-

¹ Joan. i, 9.

rium, vel prohibitio cadit super aliquid circa actum, quod volitum est. Et hæc solutio confirmatur ex Tob. xii, 7, ubi dicitur : *Sacramentum regis abscondere bonum est : opera Dei revelare et confiteri honorificum est.* Unde præmittitur, ibidem, §. 6 : *Benedicite Deum cæli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.*

Attendendum autem est, quod solus Matthæus ponit de istis cæcis : licet enim, infra, xx, 30, dicatur de duobus aliis cæcis, tamen illi non sunt isti. Et de illis quidem dicunt Marcus, x, 46, et Lucas, xviii, 35, sed de istis nullus Evangelistarum dicit nisi Matthæus, et solus dicit de dæmoniaco muto, de quo consequenter subjungit, dicens :

« Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem :

Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, et miratæ sunt turbæ, dicentes : Numquam apparuit sic in Israel. »

Et istud est secundum miraculum, quod in facto nullam habet calumniam.

Et dicuntur hic tria : primo enim ponit continuationem, dicens : « *Egressis autem illis.* »

Secundo autem dicit ea quæ faciebant ad miraculum : et sunt tria : primum ex parte offerentium, cum dicit : « *Ecce obtulerunt ei.* » Et in hoc notatur devotio interpellantium. Et quia impeditus a dæmone, per seipsum accedere non scivit nec potuit, ideo Dominus contentus est fide offerentium, sicut et supra per seipsum accessit ad eos in quibus legio dæmonum habitabat. Secundo, tangit miseriam et patientiam, cum dicit : « *Hominem mutum, dæmonium habentem.* » Et notatur non fuisse mutus ex impotentia loquendi, sed ex impoten-

tia quam dæmon procuravit, qui eum oppressit. Unde iste non est ille, de quo dicitur, Luc. xi, 14 : *Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum.* Tertium est perfectio miraculi, cum dicit : « *Et ejecto dæmonio, locutus est mutus,* » quia dæmon erat causa quare fuit mutus. Et ideo ejecto dæmone, reserata sunt organa loquelæ. Luc. xi, 14 : *Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus.*

Sequitur autem tertium; quod est finis miraculi, qui est ædificatio præsentium : et ibi duo dicuntur : unum, quod est via ad fidem, quia « *miratæ sunt turbæ.* » Alterum autem, quod est laus facientis, cum dicit : « *Numquam apparuit sic in Israel.* » Exod. xv, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine ? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia ?* Psal. lxxvi, 14 et 15 : *Quis Deus magnus sicut Deus noster ? Tu es Deus qui facis mirabilia.*

Et de isto dæmoniaco etiam solus narrat Matthæus, quia de quo dicitur, Luc. xi, 14, non idem est isti, sicut patet per multas differentias.

« Pharisei autem dicebant : In principe dæmoniorum ejicit dæmones. »

Hic ponit calumniam : et quia non potest calumniari factum, calumniantur principium et virtutem, a qua fiunt opera factorum dicentes, quod « *in principe dæmoniorum,* » Beelzebub, « *ejicit dæmonia.* » Idem autem ponitur, Infra, xii, 24, et Luc. xi, 15 : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Sed ibi confutantur per rationem : hic autem obruuntur per factorum evidentiam, quæ non maligni spiritus, sed optimi spiritus ostendunt virtutem. Isa. v, 20 : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.* Eccli. xi, 33 : *Bona in*

mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam.

Accidit autem in Pharisæis spiritualiter, quod in præcedenti capitulo corporaliter accidit : quia dæmones expulsi ab obsessis intrabant in porcos, hic autem expulsi intraverunt spiritualiter in Pharisæos de sua falsa justitia præsumentes, et veram justitiam diabolo attribuentes. Et dum sic excæcantur, Christus instat operibus justitiæ virtutes perficiens et Evangelium prædicans : et ideo in ultima parte confirmationis sermonis quasi epilogando multa comprehendit, dicens :

35 « Et circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem. »

Et tangit verbum, et verbi confirmationem in genere.

Circa verbum dicit duos modos verbi quod proposuit, doctrinæ videlicet, et prædicationis.

Doctrinæ tangit diligentiam, cum dicit : « *Circuibat Jesus omnes civitates,* » ubi erant civitates disponentes ad gratiam per virtutes civiles, « *et castella,* » ubi erant munitiones diaboli, ut poneret in eis præsidia Dei : implens illud Proverb. VI, 3 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum.* Proverb. VIII, 1 : *Sapientia clamat, et prudentia dat vocem suam.*

« *Docens* » rationalia, et naturalia, quæ per rationem accipiuntur, sicut in antehabitis expositum est¹. Et hoc est secundum, quod dicitur circa verbum doctrinæ. Isa. xxx, 20 et 21 : *Non faciet avolare a te ultra doctorem tuum : et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis.*

¹ Cf. expositionem supra datam, v. 23 cap. IV.

Et tertio, captatur (alias, coaptatur) locus publici conventus piorum, ibi, « *In synagogis eorum.* » Non in angulis, vel cubiculis mussitans, sed palam ostendens id quod dicitur, ad Roman. I, 14 : *Sapientibus et insipientibus debitor sum.* Joan. XVIII, 20 : *Ego palam locutus sum mundo, ... et in occulto locutus sum nihil...*

« Et prædicans Evangelium regni. »

Et hic est secundus modus verbi. Prædicantur enim quæ fidei sunt, quæ supra rationem existentia per infusionem in cor hominis descendunt : et prædicatis dabat formam Evangelii boni nuntii, quæ forma est gratia. Ad Ephes. IV, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat : sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Et adhibuit optimum finem : quia prædicavit Evangelium « *regni,* » hoc est, ducens ad æternum regnum. Sapient. VI, 21 : *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.* Sic ergo substantia dicatorum, fuerunt credenda : forma, bona gratia : et finis, regnum perpetuum. I Reg. VII, 16, simile quid dicitur de Samuele : *Ibat per singulos annos circuiens Bethel, et Galgala, et Masphath, et judicabat Israel.* Dabat autem in hoc formam Prælati, ut eadem sollicitudine girantes gregem sibi commissum visitarent. Act. XX, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Et subjungit de confirmatione sermonis, dicens :

« Et curans omnem languorem, »

Magnum, quia languor dicitur *longus angor*, qui est cum substantiæ et virium destitutione : et « *omnem infirmitatem* »

minorem, quæ destituit vires ab operatione. Eccli. xii, 12 : *Languor prolixior gravat medicum : brevem languorem præcidit medicus.* Jerem. xvii, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es.* Luc. xiii, 32 : *Sanitates perficio hodie, et cras, et tertia die consummor.* Act. x, 38 : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos*

a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Nunc autem vicarii Christi sunt sicut arca Domini, et non Dominus : quia quocumque deveniunt, ibi plaga desævit in homines. I Reg. v, 10 : *Exclamaverunt dicentes : Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos et populum nostrum.*

Sic igitur consummata est pars, quæ est de confirmatione sermonis 1.

CAPUT X.

Legatio ac instructio duodecim Apostolorum (quorum hic nomina recensentur) ad evangelizandum Judæis, et dæmoniacos infirmosque curandos, qui adversus mala hic imminetia præmonentur et roborantur : Christus non venit ut mittat pacem, sed gladium, ipseque coram hominibus confitendus est, neque quidquam ejus amori præponendum : honorans autem alios propter Christum, honorat Christum, et ita mercedem recipiet.

1. Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum 2, ut eicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.
2. Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc : Primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus,
3. Jacobus Zebedæi et Joannes frater ejus, Philippus et Bartholomæus, Thomas et Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi et Thaddæus,
4. Simon Cananæus et Judas Iscariotes, qui et tradidit eum.
5. Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis :
6. Sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel 3.
7. Euntes autem prædicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum cælorum.
8. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones eijcite : gratis accepistis, gratis date.
9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris 4 :
10. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, ne-

1 In Vulgata remanent in hoc capitulo tres versiculi 36, 37 et 38, quorum dabit expositionem D. Albertus in principio capitis X, quia in rerum divisione magis ad illud caput sibi

pertinere visi sunt.

2 Marc. iii, 13 ; Luc. vi, 13 et ix, 1

3 Act. xiii, 46.

4 Marc. vi, 8 ; Luc. ix, 3 et x, 4.

- que virgam : dignus enim est operarius cibo suo.
11. In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit : et ibi manete donec exeatis.
12. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui.
13. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam : si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.
14. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.
15. Amen dico vobis : Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gommorrhæorum in die iudicii, quam illi civitati.
16. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum ¹. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.
17. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos.
18. Et ad præsidēs et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus.
19. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini ² :
20. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.
21. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium : et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.
22. Et eritis odio omnibus propter nomen meum : qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.
23. Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.
24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum ³.
25. Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus : et servo, sicut dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus !
26. Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non revelabitur : et occultum, quod non sciatur ⁴.
27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis, prædicate super tecta.
28. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timeate eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam
29. Nonne duo passerēs asse veneunt ? et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro ⁵.
30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.
31. Nolite ergo timere : multis passeribus meliores estis vos.
32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est ⁶.
33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.
34. Nolite arbitrari quia pacem vene-

¹ Luc. x, 3.² Luc. xii, 11.³ Luc. vi, 40 ; Joan. xiii, 16 et xv, 20.⁴ Marc. iv, 22 ; Luc. viii, 17 et xii, 2.⁵ II Reg. xiv, 11 ; Act. xxvii, 35.⁶ Marc. viii, 38 ; Luc. ix, 26 et xii, 8 ; II ad Timoth. ii, 12.

- rim mittere in terram ¹ : non veni pacem mittere, sed gladium.
35. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et numerum adversus socrum suam.
36. Et inimici hominis, domestici ejus ².
37. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus ³.
38. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus ⁴.
39. Qui invenit animam suam, perdet illam : et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam ⁵.
40. Qui recipit vos, me recipit ⁶ : et qui me recipit, recipit eum qui me misit.
41. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.
42. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

IN CAPUT X MATTHÆI

ENARRATIO.

« Videns autem Jesus turbas, misertus est eis, quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem ⁷. »

Postquam produxit Matthæus faciem Christi per venerationem et regenerationem et vocationem regenerantium et generantium, ad faciem hominis (quæ *ratio* vocatur in doctrina rationabili et confirmatione doctrinæ), consequenter attendens, quia facies non est completa sine membris, inducit hic corporis illius ordinationem, cujus faciem ante descripsit : ut omnes ostendat occurrere in unum perfectum hominem, *in mensu-*

ram ætatis plenitudinis Christi ⁸. Et durat hæc pars usque ad vigesimum sextum capitulum, ubi incipit agere de his a quibus omnia Ecclesiastica trahunt virtutem et vigorem, et efficiendi causam, quod efficiunt.

Est autem ordo hujus corporis, cui facies illa imprimitur, duplex : et propter hoc sunt hic duæ partes, quarum una est in ordine Prælatorum : et altera est in communi ordinatione corporis secundum dispositionem, qua Prælati ordinantur ad subditos, et e converso, et secundum quod Prælati ad Prælatos, et subditi ad subditos sub una humana et rationabili facie Christi degentes.

Primo ergo in isto capitulo docet Prælatorum institutionem : et a sequenti capitulo docet totius mystici corporis ordinationem.

De Prælati autem in genere docet tria, scilicet institutionis eorum necessitatem, institutionis eorum sinceritatem, et institutorum secundum officia ordinem.

¹ Luc. xii, 51.

² Mich. vii, 6.

³ Luc. xiv, 26.

⁴ Infra, xvi, 24 ; Marc. viii, 34 ; Luc. xiv, 27.

⁵ Luc. ix, 24 et xvii, 33 ; Joan. xii, 25.

⁶ Luc. x, 16 ; Joan. xiii, 20.

⁷ Vide ultimam notam in fine cap. præcedentis.

⁸ Cf. ad Ephes. iv, 13.

Necessitatem autem ostendens dicit tria sub tribus paragraphis : quorum primum est populi destitutio a regimine bono : secundum,abilitas optima populi ad regendum : tertium est imploratio Dei de promissione regentium.

Circa primum dicit tria : misericordiam Domini bona populi providentis, miseriam populi, et causam miseriam.

36 « Videns autem Jesus turbas, misertus est eis. »

Misericordia consistit in tribus, scilicet in misericordiæ intuitu, cum dicit : « *Videns autem Jesus.* » In multitudine miserandorum, cum dicit : « *Turbas,* » quia Patris est magis moveri ad miseriam multorum quam paucorum. Et tertio, consistit in miserationis affectu, cum dicit : « *Misertus est eis.* » II ad Corinth. i, 3 et 4 : *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Luc. x, 33 et 34 : *Videns eum, misericordia motus est. Et appropians, alligavit vulnera ejus.* Hoc enim fecit Samaritanus custos hominum generi humano.

« Quia erant vexati et jacentes. »

Hoc est secundum, et tangit duplicem miseriam ex defectu Prælatorum, vexationem scilicet, et jacendi in peccatis positionem.

Est autem triplex vexatio : una, quæ est per errores diversos jactatio ex defectu doctrinæ proveniens. Psal. xcii, 5 : *Populum tuum, Domine, humiliaverunt, et hæreditatem tuam vexaverunt.* Thren. v, 5 : *Cervicibus nostris minabamur, lassissimis non dabatur requies.* Dionysius dicit, quod « caput est mens, « et corpus, inferiores vires animæ, et « cervix (quæ continuat caput corpori) « est opinio, et subjecta est errori : » et ideo cervice minatur, qui errore opinio-

num distrahitur. Secunda vexatio est inquieta de peccato in peccatum præcipitatio. Sapient. v, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis.* Osee, iv, 2 : *Mendacium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.* Et hæc provenit ex Prælatorum mala vita. Tertia est ex iniqua oppressionem et spoliationem. Isa. iii, 12 : *Populum meum exactores sui spoliaverunt :* hæc provenit ex iniqua Prælatorum potestate.

« *Jacentes.* » Secunda miseria, quæ positionem corporis quietem et securitatem significat in peccatis : quæ provenit ex Prælatorum torpore. Jerem. ii, 21 : *Jacuerunt in terra foris puer et senex : virgines meæ et juvenes mei ceciderunt in gladio.*

Unde tertio, horum defectuum subjungit causam :

« Sicut oves non habentes pastorem. »

Et per oves simplicitatem (et seducibilem et ad bonum convertibilem) significat subditorum. Per pastores autem officium et affectum et actum significat Prælatorum. III Reg. xxii, 17 : *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem.* Ezechiel. xxxiv, 5 : *Dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor : et factæ in devorationem omnium bestiarum agri.* Defectus autem pastorum dupliciter intelligitur : aut enim nullus est pastor : et hoc modo non loquitur hic Dominus : aut quia non exhibet (alias, adhibet) affectum et officium et actum pastoris : et hoc modo Pontifices habens multos et Sacerdotes, non habuit populus pastores. Jerem. i, 6 : *Grex perditus factus est populus meus : pastores eorum seduxerunt eos.* Ezechiel. xxxiv, 3 : *Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.*

« Tunc dicit discipulis suis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. »

Ecce secundum, ubi tangit aptitudinem populi ad conversionem.

Et dicit duo : populi scilicet aptitudinem, et Doctorum paucitatem.

De primo dicit :

« Messis quidem multa. »

Quos primum dixit *oves*, propter simplicitatem et mansuetudinem, hic dicit *messem*, propter operum bonorum fructificationem. Et dicit, « *messis*, » non semina : quia diu ante promissionibus in Patriarchis, figuris in Patribus, præceptis in lege, doctrinis in Prophetis, satum fuit : sed tempore collectionis in horreum Ecclesiæ et cæli, non fuit nisi revelatæ gratiæ tempore. Joan. iv, 35 : *Videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem*. Unde quod priores Sancti in lacrymis de absentia gratiæ seminaverunt, Apostoli colligentes in gratiam cum gaudio messuerunt. Psal. cxxv, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*. Apocal. xiv, 15 : *Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ*. Joel, iii, 13 : *Mittite falces, quoniam maturavit messis*.

« Operarii autem pauci. »

Operarios vocat, quos prius *pastores* : quia plus attenditur operibus quam verbis. Jerem. iii, 15 : *Dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos scientia et doctrina*. « Scientia autem est habitus bene conversandi, » ut dicit Augustinus. Matth. xx, 8 : *Voca operarios, et redde illis mercedem*. Non dicit : loquentes et concionantes. Ad Roman. xv, 18 : *Non audeo aliquid loqui eorum quæ*

per me non efficit Christus. Doctor enim verbis propriis se ostendit ad opera obligatum. Proverb. vi, 2 : *Illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus*. Tales igitur Doctores operarii sunt pauci. Matth. xx, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Quia sicut dicitur, Joan. vi, 71 : *Ex vobis unus, de duodecim scilicet, diabolus est*.

« Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. »

38

Ecce tertium. Et dicit duo : quorum unum est instructionis, ut in positione Prælatorum rogetur ut det quem scit expedientem. Act. i, 24 : *Orantes dixerunt : Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum*.

Secundum autem est missio, non concionantium, sed operiarorum, « *in messem suam*, » quoniam et semen suum est, et fundus. Joan. iv, 38 : *Ego misi vos metere quod non laborastis*.

Et attende quod dicit, « *ut mittat* : » et non patiat quod seipsos intrudent. Ad Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Quod enim aliquis seipsum ingerat, non potest fieri, sed tempore necessitatis vocanti se potest præsentare. Isa. vi, 8, Domino dicente : *Quem mittam ? et quis ibit vobis ?* dixit Isaias : *Ecce ego, mitte me*. Econtra autem Moyses, Jeremias et Ezechiel quantum potuerunt apud Deum (qui tamen vocans non errare potest) se excusaverunt : multo ergo magis apud hominem talis excusanda est missio.

« Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem. »

1

- 2 Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc : Primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus,
- 3 Jacobus Zebedæi et Joannes frater ejus, Philippus et Bartholomæus, Thomas et Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi et Thaddæus, Simon Cananæus, et Judas Iscariotes, qui et tradidit eum. »

Hic incipit secunda pars, ubi ponitur institutio Prælatorum.

Et dicuntur duo, scilicet potestatis collatio, et Prælatorum nominatio.

De primo dicit duo : convocationem, et potestatis collationem.

De convocatione dicit :

« Et convocatis. »

Non dicit, vocatis : quoniam ante vocati sunt : nec dicit, electis : quia ante Apostolatam electi, sicut dicitur, Luc. vi, 13 : sed, « convocatis, » ut hi qui electi sunt in unum concordie prædicandorum, tenderent et in unum concordie charitatis. I ad Corinth, i, 10 : *Obsecro vos, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Psal. lrv, 15 : *In domo Dei ambulavimus cum consensu.* Joan. xiv, 33 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

« Duodecim discipulis, »

Tamquam capitibus, a quibus unguentum in alios descendere debuit. Sunt autem duodecim aperte : quia duodenarius non habet partes nisi unum, duo, tres, quatuor, sex. Unum vero competit doctrine unitati : duo autem competit præceptis gemine dilectionis, quæ est forma vitæ : tres autem Trinitati personarum, quæ sunt subjecta (alias substantia) in prædicanda fide : quatuor virtuti in ordinanda omni passione : sex autem perfectioni in opere. Significatur ergo in

duodecim filiis Jacob, Genes. xxxv, 22, quoad auctoritatem : in duodecim fontibus in Elim repertis, Exod. xv, 27, quoad doctrine fusionem : in duodecim lapidibus vestis sacerdotalis, Exod. xxviii, 17 et seq., quoad exempli fulgorem : in duodecim panibus propositionis, Levit. xxiv, 5, quoad gratie virtutis refectionem : in duodecim lapidibus positus in ripa Jordanis, Josue, iv, 8, 9, quoad constantie stabilitatem : in duodecim bobus, III Reg. vii, 24, quoad maturitatem : in duodecim stellis in corona sponsæ, Apocal. xii, 1, quoad cælestium contemplationem et lucem. Et ideo etiam murus civitatis Ecclesiasticæ habet duodecim fundamenta, et duodecim portas, et Apostolorum nomina et Agni inscripta, Apocal. xxi, 12, et seq. Fundatur enim in ipsa Ecclesia, quoad veritatis fidei immobilitatem : et est per eos introitus ad regnum Dei, quoad usus clavium collationem. Matth. xvi, 18 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et, Ibidem, x. 19 : *Et tibi dabo claves regni cælorum.*

« Dedit illis. »

Ecce secundum de collata potestate : est autem data super contrariam potestatem. Et quoad hoc dicit : « *Potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos,* » quia illi incurabiles sunt : et data est eis ad curam corrigibilis defectus, qui impedit promotionem ad bonum. Et quoad hoc dicit : « *Et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.* » Et dicitur *languor* longus *angor* : et hic non potest esse graviter affligens. Et plerumque causatur ex humore frigidus. Infirmitas autem secundum suum nomen destituit virtutem, et hoc fit cum consumptione substantiæ : et ideo est acerbius affligens, sicut inquit hic Glossa. *Languor* ergo est defectus consuetudinis : et *infirmitas* inflammatio concupiscentiæ carnalis. De primo, Isa. i, 16 et 17 : *Quiescite*

agere perverse, discite benefacere. De secundo, Osee, vii, 4 : Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente.

« Duodecim autem Apostolorum nomina ¹, »

Deo nota, in cœlis conscripta, »

« Sunt hæc. »

Ad Hebr. xii, 22 et 23 : *Accessistis ad... Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis.*

« Primus, »

Dignitate, non vocatione : propter quod *vertex* dicitur *Apostolorum*. « *Simon*, » proprio nomine, « *qui dicitur* » a Christo « *Petrus*. » Joan. i, 42 : *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.*

« Et Andreas. »

Non secundus : et sic deinceps, quia omnes subditi Petro sunt æquales. « *Fra-*

ter ejus, » non tam carne quam spiritu. In hoc autem notatur fraternum et mutue societatis emolumentum. Proverb. xviii, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Luc. v, 7 : *Annuerunt sociis qui erant in alia navi ut venirent, et adjuvarent eos.* Luc. x, 1 : *Misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus.*

Et attende, quod licet Petrus *vertex* dicatur primus, non tamen dicitur Andreas secundus, nec Philippus tertius, et sic deinceps : sed omnes secundi sunt Petro ad jurisdictionem : quia non unus sub alio, sed omnes sub Petro.

« Philippus ², »

Concivis Petri et Andreæ, Joan. i, 44 : *Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreæ et Petri.* Hunc autem Philippum Lucas, vi, 14, quintum ponit post duos introductos, et post Jacobum et Joannem : forte conjungens quatuor ratione consanguinitatis et familiaritatis : Matthæus autem respicit ad modum vocationis, quia post Andream et Petrum

¹ Quo melius intelligatur pars ista de Apostolorum vocatione in expositione D. Alberti quorundam ordinem mutantis, damus infra ex Vulgata editione synopsis evangelicam :

Matth. x, 2-4.

2 Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc : Primus, Simon qui dicitur Petrus et Andreas frater ejus, 3 Jacobus Zebedæi et Joannes frater ejus, Philippus et Bartholomæus, Thomas et Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi et Thaddæus, 4 Simon Cananæus et Judas Iscariotes, qui et tradidit eum.

Marc. iii, 13-19.

13 Et ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse : et venerunt ad eum. 14 Et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare. 15 Et dedit illis potestatem curandi infirmitates et ejiciendi dæmonia. 16 Et imposuit Simoni nomen Petrus : 17 Et Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi, et imposuit eis nomina. Boanerges, est, Filii tonitruum : 18 et Andream, et Philippum, et Bartholomæum, et Matthæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi, et Thaddæum, et Simonem Cananæum, 19 et Judam Iscariotem, qui et tradidit illum.

Luc. vi, 12-16.

12 Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. 13 Et quum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit. Simonem, quem cognominavit Petrum et Andream fratrem ejus, Jacobum et Joannem, Philippum et Bartholomæum, 15 Matthæum et Thomam, Jacobum Alphæi et Simonem qui vocatur Zelotes, 16 et Judam Jacobi, et Judam Iscariotem, qui fuit proditor.

² In tribus Evangelii secundum Vulgatum Jacobus Zebedæi et Joannes frater ejus sunt ante Philippum. Forte D. Albertus aliud Evangelium in quo mutaretur hic ordo ad manum habuit.

fuit vocatus. Joan. 1, 43 : *In crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum. Dicit ei Jesus : Sequere me.*

« Et Bartholomæus. »

Hunc sexto loco ponit Lucas. Marcus autem secundum et tertium post Petrum ordinat Jacobum et Joannem, sed ipse simul ponit eos quibus Christus nomina mutavit. Unde dicit, quod Jacobum et Joannem vocavit *Boanerges*, hoc est, filios tonitru, propter sonum prædicationis, et miraculorum coruscationem. Et quarto loco Marcus ponit Andream : et illi ratione concivilitatis et vocationis jungit Philippum : et subjungit huic Bartholomæum, sicut hic. Sed Matthæus ne videretur in ordine Apostolorum affectus carnalis attendi, inter consobrinus interponit Philippum : et ne videatur attendi amicitia mundana, quæ collectaneorum est et connutritorum, interponit etiam Bartholomæum.

« Jacobus Zebedæi, »

Supple, filius,

« Et Joannes frater ejus ¹. »

Hi fuerunt consobrini Domini.

Unde ne iterum putetur consanguinitas attendi, interponit duos, sic :

« Thomas, et Matthæus publicanus. »

Sed tam Marcus quam Lucas præponunt Matthæum Thomæ : Matthæus autem se postponit propter humilitatem, propter quam etiam se publicanum vocavit. Et notetur in eo quanta sit vis gratiæ, sicut ostenditur in prologo istius libri.

In cæteris autem ordo idem est apud tres concorditer Evangelistas :

« Jacobus Alphæi, »

Supple, filius : et iste Jacobus minor, qui propter similitudinem vultus cum Domino, et imitationem religionis, et episcopatus in Jerusalem successionem, frater Domini vocatus est. Ad Galat. 1, 19 : *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.*

« Et Thaddæus, »

Qui *Judas Jacobi* in Luca vocatur : quia Jacobi minoris fuit frater, qui ex primogenitura et dignitate episcopali præfuit ut pater : et ideo ab eo denominatur sicut a patre.

« Simon Cananæus, »

Hoc est, a Cana Galilææ natus, qui in Luca *Zelotes* dicitur : quia Cana *zelus* interpretatur. Et hi tres fratres fuerunt filii Mariæ, sororis beatæ Virginis, ex Alphæo, sicut Jacobus major et Joannes fuerunt filii Mariæ, sororis beatæ Virginis secundæ, quæ et Salome vocatur a patre suo. Unde versus :

Anna tribus Joachim, Cleopha, Salomeque
 [Marias
 Tres parit : has ducunt Joseph, Alphæus, Ze-
 [bedæus.
 Christum prima, Joseph, Jacobum cum Simone,
 [Judam
 Altera, quæ sequitur Jacobum parit atque
 [Joannem.

Anna enim ex tribus viris peperit tres Marias : ex Joachim, matrem Domini : ex Alphæo matrem Joseph qui cognominatus est *justus*, qui cum Mathia positus est sorte eligendus ², et Jacobum minorem, et Simonem, et Judam Jacobi, sive Thaddæum : ex Salome autem peperit Mariam, matrem Jacobi majoris et Joannis. Harum trium Mariarum sponsi tres fuerunt : Joseph, Matris Domini, Al-

¹ Vide supra notam et synopsis evangelicam.

² Cf. Act. 1, 23.

phæus quatuor fratrum pater, sponsus secundæ, et Zebedæus pater duorum fratrum, maritus tertię.

« Et Judas Iscariotes, »

A vico, unde natus erat, « *qui et tradidit eum* : » ut notetur quod locus altus non fructificat, sed fides et charitas et devotio in Deum. Joan. vi, 71 : *Nonne ego vos duodecim elegi ? et ex vobis unus diabolus est.*

« Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens :

Hic tangitur institutorum ordo secundum officia.

Et tangit duo : ordinis rationem, et officii actum.

Ratio autem determinatur secundum duo, secundum auctoritatem, et secundum executionis necessitatem.

Auctoritas tangitur, cum dicitur : « *Hos duodecim misit Jesus,* » quoniam auctoritas est ex missione. Ad Roman. x, 15 : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur ?* Marc. iii, 14 : *Fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare.* Luc. x, 1 : *Misit illos binos ante faciem suam.*

Deinde tangit executionis necessitatem, dicens : « *Præcipiens eis, dicens.* » Et ex hoc accipitur, quod necessitas doctrinæ incumbit subditis. Sicut semper incumbit, quod Prælati peccat mortaliter, si non prædicat : ergo per consequens mortaliter peccat, si non acquisivit scientiam. II ad Timoth. iv, 1 : *Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus, prædica verbum, insta opportune, importuue.* Ex his ulterius accipitur, quod prædicare debent per seipsos, et si necesse est, dispensare judicia et temporalia ad usus pauperum per alios. Act. vi, 2 et seq. : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et*

ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.

« In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis : sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel. »

Ecce ordo : et habet duas partes. Primo enim ponitur ordo doctrinæ, et secundo, ordo vitæ.

Ordo doctrinæ determinatur secundum quatuor : dicitur enim cui prædicandum, et quid prædicandum, quomodo prædicandum confirmandum, et qua prædicandum intentione et modo.

In primo autem tangitur primo cui non prædicandum, et postea cui prædicandum.

Duo autem genera hominum sunt quibus non est prædicandum, Gentes scilicet, et Samaritani.

De Gentibus ergo dicit :

« In viam Gentium, »

Hoc est, in viam, quæ ducit ad Gentes, « *ne abieritis.* » Ire enim ad Gentes, erat abire illo tempore, Act. x, 28 : *Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam.* Unde ista particulari et prima missione prohibuit Christus, ne irent ad Gentes : post resurrectionem autem misit prædicare omnibus Gentibus. Matth. xxviii, 19 : *Euntes ergo docete omnes Gentes.* Et, Marc. xvi, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Modo autem ante resurrectionem non misit nisi ad gentem suam, hoc est, ad Judæos, et hoc tribus de causis. Prima est, quia promissio facta est Judæis, et inter illos primum oportuit testificari

gratiæ promissæ exhibitionem. Act. xiii, 32: *Nos vobis annuntiamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est.* Secunda causa est, quia salus ex Judæis est, et ex illis in totum mundum erat derivanda. Joan. iv, 22: *Salus ex Judæis est.* Isa. xxvii, 6: *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.* Tertia causa est, ne rationabilem causam habere videantur Judæi, quod non recipiunt verbum Dei, si prius irent ad Gentes. Act. xiii, 46 et 47: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus.* Isa. xlix, 6: *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fœces Israel convertendas: ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Gentes autem cum nec legem recipiant, nec Prophetas, in toto immundæ sunt: unde significantur per canes, Supra, vii, 6: *Nolite dare sanctum canibus.* Matth. xv, 26: *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus, scilicet ad manducandum.*

« Et in civitates Samaritanorum ne intraveritis. »

Quia si (alias, qui) receperunt legem, et non Prophetas, significantur per porcos¹. Porcus enim partim est mundum animal, quia unguam dividit: partim immundum, quia non ruminat.

Sed tunc quæritur, quære non dicit: In viam Samaritanorum ne abieritis? Et dicendum, quod hoc caveri non poterat: quia inter Judæos commistim habitabant, et sæpe eos communis via duxit ad Samaritanos et ad Judæos: sed suffecit quod non intrarent in civitates, ut habitarent cum eis. Joan. iv, 9: *Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.*

Sed contra, Joan. iv, 40, Christus in-

travit in civitatem Samaritanorum, et prædicavit ibi, et mansit cum eis. Ad hoc dicendum, quod hoc fecit in transitu et parum, non quasi veniret ex intentione.

« Sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel. »

Hoc est secundum: et determinat, cui sit in prima missione prædicandum. Et vocat Judæos « oves, » propter simplicitatem et utilitatem et mansuetudinem patrum: et hoc est, quod sequitur: « *Domus Israel,* » hoc est, familiæ Israel. Decebat enim lucernam esse super candelabrum, hoc est, Evangelium super legem. Et decebat esse columnam, cui domus Ecclesiæ innititur super basim legis. Et tandem oportuit, ut ibi testimonium acciperet veritas, ubi testes ejus cognoscebantur, et ubi testimonium illud intelligebatur. Et hoc ordine dicitur, Act. i, 8: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Matth. xv, 24: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* I Petr. ii, 25: *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem et Episcopum animarum vestrarum.*

« Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum.

Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones ejicite.»

Hic tangitur quid est prædicandum, dicens: « *Euntes,* etc. »

Dicit autem hic quatuor: diligentiam, cum dicit:

« Euntes. »

Marc. xvi, 15: *Euntes in mundum*

¹ Cf. Matth. viii, 30 et seq. cum explanatione

D. Alberti.

universum, prædicate Evangelium. Psal. cxxv, 6 : *Euntes ibant et flebant.*

Secundo, modum docendi, cum dicit :

« Prædicate. »

Prædicantur enim ea quæ super nos sunt, sicut dicit Chrysostomus. I ad Corinth. II, 9 : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.*

Tertio, quid prædicandum :

« Quia appropinquavit. »

Quoniam cum regnum sit justitia, et legum distributio, hoc continue appropinquat, quando justitia exercetur. Matth. III, 2 : *Appropinquavit enim regnum cælorum.* Isa. XIV, 1 : *Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.* Ad Hebr. X, 37 : *Adhuc modicum aliquantulum, et qui venturus est, veniet, et non tardabit.*

Quarto, tangit quid appropinquat : quoniam

« Regnum cælorum. »

In quo differt Evangelium secundum finem a lege Moysi, quæ non promittebat nisi terrena. Deuter. XXXIII, 28 : *Habitabit Israel confidenter et solus. Oculus Jacob in terra frumenti et vini.* Sed Evangelium promittit cælestia. Sapient. X, 10 : *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.* I ad Corinth. XV, 48 : *Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cælestis, tales et cælestes.* Joan. III, 31 : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de cælo venit, super omnes est.*

« Infirmos curate, etc. »

Ecce qualiter res prædicata confirmanda.

Et attende, quod omne quod impedit

ad bonum, aut est impediens secundum retractionem a bono, aut secundum privationem boni.

Adhuc, aut impediens intra, aut extra distinctum a nobis.

Adhuc, aut est secundum corruptionem humoris, aut vasis, quod corruptum corrumpit id quod est intra ipsum, et propagat corruptionem ad membra. Et primo quidem est cura infirmorum : secundo, suscitatio mortuorum : et hæc a principio nobis intraneo. Sed a principio extraneo est ejectio demonum, quod est tertium : quartum autem est mundatio leprosum.

Infirmas autem est ex multitudine venialium et impedimento sæcularium curarum. II Paralip., in oratione Manassæ, versus medium : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, et non est respiratio mihi.* Mors autem est per peccatum mortale, vel desperationem. Isa. XXVI, 19 : *Vivent mortui tui, Domine, interfecti mei resurgent.* Ejectio dæmonis est per liberationem tentationis. Tob. XII, 3 : *Dæmonium ab ea ipse conpescuit.* Leprosus morpheis et maculis plenus, hæresis est, quæ corrumpit verbi pabulum ex corruptione mali vasis, hoc est, cordis. Joan. XX, 27 : *Noli esse incredulus, sed fidelis.*

« Gratis accepistis, gratis date. »

Hoc est quartum de modo proponendi verbum. Et intelligitur tripliciter : gratis communicando, grate proponendo, et in sermone gratioso. Primum est liberalitatis, secundum charitatis, tertium discretionis.

De primo, Isa. LV, 1 : *Absque ulla commutatione bibite vinum et lac.* Act. VIII, 20 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri !*

De secundo, ad Galat. VI, 1 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis : considerans te ipsum, ne et tu tenteris.*

De tertio, ad Coloss. iv, 6 : *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.* Ad Ephes. iv, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat : sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.*

Sic ergo, « *gratis date,* » quia in spiritu furoris sermo propositus non auditur. III Regum, xix, 11 et 12 : *Spiritus grandis et fortis... conterens petras ante Dominum : non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio, supple turbationis, non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis : non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis, supple, ibi, Dominus, quia sibilus ille dulcedinem significat lenitatis.*

9 « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.

10 Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam : dignus est enim operarius cibo suo. »

Ordinata doctrina hic ordinat vitam.

Et est duplex ordo, secundum virtutem videlicet, et secundum auctoritatem apostolicam. Secundum est, ibi, y. 40 : « *Qui recipit vos, me recipit.* »

In ordine, autem qui est secundum virtutem, duo facit : tangit enim primo qualiter se habeant ad concupiscibilia mundi : et secundo, qualiter se habeant ad ejusdem mundi periculorum adversa, ibi, y. 16 : « *Ecce ego mitto vos.* »

Adhuc, ad mundi concupiscibilia dupliciter ordinat, scilicet secundum superflui abdicationem, et secundum usus necessitatem, ibi, y. 11 : « *In quamcumque autem civitatem.* »

In primo autem horum dicit duo : primo enim indicit abdicationem hujus mundi concupiscibilium, et secundo, ne desperent, infirmitatis concedit solatium,

ibi, in fine y. 10 : *Dignus est enim operarius, etc.*

In primo autem horum inducit quinque, quæ sic accipiuntur. Cura ultra præsens necessarium extensa, aut est ad provisionem temporalis boni, aut ad defensionem violenti mali. Si autem est ad provisionem boni, aut hoc est boni, quod generaliter pro bonis omnibus est commutabile : aut boni, quod providetur in usum vitæ : et generale quidem commutabile in omne quod concupiscitur, est aurum, et argentum, et pecunia in zonis. Et hoc distinguitur : quia aut est commutabile in potentia, vel in actu. In potentia quidem est aurum et argentum, in actu autem pecunia : et ideo ligatur in zonis, ut ad manum semper parata habeatur : aurum autem est id quod ad magnas est commutationes, et argentum ad communes.

Si autem est provisum in usum vitæ, aut est de ordinatis ad victum, et hoc significatur in pera : aut de ordinatis ad vestitum : et hoc est dupliciter : aut est secundum usum corporis, et hoc est duæ tunicæ : aut est secundum usum membri spiritualiter fatigati in itinere, et hoc est calceamentum : sed ad defensionem violenti mali est virga.

Nec credendum est, quod Dominus curam necessitatis prohibeat, quia, Joan. iv, 31, secum pecunia in zona deferebatur : quia ibi discipuli abierant in civitatem, ut cibos emerent. Et, Joan. xiii, 29, dicitur, quod Judas ea quæ emebantur, portavit, et loculos habuit. Et, Luc. viii, 2, et xxii, 27, quod mulieres ascenderunt a Galilæa, et de facultatibus suis Domino ministrabant. Sed potius, sicut dicit Chrysostomus, « cum « primos prædicatores mitteret, propter « instantiam prædicationis non poterant « cogitare de futuris abundantibus, nisi re- « traherentur ab instantia prædicationis : « et cum in primis oportuerit instantis- « sime prædicare, et non retrahi, ideo « futurorum interdixit illis sollicitudi- « nem. » Cum autem instantia talis postea

orbe converso necessaria non fuerit, ad talia non obligantur.

Adhuc, sicut dicitur, Marc. III, 14 et seq., istos duodecim non adhuc in totum orbem misit, sed secum esse voluit, ut eos mitteret ad Judæos, quibus dictum fuit quod peregrinos reciperent: et ideo in tali commissione minor fuit cura habenda futuræ copiæ. Postea autem, cum ad Gentes legem non habentes miserat, illud relaxavit. Luc. XXII, 35 et 36: *Quando misi vos sine sacculo, et sine calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram: et qui non habet, vendat tunicam, et emat gladium.* Sic ergo intelligitur, quod hic inducitur.

Dicit ergo:

« Nolite possidere. »

Jurisperiti dicunt, quod « possessio dicitur quasi pedum positio. » Hermes autem Trismegistus dicit, quod « possessio dicitur quod post sedet, hoc est, in quo post, non simul, nec ante sedetur. » Et hoc est solatium infirmitati datum: quia id quod sumus, divinum est et imago Dei: quod humanum est, infirmum est: et hoc infirmum, ut sustentetur, sedet in bonis fortunæ: eo quod et ipsum fortunæ subjacet et casui: quod non facit divinum, quod est in nobis. Et ideo possidere dicit quietem in eo quod possidetur secundum Trismegistum, et immobilitatem secundum Jurisconsultum. Et hoc modo Doctoribus religionis christianæ interdicitur possidere aurum, et permittitur, vel conceditur habere ad usum. Tob. XII, 8: *Bona est oratio cum jejuniis, et elemosyna magis quam thesauros auri recondere.*

« Aurum neque argentum. »

Act. III, 6: *Argentum et aurum non*

est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. Act. XX, 33: *Argentum, et aurum nullius concupivi.* Ad Philip. IV, 17: *Non quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.* Isa. III, 17 et 18: *Ecce suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient. Medi adæquantur, et mensurantes interpretantur: et significant Apostolos, qui ad justitiæ æqualitatem, et sapientiæ mensuram orbem redegerunt: nihil nisi salutem animarum quærentes.* Sed acutis sagittis auctoritatem ab arcu Scripturæ excussis, parvulos qui ad Christum veniunt, interficiunt, ut jam non sibi vivant, sed Christo ¹.

« Neque pecuniam in zonis vestris. »

Hoc est multum contra dogma eorum qui in Prædicatoribus mendicitatem expugnant et condemnant. Unde Hieronymus: « Quia divitias detruncaverat prope modum, vitæ necessitatem amputat, ut « Apostoli veræ religionis doctores omnino Dei providentia gubernati ostenderent se nihil de crastino cogitare. » Eccli. X, 9 et 10: *Avaro nihil est scelestius... Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam venalem suam habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.*

« Non peram in via. »

Pera hic sumitur pro instrumentis in quibus esculentum, vel poculentum in futurum præparatum deportatur. Unde, Josue, IX, 3 et seq., Gabaonitæ, qui in peris et utribus esculentum et poculentum portaverunt, deceperunt filios Israel. Gabaonitæ *proclives iniquitate* interpretantur: et significant eos qui ventri dediti, de officio prædicationis quærent implere peras voluptatis, et utres vino, in quo est luxuria. Ad Roman. XVI, 18:

¹ Cf. II ad Corinth. V, 15.

Hujuscemodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: et per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentium. Ad Philip. III, 19: *Quorum Deus venter est: et gloria in confusione ipsorum.* Peras enim tales non portant, nisi quibus apposita non sufficiunt: sed delicatiora procurant, quod non erat illis necessarium, qui tantum secum habuerunt procuratorem: et tempore pacis mittebantur, et inter eos quibus præceptum fuit, ut peregrinos vocarent, et partes mitterent eis qui non præparaverunt sibi ¹.

« Neque duas tunicas, »

Hoc est, superfluas. Duæ enim tunicæ dicuntur, aut duæ in numero, aut duæ in usu utentis: et secundo modo sunt superfluæ: quia, sicut dicit Hieronymus, « in locis Scythiæ glaciali frigore rigentibus una sufficit tunica. » I ad Timoth. VI, 8: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Jacob. V, 1 et seq: *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseris vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium erit vobis, et manducabit carnes vestras.*

« Neque calceamenta. »

Pluraliter dicit, quia calceamentum est necessarium: quod intelligitur habuisse Dominus, Joan. I, 27, cum dixit Joannes: *Cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Marci, VI, 9: *Calceati pedes sandaliis.* Act. XII, 8: *Calcea te caligas tuas.* Caliga enim est dicta a calx et ligare, sicut et calceus a calce dicitur. Et si dicas, quod sandalia sunt soleæ alligatæ, verum est: tamen in extremitate illæ soleæ habebant

coria defendentia, ne lapilli arenarum infra pedem et soleas inciderent: et hoc factum fuit ad commodum, quia terra calida est, et arenosa Palæstina: et quia arenosa est, dantur soleæ: et quia calida est, et pes ex motu amplius calescit, ut refrigeratio custodiat pedis virtutem, permittuntur superius esse apertæ. Exod. XII, 11: *Calceamenta habebitis in pedibus.* Ad Ephes. VI 15: *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Cantic. VII, 1: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Fuerunt autem quidam hæretici, ut dicit Augustinus in libro de *Hæresibus*, qui vocantur *discalceati*: qui propter istud verbum dixerunt non utendum esse calceamentis, inducentes hoc quod dicitur, Exod. III, 5, et Josue, V, 16: *Ne appropies huc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est.* Et dixerunt, quod non potest quis ad Deum accedere calceatus, errantes, Scripturas non intelligentes, quia hoc dictum est ideo quod morticina pelliculis non sit in affectu.

« Neque virgam. »

Contrarium videtur, Marc. II, 8, ubi dicitur, quod præcepit eis, ne quid in via tollerent, nisi tantum virgam. Unde, Exod. IV, 17: *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.*

RESPONSIO Augustini est, quod est virga directionis, quæ est in Prælato, de qua dicit, Psal. XLIV, 7: *Virga directionis virga regni tui:* et in hac virga potestas est sumendi ad sustentationem corporis: et hanc dicit Marcus tollendam. Est etiam virga impugnationis et defensionis mundani (alias, humani) auxilii: et hæc non est tollenda: sed præsidio Domini committat se, qui debet studere conversioni populi. Quia sic-

¹ Cf. Nehem. seu II Esderæ, VIII, 10: *Ite, comedite pinguis, et bibite mulsum, et mittite par-*

tes his qui non præparaverunt sibi.

ut dicit Chrysostomus, « qui prædicat « infidelibus, studet ut auferat ritus « malos : et ex hoc indignantur homines, « et commoventur et mala inferunt. Et « si se Prædicator ab his defendit, aver- « tit a se populum, et non convertit « eum. » Et ideo Martyres patientia et morte vicerunt. Unde Gedeon castra Ma- dian evertit complosis lagunculis et sonantibus tubis et micantibus lapidibus, clamantibus viris ejus : *Gladius Domini et Gedeonis* ¹. Complodere autem lagunculas est castigando confringere corpora et in servitutem redigere, et micare lam- padibus est miracula optimorum exem- plorum adhibere : tuba sonare est verba prædicationis clare proponere : et sic vincit gladius verbi Domini, et Prædicatoris. Ad Roman. xii, 19 : *Non vosmet- ipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ.* Hoc ergo modo præsidium mundanum non quærere, est baculum in via non tollere. Isa. xxxvi, 6 : *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum : cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam : sic Pharaos, rex Ægypti, omnibus qui confidunt in eo.* Jerem. xvii, 5 : *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.*

Sed contra hoc videtur esse, quod dicitur, Luc. xxii, 38 : *Ecce duo gladii hic : et dixit Dominus : Satis est.*

Sed ad hoc dicendum, quod sunt arma defensionis, non impugnationis contra eos qui nituntur subvertere fidem in plebe postquam ad statum fidei devenit. Et ad hoc habet duos gladios Christi vicarius : unum quo ferit, qui est spiritualis potestatis : et alterum, quo licet non feriat, tamen ad imperium ejus exerendus est, ut feriat : et hunc habet Ecclesiæ advocatus, vel officiatu. Sed his non potest uti qui infideles studet convertere, sicut ostensum est.

¹ Cf. Judicum, vii, 19 et seq.

« Dignus est enim operarius cibo suo. »

Ne omnino dura videantur et intole- rabilia quæ dicta sunt, ideo mitigat hic ostendens necessaria tali operario esse di- gna. Hic enim operarius esse dicitur du- plici ratione : una quarum est, quia hoc quod dicit verbo, opere demonstrat : se- cunda est, quia in conversione animarum Deo cooperatur, quod dignissimum est genus operum. Primo modo *cæpit Jesus facere, et docere* ². Secundo modo ope- ratus est salutem in medio terræ. Job, xxxvi, 3 : *Operatorem meum probabo justum.* Proverb. xiii, 4 : *Anima ope- rantium impinguabitur.* Hic igitur est dignus cibo, non voluptatis, sed neces- sariæ sustentationis. Deuter. xxv, 4 : *Non ligabis os bovis terentis.* I ad Co- rinth. ix, 14 : *Ordinavit iis Dominus qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Ad Galat. vi, 6 : *Communicet au- tem is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat in omnibus bonis.* I ad Co- rinth. ix, 11 : *Si nos vobis spiritualia se- minavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus ?* I ad Timoth. v, 18 : *Qui bene præsumt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* II ad Titum, ii, 6 : *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.*

« In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interro- gate quis in ea dignus sit : et ibi ma- nete donec exeatis. »

Hic determinat usus vitæ necessita- tem. Et quia hæc tota est in recipientium hospitalitate, ideo duas habet partes. Prima est de receptione, et recipientibus : et secunda, de non recipientibus, ibi, v. 14 : « *Et quicumque non receperit vos.* »

² Act. i, 1.

In prima harum sunt tria : primum est de honestate hospitis : secundum, ut dicit Hieronymus, de jure immobilis hospitii : tertium, de benedictione hospitii, quam meretur hospitalitas suscipientis, et largitur sanctitas ejus qui recipitur. Primum est secundum decentiam virtutis Prædicatoris : secundum est secundum stabilitatem jam fixæ in æternitate mentis : tertium est de copia exuberantis sanctitatis.

Dicit ergo :

« In quaecumque civitatem, »

Ubi civilitas est, studium, et urbanitas exercetur : « *aut castellum,* » ubi est præsidium terræ civitatem sustentantis. Et in hoc innuit, quod et sapientibus et insipientibus sunt debitores : et multis, et paucis esse prædicandum, et hominibus esse ingerendum. Unde dicit : « *Intra-veritis.* » Unde, Ezechiel. II, 3 : *Fili hominis, mitto te ad filios Israel.* ¹ Cantic. VII, 11 : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

« Interrogate, »

A convicinis, vel concivibus noscentibus honestos, ne turpitudine recipientis verbum prædicationis maculetur : « *Quis in ea dignus sit.* » Hieronymus : « Dignus est, qui plus se reputat accipere quam dare, cum suscipit : » et hoc dictum est secundum largitatis proprietatem, de qua dicit Philosophus, quod « largi et magnifici est vel facere beneficium, et non contrapati, eo quod sibi reputat nihil melius posse fieri quam beneficium facere. » I ad Timoth. III, 7 : *Oportet illum testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.* III Joan. x̄v. 5 et 6 : *Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ*

in conspectu ecclesiæ : quos, benefaciens, deduces digne Deo.

Sed contra : quia ipse, supra, IX, 40, intravit ad publicanum. Et, Luc. XIX, 6, ad Zachæum. Infra, XI, 19 : *Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus.* Supra, IX, 12 : *Non est opus valentibus medicus.* Cum ergo medici sint, nuntii sui ad ægrotos peccatores interrogare debent. Josue, II, 4, exploratores excepti sunt in domo meretricis.

Sed ad hoc dicendum, quod in prima hospitalitate honestum quærendum est hospitium : sed cum innotescit Prædicator, ad hoc est studendum, ut de inhonesto honestum faciat, sicut fecit Dominus et exploratores, et tunc in illo possunt manere : sed in quo turpia fiunt commercia, non decet hospitari Sanctos.

« Et ibi manete donec exeatis. »

Ecce prohibitio curiositatis discurrendi per domos. Eccli. XXIX, 31 : *Vita nequam hospitandi de domo in domum : et ubi hospitabitur, non fiducialiter aget.*

Sed ponamus, quod non recipiat, aut diu tenere non velit. Et dicendum, quod si dignus est, omnia recipit, præcipue cum non quærat nisi cibus. Ad Hebr. XIII, 2 : *Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.* Et hoc est dictum Chrysostomi.

Posset etiam dici, quod in ratione digni hospitis tria. includuntur : honestas vitæ, cujus pars est largitas hospitalitatis : et facultas copiæ, unde suscipere possit : et benignitas exhibitionis, quod non amaro vultu recipiat. Si tamen aliquis exeat de hospitio in hospitium, non causa levitatis, vel voluptatis, non facit contra Evangelium : quia cum pluribus hospitans plures lucratur Domino. Unde filii Job dies convivii circulariter duxerunt in orbem : et sanctificavit tunc eos

¹ Genes. XXXVII, 13, dicit Jacob ad Joseph :

Veni, mittam te ad eos.

Job; ferens holocaustum hospitalitatis pro singulis.¹

« Intrantes autem in domum, salute eam, dicentes : Pax huic domui.

Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam : si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. »

Ecce tertium de collatione benedictionis spiritualis ab hospite suscepto.

Et dicit tria : pacis scilicet eulogium a suscepto exhibendum, pacis quietem super dignum, pacis cum fructu redditum ad hospitem ab eo qui est indignus.

Dicit igitur : « *Intrantes autem in domum* » ad hospitandum, « *salutate eam,* » hoc est familiam, « *dicentes : Pax huic domui.* » Ad Roman. XII, 18 : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Isa. LII, 7 : *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem.* Supra, v, 9 : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Sic ergo salutantes conferunt plus quam accipiunt. Psal. LXXV, 3 : *Factus est in pace locus ejus.* Et est ista salutatio secundum consuetudinem hebraici et syri nominis, in quo dicitur Salemilach, hoc est, Pax tibi : latine autem est ac si dicatur : Ave, vel Salve.

« Et siquidem fuerit domus illa digna. »

Luc. II, 14 : *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Et ideo dignus est, in cujus bonam voluntatem Prædicator intrat. « *Requiescet super eam pax vestra.* » Qui pacem cum Deo vestra exhortatione accipientes, cum eis permanebit pax quam promulgastis et propagastis in eos per

salutationem. Ad Philip. IV, 7 : *Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.* Isa. LXVI, 12 : *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis.*

« Si autem non fuerit digna, »

Quia non recipiendo vos et verba mea, se facit indignum. Isa. LVII, 21 : *Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.*

« *Pax vestra, revertetur ad vos,* » hoc est, pacis fructus et merces. Psal. CXIX, 7 : *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus : cum loquebar illis, etc.* Propter hoc dicit, Isa. XLVIII, 18 : *Utinam attendisses mandata mea ! facta fuisset flumen pax tua.* Flumen enim fluit de uno in alium : et ita facit pax per eulogium pacis et prædicationem.

« Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. » 14

Hæc est pars de non recipientium condemnatione.

Et dicit duo : scilicet, quid Prædicator debet facere non recipienti se patrifamilias et familiæ : et de intolerabilitate condemnationis ipsius.

De primo dicit :

« Quicumque, etc. »

Duæ sunt receptiones : una est prædicantis in exterius hospitium : altera verbi in cordis consensum : et de his dicit.

De prima : « *Quicumque non receperit vos,* » in domum extra. Judicum, XIX, 18 : *Nullus sub tectum suum nos vult recipere.* Sapient. XIX, 13 : *Ignotos non recipiebant advenas.* III Joan. 5. 10 : *Ne-*

¹ Cf. Job, I, 4 et 8.

que ipse, scilicet Disotrophes, suscipit fratres, et eos qui suscipiunt prohibet.

De secunda : « Neque audierit sermones vestros. » Ezechiel. III, 7 : *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Act. VII, 57 et 58, cum loqueretur Stephanus : *Continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant.*

« Exeuntes foras de domo. »

Si domus est alicujus : « vel civitate, » si omnes simul contradicunt. Psal. LIV, 10 et seq : *Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas : et labor in medio ejus, et injustitia, et non defecit de plateis ejus usura et dolus.*

Non ergo maneatis in ea, sed

« *Excute pulverem de pedibus vestris.* » Pulvis in pedibus signum est itineris, ut dicit Tullius. Unde sensus est : Fatigationem assumpti pro eis itineris contra eos ostendite in rationem majoris eorum condemnationis et Apostolorum liberationis. Ezechiel. III, 19 : *Si tu annuntiaveris impio et ille non conversus fuerit ab impietate sua, et a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur : tu autem animam tuam liberasti.* Act. XX, 26 et 27 : *Mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Hanc expositionem puto litteralem.

Alia etiam est, quod pulvis significat temporalia parva, quæ excutienda sunt in eos, ne putent propter temporalia sibi ingeri verbum. Apocal. XVII, 4 et 5 : *Exite de illa, popule meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis : quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cælum.* Et isti sunt tripliciter accusabiles : quia nihil adhæsit eis de pace Sanctorum, quæ peccatum deleret : nihil remansit Sanctis de eleemosynis eorum, quod pro eis in-

terpellarent : et aggravatus est contemptus eorum, cum Sanctorum verba non audirent, neque Sanctos suscipere. Et hæc etiam bona est expositio.

Alia est expositio, quod pulvis sunt minutæ negligentiae, quæ contrahuntur ex sollicitudine Prædicatorum : et quando sollicitudo eorum non recipitur, etiam minuta quæ occupati circa convertendos contrahunt, in eos excutiuntur : quia eis imputantur. Act. XVIII, 6 : *Contradicentibus eis, scilicet Judæis, et blasphemantibus, excutiens, scilicet Paulus, vestimenta sua, dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum : mundus ego, ex hoc ad gentes vadam.*

« Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. »

Hoc est secundum, ubi tangit condemnationem eorum per comparisonem ad Sodomitas.

Dicit ergo : « *Amen dico vobis,* » hoc est, vere dico vobis, « *tolerabilius erit,* » quoad judicium condemnationis, « *terræ Sodomorum et Gomorrhæorum,* » quæ (alias, qui) principales erant in Pentapoli subversa per ignem et sulphur, « *in die judicii* » communis, « *quam illi civitati.* »

Videtur autem hoc esse falsum. Genes. XIII, 13, enim dicitur, quod *homines Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis.* Non est autem accipere pejus pessimo : ergo nulli sunt majores peccatores quam Sodomitæ, et per consequens in illis (alias, nulla) damnatio erit intolerabilior.

Ad hoc dicunt quidam, quod non fit comparatio quoad omnia peccata, sed quoad quædam quæ enumerantur, Ezechiel. XVI, 49, quod *manum egeno et pauperi non porrigebant.* Et quoad hoc isti peccant plus : quia non tantum non porrigunt ministris Dei, sed etiam volentes (alias, nolentes) recipere sermonem

abjiciunt. Et ideo quoad inhospitalitatem plus peccant isti, et plus puniuntur, quoad hoc peccatum. Juste enim patiebantur Sodomitæ secundum suas nequitas ¹. Etenim detestabilem hospitalitatem instituerunt. Sed hoc non videtur secundum Glossam, quæ dicit, quod ab eo plus exigitur, cui plus committitur: et ideo dicendum, quod peccata multipliciter comparantur ad invicem, et similiter pœnæ consequentes. Uno quidem modo peccatum secundum substantiam et actum comparatur ad alterum: et hoc modo, peccatum Sodomorum gravius est peccato istorum: quia illud est contra naturam et rationem et gratiam, istud autem non ita, sed est contra gratiam tantum. Alio modo comparatur secundum circumstantiam: et secundum hoc peccans contra gratiam et correctionem oblatam sibi a Deo, magis peccat et deformius quam peccans simpliciter: et hoc modo peccatum istorum refutantium verbum, majus est peccato Sodomorum. Thren. 17, 6: *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversua est in momento.* Levit. 24, 21: *Si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum, propter peccata vestra,* etc. [Proverb. 1, 24 et 26: *Quia vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret... Ego quoque in interitu vestro ridebo, et sub sannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit.*

16

« Ecce ego mitto vos. »

Hic monet ad passionum tolerantiam.

Hoc autem facit duobus modis, scilicet, describendo passionis qualitates ex tortorum diversitate, et assignando rationem constantiæ in passione: et hoc facit, ibi, 24: « *Non est discipulus super magistrum.* »

Adhuc, in prima parte duo sunt: in

quorum primo eos armat contra persecutorum sævitiam: in secundo autem ne desperent, ponit quamdam mitigationem, ibi, in medio 22: « *Qui autem perseveraverit.* »

In prima harum tangit adhuc duo: docet enim cautelam contra persecutionem tyrannorum primo, et secundo adjungit de persecutione proximorum, ibi, 21: « *Tradet autem frater fratrem in mortem,* etc.

In prima harum sunt tres paragraphi: in quorum primo in communi determinat habitudinem discipulorum ad persecutores, et e contra: in secundo, necessariam propter hoc ostendit esse cautelam ab omnibus: in tertio autem ostendit, quod licet in sæculari fortitudine tyranni prævaleant, non oportet desperare, quia in spiritualibus, sancto Spiritu docente, multo erunt in rationibus fidei fortiores: et hoc interius dat securitatem patiendi, et moriendi. Et hæc tria patent in littera.

In primo horum paragraphorum duo dicit, quorum unum est legationis suæ difficultas: et ex hac difficultate concludit duo esse necessaria legatis, sicut patet.

De primo dicit:

« Ecce ego. »

Quasi diceret: Sic ordinavi de recipientibus, et non recipientibus vos, sciens hoc vobis esse necessarium: quia

« Ecce ego mitto vos, etc. »

Et in hoc tangit auctoritatem, legationem, qualitatem legatorum, et legationis difficultatem. Auctoritatem tangit in duobus: in demonstratione, in qua notatur quod publica est, non in silentio et occulto peragenda: et in dignitate injungentis (alias, peragentis), cum dicit: « *Ego,* » per meipsum. Publicam enim legationem oportet omnibus exponi: et

¹ Sapient. xvi, 1: *Propter hæc per his similia passi sunt digna tormenta,* etc.

cum contraria sit multis, magis impug-
natur. De primo, Abdiæ, y. 1 : *Audi-
tum audivimus a Domino, et legatum
ad gentes misit*. Licet enim multi
sint, tamen singulariter dicit propter
unitatem et consensum. De secundo,
II ad Corinth. v, 20 : *Pro Christo lega-
tione fungimur, tamquam Deo exhor-
tante per nos*. Luc. x, 16 : *Qui vos audit,
me audit : et qui vos spernit, me spernit*.

« Mitto. »

Ecce legationis injunctio. Genes.
xxxvii, 13 : *Fratres tui pascunt oves in
Sichimis : veni, mittam te ad eos*. Ibi
enim missio hæc præfigurata est. Joan.
xx, 21 : *Sicut misit me Pater, et ego
mitto vos*. Joan. xv, 16 : *Non vos me
elegistis : sed ego elegi vos, et posui vos
ut eatis, et fructum afferatis, et fructus
vester maneat*. Sic dixit se missum Moy-
ses, Exod. iii, 13 : *Ecce ego vadam ad
filios Israel, et dicam eis : Deus patrum
vestrorum misit me ad vos*. Ideo dicit
Paulus se Apostolum, *non ab hominibus,
neque per hominem, sed per Jesum
Christum*¹.

« Vos. »

Ecce legati. Et dicit « vos, » non vi-
carios vestros, ut notet quod per seipsum
ea quæ sunt Christi, agere debent : sicut
et Moyses egit per seipsum, non per
alium. Sed nostri colligunt per seipsum
temporalia, sed per alios agunt spiritua-
lia. Contra quod dicit Apostolus, I ad
Corinth. xiii, 5 : *Charitas... non quærit
quæ sua sunt* : sed quæ Christi Jesu. Ad
Philip. iv, 17 : *Non quæro datum, sed
requiro fructum abundantem in ratione
vestra*.

« Sicut oves in medio luporum. »

Ecce legatorum qualitas, mansuetudi-

nis præcipue, et utilitatis, decentissimi
et calidi habitus, sæcunditatis et lactis :
quorum primum est necessarium contra
persecutiones : secundum autem ad in-
struendas et instituendas virtutes : ter-
tium, ad sanctæ conversationis habitum,
quo induendi sunt homines : quartum,
ad zelum animarum, quo concipiuntur et
pariuntur hi in quibus formatur Chri-
stus : quintum, ad alimentum quo nu-
triantur, quasi modo geniti infantes.

De mansuetudine dicitur, Matth. xi,
29 : *Discite a me, quia mitis sum*, etc.,
dicit vervex dux ovium Agnus Dei
Christus. Matth. v, 4 : *Beati mites, quo-
niam ipsi possidebunt terram*. Sic enim
illi legati lucrati sunt orbem terrarum.
Numer. xii, 3 : *Erat Moyses vir mitissi-
mus super omnes homines qui moraban-
tur in terra*.

De secundo, hoc est, de utilitate, qua
utiles, non nocivi depopulatores fuerunt
isti legati, quia ad hoc spiritum acci-
piunt mittentis, dicitur, I ad Corinth.
xii, 7 : *Unicuique datur manifestatio
Spiritus ad utilitatem*. I ad Corinth. x,
32 et 33 : *Sine offensione estote Judæis,
et Gentibus, et Ecclesiæ Dei, sicut et ego
per omnia omnibus placeo, non quærens
quod mihi utile est, se quod multis, ut
salvi fiant*. II ad Corinth. x, 8 : *Secun-
dum potestatem meam, quam dedit mihi
Dominus in ædificationem, et non in
destructionem vestram*.

De tertio, hoc est, de vestimento san-
ctæ conversationis, quo (alias, quæ) in-
duere debet homines suo exemplo, di-
citur, Job, xxxvii, 17 : *Nonne vestimenta
tua calida sunt, cum perflata fuerit terra
austro ? Austro enim perflatur terra,
quando lenis et calidus spiritus procedit a
Præfato*. Job, xxxi, 20 : *Si non de velle-
ribus ovium mearum calefactus est*. Sic
etiam mulier Ecclesia quærit lanam et li-
num. Lanam quærit sanctæ conversatio-
nis, et linum innocentie candoris, et
operatur consilio manuum suarum, quæ

¹ Ad Galat. i, 4.

sunt Prælati: et non timebit domui suæ a frigoribus nivis, omnes enim domestici sui vestiti sunt duplicibus: sanctæ conversationis extra prætendentes habitum, et innocentia intus in conscientia habentes coram Deo testimonium.

De quarto, hoc est, de zelo fœcundante, ad Galat. iv, 19: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Cantic. iv, 2: *Dentes tui,* hoc est, Prælati tui molentes cibum aliis, *sicut greges tonsarum, omnes gemellis fœlibus, et sterilis non est inter eas.* Concipiunt enim geminos semper. justos fovendo, et peccatores convertendo.

Quinto, de lactis alimonia, I ad Corinth. iii, 1 et 2: *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* I Petr. ii, 2: *Lac concupiscite, ut in eo crescat.*

Modo autem legati veniunt in spiritu furoris, in nocumento deprædationis, in habitu sæcularissimæ perversitatis, in conceptu concupiscentiæ carnalis, in alimento diabolicæ præsumptionis: quo homines (alias, omnes) nutriunt in peccatis.

« In medio luporum. »

Ecce legationis difficultas. Et non dicit: juxta lupos, sed « *in medio luporum,* » ut nusquam sit effugere nisi per capturam luporum: quia in hoc solo spes est, si lupi, natura lupina deposita, ab ovibus capi possunt. Genes. xlix, 27: *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia.* Tales enim lupi sunt, qui de lupis possunt fieri filii dextræ: et tunc prædam quam mane, dum lupi erant, acceperunt, vespere conversionis spolia dividentes Domino reportant, sicut fecit Paulus. Joan. x, 12: *Lupus rapit, et dispergit oves.* Psal. xliii, 22: *Æstimati sumus sicut oves occisionis.* Psal. xliii, 12: *Dedisti nos tamquam oves escarum, et*

in gentibus tamquam inter lupos *dispersisti.* In hujus signum Rachel, quæ *ovis* interpretatur, enixa est Benjamin, de quo dicitur: *Benjamin lupus rapax*¹.

« Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. »

Hic ponit conclusionem ex prædictis, quod duo sunt necessaria legatis ad malos capiendos missis: quorum unum est sapientia serpentina: et alterum, simplicitas columbina.

Et de primo dicit:

« Estote ergo prudentes sicut serpentes. »

Et attende, quod sicut natura aliquando ex duobus componit unum animal, quod ex uno habet insidias, et ex altero habet mansuetudinem: et quod insidiosum erat, mitigatur ex mansueto, sicut apparet in cuculo, qui componitur ex spervario et columba: et spervarius capit aves parvas, et devorat eas: et hoc diminuitur in cuculo, qui non capit aves ipsas, sed insidiatur ovis, et comedit ea, sua reponens: et ideo tempore nidificationis avium pugnant cum eo aves parvæ. Ita facit hic Dominus: ex diversis componit hic unum, ut quod bonum est, ab uno et ab alio componatur, et unum alii temperetur: et ideo prudentia serpentina ne in astutiam vergat, sed in provisione honorum se teneat, conjungitur cum simplicitate columbina. Secundum hoc igitur prudentia serpentina manet prudentia, et non efficitur calliditas, quæ in malum sonat. Et tunc prudentia serpentina est, quæ sagaciter intelligit et eligit ea quibus humiliter potius serpendo se rapit ad processum infusionis tyriacæ contra venenum antiqui serpentis. Et secundum hoc tria notantur in serpentis prudentia: quorum unum est pru-

¹ Genes. xxxv, 17 et 18, et xlix, 27.

dentia in cavendis fraudibus, et eligendis bonis : secundum, in exspoliatione vetustatis : tertium autem est in cura venenati humoris.

De primo, Proverb. I, 4 : *Ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia et intellectus* : astutia in cavendis fraudibus, et scientia in conversatione honesta, et intellectus in cognitione divina et interna. Hæc est aspis surda aliquando obturans aures suas ad petram Christum, ne exaudiat vocem incantantium et venefici incantantis sapienter¹. Fraudes enim circumvenientium minis, et blandimentis promissionum surda aure transeunt : ad petram Christum convertentes auditum, constantiam suam in omnibus hujusmodi meditantes. Hanc autem prudentiam habet columbinus serpens, ut dicit Aristoteles, ex humido subtili, quod etiam prolongabile est valde. Et hoc humore significat pietatem : et longitudine, spei protensionem : quia pietate benevoli sunt in omnes, et spe æternorum : ne præsentibus malis, vel bonis moveantur. I ad Timoth. IV, 8 : *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ*. De spe, ad Hebr. VI, 19 et 20 : *Spem sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus*.

De secundo : pellem autem deponit, quia dura est et scabiosa : et efficitur intolerabilis, sicut et in avibus est mutatio pennarum. Et quia longus est, ad foramen proportionatum abstrahit, primo solvens eam in capite. Hæc autem est conversatio vetus, quæ durescit consuetudine, scabescit hispiditate peccatorum, et est inutilis et nociva ex concupiscentiæ vetustate, et per foramen penitentiae deponenda. Ad Ephes. IV, 23 : *Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris*.

¹ Cf. Psal. LVII, 5 et 6 : *Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter*.

Cantic. V, 3 : *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ?*

De tertio : nam iste columbinus serpens infundit veneni medicinam per altitudinem desiderii æternorum, per conformitatem crucis, per fidei adspexit. Primum est charitatis, secundum mortificationis carnis, tertium autem devotionis fidei per dilectionem operantis. Numer. XXI, 8 : *Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus adspexerit eum, vivet*. Joan. III, 14 et 15 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis : ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*.

Sicut autem est prudentia in his, declinando fraudes incantantium, exspoliando impedimenta virtutum, medicando morsibus venenatorum : et ideo est columbinus multum habens de columba. Ita est necessaria simplicitas serpentina : quia columba, quæ nihil serpentis habet, est facile seducibilis. Osee, VII, 11 : *Ephraim quasi columba seducta non habens cor*.

« Simples sicut columbæ. »

Simplicitas igitur serpentina, sive columba serpentina osculum habet oris in dulcedine allocutionis, felle caret amaritudinis in hepate appetitionis, gemitum devotionis pro cantu vanitatis, venustatem conversationis pro pompa fastus sæcularis, simplicitatem intentionis pro duplicitate mundanæ deceptionis et hypocrisis, mundans cautelam suæ præservationis contra raptores et prædatores virtutis.

Verbum enim dulce ad omnes, osculum ei est columbinum : *verbum enim dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos*². Hoc enim verbo ista serpentina columba in verbis suis monstra placavit³.

² Eccli. VI, 5.

³ Eccli. XLV, 2.

Hoc etiam fel appetitus vindictæ injuriis illatis non habuit. Act. vii, 60 : *Ne statuas illis hoc peccatum* : quia nesciunt quid faciunt. Istæ sunt columbæ, de quibus dicitur, Cantic. ii, 14 : *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceris* : quia in hoc habitant per imitationem in vulneribus Christi, qui petra est per constantiam, qua flecti non potuit, sed frangi. Caverna autem maceris est foramen lateris, quod factum fuit in exsanguis et exanimi corpore, quando jam corpus fuit in congerie membrorum : sicut macer murus, qui *maceria* dicitur.

Gemitus devotionis est in modulatione orationis. Isa. xxxviii, 14 : *Meditabor ut columba*. Isa. lix, 11 : *Quasi columbæ meditantur gememus*. Columba enim in interioribus colli cantat : et ideo *meditatio* vocatur cantus ejus : et hoc proprium habet inter aves, sed omne genus columbæ hoc habet, quia cantus devotionis potius est in corde quam in ore. Augustinus in *Regula* : « Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. »

Venustatem etiam habet blandæ cujusdam conversationis, nihil pompæ prætendens : ideo, Cantic. ii, 10, ista conjunguntur : *Amica mea, columba mea, formosamea*. Ipsam enim vestit Spiritus sanctus, qui in specie columbæ super Dominum apparuit, novum habitum renatis exhibens¹.

Simplicitatem habet intentionis, non hypocrisis duplicitem, neque mundanæ deceptionis. Unde, Cantic. iv, 1, dicitur : *Oculi tui columbarum*. Supra, vi, 22 : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*.

Hæc etiam simplicitas serpentina cautelam habet suæ præservationis ab avibus rapacibus, ne rapiatur a diabolo. Et ideo dicitur sedere super aquas, ut umbram speculetur in aqua, hoc est, super studium Scripturarum, quæ per aquas

significantur. Cantic. v, 12 : *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum*.

Columba etiam ista bonæ alæ est in volando, et semper redit ad nidum : et hoc habet proprium inter aves, quod si ducatur ad exteras terras, revolat, et fertilis est valde. Et per primum significat circumvolatum in prædicatione, et reditum in contemplatione ad nidum sapientiæ. Isa. lx, 8 : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas*. Per secundum significat multitudinem columbini partus in conversione animarum, et hoc est sacrificium oblatum pro Domino. Luc. ii, 24 : *Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum* : et hoc sacrificium redemit multa sacrificia, quæ manus pauperum Christi invenire non potuit, sicut patet in emundatione leprosi, et puerperæ in Levitico.

« Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in Synagogis suis flagellabunt vos. »

Ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus. »

Hic in isto secundo paragrapho tangit luporum insidias, de quibus dicitur, Sophoniæ, iii, 3 : *Judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane*.

Tangit autem hic triplicem persecutionem, traditionis scilicet, et afflictionis verberum, et positionis judicium. Prima fit in conciliis per consilium, secunda in Synagogis per populi conventum, tertia autem per reges et præsides per iniquum judicium : et his tribus persecutionibus unam et laudabilem causam subjungit ex parte Apostolorum, et terribilem effectum ex parte persequentium : et hoc est, quod dicit.

Dicit ergo :

¹ Cf. Matth. iii, 16.

« Cavete. »

Per prudentiam serpentinam cauti estote dissimulando injurias. Proverb. xii, 16 : *Qui dissimulat injuriam, callidus est.* Daniel. i, 4 : *Cautos scientia, et doctos disciplina.*

« Ab hominibus. »

Proprium habet serpens inter animalia cavere ab hominibus : quia in duobus pejor est homo omni animali, et in uno est nocivior diabolo. Unum, in quo pejor est omni animali, est quod in unoquoque animali est unum malum, si malum est, in homine autem omnia. Alterum est, quod homo habet ingenium nocendi, quod non habent aliæ bestiae. Diabolo etiam est nocivior : quia diabolus non accedit ad Sanctum, sed victus fugit ab eo, et illum vincit et interficit homo malus. Et ideo homo malus membrum et arma est diaboli. De primo dicitur, Matth. xii, 35 : *Malus homo de malo thesauro, scilicet cordis sui, profert mala* : habet enim thesaurum malorum, non unum malum. De secundo, Proverb. xii, 20 : *Dolus in corde cogitantium mala.* Per dolum enim nocentiores fiunt. De tertio dicitur, Joan. xiii, 2 : *Cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.* Hoc enim per se ipsum diabolus facere non potuit.

« Tradent vos in conciliis, etc. »

Genes. xlix, 6 : *In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea.* Joan. xi, 47 : *Collegerunt Pontifices et Pharisæi concilium.*

« *Et in Synagogis suis flagellabunt vos,* » si admoniti in consilio non desistatis. Act. v, 40 : *Convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omnino lo-*

querentur in nomine Jesu. II ad Corinth. xi, 25 : *Ter virgis cæsus sum.* Et, ibidem, ante, v. 24 : *A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi.*

« *Et ad præsides,* » tamquam vicariam potestatem habentes in minoribus judiciis, si nec flagellati desistitis, ut puniamini, sicut ipse Dominus punitus fuit ante Pilatum¹. « *Et ad reges ducemini,* » tamquam ordinariam potestatem habentes, et in majoribus judiciis. Act. ix, 15 : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.* Act. xiii, 1 et seq. : *Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio, etc.* Sic enim processerunt Judæi cum Apostolis : quia alienigenæ dominabantur eis, et non licuit eis *interficere quemquam*, sicut dicitur², quod flagellatos et correptos duxerunt ad præsides et reges puniendos.

Et subjungit gloriosam causam, dicens :

« Propter me, »

Hoc est, fidem in me et nominis mei confessionem. Ad Philip. i, 29 : *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed ut etiam pro illo patiamini.* I Petr. iv, 14 : *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.* Et, ibidem, vv. 15 et 16 : *Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat.*

« *In testimonium illis,* » hoc est, contra eos, scilicet Judæos, qui tradunt vos in conciliis, et flagellant vos in Synagogis : « *et gentibus,* » hoc est, contra gentes : quia præsides eorum et reges nos puniunt : et quod eis est testimonium condemnationis, est nobis testimonium innocentiae. Luc. ii, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui con-*

¹ Cf. Matth. xxvii, 26 et seq.

² Cf. Joan. xviii, 31.

traditur. II ad Corinth. II, 16: *Aliis sumus odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Et ad hæc quis tam idoneus ?

« Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. »

Tertius est paragraphus, ubi tangit potestatem Spiritus in Sanctis : et hæc potestas facit eos secure mori pro demonstrata et incontradicibili veritate, et facit triumphare tandem de interfecto-ribus : quia super omnia vincit veritas.

Dicit autem tria. Primo enim prohibet in eis humanæ sapientiæ cogitationem : secundo, promittit divinæ sapientiæ facultatem : et tertio, subjungit utriusque causam. Et hæc in littera patent.

Dicit ergo :

« Cum autem tradent vos, »

In conciliis, vel ad iudices, « *nolite cogitare.* » Proverb. XII, 2 : *Qui confidit in cogitationibus suis, impie agit.* II ad Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Eccli. XLIII, 29 : *Multa dicemus, et deficiemus in verbis : consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.*

« *Quomodo,* » hoc est, de modo humano, quomodo proponatis persuasibilibus verbis. I ad Corinth. II, 4 : *Sermo meus et prædicatio mea non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.*

« *Aut quid loquamini,* » quoad materiam : quia nescitis de quo erit interrogatio tortorum. Isa. XXXVIII, 14 et 15 : *Domine, vim patior, responde pro me.*

Quid dicam, aut quid respondebit mihi ?

« Dabitur enim vobis. »

Psal. LIV, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.* I Petr. V, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* II ad Timoth. II, 7 : *Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.*

« *In illa hora,* » interrogationis. Job, VII, 18 : *Visitas eum diluculo, et subito probas illum.* Jacob. I, 5 : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, et dabitur ei.*

« *Quid loquamini.* » Luc. XXI, 15 : *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Eccli. XV, 3 : *Cibabit illum Dominus pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Psal. LXXX, 11 : *Dilata os tuum, et imp'ebit illud.* Nec intelligitur istud sicut ignari nolentes studere, dicunt de hora prædicationis : quia ad illam exigitur instructio, et studium, et meditatio. Apocal. VIII, 6 : *Septem Angeli qui habebant septem tubas, paraverunt se ut tuba canerent.* I ad Timoth. IV, 16 : *Attende tibi, et doctrinæ : insta in illis.*

« Non enim vos estis qui loquimini. »

Ecce utriusque promissorum causa. Quasi dicat : *Nolite cogitare quomodo aliquid loquamini : « non enim vos estis qui loquimini : » dabitur enim vobis in illa hora, quia Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis.* Psal. XLIV, 2 : *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* Jerem. I, 6 : *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Ezechiel. III, 26 : *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exasperans est.* Sensus enim homi-

nis et lingua non sufficiunt in talibus. « *Sed Spiritus Patri vestri qui loquitur in vobis.* » Et quia Spiritus, crescit : et quia Patris, vult. Sapient, 1, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum : et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* I ad Corinth. xiv, 2 : *Spiritus loquitur mysteria.* Joan. xvi, 13 : *Quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* Act. II, 3 et 4 : *Apparuerunt illis dispersitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum : et repleti sunt omnes Spiritu sancto.*

21 « Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium : et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.

22 Et eritis odio omnibus propter nomen meum. »

Hæc est tertia pars, in qua determinat persecutionem a proximis futuram, quæ tanto est acerbior, quanto habet duplicem dolorem, scilicet, de inflictione pænæ, et de amisso fœdere charitatis et propinquitatis.

Tangit autem istam persecutionem dupliciter, scilicet generaliter, et specialiter.

Specialiter autem tangit eam in proximo gradu : et in ea quæ est sine gradu.

Et hanc tangit dupliciter secundum ordinem violatum ejus naturæ, quæ sui aliquid habet in filiis : sicut cum pater tradit filium, quod innaturalissimum est, et nulli bestiarum conveniens : omnis enim bestia custodit partum suum ad minus, quamdiu in cura sua est parvus. Et secundum ordinem violatæ naturæ, quæ est ortus ad principium originis : et sic filii morte afficiunt parentes.

Dicit ergo : « *Tradet autem frater fratrem,* » quod est grave genus perse-

cutionis, « *in mortem,* » quod est genus acerbissimum tribulationis. Jerem. ix, 4 : *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit.* Mich. vii, 2 : *Omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur, sicut Cain Abel occidit* ¹.

« *Et pater filium.* » Zachar. xiii, 3 : *Dicent ei pater ejus et mater ejus qui genuerunt eum : Non vives.* Ibidem, v, 6 : *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.*

« *Et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.* » Mich. vii, 5 et 6 : *Nolite credere amico, et nolite confidere in duce : ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam : et inimici hominis domestici ejus.* Psal. xl, 10 : *Homo pacis meæ, in quo speravi : qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Panes enim suos non comedit nisi filius suus : quia servus panem comedit ejus, cui deservivit. Frater autem non pascit fratrem.

« Et eritis odio omnibus, etc. »

Locus illationis est a partibus sufficienter enumeratis : quia Judæis et gentibus et fratribus et parentibus et filiis : ergo omnibus, qui homines sunt ab humo dicti. Joan. xv, 18 : *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Causa assignatur, Jacob, iv, 4 : *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Distributio autem fit pro generibus singulorum, et non pro singulis generum : quia aliter essent odio Sanctis, nisi dicatur quod Sancti aliquid sint ultra homines : et ideo cum hominibus non supponuntur.

« *Propter nomen meum.* » Jacob. II,

¹ Cf. Genes. iv, 8.

6 et 7 : *Divites per potentiam opprimunt vos : et ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos.* Supra, v, 11 et 12, et Luc. vi, 22 et 23 : *Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobaverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis : gaudete, etc.*

« Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. »

Hic ponitur mitigativum hujus tantæ tribulationis.

Et dicit duo, scilicet mitigativum in pœnarum acerbitate, et mitigativum in corporis fragilitate. Mitigativum autem in pœnarum acerbitate et præmii consideratio : quia sicut dicit Gregorius, « consideratio præmii minuit vim flagellati. » Et de hoc dicit :

« Qui autem perseveraverit usque in finem. »

Non consumptionis, quo consumitur, sed consummationis, quo ad perfectum deducitur. « *Hic salvus erit,* » æterna salute. Infra, xxiv, 13, est idem per eadem verba. Levit. iii, 9, præcipitur cauda hostiæ offerri, quæ donum perseverantiæ significat. Apocal. ii, 10 : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* Ezechiel. ix, 4 : *Signa thau super frontes virorum gentium et dolentium.* Thau (T) figura crucis est in alphabeto Hebræorum, et donum perseverantiæ significat. Sapient. iv, 13 : *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Sapient. x, 10 : *Honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.*

« Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civita-

tes Israel, donec veniat Filius hominis. »

Secundum est mitigativum, quod conceditur infirmitati.

Et dicit duo : unum, quod est solatium infirmitatis : et alterum, quod est solutio dubitationis circa solatium concessum exortæ.

Dicit igitur : « *Cum autem persequentur vos in civitate ista,* » supple, Judæi, in ista particulari missione, quando non mittimini nisi ad filios Israel, « *fugite in aliam.* »

In hac autem fuga duo attenduntur : quia aut quæritur persona, aut fides, sive justitia. Si non quæritur nisi persona, tunc semper potest fugere : si autem quæritur fides, sive justitia : aut per mortem confirmari potest, aut non. Si potest confirmari per mortem, nequaquam est fugiendum. Si autem non potest per mortem confirmari, tunc est fugiendum. Et quia Apostoli ante passionem fidem confirmare non poterant, ideo dictum est eis fugere de civitate in civitatem, exemplo Jacob, qui fugit Esau ¹, et ejusdem exemplo, qui fugit Laban ². Et exemplo David, qui fugit Saul ³. Et exemplo Pauli, qui fugit de Damasco ⁴. II ad Corinth. xi, 32 et 33 : *Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet : et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus.*

« Amen dico vobis, »

Hoc est, fideliter dico vobis. Et est solutio dubitationis : quia dixerat, supra, x, 5 : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis* : cito possent dicere : si fugiemus de una civitate in aliam, non habebimus

¹ Cf. Genes. xxvii, 43 et seq.

² Ibidem, xxxi, 17.

³ Cf. I Regum, xxi et seq.

⁴ Cf. Act. ix, 25.

quo de cætero fugiamus. Ideo respondet : « *Non consummabitis,* » fugiendo in ista missione, « *civitates Israel,* » de una ad alterum vos transferendo, « *donec veniat* » post resurrectionem ad vos « *Filius hominis.* » Et tunc erit generalis missio in omnem terram. Vel, « *donec veniat Filius hominis,* » et assumat vos vocando ad regnum suum. Vel, « *donec veniat,* » in auxilium vobis succurrendo. I ad Corinth. x, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

Et attende, quod etiam in fuga est utilitas, ut dicit Hieronymus : quia ex hoc quod disperguntur, in pluribus locis prædicant, sicut expresse legitur, Act. viii, 1 et seq., quod ex dispersione quæ facta est in persecutione quæ facta est in Stephano, tota adjacens regio verbo Dei est repleta. Tob. xiii, 4 : *Ideo dispergit vos inter gentes quæ ignorant Deum, ut vos enarretis mirabilia ejus, et faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum.*

24 « Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.

25 Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus : et servo, sicut dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus!

26 Ne ergo timueritis eos. »

Hic assignat rationem constantiæ in passione.

Et dividitur hæc pars in duas : in quarum prima assignat rationes quare non timendum : in secunda, tangit rationes quare Christi veritas omnibus est præponenda, ibi, ꝯ. 34 : « *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere, etc.* »

Adhuc, prior harum subdividitur in

duas : in quarum prima tangit rationes ex consideratione suæ operationis acceptas secundum statum viæ : in secunda autem tangit alias, quæ sumuntur ex consideratione patriæ, ibi, ꝯ. 28 : « *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* »

In prima harum sunt duo. Probat enim primo, quid non timendum : secundo, quod propter timorem quem evacuat, non est dimittendum, ibi, in medio ꝯ. 26 : « *Nihil est opertum.* »

In prima sunt tres Christi ad nos comparationes, secundum illuminationem videlicet mentis, secundum obedientiam operis, et secundum generalitatem generis. Et secundum primam est magister, secundum secundam est dominus, secundum tertiam est paterfamilias, secundum quod *ipsius et genus sumus*¹. Prima est secundum doctrinam veritatis, et in hac sumus discipuli : secunda, secundum coercionem potestatis, et in hac sumus servi : tertia, secundum bonitatem assimilationis et originis, et in hac sumus domestici. Hæc sunt secundum tria superesse, et secundum tria subesse. Primum quidem in auctoritate doctrinæ ad fidem : secundum, in majestate ad debitam operationem : tertium autem in patris origine ad dilectionem. Hæc etiam sunt secundum tria, quæ exiguntur ad virtutem : scire scilicet quid facias, facere quod debeas, et velle quod liceat. Scire enim est a magistro, facere a domino, et velle debetur patrifamilias. Primum dirigit ad veritatem, secundum ex timore avertit a vanitate et perversitate, tertium trahit ad bonitatem. Primum docet, secundum incitat, tertium allicit.

De primo ergo dicit :

« Non est discipulus. »

Joan. xiii, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectio-*

¹ Act. xvii, 28.

nem habueritis ad invicem. Isa. viii, 16 : *Signa legem in discipulis meis.*

« *Super magistrum,* » sed potius sub ipso. Matth. xxiii, 10 : *Magister vester unus est, Christus.* Joan. xi, 28 : *Magister adest, et vocat te.* Deuter. xxxiii, 2 et 3 : *In dextera ejus ignea lex : qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* Eccli. li, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.*

Et vult dicere : Si doctrinam veritatis in me persequuntur, multo magis in vobis : et hæc est impugnatio veritatis agnitæ et probatæ per miracula.

« Nec servus. »

Psal. cxv, 16 : *O Domine, quia ergo servus tuus,* etc. Sapient. ix, 5 : *Servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ.*

« *Super dominum suum.* » Malach. i, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?* Isa. xlii, 8 : *Ego Dominus, hoc est nomen meum.* Et est sensus : Si in me persecuti sunt opus virtutis, non est mirum, si etiam in vobis persequentur : et in his est locus a minori.

« Sufficit discipulo, »

Quantum ad doctrinæ acceptionem, « *ut sit sicut magister ejus.* » Sicut enim in docendis, et modo confirmationis attingit magistri perfectionem : ita et in his quæ consequuntur doctrinam, ex hoc quod contraria est mundanis : quia ideo oppugnatur. Et si discipulus non doceat contraria his quibus magister contraria docuit, non est discipulus sicut magister. Et si aliter doceat discipulus, tunc a seipso, et non ex disciplinis magistri loquitur. Joan. xiii, 47 : *Qui est ex Deo, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

« Et servus sicut dominus ejus, »

Hoc est, servo sufficit, si sit sicut do-

minus ejus. Quia si propter reverentiam domini non timuerunt in eo persequi opus virtutis, non est mirandum, si et in vobis persequentur. Hæc est enim impugnatio divinæ potestatis, quæ demonstratur in opere perfecto. Joan. xiii, 13 : *Vos vocatis me Magister, et Domine : et bene dicitis : sum etenim.*

« Si patremfamilias. »

Tertia est comparatio. Et dicitur hic familia, multitudo ex uno exorta, et ab uno denominata, sicut a Christo filii Dei vocantur. Pater autem familias dicitur, ex quo multitudo hæc derivatur, et a quo denominatur, et gubernatur, et a quo procreatur. Malach. i, 6 : *Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus ?* Matth. xxiii, 9 : *Unus est Pater vester, qui in cælis est.*

« Beelzebub. »

Bel, pater Nini, condidit Ninivem, cui idolum a filio statutum *Bel* dictum est, a quo gentes idola Bel Babylonii, Baal Palæstini, Beelphegor Moabitæ vocaverunt : quod Judæi in derisionem *Beelzebub*, hoc est, virum muscarum, vocaverunt : propter muscas quæ in cruore immolatitii sanguinis insederunt. Et hunc dæmonem Christo attribuerunt, ut in eo signa faceret, sicut in præcedenti patet capitulo, et, Infra, xii, 24 : *Hic non eicit dæmones nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum.* Joan. viii, 48 : *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ?*

« Quanto magis domesticos ejus ! »

Ad Ephes. ii, 19 : *Vos estis cives Sanctorum, et domestici Dei,* ad domum Dei, et hæreditatem pertinentes : et hæc est persecutio divinæ similitudinis, et divini nominis.

« Ne ergo timueritis eos. »

Ex quo scitis eos non nisi ista bona in vobis persequi : causa tam honesta evacuet timorem : quia, sicut dicit Aristoteles, « Mors pro virtute illata, forti salute « est eligentior. » Isa. VIII, 12 et 13 : *Timorem ejus ne timeatis, neque paveatis : Dominum exercituum ipsum sanctificate.* Isa. LI, 7 : *Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuat*is. I Machab. II, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus, et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur : quia conversus est in terram suam.* Isa. LI, 12 : *Quis tu, ut timeres ab homine mortali, qui quasi fœnum ita arescet ?*

« Nihil enim est opertum, quod non reveletur : et occultum, quod non scietur. »

Hic tangit, quid non est dimittendum propter timorem. Et hoc est confessio, et prædicatio apertæ veritatis.

Et tangit duo : quorum primum est consolationis, secundum autem est debiti : et primum est veritatis fortitudo, et secundum est veritatis manifestatio : primum est Doctoris promittentis defensionem, secundum autem doctrinæ utilitatem.

Primum tangit, cum dicit :

« Nihil est opertum, etc. »

Et tangit duo, opertum esse, et occultum. Opertum autem est, quod alio tegente absconditur : occultum autem, quod latet per seipsum : et ista sunt duo veritatis propalationem impediencia. Primum est per tegumentum sensus carnalis, qui est quasi velamen tegens : secundum est occultum propter suam altitudinem, quia « dispositio nostri intellectus est ad eam, « sicut visus noctuæ ad lumen solis, » sicut dicit Philosophus. Psal. cxxxviii,

8 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.*

His duobus redit : quia opertum revelabitur tripliciter : in bonis quidem, ablato velamine cordis : in omnibus autem tandem, vincente fortitudine veritatis : in ultimo die judicii, cum omnia secreta ponentur in lucem claritatis : et quoad hæc tria diversificantur expositiones Sanctorum. De primo dicitur, II ad Corinth. III, 16 et 17 : *Cum conversus quis fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est.* De secundo, III Esdræ. IV, 12 : *Super omnia vincit veritas.* De tertio, Sophon. I, 12 : *Scrutabor Jerusalem in lucernis.*

Ei autem, quod absconditum est (hoc est, in mysterio clausum) attribuitur sciri aperte tripliciter : aperte per seipsum acceptum : et aperte per famam omnium : et aperte per ostensionem conscientiarum in die judicii. De primo, Joan. XVI, 29 et 30 : *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis : nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget.* De secundo, Joan. VIII, 32 : *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* De tertio, I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.*

Est ergo sensus : Habete fiduciam, et ne timeatis : quia quod modo est hominibus opertum, multis Sanctorum conversis erit discoopertum : et hos habebitis socios fidei. Item, Confidentes estote : quia quod modo mundo opertum est, tandem vincente ubique veritate apertum erit : et hic fructus vos constantes faciat. Item, Quod modo opertum est, et ideo verecundum, in die judicii erit omnibus honore dignissimum. II ad Corinth. IV, 3 et 4 : *Quod si opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum : in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii*

gloriæ Christi, qui est imago Dei, invisibilis scilicet.

Similiter intelligendum est quod dicit :

« Et occultum quod non scietur. »

Quia quod modo in profunditate mysterii est occultum, post modicum multis, dato Spiritu, erit scitum. I ad Corinth. II, 10 : *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et quod modo mundo est occultum, propter mundi cæcitatem, prædicatione vestra, et Spiritu confirmante, mundo erit manifestum et scitum : quia *in omnem terram exhibit sonus vester, et in fines orbis terræ verba vestra* ¹ : et tandem in iudicio extremo scietur Evangelii gloria, quæ modo ignorata confusio reputatur. Sapient. I, 4 et 5 : *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.*

Ergo ne timeatis, sed potius

« Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis, prædicate super tecta. »

Hoc est secundum, quod pertinet ad constantem veritatis manifestationem. Et tangit duo, quæ sunt de modo divinæ intelligentiæ : in tenebris esse, et in aure audiri.

Primum est abscondens (alias, absconditum) ab homine : et secundum a multitudine. Hominis enim intellectus ad divina est timidus, et tremens, in tenebris involutus ex multo lumine divinorum. Sicut enim oculus intuens solem, suis obvolvitur tenebris, sole claro manente : ita etiam oculus intellectus sua debilitate retunditur, et tenebris obvolvitur. (alias, involvitur) ex contuitu divinorum : et

hoc conveniebat Apostolis nondum accepto Spiritu ad intellectum mysteriorum : et quod sic acceperunt in lumine claro intelligentiæ, accepto Spiritu veritatis proposuerunt : et de hoc dicitur, Job, xxxvii, 19 : *Ostende nobis quid dicamus illi : nos quippe involvimur tenebris.* Et hoc completum fuit in Apostolis, cum Paulus dixit, II ad Corinth. iv, 6 : *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.*

« Et quod in aure auditis. »

Secundus modus est abscondens a multitudine. Auditur enim in susurro sermo divinus, et non in strepitu multitudinis. Job, iv, 12 : *Quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.* Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Osee, ii, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Est autem auris semper in multitudine, quæ patula est multitudini mundi : et in illa non loquitur Deus. III Reg. xix, 12 : *Sibilus auræ tenuis,* ubi Dominus.

Et huic opponitur :

« Prædicate super tecta. »

Et loquimur more noto Apostolis : quia in Palæstina tecta plumbea, et pavimenta plana fuerunt desuper, in quibus congregabantur homines ad capiendum puriorem aerem : quia juxta terram in terris calidis spissus est et vaporosus. Et intenditur per tecta manifeste omnibus facta prædicatio : et hæc facta est visibili signo dato Spiritu. Act. x, 44 : *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.* Joel, ii, 28 : *Effundam spiritum meum super omnem carnem :*

¹ Psal. xviii, 5, et ad Roman. x, 18 : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ*

verba eorum.

et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae. Isa. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Isa. XLV, 19 : *Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso.* Quidam autem exponunt : *in tenebris dici*, in Judæa dici : et *in aure audiri*, quosdam audire, sicut Christus docuit Apostolos. Matth. XIII, 11, et Luc. VIII, 10 : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.*

Sed primum est convenientius secundum litteram.

28 « Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. »

Hic inducit rationes secundum statum patriæ, et sunt tres : prima, ex consideratione pœnæ futuræ et judicis per rationem timoris : secunda, ex consideratione Salvatoris et salutis per rationem spei : tertia, ex consideratione glorificatoris et gloriæ per rationem honoris, qui (alias, quæ) expectatur in futuro. Et istæ patent in littera.

In primo autem tangit duo, scilicet prohibitionem timoris humani et mundani, et præceptum divini timoris.

De prohibito timore dicit : « *Nolite timere eos qui occidunt corpus,* » permissione divina. Luc. XII, 4 : *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant.* « *Animam autem non possunt occidere.* » II Machab. VII, 9, 14 : *Tu quidem, sceleratissime, in præsentis vite nos perdis : sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit... Tibi enim resurrectio ad vitam non*

erit. Non tamen excluditur hic timor naturalis, de quo, Marc. XIV, 33, quod *cæpit Dominus... pavere et tædere.*

« *Sed potius timete eum,* » hoc est, Deum, « *qui potest animam,* » post mortem, « *et corpus,* » post resurrectionem, « *perdere in gehennam,* » hoc est, in infernum. Hoc autem nomen *gehenna*, (ut dicit Hieronymus) in veteribus libris non legitur, sed a Domino est impositum inferno. Fuit autem quædam vallis juxta Jerusalem, quæ Tophet dicebatur, in qua filios et filias igni sacrificabant : et fuit cujusdam filii Ennom qui dicebatur Tophet : et quia ibi iniquorum fuit ignis, comminatus est Dominus, quod in illa valle prosternendi essent in mortem. Jerem. XIX, 6 : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et non vocabitur amplius locus iste Topheth, et Vallis filii Ennom, sed vallis occisionis.* Ezech. autem, XXXIX, 11 et 12, vocatur Poliantrum, hoc est, sepulcrum multitudinis ¹ : et ab illo Dominus futuras pœnas denominat. Hoc est ergo, quod dicit Jerem. X, 7 : *Quis non timebit te, o rex gentium ?* Psal. XXXIII, 10 : *Timete Dominum, omnes sancti ejus.* Proverb. XXIX, 25 : *Qui timet hominem, cito corruet : qui sperat in Domino, sublevaritur.* Psal. II, 11 : *Servite Domino in timore.*

« Nonne duo passeresset asse veneunt ? **90**
et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro ?

Vestri autem, capilli capitis omnes **34**
numerati sunt.

Nolite ergo timere : multis passeribus **31**
meliores estis vos. »

Secunda ratio a spe resurrectionis corporum sumpta.

Et dicit tria : curam enim Dei in rebus

¹ Ezechiel. XXXIX, 11 et 12 : *Et erit in die illa, dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israel, vallem viatorum ad orientem maris, quæ obstu-*

perscere faciet prætereuntes : et sepelient ibi Gog, et omnem multitudinem ejus, et vocabitur vallis multitudinis Gog.

parvis proponit in spei argumentum : secundo, tangit providentiam circa minimas partes corporis Sanctorum in spei solatium : tertio, tangit providentiæ reputationem et discretionem circa Sanctos, et quæ sub eis sunt ad spei securitatem. Et hæc patent in littera.

De primo dicit : « *Nonne duo passerres,* » hoc est, minutæ aves, « *veneunt,* » hoc est, venduntur, « *asse ?* » Luc. XII, 6 : *Nonne quinque passerres veneunt dipondio ?* Quod enim in numero est unum, hoc in ponderibus vocatur *as*, hoc est, minimum sensibile, a quo incipit pondus : et hoc est sicut granum hordei. *Dipondius* est sicut duo grana : unde non multum distat, duos *asse*, et quinque dipondio vendi : quia cum quinque veneunt dipondio, unus et dimidius veneunt *asse* : et sæpe contingit, quod cum quinque veneunt duobus, propter indivisionem unius unus *asse* venditur. Passer autem in Jerusalem vendebatur et in Judæa, non modo in cibum, sed etiam in sacrificium : quia erat sacrificium pro leproso mundato ¹. Et cum ita minuti pretii sint passerres, tamen unus passer non decedit in terram moriens casu, sine eo qui non pater est passerum, licet sit Creator eorum, sed est Pater vester : et ideo major cura est ei de vobis quam de passeribus.

Sed contra, I ad Corinth. IX, 9 : *Numquid de bobus cura est Deo ?*

Ad hoc autem respondet Glossa, quod aliud est cura, et aliud scientia providentiæ : cura enim notat sollicitudinem, quæ consistit in procuratione et ordine ad finem boni status secundum felicitatem : et hoc est in ordinandis legibus et dispositione vitæ secundum virtutem, et hujusmodi : qualem curam Deus de bobus non habet, licet habeat de ipsis scientiam qualiter oriuntur, et qualiter moriuntur : sic enim non modo sensibilia, sed etiam omnia secum sunt, ut dicitur in Psalmo XLIX, 11 : *Pulchritudo*

agri mecum est. Cum autem imaginem ejus habeat homo, et in illa imagine imitetur eum homo sanctus, illius specialiter Pater est, sine cura et dispositione tanti Patris nihil agens, et nihil omnino patiens. Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnam ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.*

« Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. »

Hoc est, secundum quod nec minimæ particulæ quamvis sensibiliter a corpore sint separabiles, possunt Sanctis deperire sine Patris custodientis dispositione.

Attendendum, quod capilli dupliciter se habent ad corpus : uno modo prout generantur a fumo superfluo corporis, eo quod pilus nihil aliud est nisi fumus per poros de corpore exspirans, et ad aerem exsiccatus : et hoc modo non habent se ad corporis constantiam. Alio modo considerantur prout sunt indicia complexionis cerebri, et cooperimentum ipsius, et decor corporis : et hoc modo sunt facientes ad contemplationem sapientiæ sic complexionantis, et sic ordinantis partes defendentes cerebrum, vel decoris pulchritudinem conferentes : et hoc modo conservantur a sapientia et cura Patris, ut resurgant. Et tantum de eis resurget, quantum faciunt ad decorem et sapientiæ æternæ in dispositione hominis contemplationem. I ad Corinth. XV, 52 : *Mortui resurgent incorrupti : et nos immutabimur.*

Est autem dubium de hoc quod dicit : « *Numerati sunt,* » quia rei quæ numeratur, quantitas per numerum scitur. Sic autem non indiget Deus rerum scire quantitates, quia hoc est imperfectum.

Et ad hoc dicendum secundum Glossam, quod numeratum esse hic dicitur, propter id quod consequitur numeratum. Numeratur enim aliquid ad hoc quod integre conservetur : et sic accipitur hic.

¹ Cf. Levit. XIV, 5 et seq.

Non ergo Deus mensurat quantitatem ipsius, sed dicitur numerata, ut sciatur integre conservata. II Machab. vii, 10 et 11: *Linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit: et cum fiducia ait: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.*

« Nolite ergo timere, »

Quasi desperantes de resurrectione et providentia. « *Multis passeribus,* » hoc est multitudini, passerum, « *meliores,* » apud Patrem cælestem, « *estis vos.* » Matth. xii, 12: *Quanto magis melior est homo ove?*

32 « Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cælis est.

33 Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cælis est. »

Tertia ratio est sumpta ex consideratione honoris et præmii.

Et tangit duo per oppositum sumpta, scilicet confessionem ordinatam ad præmium honoris, et negationem ordinantem in confusionem damnationis.

De primo dicit: « *Omnis ergo.* » Ad Roman. x, 12: *Non enim est distinctio Judæi et Græci.*

« *Qui confitebitur me,* » simul fatebitur cordis devotione, et oris annuntiatione. Ad Roman. x, 9 et 10: *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

« *Coram hominibus,* » publice ad hominum ædificationem. Act. i, 8: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.*

« *Confitebor et ego eum,* » confessione laudis. Proverb. xxxi, 31: *Laudent eam in portis opera ejus.* I ad Corinth. iv, 5: *Tunc laus erit unicuique a Deo.*

« *Coram Patre meo qui in cælis est.* » Psal. xcv, 6: *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.* Hæc autem confessio est, quam dicit, Joan. xii, 26: *Honorificabit eum Pater meus, qui in cælis est.*

« Qui autem negaverit me, »

Propter timorem, vel illectus concupiscentia, « *coram hominibus,* » corde, vel verbo, vel exemplo pravo. Ad Titum, i, 16: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

« *Negabo et ego eum* » nosse. Supra, vii, 23: *Confitebor illis: Quia numquam novi vos.* « *Coram Patre meo qui in cælis est.* » II ad Timoth. ii, 12: *Si negaverimus, et ille negabit nos.* Luc. ix, 26: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum.*

« Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram. »

Hic tangit rationes quare Christi veritas omnibus quæ diliguntur est anteponenda, et est etiam causa persecutionis: quia ex quo omnia alia præcedit diligibilia, ea quæ ante dilecta fuerunt, convertuntur in odium.

Dividitur autem hæc pars in duas: in quarum prima ostendit qualiter amor veritatis omnes falsos amicos convertit in odium: in secunda autem ostendit qualiter amor veritatis præponendus est omnibus secundum falsam amicitiam dilectis et diligentibus amicis.

In prima harum duo sunt paragraphi: in quorum primo tangit quid est separans inter falso modo diligentes: in se-

cundo, describitur hujusmodi amicos separatos per proximiores carnalis amicitiae gradus.

In primo horum duo tangit : removel enim primo de sua amicitia suspicionem (alias, suppositiones) carnalem, dicens :

« Nolite arbitrari quia pacem venirim mittere, »

Hoc est, quietem securitatis, « *in terram,* » hoc est, in terrenis affectibus. Apocal. vi, 4 : *Datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant.* Sapient. xiv, 22 : *In magno viventes inscientiae bello, tot et tam magna mala pacem appellant.*

Sed contra, ad Ephes. ii, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.*

RESPONSIO. Pax ista, quies est in carnalibus affectibus, et hæc mala est et peccatorum : sed pax quam Christus fecit, est pectoris, quæ est securitas conscientiae, ex hoc quod non remordet de peccato, et est reconciliatio ad Deum.

« Non veni pacem mittere, sed gladium. »

Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam.

Et inimici hominis, domestici ejus. »

Secundum est, ubi dicit quod hujus pacis intendit facere præcisionem. Dicit ergo : « *Non veni pacem mittere.* » Psal. lxxii, 3 : *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.*

« *Sed gladium,* » hoc est, præcisionem, quæ fit per verbum fidei operantis per dilectionem. Ad Ephes. vi, 17 : *Gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Ad Hebr. iv, 12 : *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.*

Deinde amicitiae, quam intendit præci-

dere, ponit gradus. Est autem ista amicitia duobus modis determinata, uno modo per unum, et secundo modo per gradus ex uno derivatos. Per unum quidem dupliciter, generationis scilicet, et commistionis : et secundum istas divisiones hic loquitur.

Dicit ergo : « *Veni enim separare hominem,* » veritatis amore, « *adversus patrem suum.* » Et hoc est in conjunctis in uno gradu generationis et formæ. Et dicit : Non a patre, sed « *adversus patrem,* » quia non localem quærit separationem, sed disjunctionem affectuum. Et intelligitur de his inter quos est affectus carnalis, carnaliter, et ad carnalia. Si enim diligantur carnales spiritualiter et ad spiritualia, tunc gratia perficit naturam : et præponendi sunt non conjunctis secundum ordinem charitatis. Sic enim dicitur, Exod. xx, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.*

« *Et filiam adversus matrem suam,* » inter quas est unio generationis secundum materiam, quia ibi materia vincit, convertens partum ad similitudinem parentis in generatione.

« *Et nurum adversus socrum suam,* » inter quas est unio commistionis cum eo quod unum est cum socio.

Et attende, quod secundum Lucam, xii, 52 et 53 : *Erunt quinque in domo una divisi : tres in duos, et duo in tres dividuntur : pater in filiam et filius in patrem suum, mater in filiam et filia in matrem, socrus in nurum suam et nurus in socrum suam.* Et istæ videntur sex personæ, tamen non sunt nisi quinque : quia eadem forma est mater filiae, et socrus nurus, quæ habet filium ejus.

« Et inimici hominis domestici ejus. »

Hic tangit conjunctos per quoscumque gradus alios sanguinis, vel affinitatis, vel cujuscumque alterius conjunctionis. Idem est, Mich. vii, 6 : *Inimici hominis*

domestici ejus. Psal. XLIV, 11 : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Cantic. I, 3 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Genes. XII, 1 : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua.*

37 « Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. »

Hic incipit exponere, qualiter amor veritatis anteponendus est omnibus carnaliter conjunctis.

Et dicit duo : qualiter scilicet anteponendus est suis, et sibiipsi.

In prima parte adhuc duo tangit : primum est secundum relationem geniti ad originem, et secundum e converso.

De primo dicit :

« Qui amat patrem, aut matrem. »

Qui licet amari possint, non tamen super Deum. Unde dicit : « *Plusquam me,* » hoc est, ut pro illis avertatur a me, quia tunc peccat : peccatum enim est aversio ab incommutabili bono ad bonum commutabile. Et quia sic talis est a me abstractus, et illectus amore commutabilis boni, ille est perversus : quia fruitur utendis. Et ideo, « *non est me dignus,* » secundum quod ego sum merces Sanctorum. Genes. XV, 1 : *Ego ero merces tua magna nimis* : talis enim non tenet dilectionis ordinem, in quo primo ante omnia diligitur Deus. Cantic. II, 4 : *Ordinavit in me charitatem* : et ideo talis non est dignus pane quo vescitur. Hic enim corrumpit semetipsum : quia nihil perficit mentem nisi Deus : et ideo alia diligere non debent, in quibus Deus non diligitur. Cantic. VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum : quia fortis est ut mors dilectio.*

« Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. »

Conversum est præcedentis : quia filius diligitur ut similitudo perfecta patris, et filia ut similitudo matris : sed plus diliguntur, cum propter ipsos homo a patre spirituali avertitur. I Reg. II, 29, de Heli : *Magis honorasti filios tuos quam me.* Et sequitur, 30 : *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* E contra de Abraham, Genes. XXII, 16 et 17 : *Quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam te.* Deuter. XXXIII, 9 : *Qui dixit patri suo, et matri suæ : Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt.*

« Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. »

Hic tangitur, qualiter amor Christi præponendus est amoris suiipsius : et tangit hoc primo sub metaphora, et secundo explanat.

In primo tangit tria, acceptionem crucis, cum dicit : « *Qui non accipit crucem suam.* »

Et circa hoc rursus tria notantur, scilicet acceptio, et quid accipitur, et cujus.

Acceptio sonat voluntatem in præsentem semper : non enim sufficit accepisse, vel accepturum esse, sed accipere, quasi semper præsentem (alias, potentialiter). Unde, Luc. IX, 23, dicitur : *Tollat crucem suam quotidie* : quasi semper in præsentem habens eam. Ad Galat. III, 1 : *Ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus.* Et ideo dicit iterum, ad Galat. VI, 17 : *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Non dicit portavi, vel portabo : quod enim est semper præsentem, hoc semper novum non conversum in tedium, nec deficiens, nec expectatum in futurum. Psal. LXXVI, 11 : *Dixi : Nunc cæpi : hæc*

mutatio dexteræ Excelsi. Et hoc congruit æternitati, quæ semper in præsentibus stat. Quia dicit Boetius, quod nunc stans et non movens sese, semper æternitatis facit.

Quid autem accipiendum est? quia crucem debemus accipere. Ad Hebr. xiii, 13: *Exeamus ad eum extra castra, improprium ejus portantes.* Joan. xix, 17: *Exivit bajulans sibi crucem.* Crux autem figura est Christi, qui in se, et pro aliis patiebatur, et mundo crucifigebatur: et ita in nobis caro crucifigenda, proximo compatiendo: et mundo crucifixi esse debemus. Et de primo, Apostolus ad Galat. v, 24: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Ad Galat. ii, 19: *Christo confixus sum cruci.* I Petr. ii, 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Proximi autem compassio describitur, Ezechiel, ix, 4: *Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium.* Malach. iii, 8: *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me.* Luc. ii, 35: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Thren. i, 20: *Foris interficit gladius,* hoc est, pro his qui sunt foris. Et mundo crux vita nostra. Ad Galat. vi, 14: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Isa. lxxv, 2: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.*

Sequitur, cujus, cum dicit: « *Suam,* » non alienam, sicut Simon in angaria ¹. Nostra enim crux est quæ nobis imponitur, non alienis humeris imponenda. I ad Corinth. xv, 49: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis.* Ad Roman. vi, 5: *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.*

« Et sequitur me. »

Ecce tertium, ubi ponit intentionem:

et hoc est perfectionis, sequi Regem factorem suum: sicut dicit Petrus, Luc. xxii, 33: *Tecum paratus sum et in carcerem et in morrem ire.*

« Non est me dignus. »

Tertium est, quia talis indebite convertitur ad seipsum a me abstractus.

« Qui invenit animam suam, perdet illam. »

Hic explanat modum accipiendi crucem.

Et tangit duo: modum oppositum cruci, et modum crucis.

Modum oppositum cruci tangit, quando dicit: « *Qui invenit,* » hoc est, qui in præsentibus bonis invenire quærit, « *animam suam,* » ab animalitate dictam, nihil nisi animalia quærentem, sicut bruta, quæ felicitatem cum Epicuro in carnalibus ponunt. I ad Corinth. ii, 14: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Stultitia enim est illi, quia spiritualiter examinatur. Prona est hæc in terrena, non attollens vultum ad cælestia: sicut homo imaginem Dei contemplan.

« *Perdet illam,* » et hic et in futuro. I ad Corinth. vi, 13: *Esca ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et has destruet.* Joan. xii, 25: *Qui amat animam suam, scilicet in hoc mundo, perdet eam.*

« Et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. »

Ecce modus conformis cruci.

Et dicit tria: primo, perditionem animæ, « *Qui perdiderit.* » Eccli. xviii, 31: *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere:* et loquitur subtiliter: hæc enim anima potius est habi-

¹ Cf. Marc. xv, 21.

tus quam animæ natura, sed (alias, vel) potentia naturalis. Et hæc dispositio invenitur continue ex passionibus, et actibus animalibus : et continue ex passionibus et actibus crucis Christi rationalibus.

Et dicit secundo : « *Propter me,* » notans intensionem, ne propter se, vel laudem faciamus.

Et tertio, subjungit mercedem, cum dicit : « *Inveniet eam,* » non ut animale, sed ut perfectam optimæ rationalis animæ, sicut inferius invenitur, cum reduci- tur ad superioris felicitatem. Ad Hebr. XII, 2 : *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem :... in dextera sedis Dei sedet.* Joan. XII, 25 : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

40

« Qui recipit vos, me recipit : et qui me recipit, recipit eum qui me misit. »

Hic tangit auctoritatem commissam Discipulis : et quia recipiens et sustentans Apostolum collaborat contribuendo, ideo tangit de mercede recipientium.

Et tangit receptos sub triplici differentia, scilicet Prophetæ, qui sunt Doctores : et justus, qui sunt perfectionis prædicatæ imitatores : et discipuli, qui sunt per auditum ab eis fidem accipientes. Tangit etiam ea quæ impenduntur talibus, et exemplificat in minimis, ut intelligatur de omnibus aliis.

Et secundum ista dividitur pars ista in duas : in auctoritatem receptorum, et beneficia recipientium.

Beneficia recipientium sunt duo simpliciter intellecta secundum opera misericordiæ, vel in minimis propter eos qui facultates non habent : et receptiones secundum opera misericordiæ intelliguntur majora et minora secundum dignitates Prophetæ, justus et discipuli.

Auctoritas autem describitur duplex, Filii scilicet et Patris, qui est principium divinitatis.

De primo dicit : « *Qui recipit vos, me recipit,* » quia ut legati mei venitis. Luc. x, 16 : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.* Et, Luc. ix, 48 : *Qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Joan. x, 30 : *Ego, et Pater unum sumus.* Joan. xiv, 23 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Ezechiel. iii, 7 : *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.*

« Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justus, mercedem justus accipiet.

Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. »

Hic tangit receptorum differentiam.

Est autem Propheta eodem sensu et spiritu Scripturas exponens, quo editæ sunt.

Et dicit : « *In nomine,* » non in persona : quia etsi pseudopropheta sit, tamen mercedem recipientis accipiet, quamdiu nomini dat sustentationem, et vitium non fuerit imitatus. Ad Roman. xii, 13 : *Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.* Ad Hebr. xiii, 16 : *Beneficiæ et communicationis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus.* Ad Hebr. vi, 10 : *Non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis.*

Et hoc est : « *Mercedem Prophetæ accipiet.* » Aut quæ debetur pro Prophetæ receptione : aut quæ ipsi Prophetæ debetur pro doctrina : aut etiam donum aliquando Prophetæ. Unde, III Reg.

xviii, 4 et seq., Abdias, quia pavit Prophetas, donum meruit prophetiæ. Et, III Reg. xvii, 14, vidua recipiendo Prophetam meruit farinæ et olei indigentiam. II ad Corinth. ix, 10 : *Multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.*

« *Et qui recipit justum,* » non docentem, « *in nomine justî,* » hoc est, sustentandæ in ipso justitiæ, « *mercedem justî accipiet.* » Eccli. xii, 2 : *Benefac justo, et invenies retributionem magnam : et si non ab ipso, certe a Domino.* Unde, Josue, ii, 1 et seq., Rahab adjuncta est genealogiæ Domini, quia recepit exploratores. Sic enim, I Reg. xxx, 24, æqua est portio procedentium ad bellum, et remanentium ad sarcinas.

« *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis,* »

Qui sua pro Domino reliquerunt,

nihil accipientes a contribulibus, et perfecti sunt propter Deum, sicut dicitur in epistola III Joannis, v. 11 ¹.

« *Calicem aquæ frigidæ,* » ut nulli sit excusatio : aut etiam ipsam solam dederit voluntatem, sicut dicitur, II ad Corinth. viii, 12 : *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.* « *In nomine discipuli,* » et si non in persona. Et discipulus est minor justo, qui nuper accepit auditum, adhuc est imbuendus.

« *Amen dico vobis,* » hoc est, fideliter dico, « *non perdet mercedem suam* » triplicem, sicut dictum est supra. I Petr. iv, 9 : *Hospitales invicem sine murmuratione.* Sic enim Abraham cognitionem meruit Trinitatis, et futuram promissionem benedicendi in ipso seminis ². Sic et Lot liberationem obtinuit a Sodomis ³.

CAPUT XI.

Joannes de carcere nuntios mittit ad Jesum : quibus post Christi responsum abeuntibus, ipse coram turbis laudat Joannem : Judæos vero pueris in foro invicem acclamantibus assimilat, exprobrans civitatibus obstinatis in quibus plurimas fecerat virtutes : confessio Jesu ad Patrem : oneratos ad se vocat Christus, dicens jugum suum esse suave.

1. Et factum est, cum consummasset Jesus præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum.
2. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi ⁴, mittens duos de discipulis suis,
3. Ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?

¹ III Joan. v. 11 : *Qui benefacit, ex Deo est : qui malefacit, non vidit Deum.*

² Cf. Genes. xviii, 1 et seq.

³ Ibidem, xix, 1 et seq.

⁴ Luc. vii, 18.

4. Et respondens Jesus, ait illis :
Euntes renuntiate Joanni quæ
audistis et vidistis.
5. Cæci vident ¹, claudi ambulant,
leprosi mundantur, surdi au-
audiunt, mortui resurgunt, pau-
peres evangelizantur ².
6. Et beatus est qui non fuerit scan-
dalizatus in me.
7. Illis autem abeuntibus, cœpit Je-
sus dicere ad turbas de Joan-
ne ³: Quid existis in desertum
videre? arundinem vento agita-
tam?
8. Sed quid existis videre? hominem
mollibus vestitum? Ecce qui
mollibus vestiuntur, in domibus
regum sunt.
9. Sed quid existis videre? prophe-
tam? Etiam dico vobis, et plus
quam prophetam.
10. Hic est enim de quo scriptum
est: Ecce ego mitto angelum
meum ante faciem tuam, qui
præparabit viam tuam ante te ⁴.
11. Amen dico vobis, non surrexit
inter natos mulierum major
Joanne Baptista: qui autem
minor est in regno cœlorum,
major est illo.
12. A diebus autem Joannis Baptistæ
usque nunc, regnum cœlorum
vim patitur, et violenti rapiunt
illud.
13. Omnes enim prophetæ et lex us-
que ad Joannem prophetave-
runt:
14. Et si vultis recipere, ipse est Elias,
⁵ qui venturus est ⁶.
15. Qui habet aures audiendi, audiat.
16. Cui autem similem æstimabo ge-
nerationem istam? Similis est
pueris sedentibus in foro, qui
clamantes coæqualibus,
17. Dicunt: Cecinimus vobis, et non
saltastis: lamentavimus, et non
planxistis.
18. Venit enim Joannes, neque man-
ducans, neque bibens, et di-
cunt: Dæmonium habet.
19. Venit Filius hominis manducans
et bibens, et dicunt: Ecce ho-
mo vorax, et potator vini, pu-
blicanorum et peccatorum ami-
cus. Et justificata est sapientia
a filiis suis.
20. Tunc cœpit exprobrare civitati-
bus in quibus factæ sunt plu-
rimæ virtutes ejus, quia non
egissent pœnitentiam:
21. Væ tibi, Corozain ⁶! væ tibi,
Bethsaida! quia si in Tyro et
Sidone factæ essent virtutes
quæ factæ sunt in vobis, olim
in cilicio et cinere pœnitentiam
egissent.
22. Verumtamen dico vobis, Tyro et
Sidoni remissius erit in die ju-
dicii quam vobis.
23. Et tu, Capharnaum, numquid
usque in cœlum exaltaberis?
usque in infernum descendes:
quia si in Sodomis factæ fuis-
sent virtutes quæ factæ sunt in
te, forte mansissent usque in
hanc diem.
24. Verumtamen dico vobis, quia ter-
ræ Sodomorum remissius erit
in die judicii, quam tibi.
25. In illo tempore respondens Jesus,
dixit: Confiteor tibi, Pater,
Domine cœli et terræ, quia abs-
condisti hæc a sapientibus et
prudentibus, et revelasti ea par-
vulis.
26. Ita, Pater, quoniam sic fuit pla-
citur ante te.
27. Omnia mihi tradita sunt a Patre
meo. Et nemo novit Filium,
nisi Pater: neque Patrem quis

¹ Isa. xxxv, 5.² Isa. lxi, 1.³ Luc. vii, 24.⁴ Malach. iii, 1; Marc. i, 2; Luc. vii, 27.⁵ Malach. iv, 5.⁶ Luc. x, 13.

- novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare ¹.
28. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.
29. Tollite jugum meum super vos, et

- discite a me, quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris ².
30. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve ³.

IN CAPUT XI MATTHÆI

ENARRATIO.

« Et factum est, cum consummasset Jesus præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum. »

Habita ordinatione Prælatorum tamquam nobilium membrorum corporis mystici, hic subjungit ordinem corporis mystici secundum se in comparatione ad statum corporis, et in comparatione membrorum ad se invicem. Et ideo sunt hic duæ partes : in quarum prima proponit ordinem determinatum secundum statum corporis, et in secunda determinat ordinem secundum officia membrorum.

Ordo autem status corporis determinatur secundum tres status : secundum scilicet ordinem inceptionis, et hoc determinatur in isto capitulo : et secundum ordinem progressionis, et officia personarum in corpore mystico, ibi, a cap. xii ad cap. xxi : et secundum ordinem finis, et iste tertius status determinatur a cap. xxi usque ad xxix.

Istud autem capitulum, in quo determinatur ordo secundum initium corporis mystici, quod est corpus hominis Christi, dividiur in partes duas : in qua-

rum prima quasi continuat dicenda dictis, et utitur transitu quodam : in secunda autem tangit proprietatem principii in principio Ecclesiæ, ibi, *ꝯ. 2* : « *Joannes autem cum audisset, etc.* »

In prima harum tria dicit : in quorum primo præcedentis instructionis notat consummationem per hoc, quod dicit :

« Et factum est, »

¶

Hoc est, dicere. Et perfectum est hoc de instructione. Deuter. xxxii, 4 : *Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia.*

Determinat autem secundo quod factum est, cum dicit :

« Cum consummasset Jesus, »

Hoc est, cum ad summam perduxisset Jesus sermones istos.

« Præcipiens duodecim discipulis suis. »

Ergo videtur, quod omnia quæ dixi in præcedenti (alias, præsentis) capitulo, sint præcepta.

Et ad hoc dicendum, quod ista in prima et particulari missione sunt præcepta eo modo intellecta, sicut in præcedentibus interpretata sunt. Tamen præceptum dicitur dupliciter : præceptum scilicet magistri, et præceptum legislatoris. Præceptum autem magistri est sicut regula

¹ Joan. vi, 46, et vii, 28, et viii, 19, et x, 15.

² Jerem. vi, 16.

³ I Joan. v, 3.

morum, vel operis, quod exercendum est : sed non obligat nisi sicut ars. Quia, sicut dicit Tullius : « Ars est collectio « multorum præceptorum ad eundem « finem tendentium : » et de talibus præceptis loquitur hic. Et hoc *præceptum* dicitur quasi anteceptum, vel captum, ut teneatur quasi ratio operum. Aliter dicitur præceptum ex vi coactionis pœnæ obligatorium ad faciendum : et hoc modo potest dici, quod non sumitur hic præceptum, sed in Exod. xx, 3 : *Non habebis deos alienos coram me.*

« Transiit inde. »

In demonstratione potestatis, bonitatis, et sapientiæ. In demonstratione potestatis, Luc. iv, 30 : *Jesus autem transiens per medium illorum, ibat.* Hic enim transitus factus est, cum Dominum velent de monte præcipitare.

In demonstratione autem bonitatis, Act. x, 38 : *Qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, etc.*

In demonstratione autem sapientiæ, sicut dicitur hic, et supra, iv, 23 : *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni.* Adhuc autem aliquando transivit per depositionem assumptæ infirmitatis. Joan. xiii, 1 : *Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.*

Sic ergo dicit : « *Transiit inde,* » hoc est, de loco ubi Apostolos instruxerat, « *ut,* » sicut Apostolis dixerat, ita exemplum dans, « *doceret* » rationalia, « *et prædicaret* » supernaturalia, ad quæ fides illuminat. Matth. iv, 23 : *Docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni.* « *In civitatibus,* » ubi major fuit confluxus hominum propter urbanitates : et ubi magis erant auditiones rationales ad discernendum audita. « *Eorum,* » hoc est Apostolorum : non quæ suæ essent, vel inhabitarent, sed de quibus nati, et in quibus noti et

conversati, ut ibi eos ad omnia contemnenda instrueret. Vel, per notitiam eorum alios etiam attraheret, et ut ostenderet aliis, quoniam fides primum Judæis esset offerenda, ut inter eos qui Scripturas noverant, probata jam certificata Gentibus offerretur.

« Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis,

Ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ? »

Hic post transitum in quo dicenda dictis continuavit, inceptionem Ecclesiæ describit.

Dividitur autem hæc pars in tres partes : in quarum prima ostenditur a diebus Joannis finem esse Synagogæ, et principium Ecclesiæ : in secunda, ponitur exprobratio eorum qui principia fidei incipientis Ecclesiæ non recipiunt, ibi, v, 16 : « *Cui autem similem æstimabo.* » In tertia, ponitur gratiarum actio ad Deum Patrem, pro his qui fidem nascentis Ecclesiæ per revelationem Patris acceperunt, ibi, v, 25 : « *In illo tempore repondens Jesus, dixit.* »

Prima harum dividitur in partes duas : in quarum prima per officium Joannis describitur Ecclesiæ principium : in secunda, describitur hujus principii forma et modus, ibi, in medio v, 11 : « *Qui autem minor est in regno cælorum.* »

Adhuc, prior harum duo continet : quorum primum est directio ad Christum sicut ad Ecclesiæ caput facta per Joannem : secundum autem est laus Joannis terminatione Synagogæ, et principio Ecclesiæ per præcursoris officium ibi, v, 7 : « *Illis autem abentibus.* »

Adhuc, in primo horum duo continetur, directio scilicet facta ad Christum a Joanne, et certificatio directorum, ibi, v, 4 : « *Et respondens Jesus, etc.* »

In primo horum tria sunt : opportunitas, sive occasio missionis, missio, et interrogationis injunctio.

De primo ergo dicit :

« Joannes autem »

Baptista, « *cum audisset,* » referentibus discipulis, qui permittebantur ad eum accedere, propter hoc quod Herodes tenebat eum « *in vinculis,* » quibus procurante Herodiade vinctus fuit, sicut dicitur, Marc. vi, 17 : *Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiam.* Luc. iii, 19, autem habetur idem. « *Opera Christi,* » scilicet miracula. Joan. v, 36 : *Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Hæc igitur est relatio discipulorum Christo invidentium, ut supra, ix, 14¹, diximus, et causa est missionis. Unde sequitur :

« Mittens duos. »

Ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, etiam apud alios dubitantes².

« *De discipulis suis,* » forte magis æmulantibus, ut illis certificatis etiam alii certificarentur.

« Ait illi. »

Ecce interrogationis injunctio. « *Tu es qui venturus es ?* » Simile, Joan. i, 27 : *Qui post me venturus est, ante me factus est.* Erat enim venturus Christus post Joannem, non modo in persona, sed in efficacia sacramentorum, et in constitutione Ecclesiæ, et officio redemptionis.

« *An alium expectamus ?* » Innuit Joannes alium expectari, cujus expectatione voluit discipulos averti, ne cum

Judæis excæcati Antichristum pro Christo præstolarentur, et susciperent, sicut dicit Chrysostomus. Joan. v, 43 : *Ego veni in nomine Patris mei; et non accepistis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.*

Quæritur autem hic utrum Joannes dubitavit ? Videtur autem mirabile si de hoc dubitare potuit, quem intra materna viscera obstrusus cognovit, quem Spiritus in deserto revelavit, cui columba insedit, super quem vox Patris intonuit, quem digito demonstravit, cui testimonium quod mundi peccata tolleret perhibuit, de quo quod Agnus immolandus esset prædixit, ad quem Andream cum alio misit, cui detrahentes discipulos corripuit, cui Judæis quærentibus testimonium perhibuit : quæ omnia legimus fecisse Joannem³.

Propter hoc dicit Gregorius, quod « non dubitavit Christum esse Messiam in lege promissum, vel venisse in carne (alias, carnem), sed potius, « utrum per se descensus esset ad inferna, sicut per se venit in mundum, vel hoc per alium esset impleturus. »

Sed cum descensus ad inferos sit de articulis symboli Apostolorum, qualiter Joannes illuminatus et illuminator ad fidem de illo potuit dubitare ?

Et ad hoc posset dici, quod non dubitavit de articulo, sed de modo articuli : descensus enim completur in liberatione eorum qui in inferno sunt : de quo non dubitavit Joannes, cum hoc scriptum sciret, Zachar. ix, 11 : *Tu in sanguine testamenti tui emisisti victos tuos de lacu in quo non est aqua.* Et, Osee, xiii, 14 : *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne.* Sed quia hoc Christi completur passione et virtute, sicut per causam potuit dubitare (alias, dubitari) de modo, utrum facta jam redemptione per mortem, alium

¹ Cf. enarrationem D. Alberti in hunc locum Matthæi, ix, 14.

² Cf. Deuter. xvii, 6.

³ Cf. Luc. i, 15 ; Joan. i et iii, passim.

missurus esset educationis ducem, qui clausos jam liberatos educeret, vel per seipsum descendens inferna visitaturus esset. Et sic loquitur Gregorius. Et hoc quærebat Joannes, utrum prænuntiare in inferno ad lætitiā ibi detentorum deberet.

Sed quia hoc in verbis Joannis non exprimitur, ideo Ambrosius aliter solvere videtur, distinguens triplicem esse causam interrogationis : unam quidem cæcitatatis, sicut Judæi de Christo, Joan. x, 24 : *Quousque animam nostram tollis ? si tu es Christus, dic nobis palam.* Aliam autem dubitationis, sicut discipuli de Christo, Joan. i, 31 : *Rabbi, ubi habitas ?* Et hæc aliquando est dicta ad credendum tarditas, Luc. xxiv, 25 : *O stulti, et tardi corde ad credendum !* Tertiam, pietatis, Joan. xi, 34, Christus quærit de Lazaro : *Ubi posuistis eum ?* Sicut etiam mater de filio in exilium eunti quærit sciens : Relinques matrem, fili, tam dilectam, et tam te diligentem ? Et hunc modum quæstionis dicit factum esse a Joanne propter teneritudinem dilectionis ex pietate quærente, quod tamen scivit futurum : quia indignum vidit esse Domino majestatis, licet ad redemptionem esset necessarium.

Sed quia nec hoc in verbis Joannis exprimitur, igitur cum Augustino et Chrysostomo videtur dicendum, quod non sibi, sed discipulis Christi gloriam zelantibus quæsivit : ac si diceret : Sæpe vos commonui, et non credidistis quod ipse esset : ecce mitto duos ex vobis, et dicite ei : *Tu es*, etc., ut per vos ipsos certificati magis acquiescatis. Ego enim non sum Christus, sed ipse, qui spiritum non accepit ad mensuram¹, qui ut sponsus sibi exhibet gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam².

¹ Joan. iii, 34 : *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.*

« Et responpens Jesus, ait illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis. »

Ecce certificatio discipulorum de Ecclesiæ fundatione. Et intermittitur causa brevitatis historia, qualiter venientes a Joanne interrogationem apud Christum proposuerunt : « *Euntes renuntiate Joanni.* »

Tria tangit : ut Joanni amico, unde gaudeat, renuntietur, et per quæ fides confirmatur, et unde dubitantes reprehenduntur.

De primo dicit : « *Euntes renuntiate Joanni,* » qui congauget de vestra certificatione. Joan. iii, 29 : *Amicus sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.*

« *Quæ audistis et vidistis.* » Præsentia enim vidistis, et præterita audistis. Et per hoc intelligitur, quod aliquamdiu fuerunt cum Jesu. Et quia plures discipulorum Jesu etiam fuerant cum Joanne, sicut Andreas, ab illis tamquam a notis et fide dignis de non visis audierant : et sic per duos sensus disciplinales instructi, sufficienter fuerant certificati. Job, xlii, 5 et 6 : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam.* Luc. x, 23 : *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis,* etc.

« Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.

Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. »

Hic tangit duo : quorum est unum reparatio corporum, et alterum pertinens ad reparationem perfectam animarum.

² Ad Ephes. v, 27.

Reparatio autem corporum aut est secundum totum, aut secundum partem. Si secundum totum, aut secundum corruptionem solius corporis, aut secundum conjuncti dissolutionem, ex hoc quod anima corpus non continet corpore corrupto : et priori quidem modo est leprosorundum mundatio, secundo autem mortuorum resurrectio. Si autem est secundum partem, cum duo sint in quibus antiqui dixerunt animatum perfecta anima ab inanimato differre, scilicet motu et sensu : aut est secundum motum : et sic est, quod claudi ambulant. Aut secundum reparationem sensus : et duo sensus sunt, qui et maxime sensus habent rationem, et sunt disciplinabiles, qui sunt visus, et auditus : et secundum reparationem quidem visus est, quod cæci vident : secundum reparationem autem auditus est, quod surdi audiunt : in his intelligitur omnis alia reparatio.

« Cæci vident. »

Isa. xxxv, 5 et 6 : *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Joan. ix, 39 : *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant.* Et ibidem, x. 32 : *A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati.*

« Claudii ambulant. »

Sophon. iii, 19 : *Salvabo claudicantem, et eam quæ ejecta fuerat congregabo.* Et hæc duo numquam acciderant nisi a Christo.

« Leprosi mundantur. »

Hoc raro, et si aliquando : tamen non

virtute propria mundantis, sicut Christus per imperium. Supra, viii, 3 : *Volo, mundare.* Luc. xvii, 12 : *Occurrerunt ei decem viri leprosi, etc.*

« Surdi audiunt. »

Marc. vii, 37 : *Bene omnia fecit : et surdos fecit audire, et mutos loqui.*

« Mortui resurgunt. »

Et hoc ante raro accidit, et non propria virtute per imperium, sed per preces : sed Christus imperando. Marc. v, 41 : *Puella (tibi dico) surge.* Luc. vii, 14 : *Adolescens, tibi dico, surge.* Joan. xi, 43 : *Lazare, veni foras.*

« Pauperes evangelizantur. »

Luc. xiv, 33 : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Amos, ix, 11 : *Suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reedificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruebant instaurabo.* Hoc autem quod pertinet ad perfectum animæ complementum, est quod pauperes spiritu, qui, sicut supra, v, 3, notavimus¹, in omnibus hujus mundi bonis se insufficientes existimant, « evangelizantur, » et non divites qui in mundo se sufficere putant. Jacob, ii, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se.*

Deinde subjungit, unde reprehenduntur dubitantes, dicens :

« Et beatus est, »

Per certam speciem beatitudinis futuræ, « qui » fide firmus, « non fuerit scandalizatus in me, » scilicet occasionem ruinæ in me non acceperit, cum in-

¹ Cf. supra enarrationem B. Alberti in hæc verba : *Beati pauperes spiritu, etc.*, pag. 148 et

seq.

firmitatem ostendam in passione. Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.* I Petr. II, 7 : *Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis.* De quo lapide dicitur, Isa. VIII, 14, et ad Roman. IX, 32 et 33, quem *reprobaverunt ædificantes, et lapis offensionis et petra scandali* hi qui offendunt in verbo, nec credunt in quo et positi sunt ¹.

quæ data est illi, et virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur? Nonne hic est faber, filius Mariæ...? Et scandalizabantur in illo. Discipuli autem etiam post visa miracula scandalizabantur de passione. Unde, infra, XXVI, 31 : *Omnnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte : et ideo multum præmunit a scandalo : et laudat Joannem, quia scandalum contra Joannem redundaret in totius Ecclesiæ concussionem.*

« Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne. »

Hic ponitur laus Joannis, eo quod suæ præcursionis officio fecit ad Ecclesiæ inchoationem : unde in hoc pars ista terminatur.

Laus autem Joannis est in tribus : in constantia virtutis, in austeritate rigoris, et in officio præcursionis : et hæc notantur hic per tres responsiones trium interrogationum : per quas etiam patet istius partis divisio.

Primo autem notatur, qualiter opportunitas inducitur istius laudis, cum dicit : « *Illis autem,* » discipulis Joannis, « *abeuntibus,* » ne præsentibus eis adulatio videretur. Psal. CXL, 5 : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

« *Cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne,* » ne ex interrogatione facta per discipulos de Joanne scandalizarentur : faciles enim, et proni erant ad scandalum, sicut et contra Dominum scandalizabantur de facili aliquando de sua prædicatione, sicut, infra, XV, 12 : *Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?* Aliquando etiam de ipsis miraculis scandalizabantur. Marc. VI, 2 et 3 : *Unde huic hæc omnia? et quæ est sapientia*

« *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* »

Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. »

In hac quæstione tria notantur : aviditas in exitu, et labor in progressu in desertum, admiratio in visu. Et hæc tria sunt in omnibus aliis quæstionibus. Matth. III, 5-6, exhibant ad eum, ut baptizarentur ab ipso ². Et, Joan. I, 23, dicitur : *Ego vox clamantis in deserto :* quia cum labore sua relinquentes in desertum exhibant. Pro miraculo autem adspiciebant pilis camelorum tectum, zona pellicea præinctum, locustis pastum : sicut habetur, supra, III, 4.

Hoc est ergo quod dicit : « *Quid,* » pro miraculo et prodigio, « *existis,* » vestra relinquentes, « *in desertum,* » tanti laboris viam assumentes, « *videre?* »

Et hanc quæstionem solvit per aliam quæstionem, dicens : « *Arundinem vento agitatam,* » hoc est, numquid hominem levem omni vento circulatum? Qui in prosperitate mihi testimonium perhibuerit, et modo in adversitate victus de me dubitaverit? Qui in juventute plenus spi-

¹ Isa. VIII, 14 : *Erit... in lapidem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel.* Ad Roman. VIII, 33 : *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali : et omnis qui credit in eum non confundetur.* Psal. CXVII, 22 ; Matth.

XXI, 42 ; Marc. XII, 10 ; Luc. XX, 17 : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

² Cf. Matth. III, 5 et 6 ; Marc. I, 5 ; Luc. III, 3 et seq.

ritu fuerit, et modo vacuus sicut arundo? Qui sicut hypocrita foris exhibeat aliquid pulchritudinis, et intus nihil habeat nisi inanitatem vacuitatis? Cujus generatio sit in humore concupiscentiæ, et habitatio quies libidinis? Qui tam fragilis sit et inconstans, cui nemo inniti debeat nisi cum periculo innitentis confringatur? Quasi diceret? Non: sed potius constantem etiam in carcere, non inclinabilem a veritate, et spiritu quo repletus est ex utero matris, nunc plenius exuberantem in veritatis confessione: qui non in humore carnalis concupiscentiæ natus, sed Angelo nuntiatus: et in siccitate deserti nutritus: et ita fortis, quod nec mortis metu et carceris deserit veritatem.

Arundo enim flexibilis est vento, qui persuasionem significat, III Reg. xiv, 15: *Percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aqua: et evellet Israel de terra bona.* Ad Ephes. iv, 14: *Non simus parvuli fluctuantes, et non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum.* Arundo etiam vacua est intus, et extra splendens et pulchra, Job, viii, 11: *Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua?* Sapient. iii, 7: *Tamquam scintillæ in arundineto discurrunt justi, hoc est, in vacuis a gratia extendentes eos.* Arundo etiam in humorosis crescit, Job, xl, 16: *Sub umbra dormit, in secreto calami, et in locis humentibus.* Arundo etiam est fragilis, Isa. xxxvi, 6: *Confidis super baculum arundineum contractum istum, super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam.*

« Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum. »

Hoc accipitur dupliciter: litteraliter, et metaphorice.

¹ Act. xii, 21 et seq.: *Statuto die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et conacionabatur ad eos. Populus autem acclamabat:*

Litteraliter quidem mollis duo importat, mollitiem videlicet resolutæ commoditatis, et nitorem pretiosæ vestis. Luc. xvi, 19: *Induebatur purpura, et bysso.* Bysus enim dicit resolutæ mollitiei commodum, et purpura pretiosæ vestis indumentum, Act. xii, 21: *Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali.* Et post modicum, y. 23: *Consumptus a vermibus, exspiravit.* Et dicitur in Historia Ecclesiastica, quod vestis erat ex splendore auri et argenti contexta: in quam dum inciderent solis radii, ex polito metallo reverberatis et multiplicatis radiis splendorem prætendebat divinum: et ideo populus acclamabat Dei voces: et tunc percussus consumptus a vermibus exspiravit ¹. I Petr. iii, 3: *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Eccli. xi, 4: *In vestitu ne glorieris umquam.* Augustinus: « Fateor, de « veste pretiosa erubesco. Non enim de « cet hæc membra, non hos canos, non « hanc professionem. »

Metaphorice autem mollibus induitur, qui blandis adulantium sermonibus circumtectus peccatoribus adulatur. Psal. cxl, 5: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Unde, Supra, iii, 7: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Eccli. xii, 11: *Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi: sed compungunt acute et in profundum.* De his adulatoribus, Ezechiel. xiii, 18: *Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus! Pulvillus enim sub cubito consultur, quando mollis sermo peccatori sub brachio peccati substernitur, quo in peccato suaviter appodiatu diutius retineatur.*

« Ecce qui mollibus, » prædicto modo, « vestiuntur, in domibus, » non in carceribus, « regum sunt. » Reges enim gentium tales, ut dicit Aristoteles, gratian-

Dei voces et non hominis. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo: et consumptus a vermibus, exspiravit.

tur sicut Sardanapalus, qui in peccato eisdem adulantur. Hi sunt enim, de quibus dicitur, Isa. xxx, 10 : *Dicunt videntibus : Nolite videre : et adspicientibus : Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt : loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Talis igitur non fuit, cujus cum stupore adspexistis vestem de pilis camelorum, vilem et hispidam : et circa lumbos ejus zonam pelliceam : et qui dure reprehendit regem cum Herodiade de conjunctione adulterina stupri crimine cumulata.

« Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam.

10 Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

11 Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. »

Ecce commendatio ab auctoritate doctrinæ.

Et dicit tria : quorum primum est doctrinæ inspiratio divina : secundum, utilitas doctrinæ in præparanda Redemptoris via : tertium autem est vitæ sanctitas eximia. Et hæc patent in littera.

Primum est ad Deum, secundum ad proximum, tertium ad seipsum. Item, primum est ex revelatione contemplationis, secundum est optimæ actionis, tertium autem eximiæ virtutis. Adhuc, primum est honoris, secundum utilitatis, tertium autem sanctitatis : et primum horum secundo dat facultatem : secundum autem tertio dat meritorum perfectionem.

« Sed quid existis videre? Prophetam? »

Istam igitur quæstionem affirmando determinans, dicit : « *Etiam.* » Quasi dicat : Ipse est Propheta, Luc. 1, 76 : *Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis,* etc. Jerem. 1, 5 : *In utero novi te, et Prophetam in Gentibus dedi te.* Est enim « *Propheta,* » divinam habens inspirationem ad hoc, quod rerum de Verbi sacramentis eventus existentium sub immobili veritate denuntiet.

Non solum autem est Propheta, sed « *plus quam Propheta,* » quia cæteri tantum cecinere vatum corde præsago jubar affuturum : sed Joannes quidem mundi scelus auferentem Agnum indice prodit⁴. Prædixit enim et demonstravit. Vel, « *Plus quam Propheta,* » in hoc quod ante usum vitæ motum ostendit prophetiæ. Lucæ, 1, 44 : *Exsultavit in gaudio infans in utero meo.* Adhuc etiam sicut Propheta Christum prædicavit post se venturum, plus autem quam Propheta eum baptizavit, et per columbam demonstravit, et per vocem Patris.

Sed objicitur, Joan. 1, 21, dixit Joannes : *Non sum Propheta.* Et Luc. xvi, 16 : *Lex, et Prophetæ usque ad Joannem.*

RESPONSIO. Dicendum, quod Propheta proprie et strictissime loquendo est qui procul in futurum fatur de Verbo et sacramentis Verbi : et hoc per divinam accipit inspirationem. Sed aliquo modo non proprie dicitur Propheta nisi habens divinam inspirationem et materiam, quia de Verbo et sacramentis ejus, sed non procul in futurum promittens, sed digito exhibens. Hoc enim est Apostoli : et sic Joannes est Propheta. Primo autem modo putabant Judæi Joannem esse Prophetam, quando negaverat se esse Christum, et hoc negavit Joannes : quia non

⁴ Cæteri tantum cecinere Vatum
Corde præsago jubar affuturum :
Tu quidem mundi scelus auferentem

Indice prodis.
Hymnus Matutin. in festo S. Joannis Baptistæ.

fuisset præcursor Christi, sed promissor, ut alii Prophetæ. Et primo modo, dicti Prophetæ et Lex currebant usque ad Joannem, sicut infra dicetur.

« Hic enim est de quo scriptum est. »

Malach. III, 1 : *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.*

Et est commendatio ab officio, et sunt verba Patris ad Filium : « Ecce. » Quasi dicat : In propatulo, et est publicum. « Mitto, » in obsequium tuum, o fili, « Angelum meum, » non natura sed officio, et vitæ cœlibatu, et actu illuminationis. Officio quidem, quia parabat viam sicut Angeli. Luc. I, 76 : *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Isa. LXII, 10 : *Transite, transite per portas, parate viam populo, planum facite iter, eligite lapides.* Angelus autem vitæ cœlibatu, quia virgo cœlibatum duxit. Matth. XXII, 30 : *Neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Illuminatione, quia docuit et illuminavit sicut Angeli faciunt. Malach. II, 7 : *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Job, XXXVIII, 32 : *Numquid producis Luciferum in tempore suo,* Joan. V, 33 : *Joannes erat lucerna ardens et lucens.*

« Ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. » Via enim hæc fuit via regenerationis, quam prædicando baptismum pœnitentiæ præparavit Joannes. Luc. I, 17 : *Ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Isa. XL, 3 : *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.*

« Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum. »

Commendatio est a perfectione virtutis

et sanctitatis. Dicit autem : « *Inter natos mulierum,* » quia mulier est molliens hominem, vel herum, et emollita est, ab ipso et subacta : et sic nati mulierum sunt nati per coitum : et ideo non includitur Virginis filius. Et hoc est quod dicit : « *Major,* » bonitate, « *Joanne Baptista.* » Eccli. XLIV, 2 : *Non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem Excelsi.* Deuter. XXXIII, 10 : *Et Benjamin ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescit.*

Vel, dicatur « *major* » dignitate officio præcursionis : quia in hoc medius fuit inter legem et gratiam, terminando scilicet legem et introducendo gratiam : ita vicinior est optimo quam omnes umbræ legis et Prophetarum, et sic major est omnibus in lege et Prophetis quoad officii dignitatem. Quod autem vicine se habeat ad gratiam. Joan. I, 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Et Joannes ministerio suo medius major omnibus legalibus : et hunc sensum ego puto esse litteralem.

« Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo. »

In parte istius principii Ecclesiæ describitur forma et modus.

Et dicuntur hic tria : quorum primum est modus ministrorum : secundum autem modus gratiam Ecclesiasticam percipientium : tertium autem modus terminationis Legis et Prophetarum. Et hæc patent in littera.

De primo dicit : « *Qui autem minor est,* » ministrorum scilicet, « *in regno cœlorum,* » hoc est, in potestate Ecclesiastica, quæ est regnum cœlorum, sicut sæpe supra determinatum est, « *major est illo :* » quia ex quo medius est legis et gratiæ, minister gratiæ major est eo per eandem rationem : quia ipse major est omnibus ministris dispensantibus le-

gem, ut patet per antedicta. Confert enim gratiam, qui est minister regni cœlorum, quod non fecit Joannes. Sic enim claves datæ sunt his qui sunt in regno Christi, quod idem est cœlorum regnum, quæ non sunt datæ Joanni, vel ministris legis. Et hic est sensus litteralis et planus: et hoc modo quilibet etiam malus homo minister regni cœlorum major est et Moyse et Prophetis et Joanne, quia Christus in eo confert quod non contulit in Moyse, Prophetis, vel Joanne. Nos enim sæpius ostendimus, quod regnum est potestas completa ordinata ad unum: et regnum cœlorum nihil aliud est nisi potestas ordinata ad unum Regem Christum, legibus et gradibus et consiliis et urbanitatibus cœli distributa.

Sunt autem diversæ Sanctorum expositiones non litteram sequentes, sed aliter prout cuilibet competit verba ista verificantes. Et dicunt quidam quod minor in regno cœlorum in reputatione hominum fuit Christus quam Joannes: et hic major est Joanne, sicut ipse dicit, Joan. 1, 30: *Post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat.* Alii hoc referunt ad miracula: quia minor in regno cœlorum quicumque sanctus discipulus Christo adhærens, major est Joanne in potestate signorum: quia omnibus illis dictum est: *Ægros sanate, leprosos mundate, etc.* De Joanne autem dicitur, quod Joannes quidem signum fecit nullum¹. Alii referunt hoc ad eos qui regnant cum Christo: qui propter securitatem majores sunt Joanne adhuc in dubiis hujus vitæ agente: quamvis enim tunc in limbo, fuerunt tamen Abrahæ sinu recepti: securi spe felici adventum Domini exspectabant.

Sic igitur determinatum est qualiter in ministro, pro hoc quod major est Joanne, regnum cœlorum in potestate introducit Ecclesiastica.

« A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. »

Omnes enim Prophetæ et Lex usque ad Joannem prophetaverunt. »

Hic tangit qualiter percipitur hoc regnum ab his qui colliguntur in ipso.

Dicit ergo quod « *A diebus Joannis* » hoc regnum introducentis, « *regnum cœlorum,* » quoad justitiam et leges quibus ordinatur regnum cœli, quoad distinctionem officiorum et urbanitatum, et quoad finem beatitudinis quæ in ipso acquiritur, « *vim patitur.* » « Vis est impetus fortioris continens id quod vim patitur intra terminos alienos, » sicut dicit Tullius. « Violentum autem est, cujus principium est in alio, conferente nihil aliud quod vim patitur, » sicut dicunt Aristoteles et Damascenus. Et hoc modo violenti spiritus se tenentes intra terminos cœlestis justitiæ sibi per naturam non debitos, dicuntur hic *vim pati*: et quoad primam gratiam nihil omnino conferunt, nisi quod obicem non ponunt, sed totum facit Spiritus sanctus.

Et sic « *violenti,* » virtute spiritus, « *rapiunt illud,* » quod non fuit Legi concessum, vel Joanni, qui talem spiritum non conferebant. Unde, Luc. xvi, 16, sic habetur. *Ex eo, scilicet Joanne Baptista, regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit.* Raptus enim et violentus est motus et subitus, quia vi superioris naturæ agit et subito: quia nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. Genes. xlix, 9: *Ad prædam, fili mi, ascendisti.* Isa. viii, 3: *Voca nomen ejus: Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Isa. lix, 19: *Cum venerit quasi fluvius violentus quem spiritus Domini cogit.*

¹ Cf. Joan. v, 36.

Omnes enim Prophetæ et Lex usque ad Joannem prophetaverunt. »

Lex enim usque ad Joannem statum habuit in umbra futurorum : Joanne autem Christum demonstrante, promissa Legis exhibita sunt, et figuræ veritate impletæ et sacramenta sunt impleta per gratiam. Joan. 1, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Et ideo tunc Lex habuit terminum, et perfecte terminata est, cum Dominus in cruce dixit : *Consummatum est* ¹, scilicet ea quæ sunt de me finem habent. Similiter Prophetæ spiritu magno videntes ultima, (sicut dicitur, Eccli. XLVII, 27), non dicebantur proprie Prophetæ, nisi quia de Christi gratiis prophetabant, sicut dicitur, I Petr. 1, 10 et 11 : *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt : scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones et posteriores glorias : et tales Prophetæ non fuerunt nisi usque ad exhibitionem sacramentorum Christi, quam introduxit Joannes. Eccli. xxxix, 18 : Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur : et ideo licet postea fuerunt qui futura quædam prædixerint, ut Agabus, et filiæ Philippi Evangelistæ, et forte adhuc sint quidam, tamen non sunt vero nomine Prophetæ vocati, sed secundum diminutam nominis rationem, sicut patet ex superius inductis. Tangens ergo inductionis novæ gratiæ modum, dicit Legem et Prophetias terminari ad Joannem, et inchoare per ipsum novæ legis exordium, in qua gratia et veritas præfiguratæ exhibeantur.*

De qua inchoatione subdit, dicens :

« Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.

Qui habet aures audiendi, audiat. » **15**

Tria tangit : quorum primum est significatio figuratæ locutionis : secundum, locutio ipsa figurate proposita : tertium, qualiter debet intelligi. Quod enim dicit : « *Et si vultis recipere,* » figuratam innuit locutionem. Quoniam quando de rebus aliquis loquitur vera et propria, non est in voluntate audientis recipere, vel non recipere ; sed in ipsa rerum veritate, quam recipi oportet, quia *super omnia vincit veritas* ² : quando autem figurate loquitur (quia in omnibus figuris quædam sunt similitudines convenientes, quædam inconvenientes) est in voluntate audientis recipere, vel refutare sermonem. Et ideo de talibus tropicis (alias, topicis) syllogismus non potest fieri : et in talibus locutionibus peccatum est in problematibus, sicut dicit Aristoteles in II *Topicorum*.

Hac igitur de causa dicit : « *Si vultis recipere,* » proprietatem officii, et similitudinem attendendo potius quam subjectum personæ, « *ipse est Elias, qui,* » secundum prophetiam, « *venturus est in mundum.* » Malach. iv, 5 et 6 : *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum in filios, et cor filiorum ad patres eorum.* Luc. 1, 17 : *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.*

Quia autem hæc figurative dixit, subiungit :

« Qui habet aures audiendi, »

Spiritualia in corporalibus accipiendi,

¹ Joan. xix, 30.

² III Esdræ, iiii, 44. Cf. etiam, III Esdræ, iv,

33 et seq.

« *audiat,* » hoc est, intelligat. Apocal. II, 7 : *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Eccli. III, 31 : *Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.*

Videtur autem esse contrarium quod dicitur, Joan. I, 21, ubi sacerdotes et Levitæ quærebant a Joanne : *Elias es tu? Et dixit: Non sum.*

Sed hoc intelligatur secundum veritatem personæ, et non secundum similitudinem officii. Sic ergo nova gratia introducit per Joannem : et lex vetus quæ neminem ad perfectum deduxit ¹, et etiam prophetiæ terminantur. Et hoc est, quod dicitur, Levit. XXVI, 10 : *Vetera novis supervenientibus projicietis.*

16 « Cui autem similem æstimabo generationem istam ? »

Hic ponitur exprobratio eorum qui principia fidei Ecclesiæ introducta non recipiunt.

Et dividitur in duas partes : in quarum prima ponitur exprobratio generalis : in secunda autem specialis, ibi, ꝑ. 20 : « *Tunc cœpit exprobrare.* »

Prior harum autem adhuc in duas dividitur : ita quod primo ostendit non recipientium perversitatem, secundo autem paucorum recipientium laudem, ibi, in fine ꝑ. 19 : « *Et justificata est.* »

In priori harum sunt tres paragraphi : in quorum primo notat perversitatis istorum magnitudinem, in secundo per metaphoram describit modum, in tertio autem explanat metaphoram. Et hæc patent in littera.

De primo dicit :

« Cui autem, etc. »

Interrogatio notat difficultatem inveniendi similitudinem ex magnitudine perversitatis : et ideo etiam similitudo

non invenitur in uno, sed in duobus, et adhuc est imperfecta. Jerem. II, 12 et 13 : *Obstupescite, cæli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus.*

« *Similem æstimabo,* » in malitia perversitatis, « *generationem istam ?* » Marci, IX, 18 : *Generatio incredula, quamdiu apud vos ero ? quamdiu patiar vos ?* Deuter. XXXII, 20 : *Generatio enim perversa est, et infideles filii.*

Dicit autem, « *generatio,* » et non homines, ut notet quod contractam per imitationem peccati hæreditaverunt consuetudinem, quam etiam novis studiis peccando cumulaverunt. Sapient. XII, 10 et 11 : *Nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen erat maledictum ab initio.* Contra quod dicitur in Psalmo LXXVII, 8 : *Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava et exasperans.*

« Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes cœqualibus, »

Dicunt : *Cecinimus vobis, et non saltastis : lamentavimus, et non planxistis.* »

Ecce per metaphoram descriptio modi perversitatis istorum : et non describitur nisi quantum ad solam incorrigibilitatem.

Dicit igitur : « *Similis est pueris,* » hoc est, puerorum factis, et pacta puerilium ludorum violantibus, « *sedentibus,* » hoc est, in lascivis (alias, lusivis) actibus quiescentibus « *in foro,* » non rerum venalium, sed in theatris ubi ad spectacula ludorum conveniunt homines. Unde *theatrum* dicitur a θεάματα, quod est *video,* vel *contemplor* : secundum hoc enim forum, quod est locus publicus hic ponitur : quia etiam in publicis locis venalia exhibebantur.

¹ Cf. ad Hebr. VII, 19.

« *Qui clamantes,* » intente desiderantes consodales excitare ad colludendum, « *coæqualibus,* » collectaneis et coævis, « *dicunt : Cecinimus vobis,* » hoc est, læta tripudio representabilia modulando cantavimus, « *et non saltastis,* » motu membrorum, et agilitate modulationem cantus imitantes : « *lamentavimus,* » hoc est, carmina lugubria deprompsimus, « *et non planxistis,* » hoc est, tristitiæ signa exprimendo non respondistis.

Puerilia autem ista laudabilia sunt, et ludentes et ludi. Pueri enim a puritate laudantur hic, et a quiete, quia sederunt : et a publico, quia non in concupiscentiis in obscuro, sed honestos ludos exercebant in publico.

De pueris dicitur, Isa. viii, 18 : *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* Et ideo significat totum cœtum Prophetarum et Patriarcharum. Isa. xi, 6 : *Puer parvulus minabit eos,* quia humiles sunt et quia innocentes. Matth. xix, 14 : *Sinite parvulos venire ad me : talium est enim regnum cœlorum.* Et quia simplices, I ad Corinth. xiv, 20 : *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote : sensibus autem perfecti estote.* Et quia mundi, I Reg. xxi, 4 : *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus,* comedant panes propositionis. Sic ergo obedientes, puri, humiles, simplices sunt, et mundi. Et per hoc Sanctos significant, qui verbum Dei prædicaverunt.

Laudantur etiam a ludi utilitate et honestate : quia id quod præcipue facit conformes, et in pace vivere homines, et mutuo se diligere, hoc est, quod exhibent se, sicut dicitur, ad Roman. xii, 13 et 16 : *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus : id ipsum invicem sentientes.* Et hoc pueri ludere representaverunt, ut consodales ad hoc a juventute assuefacerent.

Quod autem maxime laudandum est, hoc est, quod cum illa ætas instabilis sit, et multorum motuum, in tam honestis exercitiis sederunt. Quia dicit Aristoteles, quod « in sedendo et quiescendo fit ani-

« ma sciens et prudens. » Thren. iii, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit : quia levavit super se.* Laudabiliter etiam locum publicum elegerunt, ut plures ædificarent. Proverb. i, 20 : *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.*

In oppositis autem pacta ludi tam honesti violantes vituperantur contribules et coævi consodales istorum, qui fugientes ad latebras concupiscentiarum Judæos significant, de quibus dicitur, Act. vii, 51 : *Dura cervice et indomabili corde, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Isa. lxxv, 20 : *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.* Totum autem quod prædicabant Prophetæ fuit, aut cantus exultationis de Christo, vel gratia ipsius, vel præmii gaudiorum, per quæ excitabantur ad spem et amorem : aut fuit de comminatione excidiorum, vel maledictionum, aut pœnarum æternarum : et hoc fuit lamentum, sicut dicitur, Ezechiel. ii, 9, quod in libro scriptæ erant lamentationes, et carmen, et væ : et hoc clamaverunt intente (alias, intense) monendo, sicut dicitur, Isa. lviii, 1 : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.*

« Venit enim Joannes, neque manducans, neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet. »

18

Ecce ponit expositionem, et præmittit de lamento : quia in peccatis invenit eos.

Dicit ergo : « *Venit enim Joannes,* » cujus tota vita lamentum fuit, sicut patet, supra, iii, 1 et seq., « *neque manducans, neque bibens.* » Non enim dicitur manducare, vel bibere, quia delectabilia non comedit, vel bibit. Unde, Luc, vii, 33, dicitur : *Non manducans panem, neque bibens vinum.* Luc. i, 15 : *Vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.*

« *Et dicunt : Dæmonium habet.* » Per verba autem hoc dixisse non leguntur,

sed per sensum. Joan. 1, 25 : *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta ?* Ac si dicant : Quid de purificatione te intromittis, cum Spiritum purificationis principium non habeas, sed potius spiritu insaniam videris agitari, usurpans tibi purificationem quæ ad te non pertinet ? Joan. x, 20 : *Dæmonium habet, et insanit : quid eum auditis ?* Hac enim de causa miserunt ad Joannem, ut facerent quod a populo non audiretur, et contumeliis ut insanus afficeretur.

19 « Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis. »

Ecce expositio de cantu lætitiæ

Dicit ergo : « *Venit Filius hominis.* » Et dicit se *Filium hominis*, propter fidem humanitatis contra Manichæum, et propter naturam conformitatis propter hominem, et propter formam servi propter humilitatem. Ad Philip. ii, 7 : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens : ecce humilitas. In similitudinem hominum factus : ecce familiaris, et fiduciam homini præstans conformitas. Et habitu inventus ut homo : ecce fides et erroris dissipatio.*

« *Manducans et bibens* ¹, hoc est, epulando et bibendo : lætitiæ veniæ et gratiæ et gaudii æterni præfigurans. Nehem. seu II Esdræ, viii, 9 : *Sanctus dies Domini est, et nolite contristari, sed comedite pingua, et bibite mulsum : et sequitur, x, 10 : Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.* Supra, ix, 15 : *Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus ?* Psal. xli, 5 : *In voce exultationis et confes-*

sionis, sonus epulantis : et ideo tam Judith, quam Esther dies gaudii solemnizantes, in conviviis fuerunt.

« *Et dicunt : Ecce homo,* » quasi nihil deitatis ostendens, « *vorax.* » Sonat in aviditatem gastrimargiæ, hoc est, insaniam ventris : γαστήρ-ρός enim *venter* est, et μαργάω-ω est idem quod *insanio.*

« *Et potator vini.* » Acceperunt ex hoc quod dicitur, Luc. v, 29 : *Levi fecit convivium magnum in domo sua.* Luc. vii, 34 : *Ecce homo devorator et bibens vinum, quod sonat in consuetudinem.* Sunt autem quidam, qui exemplo Domini hic suam excusant edacitatem, qui non metas temperantiæ custodiunt, nec piis epulis gaudia æterna spiritus lætitiæ prætendunt, nec convictu homines ad Deum convertunt : sed ventri student, volentes religionem esse edacitatem. Ad Roman. xvi, 18 : *Hujusmodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.* Ad Philip. iii, 18 et 19 : *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi : quorum finis interitus, quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Proverb. xxiii, 20 : *Noli esse in conviviis potatorum, nec in commensationibus eorum.* Nahum, i, 10 : *Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium : consumentur quasi stipula ariditate plena.*

Nec reprehendunt tantum actus Christi, sed etiam societatem, dicentes : « *Publicanorum,* » injustis et crudelibus lucris studentium, « *et peccatorum aliorum amicus.* » II Reg. xix, 6 : *Diligis odientes te, et odio habes diligentes te.* Hujusmodi autem ipse rationem dedit, supra, ix, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*

¹ Cf. Luc. vii, 33 : *Venit Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et*

dicitis : Dæmonium habet.

« Et justificata est sapientia, etc. »

Hic laudat quosdam paucos, recipientes fidei sanctitatem introductam. Et est consensus : Ita illi pariter si convictum cum peccatoribus invertunt, cum tamen hoc opus sit summæ sapientiæ, quæ præscit, quod, ut dicit Seneca, « generosus est animus hominis, et facilius amicitia quam violenter trahatur : » et ideo, quod perversi signum dicunt esse gulæ, illi sapientiæ per sapientiam formati, dicunt summæ sapientiæ esse rationem et ordinem. Et hoc est : « *Et justificata est,* » id est, justa et recta comprobata est « *sapientia,* » quæ omnia ordinat optime. Sapient. viii, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* I ad Corinth. 1, 30 : *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia.*

« *A filiis suis,* » forma sapientiæ ex ipsa generatis, qui intentionem facti (alias, factam) sapienter advertunt. Eccli. iv, 12 : *Sapientia filiis suis vitam inspirat, et suscipit inquirentes se, et præibit in via justitiæ.* Joan. 1, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.*

« Tunc cœpit exprobrare civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. »

Hic incipit exprobrare non recipientibus fidem specialiter, et sub nomine proprio civitatum.

Et dividitur in partes duas, ita quod in prima ponuntur verba Evangelistæ quasi continuantis dicta, et in secunda ponitur exprobratio.

Dicit ergo : « *Tunc cœpit exprobrare.* » Exprobratio est probri in faciem objectio propter meritum malum facta. « *Civitatibus.* » Non ruricolis simplicibus, sed civiliter dispositis : qui discretionem et intellectum ad discernendum habere

poterant ex studio legis et auditu. I Esdræ, ix, 2 : *Manus principum et magistratum fuit in transgressione hac prima.* Nahum, iii, 1 : *Væ, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena!* Isa. 1, 21 : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii?*

Causam autem exprobrationis ponit in genere, dicens : « *In quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus.* » Virtus autem hic dicitur (sicut in primo de *Cælo et Mundo*) ultimum potentiæ : quia hoc est elevatum supra potentiam naturæ, sicut miracula excitantia ad admirationem, quæ est via ad fidem, et sicut opera virtutum per exemplum ostendentia mores. Act. 11, 22 : *Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis.*

« Væ tibi, Corozain ! Væ tibi, Bethsaida ! quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. »

21

Hic incipit exprobratio.

Et habet duas partes : in quarum prima duabus civitatibus simul exprobrat, comparando eas gentibus, non nisi legem naturalem hominis (in quantum hominis naturam ordinantis) transgredientibus. In secunda autem exprobrat uni singulariter, comparando ad gentem legem naturæ (quæ lex generis animalium est) transgredientibus, ibi, 23 : « *Et tu, Capharnaum.* »

In priori horum sunt tres paragraphi : quorum primus est continens exprobrationem comminationis : secundus, causam culpæ, comparativam ad transgressionem, et peccatum gentium : tertius, aggravationem pœnarum. Et hæc patent in littera.

De primo dicit :

« Væ tibi, Corozain ! »

Quæ est civitas super stagnum Genezareth, sita in Galilæa, ad quam sæpe devenit Christus, cum circuiret civitates et vicos et castella, sicut, Supra, iv, 23, dictum est, licet sub nomine proprio civitatis non legatur.

« Væ tibi, Bethsaida ! »

Hæc etiam juxta idem stagnum in Galilæa est sita. Joan. 1, 44 : *Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreæ et Petri* : et secundum Chrysostomum, Jacobus et Joannes etiam erant de eadem civitate : et ideo quia supra dictum est quod docebat in civitatibus discipulorum, intelligitur quod sæpe fuit in ista civitate, ex qua tot Apostolos habuit. *Væ* autem est comminatio damnationis æternæ pro contemptu, quod verbum Dei non receperunt.

« Quia si in Tyro et Sidone, etc. »

Secundus paragraphus tangens causam exprobrationis, comparando ad duas civitates gentium, quæ non sunt transgressæ nisi legem rationis : et ideo contemptus earum est minor quam istarum quæ transgressæ sunt legem rationis, et scriptam, et verbum prædicatum a Domino, et viam fidei quam probabant miracula.

Et attende, quod fit comparatio tam pœnæ quam culpæ, non nisi quoad contemptum, et non quoad actum peccatorum : et secundum hunc contemptum etiam fit comparatio pœnarum.

Est autem Tyrus metropolis Phenicis, sita in tribu Nephthalim, ut dicit Hieronymus, licet filii Nephthalim non potuerunt eam obtinere a Chananæis. Sidon autem urbs est non metropolitana, sed secundaria ejusdem Phenicis terminos Chananæorum ad aquilonem respiciens : et fuit quondam insignis et magna. « *Quia si in Tyro et Sidone,* » quæ sunt civita-

tes gentium nisi lege rationis utentium, « *factæ fuissent virtutes* » signorum et exemplorum, « *quæ factæ sunt in vobis,* » qui habetis legem scriptam et testimonia Prophetarum. Psal. cxlvii, 20 : *Non taliter fecit omni nationi : et judicia sua non manifestavit eis.* « *Olim,* » hoc est dudum, « *in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* » Devotio hæc ostenditur, infra, xv, 22 : *Eccc mulier Chananæa, a finibus Tyri et Sidonis egressa,* etc. Et sequitur, y. 28 : *O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis.* Quod autem dicit, « *in cilicio et cinere,* » notat asperitatem pœnitentiæ ex cilicio, et humilitatem ex cinere. Job, xlii, 6 : *Ago pœnitentiam in favilla et cinere.*

Sed hic incidit quæstio, quare Dominus his non prædicavit, quos præscivit fore devotos : et his prædicavit, quos indevotos fore præscivit : cum ex prædicatione sua indevotis creverit pœna, et ex subtractione prædicationis illis ablata sit salutis via ?

Ad hoc dicit Hieronymus, quod in civitatibus indevotis quidam erant vocandi, sicut discipuli quos oportuit primo vocare, qui postmodum essent causa salutis gentium, præcipue eo tempore quo exhibenda erat veritas promissæ legis, et omnia probanda erant sacramenta per legem. Hoc enim non nisi in Judæis fieri potuit : et ideo ante passionem in qua sacramenta consummata sunt, non fuit tempus declinandi a Judæis ad Gentes. Cujus etiam alia causa est, ne Judæis occasio recusandi verbum Dei daretur. Apostoli autem cum non deberent prædicare nisi sacramenta Christi, expectare oportuit usque ad sacramentorum completionem.

Ad quæstionem ergo dicendum, quod Gentes neglectæ non fuerunt : quia temporibus illis salus erat in eis in lege naturæ et rationis. Isa. xlvi, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.* Ad Roman. ii, 14 et 15 : *Naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes,*

ipsi sunt sibi lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.

Ad aliud dicendum, quod licet contemptus aggravet peccatum in audiente et refutante verbum, tamen de officio tenetur Doctor exhibere verbum : quia ad latebras ignorantiae velle fugere majus et periculosius est peccatum, quam auditum non suscipere per opus verbum. Isa. v, 13 : *Captivus ductus est meus populus, quia non habuit scientiam.* I ad Corinth. xiv, 38 : *Si quis ignorat, ignorabitur.*

« Verumtamen dico vobis, Tyro et Sidoni remissius erit in die iudicii quam vobis. »

Hic subjungit pœnæ comparisonem : et non intelligitur ista comparatio fieri secundum comparisonem peccati in substantia, vel secundum comparisonem idololatriæ ad malum, colentem tamen Deum, sed secundum solum contemptum qui consequitur auditum.

Dicit ergo : « *Tyro et Sidoni remissius erit* » in pœna : quia non contempserunt nisi interius vocantem, vos autem vocantem et exterius etiam ostendentem signa probantia. « *In die iudicii quam vobis.* » Aut in extremo et generali iudicio : aut in extremo particulari, quando de unoquoque judicatur post mortem. Luc. xii, 47 : *Ille servus, qui cognovit voluntatem domini sui, ... et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Jacob. iv, 17 : *Scienti, bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.* Joan. xv, 22 et 24 : *Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent... Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.*

« Et tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis ? usque in

infernum descendes : quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. »

Ecce exprobratio comparata ad gentes, quæ legem naturæ (quæ communiter animalibus indita est) sunt transgressi.

Sunt autem hic tria, sicut ante, exprobratio videlicet, et causa exprobrationis, et pœna.

Exprobratio autem continet duo : unum, quod congruit miraculis : aliud autem, quod respondet contemptui.

Dicit ergo : « *Et tu, Capharnaum,* » in qua plura et gloriosiora operatus sum. Luc. iv, 23 : *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.*

« *Numquid usque in cœlum exaltaberis,* supple, sicut deberes fide et conversatione exaltari, tot auditis, et tot visis miraculis ? Psal. xx, 14 : *Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus et psallemus virtutes tuas.* Isa. ii, 17 : *Elevabitur Dominus solus in die illa.*

« *Usque in infernum descendes,* » propter contemptum. Abdiæ, y. 4 : *Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Amos, ix, 2 : *Si ascenderint usque ad cœlum, inde detraham eos.* Job, xx, 6 et 7 : *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur.*

Quidam legunt sic : « *Numquid,* » tua reputatione, « *ascendes, vel exaltaberis usque in cœlum ?* » Quasi dicat : Non : sed « *usque in infernum,* » merito præsumptionis, « *descendes,* » me contempto. Luc. xviii, 14 : *Qui se exaltat, humiliabitur.* Isa. xiv, 13 : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Et sequitur, y. 15 : *Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum lacu.*

« Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, »

Operum, exempli, et miraculorum, « quæ factæ sunt in te. »

Secundum est, in quo ponit causam exprobrationis, non in peccato contra naturam exeunte et naturali, sed tantum in contemptu vocantis ad fidem et pœnitentiam. Ezechiel. xvi, 48 : *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma, soror tua, ipsa et filiarum ejus, sicut fecisti, tu et filiarum tuarum.* Sodomitarum enim contempserunt Angelos in specie hominum nulla signa facientes : isti autem majestatis Dominum plurima signa demonstrantem. Joan. x, 32 : *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo.* Joan. v, 36 : *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.*

Dicit, « forte, » notans libertatem arbitrii : in Sodomitis, non defectum præscientiæ Christi : « mansissent, » non subversæ pœnitentiæ merito, « usque in hunc diem, » sicut Ninive mansit¹. III Reg. xxi, 29 : *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me ? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.*

24

« Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi. »

Tertium est, quod est aggravatio pœnæ sequens contemptum.

Dicit ergo : « Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum, » quæ Angelos in specie hominis contempsit, « remissius erit in die judicii » generalis, « quam tibi. » Ad Hebr. xii, 23 : *Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cælis loquentem vobis avertimus.*

Sic ergo terminatur exprobratio infidelium civitatum.

¹ Cf. Jonæ, iii, 5.

Moraliter autem loquendo sunt tria genera hominum, quibus Deus propter ingratitude[m] exprobrat : quia miracula suæ bonitatis illis maxime exhibuit. Sapientibus enim exhibuit dona intelligentiæ, propter quæ in admiratione mundi positi sunt : et illi significantur per Corozain, quæ *secretum meum* interpretatur. Ad Roman. i, 19 : *Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit.* Divitibus et potentibus hujus mundi contulit bona fortunæ, propter quæ et illi sunt in admiratione hominum : et illi significantur per Bethsaidam, quæ *domus venatorum* interpretatur, quæ dicitur, Eccli. xiii, 22 : *Venatio leonis onager in eremo : sic et pascua divitum sunt pauperes.* Religiosis autem contulit pulcherrimam quietem, liberas administrans possessiones, ut libere vacent contemplationi ; et propter illam sunt, vel deberent esse in admiratione : et illi significantur per Capharnaum, quæ *villa pulcherrima* interpretatur. Sed nunc de eis potest dici, quod *fallax gratia, et vana est pulchritudo*², quia ad concupiscentias abutuntur otio, quod contemplationi servire debuit : et ad luxum divitiis et possessionibus, quæ datæ sunt in sustentationem studentium virtuti et sapientiæ et laudantium Deum. Thren. iv, 2 : *Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli !*

« In illo tempore respondens Jesus, dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.

Ita, Pater, quia sic fuit placitum ante te. »

Hic incipit gratias agere pro his qui veritatem introductam receperunt.

² Proverb. xxxi, 30.

Et dividitur in duas partes, in gratiarum actionem videlicet, et ad bonum de quo gratias agit generalem invitationem ibi, ꝯ. 28 : « *Venite ad me.* »

Gratiarum autem actio continet tria, scilicet ipsam gratiarum actionem : et quia in ipsa est revelatio de qua gratias agit, ideo secundo tangit revelationis causam : et tertio, tangit modum, sicut patet in littera.

Ipsam autem gratiarum actionem circumstant tria præcedentia ipsam, scilicet tempus, causa, et actio laudis.

De tempore dicit :

« In illo tempore »

Præfinitionis divinæ, quo consilium æternum Dei patefieri cœpit per effectum, de quo dicitur, Isa. XLIX, 8 : *In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui.* II ad Corinth. VI, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Psal. CI, 14 : *Misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* Et hoc innuitur, Luc. X, 21, ubi est ista littera : *In ipsa hora exsultavit Spiritu.* Non quidem, ut dicit Chrysostomus, de excæcatione Judæorum, sed de revelatione mysteriorum. Isa. XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Vel, exsultavit de conversione gentium : et quia malo excæcationis Judæorum usus est ad tantum bonum, quod est totius mundi conversio. Ad Roman. XI, 25 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fiet.*

« Respondens Jesus, dixit. »

Causa est, quare tunc gratias egit. Et hoc notat responsio, quæ est antipophora : quia aliquis dicere posset, quæ est ratio, quod Judæus notitiam Dei per Prophetas et Legem habens, Filium in carne venientem rejecit, et gentilitas devota recepit. Et huic respondet, ut dicit Glossa.

Vel, dicere possumus, quod responsio ista est ad hoc, quod supra, ꝯ. 19, dixit, quod *justificata est sapientia a filiis suis.* Et est sensus : Ita exprobras rejicientibus gratiam oblatam : numquid omnes ita gratiam auditam et visam rejecerunt? « *Et respondens Jesus, dixit.* » Et istud est magis secundum litteram : quia filii sapientiæ justificantes sapientiam, causa sunt gratiarum actionis. De his enim dicitur. Joan. XVII, 6 et 7 : *Tui erant, et mihi eos dedisti : et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.*

« Confiteor tibi, Pater. »

Hæc est gratiarum actio.

Et tangit hic gratiarum actionis modum, et cui fieri debet, et de quo.

Modum tangit, cum dicit : « *Confiteor.* » Gratiarum enim actio nihil est aliud quam bonorum habitorum ab ipso a quo habentur relatio, et magnificentiæ et liberalitatis et virtutis ejus propter hoc laudatio : et hoc vocatur *confessio*, quia et fatetur se habere grate, et ad fontem unde primum bona effluunt, referre. Eccle. I, 7 : *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.* Psal. CVIII, 30 : *Confitebor Domino nimis in ore meo, etc.* Isa. XII, 4 : *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi : conversus est furor tuus, et consolatus es me.* Ira enim conversa est in consolationem, non in eo quod ira, sed in eo quod ad consolationem irascitur, ira Patris est : et hæc habet confessionis laudem. Est tamen et alia confessio veritatis in prædicatione, de qua, ad Roman. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem.* Et tertia confessio fit peccati. Jacob. V, 16 : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini.* Josue, VII, 19 : *Fili, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris.* Sed hic agitur de confessione laudis.

Isa. xxv, 1 : *Domine, Deus meus es tu : exaltabo te, et confitebor nomini tuo : quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. Amen !*

« Tibi, Pater, etc, »

Ecce tangit cui confitendum est. Et quia tria sunt in omni qui facit beneficium, vel præstat, scilicet liberalitas, et affectus, et facultas : ideo « tibi » dicit. Liberalitatis enim magnificentiam notat in pronomine, cum dicit « tibi : » affectum quo vult, notat in Patre, cum dicit : « Pater : » facultatem qua potest, notat in Domino, cum dicit : « *Domine cæli et terræ.* »

Dicit igitur : « Tibi, » qui omnium bonorum largitor es magnificus. Exod. xv, 11 : *Magnificus in sancitate.* Jacob. 1, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non impropert.* Ad Roman. xi, 35 : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei ?* Psal. cxliv, 20 : *Àperis tu manum tuam, et imple omne animal benedictione.* Item, Psal. cxliv, 5 : *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt.* Est autem magnificentia, ut dicit Aristoteles, liberalitas, sive largitas in magnis.

Pater, » mei quidem per naturam, eorum autem quibus te revelas, per imaginem et gratiam. Joan. 1, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Joan. xx, 17 : *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum.*

« *Domine cæli et terræ,* » non Pater cæli et terræ : quia licet cælum et terra a te sint, non habent tecum (alias, tamen) naturam unam formam et specie, sicut ego : nec te imitantur per imaginis et similitudinis conformitatem, sicut homo. Dicit autem, *Domine cæli et terræ,* quantum ad propositam pertinet locutionem per metonymiam. *Cæli* enim dicit, propter cælestes, qui propter eos quibus se revelat, sunt missi in ministerium ¹. *Terram* au-

tem nominat, propter hominem cui confertur suæ cognitionis beneficium. *Dominum* autem nominat, eo quod dominatio (alias, dominium), ut dicit Dionysius, non dicit subditorum excessum tantum, sed insuper dicit omnium bonorum et pulchrorum veram et omnimodam possessionem, et etiam veram et non nutare valentem fortitudinem : et sic dicit altitudinem honoris et dignitatis, divitias gratiæ et virtutis, et fortitudinem omnis vigoris et confirmationis. Hic ergo, ut dicitur, Act. xvii, 24 : *Cæli et terræ cum sit Dominus,* decorem honoris ostendens, ex divitiis virtutum larga manu dat dona hominibus ² : terræ conferens cælestia, ut ex cælestibus terrena sublevata locentur in cælestibus. Ad Roman. x, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Judith, ix, 17 : *Deus cælorum, creator aquarum, et Dominus totius creaturæ.* Esther, ii, 16 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.*

« Quia abscondisti hæc, etc. »

Quæ sunt de divitiis revelationis tuæ, de thesauris sapientiæ et scientiæ in me absconditis. Ad Ephes. iii, 16 et 17 : *Det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorum hominum : Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Absconsio autem hæc non fit aliquid agente Deo, sed uno modo offerente se Judæis et Gentibus. Et excæcatis Judæis, hanc lucem non videre contingit propter velamen litteræ et carnalis sensus, quod positum est super corda eorum. Il ad Corinth. iii, 14 : *Usque in hodiernum diem idipsum velamen manet non revelatum.* Sicut enim lux æqualiter se offert cæco et videnti, et tamen cæcus manet in tenebris : ita est de claritate notitiæ Dei. Oportet enim nos obicem remove, si lux illuminare debeat : et hic obex est

¹ Cf. ad Hebr. i, 14.

² Cf. ad Ephes. iv, 8.

obstinata voluntas. Sic ergo abscondit. Job, xxxvi, 32 et 33 : *In manibus abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat. Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere.*

Et dicit a quibus abscondit, quoniam « a sapientibus et prudentibus. » Sapientes autem sunt mundi scrutatores Philosophi, qui causas rerum inquirunt, quod philosophari est vocatum. Sapientia enim est cognitio rerum altissimarum, quas difficile est homini (alias, hominem) cognoscere. Prudentes autem sunt circumspecti et providi et utiles in conferentibus ad vitam : et ideo est circa actus humanos et circa bona fortunæ ad vitam hominis ordinata. Prudentia enim est, ut dicit Aristoteles in *Ethicis*, « cum ratione recta humanorum activus habitus. » Sapientes igitur præsumunt de syllogismo, et prudentes de circumspectione commodorum. Et ideo absconditur ab eis lumen fidei. Isa. v, 21 : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.* Isa. xxix, 14 : *Peribit sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur.* Job, v, 13 : *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat.*

« Et revelasti ea parvulis. »

Per oppositum dicit veritatem fidei humilibus esse revelatam : quia, sicut dicit Gregorius, « Tumor mentis est obstaculum veritatis : » eo quod dicitur, Jacob. iv, 6, et I Petr. v, 5 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et non dicit stultis et hebetibus, qui opponuntur sapientibus et prudentibus : ut ostendat se non detestari sapientiam mundanam et prudentiam, quæ bona sunt, quando referuntur ad bonum usum : sed potius detestatur vitium tumoris, de quo dicitur, I ad Corinth. viii, 1 : *Scientia inflat, charitas vero ædificat.* Eccle. i, 18 : *In multa sapientia multa fit in-*

dignatio : et qui addit scientiam, addit et laborem. Et ideo tangit oppositum non sapientiæ et prudentiæ, sed ejus quod adjungitur ei, quod est tumor : et dicit : « *Et revelasti ea parvulis.* »

Est autem parvulus minor parvo : et significat eos, qui nec parvis se anteponunt. Unde Ptolomæus Philosophus in *Proverbiis* suis dicit : « Qui inter sapientes est humilior, est inter sapientes sapientior : sicut humilior lacuna plures res recipit aquas. » Psal. cxviii, 130 : *Intellectum dat parvulis.* I ad Corinth. i, 27 : *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* Unde, Daniel. ii et iii, Deus tribus pueris se revelavit.

« Ita, Pater, etc. »

Ecce causa istius discretæ revelationis, quod quibusdam absconditur, quibusdam autem revelatur.

Dicit igitur : « *Ita, Pater,* » qui habes boni affectum, « *quoniam sic fuit placitum ante te,* » hoc est, coram te. Supra autem notatum est, quoniam placitum est pascens in voluto voluntas : et est sensus, quod justa voluntas et bona et dulcis et discreta, causa est hujusmodi revelationis quæ uni confertur et alteri absconditur : in qua Deus procul dubio antecedenter *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire,* sicut dicitur, I ad Timoth. ii, 4.

Et hoc in duobus intelligitur, quorum unum est ex parte Dei : quia æqualiter se omnibus exhibet, sicut dictum est superius. Et quod non omnes recipiunt, hoc est ideo, quia non omnes id quod in se est, faciunt, quod vocatur obicem tollere. Deus enim fons bonitatis omnibus fluit uno modo quoad se. Et sicut dicit Dionysius : « *Æqualiter se expandit per omnes intellectuales vultus.* » Et sic intelligitur illud Joan. i, 9 : *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Lux enim jacet super non illuminatum : et quod non omnes illumi-

nantur, non est defectus lucis, sed defectus lucem percipientis. Unde Augustinus in primo de *Trinitate* : « Si quis alii « digito solem ostenderit, et ille solem « ostensum non viderit, culpet potius « oculi sui lippitudinem quam digiti ostensionem. »

Aliud, unde id scitur, est ex parte nostra : quia omnibus naturam rationalem indidit, per quam sua potest percipi revelatio. Psal. iv, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, etc. Et si dicis, quod præscit excæcationem : et sic ipsa est futura immobiliter. Dico, quod nihil facit : quia sua præscientia non est causa tuæ excæcationis, licet sit causa tuæ illuminationis. Et ideo non imponit ei necessitatem : sicut si lumen solis haberet præscientiam, præsciret quidem cæcum sibi objectum non fore illuminandum, sed non causaret in eo cæco tenebras : sed in omnibus videntibus causaret illuminationem quam recepturi forent ex ipso, sicut dicitur, II Petr. III, 9 : *Non vult aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti*. II Reg. xiv, 14 : *Non vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abjectus est*. Ezechiel. xxxiii, 11 : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat*. Osee, xiii, 9 : *Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum*. Sic ergo Pater luminum revelat parvulis, in quibus per tumorem mentis non ponitur obstaculum veritatis. Et causa est revelationis, quia sic placitum est ante ipsum, cum tamen non sit ante ipsum placitum de obtenebratis et excæcatis : quia in ipsis fit hoc quod dicitur, Joan. 1, 5 : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt*.

27

« Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. »

Hic ponitur revelationis modus.

Et duo tanguntur, quorum primum est modus, qui solus est revelationis : secundo, ostenditur omnis alius modus esse impossibilis.

Dicit ergo : « *Omnia mihi sunt*, » per generationem æternam, « *tradita a Patre meo*, » consubstantiali et æterno : et sic sibi in quantum Filio Dei, qui idem est hominis filius.

« *Tradita sunt*, » sed non secundum conditionem humanæ naturæ homo accepit, sed potius secundum proprietatem divinæ (alias, divinam). Et signum universale distributivum distribuit pro omnibus appropriatis et attributis divinis, sive sint in Deo, sicut omnipotentia et sapientia, et virtus et bonitas, æternitas et veritas, et omnia hujusmodi : sive etiam sint in subjectis per naturam, sicut mundus et in eo contenta : sive etiam sint secundum ordinem gratiæ in Sanctis : sive secundum ordinem gloriæ in Beatis : et quæcumque possunt alia cogitari. Ad Philip. II, 9 et seq. : *Dónavit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Joan. xvii, 10 : *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt : et clarificatus sum in eis*. Joan. xvi, 15 : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Luc. xv, 31 : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt*. Et omnibus his in Filio suppositis, quod ad propositum est, de sapientia est, quam totam accepit : et ideo per ipsum, et non per alium fit revelatio.

Hujus autem duo sunt pulchra similia : unum in natura nobiliori corporum, imperfectum : et alterum in natura intellectualis animæ, perfectius, sed tamen non omnino completum. In corporibus est attendere solem, qui secundum naturam omnium nascentium in terra est pater et causa, ut dicunt Philosophi : sed non causat aliquid nisi per lumen, quod est perfecta similitudo suæ lucis, et exit ab ipso per conformitatem suæ formæ et

virtutis. Et ideo lumen simul habet formam solis, et omnem virtutem ejus secundum omnem diversitatem generatorum et corruptorum in terra et aquis et aere. Et ideo si lumen haberet cognitionem et interpretationem, dicere posset quod omnia sibi tradita essent a sole, et quod non infunderentur alicui nisi per ipsum ea quæ sunt solis originaliter : et quod in ista universali virtute nemo nosset solem nisi lumen, et lumen in virtute universali acceptum nemo nosset nisi sol et cui lumen vellet revelare : cum tamen in terra nihil inveniretur, quod omnium capax esset simul, quæ lumen accepit a sole : et ideo revelatio fit secundum Patrem pro capacitate et præparatione eorum quibus lumen se infudit. In quibus videmus, quod aliter recipit carbunculus, et aliter sapphyrus, et aliter smaragdus, et sic de aliis, qui in profundum sui illuminantur. Et similiter diversimode ea quæ non illuminantur nisi in superficie exterius : quia aliter recipit album, et aliter viride, et aliter nigrum, quod stat in lumine quasi cæcum.

Aliud exemplum est in natura intellectualis animæ, in qua est intellectus omnis cognitionis pater, et verbum (quod est splendor ejus) loquens et manifestans omnia quæ sunt in ipso. Et tunc verbum solum scit intellectum, et e converso, solus intellectus scit in universali virtute verbum natum ex ipso, et non fit revelatio nisi ab intellectu : et homines verbum audientes non in tota virtute, quæ ab intellectu procedit, percipiunt : sed unusquisque sibi percipit proportionabiliter secundum suam capacitatem : et hoc præcipue est de verbo, quo intellectus practicus se dicit et manifestat in tota simul virtute suæ operationis : sicut si architectus in tota virtute ædificandi secundum omnem modum adificii se uno et eodem manifestat verbo. Hoc enim ambit quidquid intellectus habet virtutis, et tamen pro capacitate discreta percipitur ab operariis.

Aliter etiam potest accipi de Christo

secundum hominem : ita quod ostensio inducta non dicit modum revelationis ex parte revelantis, sed potius dicat causam ex parte eorum quibus facta est revelatio : et tunc signum universale non distribuit nisi pro vocatis et electis parvulis : ac si aliquis quæreret, quare parvulis facta est revelatio? Et responderet Dominus, quia his omnibus facta est revelatio quibus tradita sunt ei a Patre, sicut dicitur, Joan. xvii, 6 : *Tui erant, et mihi eos dedisti : et sermonem tuum servaverunt.* Et hæc lectura est in Glossa Hieronymi, et non est litteralis, quia non est ratio, quare tunc omnia dicat sibi tradita esse a Patre, sed potius quædam, vel magis quosdam : nisi diceretur quod omnia sunt electorum, eo quod propter electos sunt facta. Psal. viii, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves,* etc. I ad Corinth. xv, 26 : *Omnia subjecit sub pedibus ejus.* Ad Hebr. ii, 8 : *In eo quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei.* Hæc autem omnia sunt improprie dicta. Sed prior lectura Ambrosii est, et vera : et ad illam revertentes dicimus, quod secundum illam ostendit impossibilem esse modum revelationis alium, cum subjungit :

« Et nemo novit, »

Perfecta notitia, « *Filium nisi Pater,* » a quo generatur.

Quæritur autem, de qua notitia intelligitur. Aut enim de creata, aut de increata : et si de creata, illam etiam alii habuerunt de Patre : si de increata, tunc videtur quod illa non sit communicabilis : et sic videtur quod sine causa hic introducat, ubi agit de modo revelationis.

Et ad hoc dicendum, quod de utraque non potest intelligi : quia Pater non habet notitiam creatam. Sed intelligitur secundum similitudinem inductam superioris de notitia Verbi secundum universalem Verbi virtutem, secundum quod ipsum est Verbum in quo sunt omnium

simul rationes, quod est in quo est, ut fiant omnia : et est perfecta Patris similitudo, faciens et formans et portans omnia. Hoc enim dicit Filius in eo quod Verbum : et hoc nemo novit nisi notitiam Patris habeat : et per hoc non excluditur Spiritus sanctus, qui Filium in eadem cum Patre novit notitia.

Et ideo cum dicitur « *Nemo novit, etc.*, » negatio signi negat simpliciter et extra genus. Ita quod sensus est : Nihil novit Patrem, etc. Sed quia notitia est essentialis, non personalis, ideo dictio exceptiva quæ sequitur, cum dicitur, « *nisi Filius*, » excludit respectum essentialis. Et ideo Spiritus sanctus non excluditur : et est sensus : Nemo novit, hoc est, nihil novit Filium, nisi id quod Pater est. Et ideo dicit, Joan. vi, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*

« Neque Patrem quis novit, nisi Filius, etc. »

Conversa est præcedentis, et eodem modo intelligitur : quia Patrem in universali natura et virtute deitatis nihil novit, nisi id quod est Filius. Sicut lumen solis, ubi rotam solis attingit solum, attingit solis virtutem et naturam : et ideo per Filium solum accessum habemus ad Patrem ¹.

« *Et cui voluerit Filius revelare.* » Licet autem et Pater revelet et Spiritus sanctus, tamen revelatio omnis, quæ sine ænigmate et similitudine fit, fit per Verbum, a quacunque fiat personarum : et Verbum non est nisi Filius. Et ideo Filii proprie est quoad nos revelare, hoc est, quod per ipsum fiat revelatio. Et ideo cuicumque aliquid notitiæ Patris infunditur, per Verbum funditur. Unde, Joan. 1, 18 : *Deum nemo vidit umquam : unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Eccli. 1, 5 : *Fons sapientiæ verbum Patris in excelsis.*

Et attendenda est similitudo : quia solem nihil manifestat nisi lumen, et intellectum nihil declarat nisi verbum. Joan. xvii, 4 : *Ego te clarificavi super terram : opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Et in hoc actu declarationis dicitur, Sapient. vii, 26, quod *candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius*, et emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera. Hæc enim omnia sunt modi manifestationis Patris per Verbum, quod est sapientia. Et quia sic suum est Patrem revelare, cui voluerit : ideo ibidem, post pauca, sequitur, ꝑ. 27, quod *per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.* Et iste planus et absque omni scrupulo est litteræ intellectus.

Ad hanc autem declarationem, quæ nullo modo fieri potest, nisi per eum (alias, Verbum) in quantum est Verbum, vocat omnes, dicens :

« Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. »

Tangit autem duo : quorum primum est quos, ad quem, et quo fructu vocat : secundum autem, quid advocati faciant, ibi, ꝑ. 29 : « *Tollite jugum meum, etc.* »

Vocans ergo primum dicit :

« Venite. »

Jerem. li, 50 : *Qui fugistis gladium, venite, nolite stare : recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.* Est autem venire fide et devotione. Isa. ii, 5 : *Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini.* Psal. xxxiii, 12 : *Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos.*

¹ Cf. ad Roman. v, 2.

« Ad me. »

Ecce ad quem : quia ad Verbum, quod solum est via redeundi ad Patrem, et solum dans notitiam Patris. Eccli. II, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.* Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.* Deuter. XXXIII, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius :* hoc enim est lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel ¹. Via enim sine exemplo (alias, impedimento), veritas revelatione Verbi, et vita per Spiritum. Joannis, XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

Et subjungit quos vocat :

« Omnes, etc. »

Ut notetur vocatorum generalitas, « *qui laboratis,* » ut notetur veniendi necessitas, « *et onerati estis,* » ut notetur veniendi utilitas. Et sic vocat generaliter, necessitate et utilitate persuadens. De generalitate, Eccli. XXIV, 26 : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* Act. X, 35 : *In omni gente qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi.* Cum enim homo generaliter capax sit Dei per intellectum et affectum, numquam potest esse perfectus nisi capiat eum, secundum quod est sapientia per intellectum, et secundum quod est virtus per affectum : et ideo invitat Christus ad se omnes : quia, I ad Corinth. I, 24, dicitur : *Prædicamus Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.*

Persuadet autem a duobus defectibus in nobis, ut veniamus : et his defectibus unam subjungit refectionem.

De primo dicit :

« Qui laboratis. »

Labor causatur ex tribus : labor enim est ex contrariedade naturæ, et hoc modo naturæ infirmitas causat laborem, sicut dicimus ægros laborare. Ex contrariedade autem potentiæ ad opus aliquod causatur labor, qui est in contrario nobis onere, vel eo quod est supra virtutem, vel ex eo quod est contrarium. Tertio modo causatur ex impedimento virtutis ad opus, quando opus quidem gravat et consumit, et nihil restituens, vel conferens secum in laborante restituit, quod juvet ad opus. Et primo quidem laborant, qui per errorem infidelitatis, idololatriæ, vel hæresis in contrariis suæ detinentur naturæ ægritudinibus, vel passionibus vitiorum ægrotare facientibus animam : illa enim adimunt naturale animæ bonum : et ideo naturæ bonæ sunt contraria. Unde, Isa. XLV, 14 : *Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt.* Labor enim Ægypti fuit idololatria et hæresis, omnino laborare faciens intellectum : et negotiatio Æthiopum nigrorum est negotiatio et exagitatio passionum et inconstantiæ : et hi, ut quiescant, veniunt ad Christum. Psal. CXXXIX, 10 : *Labor labiorum ipsorum operiet eos.*

Aliquando autem causatur ex contrariedade potentiæ ad opus. Sicut enim videmus, quod ex convenientia potentiæ ad opus fit adjutorium : sicut quanto aliquis frequentius studet intelligibilibus, fit melius et facilius intelligens : et quanto frequentius studet justitiæ, vel castitati, tanto facilius operatur justa et casta : eo quod veritas connaturalis est intellectui, et justitia et castitas connaturales sunt affectui, et ex connaturalibus juvatur et expeditur ad opus. Ita fit etiam in dantibus se terrenis et vanis, quod quanto plus se dant talibus, tanto magis impediuntur et laborant, nec ista operan-

¹ Luc. II, 32.

tem alleviant, sed corrumpunt. Et si dicas, quod consueti talibus minus sentiunt laborem. Dico, quod hoc non fit ex hoc quod allevient, sed potius quia auferunt sensum, et convertunt in stuporem. Unde, Eccle. x, 15 : *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.* Labor enim eorum adducit in boni desertum, et non in castra et munitionem virtutis. Unde tandem isti efficiuntur ita animales et terreni, quod etiam non possunt intelligere, quid sit spiritus. Sapient. v, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis.*

Tertio, causatur ex impedimento virtutis ad opus : et hoc fit in his qui duobus semper student : in una parte aliquando volunt ad Deum ire : in alia parte cupiunt mundo placere : et tunc in opere divino inajacent eis formæ et curæ mundi, et retrahunt. Et sic ex duobus, quorum unum impedit alterum, fatigati laborant, et tandem deserunt id quod Dei in eis esse videbatur. Sapientiæ, iii, 11 : *Sapientiam qui abjicit, infelix est : et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum.*

Præter hos enim modos laborant quidam, qui ultra modum et posse naturæ student iniquitati. Jerem. ix, 5 : *Ut inique agerent, laboraverunt.*

« Et onerati estis, »

Hoc est, oppressi a pondere peccatorum, aut pondere carnalium legis, vel aliorum observationum, aut onere exactionum tyrannorum dæmonum.

De peccati onere, Psal. xxxvii, 5 : *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Isa. lviii, 6 : *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.*

De onere observantiarum, Act. xv, 10 : *Hoc est onus, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Matth. xxiii, 4 : *Imponunt onera gravia*

in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.

De onere exactionum dicitur, Isa. lviii, 6 : *Dimitte eos qui confracti sunt, liberos, et omne onus dirumpe.* Isa. x, 27 : *Erit in die illa : Auferetur onus ejus de humero tuo.*

Sic ergo dicit : « *Venite ad me, omnes, qui laboratis, et onerati estis.* » I Reg. xxii, 2 : *Convenerunt ad David omnes qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo, et factus est eorum princeps.* In angustia constituti sunt male, vel inutiliter laborantes : oppressi ære alieno sunt, quibus pondus legis, vel exactionum incumbit : amaro autem animo sunt oppressi sarcina peccatorum.

« Et ego reficiam vos. »

Reficere est reparare deperditum ex labore, vel oneris gravitate : et restituere vires ex interno bōno confortante. Et veritas reficit adspectum, et gratia virtutis reparat affectum : quæ sunt in Christo, Joannis, i, 14 : *Plenum gratiæ, et veritatis.* Et, ibidem, v, 17 : *Gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.* Eccli. xv, 3 : *Cibabit illum pane vitæ, qui est veritas, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Proverb. ix, 5 : *Comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* His addit cibum Eucharistiæ, confectum similia purissimi sanguinis Beatæ Mariæ Virginis, confectum manu sapientiæ deitatis, vivificatum anima plena gratiæ et veritatis, dulcoratum condimento divinitatis, impinguatum omni adipe Spiritus consolationis. Joannis, vi, 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sapient. xvi, 20 : *Omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* His etiam addit saginam et convivium internæ dulcedinis in spiritu. Eccli. xxiv, 27 et seq. : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super*

mel et favum : memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. Aliquando autem his addit gaudiorum æternorum. Luc. xxii, 29 et 30 : *Dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Non est aliud ergo, nisi quod faciamus sicut dicit Apostolus, ad Hebr. xiii, 1 et 2 : *Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen : adspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum.*

« Tollite jugum meum super vos. »

Hic tangit quid advocati ad ipsum faciant.

Et dicit quatuor : obedientiam, et obedientiæ formam, et obedientiæ fructum, et obediendi levitatem : quæ patent in littera.

De primo dicit : *Tollite jugum meum super vos :* » et accipite formam præcipientis, et attendite affectum portantis, et levitatem ejus, quod portatis : hic enim est optimus modus servitutis.

In primo horum notantur quatuor, libertas scilicet voluntatis, per hoc quod non imponitur, sed ab ipsis tollitur portantibus cum dicit : « *Tollite.* » Secundo, vinculum suavissimæ charitatis in hoc quod dicitur : « *Jugum.* » Tertio, altitudo dignitatis, in hoc quod dicitur : « *Meum,* » quia ligat omnia ligantem Deum nobiscum, et nos cum ipso. Quarto, sublimitas perfectionis et honestatis ipsius, in hoc quod dicitur : « *Super vos,* » non sub vobis, vel juxta vos, vel in vobis : hoc enim jugum est Evangelicæ charitatis, de quo dicitur, Isa. x, 27 : *Computrescet jugum a facie olei.* Quia tantum habet misericordiæ et gratiæ et amoris, quod si in aliquo ligat, videtur nullum esse, et potius putrida vincula et dirupta, et vera liber-

tas, de qua dicitur, ad Galat. v, 13 : *Vos in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.*

De hoc igitur jugo dicit : « *Tollite,* » ex voluntate propria sumite. Eccli. vi, 25 et 26 : *Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris vinculis ejus.*

Tollite autem, ut a jugo durissimo legis absolvamini. Isa. ix, 4 : *Jugum enim oneris ejus, ... et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* Genes. xxvii, 40 : *Tempus veniet, cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis.* Tollite igitur « *jugum* » vinculi charitatis. III Reg. xix, 19, Eliseus cum ungeretur in prophetam, aravit in duodecim jugis boum, hoc est, in jugo obedientiæ, duodecim Apostolorum, et ibi recipit charitatis unguentum. Ad Coloss. iii, 14 : *Charitas est vinculum perfectionis, et deponit spiritum timoris, qui generat in servitatem, et dat jugum servorum.* De quo, Eccli. xxxiii, 27 : *Jugum et lorum curvant collum durum.*

Et hoc jugum dicit esse suum, dicens : Jugum « *meum.* » Charitas enim ligat Deum et hominem, sicut dicitur, Joan. xiv, 23 : *Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Threnorum, iii, 27 : *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Et hoc jugum propter hoc absolvit a jugo iniquitatis, de quo dicitur, Threnorum, i, 14 : *Vigilavit jugum iniquitatum mearum : in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo.*

« *Super vos,* » quia semper exaltatur super nos, ut dicamus semper, Psal. cxxxviii, 7, 16 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam... Verumtamen imperfectum meum viderunt oculi tui.* Psal. cxviii, 96 : *Omniis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.* Isa. xxxi, 9 : *Cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem :* quia semper sicut ignis ascen-

dit. Threnorum, III, 28 : *Levavit super se.*

« Et discite a me, quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. »

Ecce obediendi forma per exemplum. Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Ad Hebr. XII, 3 : *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.*

« Quia mitis sum, etc. »

Duo dicit esse discenda ab ipso præcipue, quorum unum temperat mala quæ patimur : et alterum custodit bona quæ operamur. « *Quia mitis sum,* » scilicet neminem lædo, et læsus vindictam non exspecto. Matth. V, 4 : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Multa de hoc notata sunt, ibidem ¹.

Et hoc facit æquanimiter et innocenter mala tolerare.

« *Et humilis corde,* » ut conserventur bona quæ operamur : et ne credantur exterius facta tantum, propter hoc dicit, « *humilis corde,* » quia dicitur, Eccli. XIX, 23 : *Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo.* Act. VIII, 33 : *In humilitate iudicium ejus sublatum est.* Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

« Et invenietis requiem, »

Non corporibus : quia illa ad laborem nata sunt, Job, V, 7 : *Homo nascitur ad laborem,* sed « *animabus vestris,* » in internis gratiæ bonis. Sicut enim nulla res requiem invenit nisi in loco naturali sibi, ad quem movetur : ita anima et cor

hominis non invenit requiem nisi in Deo, ad cuius participationem factus est. Augustinus in libro X *Confessionum* : « In omnibus quæ mente percurro, non invenio tutum locum animæ meæ præter te, in quo colliguntur sparsa mea. » Hic est ergo fructus obedientiæ charitatis, quod inveniatur requies cordis. Jerem. VI, 16 : *State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, et ambulate in ea : et invenietis refrigerium animabus vestris.* Eccli. LI, 35 : *Videte oculis vestris quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem.* Job, XXXVI, 16 : *Requies mensæ tuæ erit plena pinguedine.* Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.* Est autem hæc requies animarum in visione veritatis, in amore bonitatis, et in securitate æternitatis. Primum respondet fidei, secundum charitati, tertium spei.

De primo horum dicitur, II Regum, XIX, 33 : *Dixit rex David ad Berzellai : Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem, quæ visio pacis interpretatur.*

De secundo, Deuter. XXXIII, 12 : *Benjamin ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.*

De tertio, Eccli. XXX, 17 : *Melior est requies æterna quam languor perseverans.*

De omnibus his simul dicitur, I Petr. IV, 14 : *Quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescet.* Apocal. XIV, 13 : *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.*

« Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. »

Hic tangit obediendi levitatem. Et

¹ Cf. enarrationem supra in §. 4 cap. V

Matthæi, pag. 152 et seq.

tangit duo : jugi suavitatem, et oneris levitatem. Jugum autem hoc est obedientiæ Evangelicæ : et onus quod portatur, est pondus præceptorum. Et suavitas pertinet ad connaturalitatem virtutis, levitas ad alleviationem amoris. Spiritus enim suavis suave facit jugum, ne premat. Sapientiæ, XII, 1 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus !* Cantic. v, 16 : *Guttur illius suavissimum* : omne enim illud quod connaturale est, suave est, sicut est gratia et virtus Evangelii. Leve autem facit amor. Genes. XXIX, 20 : *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* I Joan. v, 3 : *Mandata ejus gravia non sunt.* Isa. XLVI, 12 : *Onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem contabuerunt.*

Et attende, quod cum non præmiserit nisi de jugo superius, tamen hic addit de oneris levitate, quia supra dixerat : *qui*

laboratis in jugo legis, et onerati estis multitudine præceptorum, in quibus omnibus requiritur opus, cum in nova gratia non nisi voluntas. Propter quod dicit Hieronymus quod virgo (ibi in antiqua lege) etiamsi invita corrumpatur, tamen repudiatur : in nova autem gratia, invita corrupta suscipitur.

Si autem objiciatur, quod hic multa adduntur. Patet solutio per ea quæ dicta sunt superius, ubi de impletione legis est determinatum : quia impletio legis est secundum veram virtutis determinationem : et hæc virtus est gratia, quæ intus adjuvat ad implendum. Sunt præterea ibi multa valde et terrena promissa, et judicia dura, et sacramenta vacua, sacrificia sumptuosa, immunditiæ multæ et tædiosæ, et purificationes difficiles : et multa talia est considerare, quæ in nova gratia omnia alleviata sunt.

CAPUT XII.

Discipulos spicas sabbato vellentes excusat, manum quoque aridam sabbato curat : pharisæorum machinationi tacitus cedens, variosque a se curatos silere præcipiens, implet Isaïæ vaticinium : dæmoniaco, cæco et muto curato, Pharisæis ipsum in Beelzebub ejicere dæmonia blasphemantes convincit falsum dicere ; dicens blasphemiam in Spiritum sanctum irremissibilem, et de omni verbo otioso reddendam rationem : Scribis autem et Pharisæis signum petentibus, dandum dicit Jonæ signum : et quæ sint mater et fratres ipsius.

1. In illo tempore abiit Jesus per sata sabbato : discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, et manducare ¹.
2. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.
3. At ille dixit eis : Non legistis

quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant ² :

4. Quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus ³ ?
5. Aut non legistis in lege ⁴, quia

¹ Marc. II, 23 ; Luc. VI, 1.

² I Reg. XXI, 6.

³ Levit. XXIV, 9.

⁴ Numer. XXVIII, 9.

- sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?
6. Dico autem vobis, quia templo major est hic.
 7. Si autem sciretis, quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium ¹, numquam condemnassetis innocentes.
 8. Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.
 9. Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum.
 10. Et ecce homo manum habens aridam ² : et interrogabant eum, dicentes : Si licet sabbatis curare ? ut accusarent eum.
 11. Ipse autem dixit illis : Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam ³ ?
 12. Quanto magis melior est homo ove ! Itaque licet sabbatis benefacere.
 13. Tunc ait homini : Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est sanitati sicut altera.
 14. Exeuntes autem Pharisei, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum.
 15. Jesus autem sciens recessit inde, et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes.
 16. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent,
 17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem ⁴.
 18. Ecce puer meus, quem elegi : dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponom spiritum meum super eum, et iudicium gentibus nuntiabit.
 19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus :
 20. Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, donec ejiciat ad victoriam iudicium :
 21. Et in nomine ejus gentes sperabunt.
 22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret.
 23. Et stupebant omnes turbæ, et dicebant : Numquid hic est filius David ?
 24. Pharisei autem audientes, dixerunt : Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum ⁵.
 25. Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum divisum contra se, desolabitur : et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit ⁶.
 26. Et si Satanæ Satanam ejicit, adversus se divisus est : quomodo ergo stabit regnum ejus ?
 27. Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt ? Ideo ipsi iudices vestri erunt.
 28. Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.
 29. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem ? Et tunc domum illius diripiet.
 30. Qui non est mecum, contra me est : et qui non congregat mecum, spargit.

¹ I Reg. xv, 22 ; Eccle. iv, 17 ; Osee, vi, 6 ; Supra, ix, 13.

² Marc. iii, 4 ; Luc. vi, 6.

³ Deuter. xxii, 4.

⁴ Isa. xlii, 1.

⁵ Supra, ix, 34 ; Marc. iii, 22 ; Luc. xi, 15.

⁶ Luc. xi, 17.

31. Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : spiritus autem blasphemia non remittetur ¹.
32. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.
33. Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum : aut facite arborem malam, et fructum ejus malum : siquidem ex fructu arbor agnoscitur.
34. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur ².
35. Bonus homo de bono thesauro profert bona : et malus homo de malo thesauro profert mala.
36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.
37. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.
38. Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisæis, dicentes : Magister, volumus a te signum videre.
39. Qui respondens ait illis : Generatio mala et adultera signum quærit ³, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ ⁴.
40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.
41. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam : quia poenitentiam egerunt in prædicatione Jonæ ⁵, et ecce plus quam Jonas hic.
42. Regina austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam : quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic ⁶.
43. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit ⁷.
44. Tunc dicit : Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam.
45. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi : et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus ⁸. Sic erit et generationi huic pessimæ.
46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei ⁹.
47. Dixit autem ei quidam : Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes te.
48. At ipse respondens dicenti sibi, ait : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?
49. Et extendens manum in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea et fratres mei.
50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

¹ Marc. iii, 28 et 29; Luc. xii, 10.² Luc. vi, 45.³ Infra, xvi, 4; Luc. xi, 29; I ad Corinth. i, 22.⁴ Jonæ, ii, 1.⁵ Jonæ, iii, 5.⁶ III Reg. x, 1; II Paralip. ix, 1.⁷ Luc. xi, 24.⁸ II Petr. ii, 20.⁹ Marc. iii, 31; Luc. viii, 19.

IN CAPUT XII MATTHÆI

ENARRATIO.

« In illo tempore abiit Jesus per sata sabbato : discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, et manducare. »

Ab hoc loco incipit ordo Ecclesiasticus.

Secundum autem duplicem istius ordinis considerationem dividitur in partes duas : in quarum prima promulgatur ordo iste, secundum quod est communiter respiciens omnia membra corporis mystici sine distinctione. Secundo autem promulgatur ordo iste, secundum quod est respiciens membra sub distinctione et respectu, hoc est, Prælatorum ad subditos, et e contra subditorum ad Prælatos : et hoc incipit, *Infra*, cap. xvi.

Adhuc autem, promulgatio ordinis istius in communi sine distinctione membrorum accepti quatuor habet considerationes : aut enim consideratur secundum comparisonem ad legem quam terminat : aut secundum formam doctrinæ veritatis quæ est in ipso : aut secundum communitatem gratiæ quam præstat : aut secundum quod est divinus immobilis, omni traditioni humanæ superponendus. Et primum quidem in quantum est veritas umbrarum, secundum autem in quantum hæc eadem veritas proportionatur intellectibus auditorum, tertium autem habet per generalem effectum, et quartum habet ex auctoritate legislatoris. Et primo quidem modo determinatur in isto duodecimo capitulo : secundo autem modo in sequenti, scilicet decimo tertio (xiii) : tertio autem modo in decimo

quarto (xiv) : et quarto modo in decimo quinto (xv).

Istud autem capitulum dividitur in partes duas : ita quod in prima parte ostendit terminum legis per hoc quod major est veritas quam umbra. In secunda, ostendit hujus veritatis auctoritatem, ne possit calumniari terminus umbrarum, ibi, *ÿ. 22* : « *Tunc oblatus est ei dæmonium habens, etc.* »

Adhuc, in prima parte sunt duo : in primo quorum per auctoritatem suam ostendit solutionem ritus, templi, et figurarum. In secundo, ostendit hoc idem per effectum gratiæ, ibi, *ÿ. 9* : « *Et cum inde transisset, venit in synagogam, etc.* »

Adhuc, prior pars continet duo, scilicet facti occasionem, et prædictæ solutionis ostensionem, ibi, *ÿ. 3* : « *At ille dixit eis : Non legistis, etc.* »

In primo horum duo continentur : occasio scilicet per factum, et occasio per objectionem sumptam ex factis.

De facto dicit quatuor : tempus commune, transitum Domini, tempus proprium, et factum.

Tempus commune dicit :

« In illo tempore. »

Nec tempus commune diceret, nisi præfinitionem Dei temporalia disponentis, designaret. Ad *Galat. iv, 3 et 4* : « *Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, etc.* Et vocat *elementa mundi*, primas figuras legis, quibus homo erudiebatur ad justitiam. Solutionis ergo figurarum (ut dicit Chrysostomus) quærens occasionem *in illo tempore* præfinito, dat discipulis solvendi causam. Et hoc est, quod in antehabitis diximus, quod videlicet Matthæus non ordinat historiam, secundum quod gesta est in tempore, quia istud factum est post mortem Joannis, quæ tamen inferius narratur : sed quia dixerat de novæ gratiæ intro-

ductione in capitulo præcedenti, et huic convenit esse terminum legis : ideo hic statim ordinat factum, quod legis ostendit terminum, licet tempore non immediate secutum sit : propter quod etiam Glossa dicit, quod nihil aliud hic intendit nisi legis solutionem.

« Abiit Jesus. »

Antequam sumeret cibum in domo : ut famescentes discipulos relinqueret, et causam necessitatis solvendæ legis præberet. « *Per sata,* » hoc est per campos messium, in quibus solutionis acciperetur materia. Hoc significatum est pulchre, Genes. xxiv, 63, ubi dum sponsa Isaac adduceretur, egressus fuerat in agro ad meditandum in agro : quia dum sponsa Ecclesia Christo adducitur, abiit per sata quærens occasionem, ut novam sponsam acciperet. Joan. iv, 35 : *Videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.*

« Sabbato. »

Tempus est proprium quod exprimitur, ut locum habeat reprehensiva interrogatio Pharisæorum, et ex hoc legis ostendatur solutio secundum sensum carnalem.

« Discipuli autem ejus esurientes. »

Famis hujus causa non fuit tantum necessitas, sed dispensativa fuit secundum causas superiores divinas : et secundum causas inferiores causabatur ex nimia frequentia turbarum, non dantium spatium ad manducandum. Unde, Marc. iii, 20 : *Convenit turba, ita ut non possent neque panem manducare* : et in hoc notatur instantia prædicationis Domini. Simile, Joannis, iv, 32 : *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Tob. xii, 19 : *Ego cibo invisibili utor.*

¹ Amos, vi, 4 et 6 : *Væ .. qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti ... bibentes*

« *Discipuli autem ejus esurientes,* » adhuc carnales naturæ defectu victi, « *cæperunt vellere spicas.* » Proverb. xxvii, 7 : *Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Job, vi, 7 : *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt* : et in hoc notatur austeritas vitæ Apostolicæ et Domini. Quod autem vellebant spicas non tostas, et panes non habebant, nec aliquas præparaciones, declarat victus simplicitatem ad reprehensionem eorum qui sicut dicitur, Amos, vi, 4, 6, comedunt agnum de grege, et vitulum de medio armenti, bibentes vinum in phialis, et optimo unguento sunt delibuti, et nihil compatiuntur super contritione Joseph, hoc est, pauperum Christi ¹.

« *Et manducare.* » I ad Timoth. vi, 8 : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus.* I ad Corinth. iv, 11 : *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus.* Hoc verificatum est, quod dixit, Supra, vi, 26 : *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea : et Pater vester cælestis pascit illa.* Ad Hebr. xi, 37 et 38 : *Egentes, angustiati, afflicti : quibus dignus non erat mundus.*

« Pharisæi autem videntes, dixerunt ei : Ecce discipuli faciunt quod non licet eis facere sabbatis. »

Ecce reprehensiva interrogatio.

Et dicit tria : superstitionem, suspicionem, et interrogationem.

Superstitio notatur in nomine *Pharisæorum* : quia gloriabantur de religione superstitiosa : unde, Infra, xxiii, 27, assimilantur *sepulcris dealbatis, quæ a foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia.*

vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.

« Videntes, »

Suspicionis oculo. Matth. xx, 15 : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. vii, 3 : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* Et patet hoc : quia isti non sequebantur Christum, nisi ut invenirent accusationem contra eum.

« Dixerunt ei. »

Contra, Luc. vi, 2, dicitur, quod dixerunt discipulis, non Christo ¹.

Ad hoc dicendum, quod primo dixerunt discipulis : et cum desistere nollent, dixerunt Christo : et sic utrumque factum est. Sed iste narrat hic quod directe facit ad solutionis legis occasionem.

« Ecce discipuli tui. »

Reprehensiva est interrogatio : ut aut prohiberet, aut legem accusaretur solvere. Quasi dicant : Malus magister in discipulorum illegali ostenditur conversatione. Eccli. x, 2 : *Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Est autem istud derogatio et detractio discipulorum, et apparens Christi reprehensio. Ad Roman. i, 30 : *Detractores Deo odibiles.* Sapient. i, 11 : *A detractioe parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit.*

« Faciunt quod non licet facere sabbatis. »

Non enim accusare poterant factum : quia, Deuter. xxiii, 25, dicitur : *Si intraveris in segetem amici tui, franges spicuum, et manu conteres, falce autem non metes.* Confricationem autem volebant esse præparationem : quia cibos non licebat præparare die sabbati, quamvis liceret panem incidere, et mensam ponere et amovere, et hujusmodi. Et videtur Dominus supponere verum esse dictum

eorum : quia respondet ac si discipuli solvant sabbatum, eo quod licet discipuli in facto per (alias, propter) necessitatem famis sint excusati : tamen, quia intendit solvere, potius respondet ad intentionem Pharisæorum, quam se convertat ad facti excusationem. Facit tamen utrumque in littera, sicut patebit, licet finaliter non intendat nisi solutionis ostensionem. Et sic hoc quod dicit Apostolus, ad Hebr. vii, 18 et 19 : *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem : nihil enim ad perfectum adduxit lex : introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.*

« At ille dixit eis : Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant?

Hic ponitur ostensio solutionis legis.

Et ponit tres responsiones : quarum prima facti ostendit excusationem et detrahentium retensionem : secunda autem ostendit templi cultus solutionem : et tertia, solutionem sabbati. Et hæc patent in littera.

Prima sumitur ex prophetia, regno, et sacerdotio : secunda, ex sacerdotio solo : tertia, ex prophetia sola.

In prima harum duo dicuntur : reprehensio Pharisæorum, et excusatio discipulorum.

Reprehensio est in hoc quod dicit :

« Non legistis ? »

Quasi dicat : Contra conscientiam loquimini, habentes ex Scripturæ auctoritate, unde excusetis eos quibus detrahitis. Eccli. xi, 33 : *Bona in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam.* Job, xvi, 9 : *Suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi.*

¹ Luc. vi, 2 : *Quidam Pharisæorum dicebant illis : Quid facitis quod non licet in sabbatis.*

« Quid fecerit David. »

Ecce excusatio discipulorum. Tanguntur hic quatuor, scilicet, solventis personæ solemnitas, solutionis necessitas, solutionem (alias, solventium) comitas, et factum per quod solvebatur. °

De primo dicit : « *Quid fecerit David?* » qui tantus ac talis erat rex, et patriarcha, et propheta : et ideo nunquam solvens legem sine magna causa, et per solutionem suam, præsignans futuram solutionem legis, et docens in quibus casibus solvenda sit : hoc enim est officium prophetæ et patriarchæ : regis autem est cogere ad legis observantiam, et non legem violare. Et si justus rex violat, exemplaris erit violatio et doctrinalis : quia superjustus in quibusdam casibus violando legem, melius servat eam, sicut in antehabitis determinatum est. Et ideo dicit, Psal. cxviii, 100 : *Super senes intellexi* : quia intellectum legis non ad litteram, sed ad spiritum referebat. Cum enim alibi diceret, ibidem, ꝯ. 106 : *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ* : oportuit, quod omnia quæ justus fecit, essent custoditio legis : custoditio autem ista non potest esse nisi secundum spiritum, et non secundum litteram.

Sed quare Christus non facit mentionem suarum dignitatum, ut diceret quid fecerit David propheta et patriarcha? Respondet Chrysostomus : « Ne comendare se ipsum videatur : quia per lineam David descenderat. » Sed posset etiam dici, quod hæc relinquit Christus tamquam notissima apud Judæos quibus loquebatur.

« Quando esuriit. »

Ecce necessitas : nec intelligitur ista necessitas extrema fuisse, sed inducens, et non cogens : quod et significatur in verbis Sacerdotis, I Reg. xxi, 4, ubi

dixit : *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus, comedant eos*, scilicet panes propositionis : quia si necessitas extrema fuisset, ita quod immineret mors, nihil penitus interrogasset, sed statim dedisset. Et hoc est contra eos, qui necessitatem extremam solam (alias, solum) dicunt esse, in qua aliquis tenetur esurienti subvenire. I Joan. iii, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

« Et qui cum eo erant. »

Ecce solventium communitas, ne dicatur quod David propheta inspiratione solvit, adducuntur in medium communes personæ, quæ secum solverunt.

« Quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus. »

Ecce factum, et tangit quatuor. Primum est introitus, secundum comestio panum, tertium ratio illiciti, et quartum ratio consecrationis usus panum.

De primo dicit :

« Quomodo intravit in domum Domini. »

Hoc est, in atrium interius, ubi habitavit sacerdos, quo non erat communis accessus laicorum hominum, sed ad ostium stabant, et ibi sacerdotes hostias eorum accipientes offerebant : et tangitur historia ¹.

Et dicitur, Marci, ii, 26, quod *introiit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum*. Glossa autem hic dicit, quod intravit ad Abimelech, qui pro eo con-

¹ Cf. I Reg. xxi, 1-7.

suluit Dominum. Et ideo dicit Chrysostomus, quod binomius fuit iste sacerdos. Sed melius est, quod dicatur, sicut et verum est, quod ambo aderant, et pater, et filius : et unum nominat Dominus in Marco : alter autem nominatur hic, et in historia *Regum* : multi enim aderant sacerdotes : unde et postea Saul propter hoc factum omnes interfecit.

« Et panes propositionis comedit. »

Ecce secundum : quia intravit propter Dei responsum quærendum, et comedit panes propositionis propter famis necessitatem : quia in necessitate omnia sunt communia. Dicunt tamen quidam, quod præsentia sacerdotum secum dispensavit. Sed hoc nihil omnino, et contra intentionem istius responsionis, quæ vult quod necessitas fecerit licitum quod alias illicitum fuit. Si tamen dicatur, quod per hoc verbum quod dixit sacerdos : *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus, comedant* : sacerdos dispensavit. Tunc hic accipitur, quod dispensatio non debet fieri nisi causa publicæ necessitatis, vel publicæ utilitatis : quia publica necessitas dispensationem excusat : publica autem utilitas eandem commendat, ut dicit Bernardus ad Eugenium Papam.

« Quos non licebat ei edere, etc. »

Ecce tangit rationem illiciti in facto : quia lex hoc factum prohibuit. Illicitum enim est, quod præcepto communi legis est prohibitum. Levit. xxiv, 5 et seq : *Accipies similitam, et coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas : quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues : et pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monumentum oblationis Domini. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno : eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos*

in loco sancto, quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo.

« *Neque his qui cum eo erant.* » Quasi dicat : Et si David aliquam videtur habere in hoc prærogativam, tamen hi qui cum eo erant, nullam penitus habebant, nisi necessitatis causam : neque etiam (alias, enim) sacerdos sine causa ministrasset, cum lex Domini oppositum imperaret.

« Nisi solis sacerdotibus. »

Et etiam in loco sancto. Signum enim hoc erat Eucharistiæ, quæ non nisi his quos Deus sacravit, administranda fuit. Et sic inducta est dignitas regalis et prophetalis in comedente, et dignitas sacerdotalis in ministrante panes : et istæ personæ præcipue positæ fuerunt ad legis custodiam, sacerdos ad exponendum, et rex ad cogendum.

Sic ergo solvebat : Multo magis etiam præsentia mea in simili, et majori necessitate, et præfinito tempore solvere possum : et hæc est intentio istius partis.

« Aut non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt ? »

Dico autem vobis, quia templo major est hic. »

Ecce secunda responsio, in qua ostenditur solutio cultus templi : quia propter cultum templi sabbatum violatur.

Et dicit tria : quorum unum est reprehensio : alterum, convictio : et tertium, argumentatio ex illis. Et hæc patent in littera.

De primo dicit :

« Aut non legistis ? »

Quasi dicat : Reprehensibiles de ignorantia legis estis : quia, sicut dicitur, II ad Corinth. iii, 15 : *Cum legitur Moyses,*

velamen positum est super cor eorum. Joan. v, 46 : *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.*

« Quia sabbatis sacerdotes. »

Hic ponit convictionem. Et dicit quatuor : auctoritatem violantium, causam violationis, quid violant, et quam impune.

De primo dicit : « *Sacerdotes,* » quorum est custodia legis in se, et in aliis. Malach. ii, 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirunt ex ore ejus.*

Causam autem violationis dicit, cum subjungit :

« In templo. »

Hoc est, in ritu templi, et observatione sacrificiorum : et hoc non posset esse, nisi ritus templi melior esset sabbato : in mandatis enim et votis talis est regula, quod quando duo sunt quæ simul stare non possunt, fortius violat illud quod minus est forte : eadem enim est ratio mandatorum in hoc, quæ est vinculorum in oppositum stringentium : in his enim minus forte solvitur per majus forte. Talis autem solutio fiebat tribus modis : uno modo ex obligatione præcepti, sicut, Levit. xii, 3, et Genes. xvii, 12, dicitur, quod *infans octo dierum circumcidetur* : et sæpe contingit octavum diem esse sabbatum : et tunc oportebat circumcidi, et agnum offerri et mactari : quæ omnia corporalia erant opera. Joan. vii, 23 : *Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato.* Simile quid sequitur ex præcepto puerperæ, Levit. xii, 4, 5, cui præcipitur, quod trigesimo die pro filio, et sexagesimo sexto pro filia puerum in templo cum sacrificiis occidendis et

immolandis præsentet : quæ sæpe necesse fuit cadere super diem sabbati. Similiter in ipso sabbato Paschæ et Pentecostes et Scenopegia, multæ fiebant animalium occisiones ¹. Et similiter in singulis sabbatis : quæ omnia erant opera corporalia lassantia operantes. Ergo propter templi ritum, sicut majus et dignius aliquid sabbato existens, solvebatur quies sabbati.

Secundo modo fiebat propter hominum necessitatem, sicut, I Machab. ii, 41, Mathathias statuit pugnare die sabbati adversus gentes, ne ipsis deletis deleretur et lex : ergo ipse homo etiam est aliquid majus sabbato : quia sabbatum est propter hominem, et non homo propter sabbatum.

Tertio modo fiebat hujusmodi solutio propter brutorum animalium necessitatem, Infra, eodem, xiii, 15, et Luc. xiv, 5, ubi dicitur, quod aduquabant boves et asinos, et extrahebant eos de puteis die sabbatorum. Sabbatum ergo solvere ex parvis etiam causis non videbatur esse magnum.

Sequitur :

« Sabbatum violant. »

Ecce quod violatur tribus modis inductis, sed hic intendit de violatione illa quæ fuit propter ritum templi. Violatio autem illa est, quia (alias, quæ) dicitur, Exod. xx, 10 : *Septimo die sabbatum Domini Dei tui est : non facies omne opus servile,* scilicet, in eo : et ista erant opera servilia.

Sed objicitur : Quia opera templi ad cultum Dei erant pertinentia : ergo non erant servilia, nec per illa violari videbatur sabbatum.

RESPONSIO, quod in veritate per illa violabatur sabbatum : quia nec conveniebant causæ institutionis, neque fini, secundum quod carnaliter et litteraliter sabbatum accipitur. Causa enim institu-

¹ Cf. Levit. xxv, passim.

tionis sabbati fuit, quia illa die quievit Deus ab omni opere exteriori, quiescens in seipso. Ergo si institutio respondet causæ institutionis, sabbatum est in hoc quod nullum penitus fiat opus exterius. Finis autem institutionis exprimitur, Exod. xx, 10: *Non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas.* Huic autem fini non concordat, quod aliquid operis in eo fiat, quod lassitudinem corporalem inducat. Si igitur talia opera in sabbato fiant, oportet quod fiant propter aliquid majus sabbato: ita quod merito religio sabbati cedat illi tamquam majori. Et sic templum et necessitas animalium major est sabbato: et hoc intendit in littera.

« Et sine crimine sunt. »

Ecce impunitas: cum tamen dicatur, Exod. xxxi, 14: *Qui polluerit sabbatum, morte moriatur.*

Sed attende, quod alia est sanctificatio sabbati, et alia observatio septimæ diei. Sanctificatio enim sabbati est sanctificatio quietis: non enim quiescitur, nisi in eo quod diligitur: quies ergo cordis est in eo, ubi ponitur finis dilectionis: hæc autem non sanctificatur nisi in Sancto sanctorum, ut in eo quiescatur finaliter: ut separati ab operibus nostris et in nullo quietem invenientes ultimæ dilectionis, permaneamus in ipso: et hoc est morale in præcepto de sabbato. Sed in determinatione diei duo attenduntur: unum, quod est causa finalis: et hoc est, quod cum homo in opere est, vel negotio privatæ utilitatis, occupatione ipsa trahitur cor ad obliviscendum quietis quam per gustum et dilectionem bonitatis ejus in Deo debet habere: et ideo instituitur, et determinatus (alias, determinatur) feriatu dies, in quo ab occupatione tali separatus, discat redire ad Dei dulcedinem experiendam, quæ postea in ejus remaneat memoria, quando est in negotio, et non

abstrahatur. Causa autem determinationis inducens ad hanc vel illam diem determinandam et instituendam, est emergens aliquid divinum quod quietem illam in Deo ostendit, sicut in Veteri Testamento fuit quies ab opere constitutionis mundi: cui cum postea succederet aliud divinum, quod illam quietem melius ostendit in octavo die, quando Christus resurgens felicitatem quietis æternæ ostendit in plena gratia (alias, gloria) corporis et animæ constitutam, (alias, institutio) prima cessavit, et dies octava prævaluit. Et istæ dierum determinationes non cadunt sub præcepto morali, sed sunt quædam institutiones tenendæ, quamdiu causa movet (alias, manet) institutionis. Et quoad ista, dicit Dominus solvi sabbatum, et non quoad primum, quod simpliciter est morale. Isa. lxvi, 23: *Erit sabbatum ex sabbato.* Ad Hebr. iv, 10: *Qui ingressus est in requiem ejus: etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus.*

Unde subinfert:

« Dico autem vobis, etc. »

Qui sum veritas, et cujus verbum effectivum est. Psal. cxl, 6: *Audient verba mea quoniam potuerunt.* « *Quia templo,* » propter quod sicut aliquid majus sabbato, solvebatur lex sabbati, « *major est hic,* » quia veritas figurata per templum, et omnem templi ritum. Joan. ii, 19: *Solvite templum hoc: et in tribus diebus excitabo illud.* Et, post pauca, x, 21: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Aggæi, ii, 10: *Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ.* Ergo multo magis discipulorum lex mihi adhærentium solvit legem sabbati.

Cum autem dicit: « *Templo major est hic,* » hæc dictio *hic,* adverbium est loci, et significat, quod præsentia sui templi corporalis solvit sabbati religionem in discipulis.

« Si autem sciretis quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium, numquam condemnassetis innocentes.

Dominus est enim Filius hominis etiam sabbati. »

Ecce redargutio impietatis per prophetiæ intellectum.

Et facit tria: redarguit enim cæcitatem, confutat errorem, et suam ostendit supra legem auctoritatem.

De primo dicit:

« Si autem sciretis, »

Hoc est, intelligeretis. Matth. xxii, 29: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*, « *Quid est,* » quod dicitur, Osee, vi, 6: « *Misericordiam volo,* » voluntate finali, et per se. Proprium enim Dei est misereri et parcere. Joel, ii, 13: *Benignus et misericors est...*, et *præstabilis super malitia*. « *Et non sacrificium.* » Numquam enim hoc volui, nisi per accidens, et propter aliud: per accidens quidem, ne illud idolis sacrificaretur: propter aliud, ut ipso aliquid in futurum significaretur.

Sed contra, Joel, ii, 14: *Sacrificium et libamen Domino Deo vestro*. RESPONSIO. Hoc intelligitur de sacrificio cordis contribulati per se, et de sacrificio corporali per accidens. Hoc tamen totum, supra, ix, 13, notatum est ¹.

« Numquam condemnassetis innocentes, »

Hoc est, condemnandos judicassetis. Math. vii, 1 et 2: *Nolite judicare, ut non judicemini... In quo enim iudicio judicaveritis, judicabimini*. Jacob, ii, 13: *Judicium sine misericordia*

fiet illi qui non fecit misericordiam.

« *Innocentes* » autem sunt, qui nec miserum faciunt, nec miserum relinquunt, sicut fuerunt Apostoli, qui omnibus profuerunt, et nulli nocuerunt. Tamen hic intelligit innocentes de legis transgressione. Psal, xxiii, 4: *Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam*. I ad Corinth. x, 32 et 33: *Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei: sicut et ego per omnia in omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant*. Bene autem dico « *innocentes,* » quoad legem sabbati.

« Dominus enim est, »

Auctoritate. Apocal. xix, 16: *Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium*. I Reg. iii, 18: *Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat*. « *Filius hominis,* » hoc est, quamvis sit Filius hominis, paulo minus minoratus ab Angelis propter passionem mortis ². Joan. v, 27 et seq.: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso, et potestatem ei dedit iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc,* etc. « *Etiam sabbati,* » sicut templi: quamvis sabbatum sanctificatum sit non ex lege tantum Moysi, sed ab institutione mundi. Ad Hebr. iv, 3 et 4: *Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis.*

Sic igitur ostensa est templi et sabbati solutio per Jesu Christi auctoritatem.

« Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum. »

¹ Cf. enarrationem in §. 43 cap. ix Matthæi, pag. 423.

² Cf. Ad Hebr. ii, 9: *Cum autem, qui medico*

quam angeli minoratus est videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum, etc.

10

« Et ecce homo manum habens aridam. »

Hic incipit idem, quod supra manifestare videtur per effectum gratiæ.

Et dividitur in partes tres : in quarum prima ponitur gratiæ faciendæ opportunitas : et in secunda, gratiæ exhibitio : et in tertia, Pharisæorum excæcatio.

Prima autem harum duo continet, scilicet opportunitatem gratiæ in rebus, et opportunitatem in probatione et conjunctione sermonum.

De primo dicit tria : transitum gratiæ fontis, cum dicit :

« Cum transisset inde. »

A Pharisæis, quibus tamquam indigens lucem suam subduxit. Job, III, 6, 4 : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, et non illustretur lumine.* Luc. IV, 43 : *Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum.*

« Venit. »

Secundum est, quo tangit loci solemnitatem. Est autem hoc factum non eodem sabbato, quo præcedens, sed in alio. Luc. VI, 6 : *Factum est autem et in alio sabbato, ut intraret in synagogam.* Et hoc est quod dicit : « *In synagogam eorum,* » quia locus fuit publicus, et sollemnis, ubi multi conveniebant. Joan. XVIII, 20 : *Ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt : et in occulto locutus sum nihil.* Supra, X, 27 : *Quod in aure auditis, prædicare super tecta.*

Tertium est præsentia indigentis gratia : et hoc tangit, cum dicit :

« Et ecce homo manum habens aridam. »

Et sicut in Evangelio Nazaræorum legitur, iste fuit cæmentarius : et inter-

pellabat Christum miserabilibus vocibus dicens, quoniam manu illa victum quærebat. Et dixit : Jesu Nazarene, manum victui meo necessariam restitue, ne turpiter cogar mendicare. Unde, Luc. VI, 6, dicitur quod manus erat dextra, quæ perficit diligentiam operis. Præsentavit autem se iste in synagoga, ut ex religione loci et prophetiarum, quæ ibi de Christo legebantur, facilius inclinaret eum ad miserendum. Genes. XXVIII, 16, 17 : *Dominus est in loco isto... : Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli.*

« Et interrogabant eum dicentes : Si licet sabbatis curare ? ut accusarent eum. »

Ecce opportunitas ex conjunctione verborum veritatem probantium.

Et dicuntur hic duo, dolosa videlicet interrogatio Sacerdotum et Pharisæorum, et demonstratio veritatis ex veritate Christi sermonum.

De primo dicit :

« Et interrogaverunt eum dicentes. »

Contra, Luc. VI, 9, dicitur, quod Christus eos interrogavit. RESPONSIO, dicendum, quod utrumque factum est. Sed Christus eos interrogavit primo, ut daret occasionem demonstrandæ veritatis : et ipsi eum reinterrogaverunt secundo, ut accusationem acciperent malignitatis.

« Si licet sabbatis curare ? »

Hæc quæstio aliter formatur, Marc. III, 4, et Luc. VI, 9 : *Si licet sabbatis benefacere, an male ? animam salvam facere, an perdere ?* Sed in hac forma proposuit Dominus quæstionem : quia sic formata in se habet rationem ostendentem tale opus non esse violationem sabbati. Constat enim benefacere esse de quiete sabbati : et cum Deus perire nolit animas, quod licet sabbato animam

salvare : quia sabbatum propter animæ salutem factum est. Pharisei autem formant eam, secundum quod sonat opus servile : quia curare sonat sollicitudinem, et quasi opus medicinale : ut ex hoc magis accipiatur accusatio. Unde, Luc. XIII, 14 : *Sex dies sunt in quibus oportet operari : in his ergo venite, et curamini, et non in die sabbati.*

« Ut accusarent eum. »

Perversitas intentionis notatur. Non enim quærebant, ut addicerent legis intellectum : nec misericordia movebat ad pietatem : sed pertinaces in malitia potius eligebant derogare Christo, quam legis vel pietatis observantiæ studere : discipuli pro certo ejus de quo dicitur, Apocal. XII, 10 : *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Est autem idem, *ut accusarent*, quod est, ut crimen objicerent.

« Ipse autem dixit illis : Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam. »

Ecce convictio veritatis per sermones Christi.

Et dicuntur duo : primo enim præmittitur facti similitudo pro argumento : secundo autem concluditur generaliter pietatis intentio.

In facti similitudine quatuor proponit, quorum primum comparisonem inter Christum et Phariseos innuit : secundum autem dicit comparisonem hominis et bruti simplicis et mansueti et utilis : tertium innuit comparisonem defectus hominis ad defectum bruti : quartum autem propositionem (alias, proportionem) facti avari hominis ad factum divinæ pietatis.

De primo dicit :

« Quis, etc. »

Hoc notat generalitatem. « *Erit*, » notat propositi avaritiæ in futurum pertinaciam. « *Ex vobis*, » notat avaritiæ similitudinem in Phariseis. « *Homo*, » notat avaritiæ fomitem : quia factus, ab humo, sapit ea quæ humi sunt. Joan. III, 31 : *Qui de terra est, de terra loquitur.* Job, IV, 19 : *Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea.*

Et est comparatio latens : quod si homines ipsi nihil nisi humanam infirmitatem in operibus demonstrantes, vindicant sibi aliquid facere fieri in die sabbati, multo magis qui super omnes est per opera se demonstrans esse Dominum sabbati, quod pietatis est, potest facere in die sabbati.

« Qui habeat unam ovem. »

Ecce comparatio inter hominem et brutum simplex. Et tangit boni parvitatem et paucitatem : paucitatem in hoc quod dicit, « *unam* : » parvitatem in hoc quod dicit, « *ovem*. » Sicut ille vir pauper, II Reg. XII, 3, qui *nihil habebat omnino præter ovem unam parvulam, ... quæ creverat... de pane illius comedens, et de calice ejus bibens, et in sinu illius dormiens : eratque illi sicut filia.* Propter proprietatem simplicitatis et mansuetudinis et utilitatis comparatur ovis homini, sicut supra, x, 6, notatum est¹. Et notatur hoc, quod etiam uni misero exhibenda est misericordia, dummodo sit ovis. Psal. xciv, 7 : *Nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.*

« Et si ceciderit hæc sabbatis in foveam. »

Ecce comparatio miseræ bruti ad miseriam hominis. Et notantur tria, causa nocimenti, tempus, et nocumentum.

Causa autem est casus, cum dicit : « *Ceciderit.* » Et in hoc notatur : quod per illicitum opus non dedit causam ca-

¹ Cf. enarrationem supra factam, x, 6, pag. 445 et seq.

sui, sed in via simpliciter gradiens cecidit. « *Sabbatis* » autem cecidit: quod propter salutem, et non ad mortem aliquid inventum est. « *In foveam,* » quæ est qualitas nocimenti, ex quo impossibile est exire propria virtute: sicut et homo manu contracta, operam dans rei licitæ, cecidit in manus ariditatem, de qua se eripere non potuit. Job, vi, 13: *Ecce, non est auxilium mihi in me, et necessarij quoque mei recesserunt a me.* Deuteron. xxii, 4: *Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicias, sed sublevabis cum eo.*

12

« Nonne tenebit, et levabit eam?

Quanto magis melior est homo ove!
Itaque licet sabbatis benefacere. »

Ecce comparatio facti hominis ad factum divinæ pietatis. Et tangit duo: factum, et comparisonem.

De facto duo dicit per modum interrogationis. Tenere enim est retinere ab ampliori nocimento, ne in fovea deficiat. Levare autem est a nocimento eripere: et hoc melius fit in homine divina pietate nos tenente, ne in totum in præceptis cadamus, et extrahente nos de lacu fæcis et miseriæ. Sapient. x, 14: *Descendit cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum.*

« Quanto magis, etc. »

Ecce comparatio. Et excessum notat per tria: infinitum quidem, cum dicit « *Quanto,* » eo quod homo est ad imaginem capax Deo (alias, Dei) quod non ovis.

Excessum autem virtutis notat, per hoc quod dicit: « *Magis.* » Simplicitas enim et mansuetudo, et innocentia in ove sunt natura: et ideo non laude digna. Sed in homine sunt ex electione voluntaria: et ideo laudabilia. I ad Corinth. ix, 9 et 10: *Numquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit?*

Excessum autem pretii, et valoris notat per hoc, quod dicit: « *Melior est homo ove.* » I Petr. i, 18 et 19: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.*

Ex his autem omnibus a minori sumens probationem concludit:

« Itaque licet sabbatis benefacere. »

Quia vos cum sitis homines mali, in sublevamine bruti, in quo vestræ consultitur avaritiæ: quia in vestro hoc facitis, et non in alieno, et ideo non ex pietate creaturæ simplicis hoc facitis: et tamen excusamini in die sabbati hoc facientes, itaque multo magis mihi (qui pius et misericors sum) licet generaliter ad omnes homines beneficentiam exhibere, et nullum in fovea perditionis derelinquere ex fide me invocantem. Eccle. ix, 10: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Joan. ix, 4: *Me oportet operari donec dies est.* Ad Hebr. xiii, 16: *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.*

« Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est sanitati sicut altera. »

Hic tangit perfectionem miraculi: et sicut dicitur, Marci, iii, 3, et Luc. vi, 8, statuit eum Jesus in medio, ut omnibus pateret quod miseria hominis eum ad pietatem moveret: et ut etiam devotio circumstantium magis promoveretur ad fidem: et ut malignitas Phariseorum magis confunderetur.

Dicit autem duo, unum videlicet perfectivum sanitatis, et sanitatis perfectionem.

Primo enim dicit:

« Extende manum tuam. »

Notatur autem ex modo loquendi, quod infirmitas ex desiccatione nervorum, qui desiccati in musculis moventibus curvaverant rascetam (alias, et ascellam) et digitos versus brachium. Quia, sicut Hieronymus dicit in Evangelio Nazaræorum (quo Hebræi quidam fideles utebantur) dicitur, quod iste cæmentarius fuit, et victum arte, et usu manus quæsivit, et ex motu forti, et frequenti, et siccitate calcis et lapidum passus est nervorum desiccationem. Unde in eodem Evangelio dicitur, quod hujusmodi vocibus interpellabat Dominum : Jesu Nazarene, restitue mihi manum, per quam mihi et meis quæsivi victum, ne turpiter cogar cibos mendicare. Unde etiam, Luc. vi, 6, dicitur hæc fuisse manus dextera.

« Et extendit. »

Ecce perfectio sanitatis, et demonstratio. Dedit enim Christus voci suæ vocem virtutis, non per invocationem, ut Sancti, sed per imperium, ut Dominus perficiens sanitates. « *Et restituta est sanitati sicut altera,* » vigorosa ad operandum effecta.

Moraliter autem hoc miraculum perficitur in avaris, qui contractas habent manus ad dandum, cum manus imperio Domini per gratiam liberalitatis aperiunt inopi, et palmas extendunt ad pauperem¹. Eccli. iv, 36 : *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.*

« Exeuntes autem Pharisei, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum. »

Hic tangitur excæcatio invidorum Judæorum. Et innuit quatuor, scilicet con-

fusionem malignitatis, consensionem, et pessimam eorum intentionem, et Christi patientiam.

De primo dicit : « *Exeuntes ergo Pharisei,* » confusi, et non sustinentes lumen rationum propositarum, et per ipsas res confirmatarum. Joan. iii, 20 : *Qui male agit, odit lucem.* Joan. xiii, 30 : *Judas exivit continuo. Erat autem nox.* Job, i, 12 : *Egressus est Satan a facie Domini.*

« *Consilium* (vel concilium) *faciebant adversus Jesum.* » Ecce consensus malignitatis. Jerem. xviii, 23 : *Tu scis omne consilium eorum adversus me.* Isa. i, 13 : *Iniqui sunt cætus vestri.* Genes. xlix, 6 : *In consilium eorum non veniat anima mea, et in cætu eorum non sit gloria mea.*

« *Quomodo perderent eum.* » Ecce pessimum virus intentionis ipsorum. Matth. xxvi, 3 et 4 : *Congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi, ... et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.*

Imponebant autem ei coram hominibus tria : blasphemiam, et Sabbati violationem, et timorem quem de factis non habebat. Et de blasphemia quidem dicitur, Joan. x, 33 : *De opere bono nos non lapidamus te, sed de blasphemia : et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* De sabbato dicitur, Joan. ix, 16 : *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* De his duobus simul, Joan. v, 18 : *Propterea magis quærebant eum Judæi interficere : quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* De timore vero dicitur, Joan. xi, 48 et 53 : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tolerant nostrum locum, et gentem... Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.* Christus autem contra blasphemiam opposuit Dei honorem, Joan. vii, 49 : *Honorifico Patrem meum, et vos*

¹ Cf. Proverb. xxxi, 20.

inhonorastis me. Contra sabbati violationem beneficentiæ opposuit ostensionem, Joan. x, 32 : *Multa bona opera ostendi vobis ex Patres meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Contra timorem eorum, opposuit eorum quæ timebant, comminationem. Luc. xix, 43 et 44 : *Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te : et coangustabunt te undique : et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt.*

Secundum veritatem autem causæ persecutionis fuerunt, inanis gloria, invidia, et superstitio. De invidia enim dicitur, Infra, xxvii, 18 : *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.* De inani autem gloria, Joan. v, 44 : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis?* De superstitutione, Supra, ix, 14 : *Quare nos, et Pharisei jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunt?*

15

« Jesus autem sciens recessit inde, et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes.

16

Et præcepit eis ne manifestum eum facerent. »

Hic tangitur Domini patientia contra mala inducta. Et tanguntur duo : unum est probatio patientiæ in opere : secundum autem probatio ejusdem per auctoritatem Scripturæ.

De primo tangit quatuor, signum scilicet deitatis per omnium scientiam : signum bonitatis per sanitarum gratiam : et ante hoc exemplum nostræ infirmitatis per sui absentiam : et instructionem humilitatis per vitam ex miraculis jactantiam.

¹ En secundum Vulgatam verba Isaïæ, xlii, 1 et seq. : *Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedi spiritum meum super eum, judicium genti-*

De primo dicit : « *Jesus autem sciens,* » nullo referente. Eccli. xxiii, 28 : *Circumspicit omnes vias hominum.* Job, x, 13, et xlii, 2 : *Scio quia universorum memineris, et nulla te latet cogitatio.* « *Recessit inde,* » dans nobis exemplum declinandi rabiem persequentium, Supra, x, 23 : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam :* quia in hoc etiam consulitur malitiæ adversariorum.

« *Et secuti sunt eum multi,* » supple, infirmi, et hi qui ex fide et devotione infirmos obtulerunt. Luc. iv, 40 : *Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum. At ille singulis manus imponens curabat eos.*

« *Curavit eos omnes,* » ut signo bonitatis vinceret adversarios : mira enim fuit bonitas, quod quæsitus ad mortem universale omnibus exhibuit beneficium. Ad Roman. xii, 21 : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

« *Et præcepit eis,* » præcepto non executionis, sed instructionis, « *ne manifestum eum facerent,* » ut signo humilitatis, quod, supra, xi, 29, dixit, confirmaret : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Joan. viii, 50 : *Ego non quæro gloriam meam.*

« Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem :

Ecce puer meus, quem elegi : dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum. »

Ecce confirmatio per prophetam (alias, prophetiam).

« *Ut adimpleretur,* » quia in mensura gratiæ superaddit, « *quod dictum est de eo per Isaiam prophetam dicentem*¹. » Auctoritas autem inducta confir-

bus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, et lignum fumigans non exstinguet : in veritate educet judicium.

mat totum quod ab initio dictum est in hac parte, et non solum id quod immediate præcessit. Dicuntur autem in hac auctoritate duo de Christo, plenitudo videlicet gratiæ, et actus.

Plenitudo autem dicitur hic quadrupliciter, ab humilitate videlicet subjectionis, cum dicit :

« Ecce puer meus. »

Et in hoc notatur subjectionis evidentia. « *Puer* » notat subjectionem, « *meus* » notat consensum ejus, cui subijcitur. Ad Hebr. II, 14 : *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.* Ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem,* etc. Puer enim dicitur a subjectione et puritate naturæ assumptæ. Et ideo alia translatio habet, « *Servus meus.* » Isa. XLIX, 3 : *Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor.*

Secundo, tangit electionem ipsius ad officium, cum dicit :

« Quem elegi. »

Non de massa perditionis separatus, quia in illa numquam fuit, sed electus ad officium redemptionis. Psal. LXIV, 5 : *Beatus quem elegisti, et assumpsisti.* Hoc etiam modo dicitur, ad Roman. I, 4 : *Prædestinatus in virtute secundum spiritum sanctificationis.* Cantic. V, 10 : *Electus ex millibus.* « *Quem elegi* » ad hoc opus ante mundi constitutionem. Ad Ephes. I, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.*

Tertio, dicit dilectionem ex plenitudine gratiæ provenientem, cum dicit :

« Dilectus meus. »

Et dicit duo : dilectionem quæ est causa gratiæ, et quia gratia gratum facit habentem eam, et opus ipsius : ideo de

gratitudine illa subdit : « *In quo bene complacuit animæ meæ.* »

De primo dicitur, Joan. III, 35 : *Pater diligit filium, et omnia dedit in manu ejus.*

Quod autem additur : « *In quo bene complacuit,* etc. » Tria notantur, optimus videlicet virtutis modus, qui magis notatur per *bene*, quam per bonum : quies pascens volentis Patris, in acceptatione meriti Christi, quod notatur per *complacitum* : et medulla dulcedinis, quam habet ad ipsum : et hoc notatur per *animam*, quia humano modo loquitur : et est anthropopathos, quia humana propassio transfertur in Deum. Idem autem est, Supra, III, 17, et Infra, XVII, 5. Sapient. IV, 14 : *Placita enim erat Deo anima illius.*

Quarto, dicit plenitudinem spiritus, qui omnia operatur, et distribuit dona, quæ per Christum sunt data :

« Ponam super eum spiritum meum. »

Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me.* Quod autem dicit : « *Ponam* » sonat quietem. Isa. XI, 2 : *Requiescet super eum Spiritus Domini* : et hæc dicuntur omnia de Christo secundum assumptam humanitatem. Secundum primum horum juste per obedientiam venit ad redimendum : per secundum, idonee : per tertium, factum est opus utile fini redemptionis : et per quartum, efficax ad debellandum spiritus nequam redemptos in captivitate detinentes. Primum est humilitatis, secundum perfectionis, tertium dulcedinis, quartum autem excellentissimæ sanctitatis.

Attendendum etiam, quod omnia hæc conveniunt Christo, in quantum in conformitate naturæ caput est Ecclesiæ : sed per primum importatur habitus naturæ, qua Sanctis conformatur : secundum autem convenit quoad gratiam, qua membra a non membris discernit : tertium autem dicit causam gratiæ : et

quartum, spiritum quo membra vivificat.

19 « Et iudicium gentibus nuntiabit. »

Hic tangit Christi proprium actum. Dicit tria, scilicet qualis est actus in ordinandis bonis, et qualis in sufferendis adversis et pœnis et peccatoribus, et qualis in fine perfectionis.

De primo dicit : « *Judicium gentibus nuntiabit.* » Hoc est autem iudicium, quoties seipsos hic discutunt, et in futuro iudicabuntur : et hæc est doctrina Evangelica. Psal. cXLIX, 9 : *Ut faciant in eis iudicium conscriptum : gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.* Hoc enim iudicio, et ipse ut rex, et sancti ut senatores iudicabunt. Sapient. III, 8 : *Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in æternum.* Hæc enim est sapientia, quæ continetur in libris cordium Sanctorum, qui aperientur in iudicio¹. Ad Coloss. II, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi.*

Sed tamen contra hoc videtur esse, quod dicitur, Joan. III, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Sed hoc intelligitur de iudicio condemnationis, cum nos hic loquamur de iudicio doctrinæ, quod est iudicium discretionis (alias, discussionis). Joan. XII, 31 : *Nunc iudicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Joan. IX, 39 : *In iudicium ego in hunc mundum veni.* Hoc autem iudicium nuntiat prædicando per discipulos « *gentibus,* » quia, Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus.*

« Non contendet, neque clamabit,

neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. »

Secundum est qualis fuit in tolerandimalis : et hoc tripliciter : et hoc habet duo.

Ostendit enim qualis est in contradictione malorum, et qualis est in longa anima exspectatione peccantium.

De primo dicit tria, quorum primum, boni ordines ad contradictiones : secundum, bonus modus in contradicendo : tertium autem, optimus modus in vincendo contradictores.

De primo dicit :

« Non contendet. »

Dicit enim Ambrosius : « Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. » Sic enim non contendit, sed in doctrina spiritus et virtutis veritatem demonstravit. Proverb. XXIX, 9 : *Vir sapiens, si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem.* II ad Timoth. II, 14 : *Noli contendere verbis : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Ad Titum, III, 9 : *Contentiones, et pugnas legis evita.*

Sed contra, Jerem. II, 9 : *Ecce ego in iudicio contendam vobiscum.* Mich. VI, 2 : *Judicium Domini cum populo suo.* RESPONSIO. Non contendit contentione iræ et rixæ, quamdiu fuit in mundo : sed postea contentione increpationis contendet cum peccantibus.

« Neque clamabit. »

Clamor est confusus sonus indignationis in contradicendo. I Petr. II, 23 : *Dum pateretur, non comminabatur.* Nec est contrarium id, quod dicitur, ad Hebr. V, 7 : *Preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens, exau-*

⁶ Cf. Daniel. VII, 10.

ditus est pro sua reverentia. Et, Joan. VII, 37: *In novissimo die magno festivitatis, stabat Jesus, et clamabat dicens: Si quis sitit, etc.* Quia primum intelligitur de clamore devotionis ad Deum: secundum autem de clamore prædicationis. Et quod dicitur hic, est dictum de clamore indignationis, qui clamor nascitur ex ira et indignatione, ut dicit Gregorius.

« Neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. »

In plateis vox tumultus suscitantium auditur: et hoc modo Christi vox non est audita: nec etiam in jactantia in plateis facta, qualiter vocem dant in plateis inaniter gloriantes. Et ideo, Isa. VIII, 6, dicitur: *Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio.* Siloe enim, quæ interpretatur *missus*, significat doctrinam Christi quam abjecerunt Judæi: ad quam tamen cæcus illuminandus missus est¹. Isa. XLII, 14: *Tacui semper, silui, patiens fui.* Sic ergo in mansuetudine mansuetis prædicavit. Isa. LXI, 1: *Ad annuntiandum mansuetis misit me.* Jacob. I, 21: *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.*

« Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet. »

Hic tangitur qualis fuit in sustinentia peccatorum, et exspectatione.

« Arundinem quassatam non confringet. »

Sunt autem ista per metaphoram dicta. Arundo autem quassata cor fuit Judæorum et Pharisæorum, vento iræ et indi-

gnationis commotum, et vento erroris sonans per blasphemias et indignationes: et hoc non confregit Christus, licet hoc potuerit, sed patienter supportavit: cedens furori, et dans locum iræ. Ad Roman. XII, 19: *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ.* III Regum, XIV, 15: *Percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aqua.*

« Linum fumigans non exstinguet. »

Linum candore suo et munditia (ut dicit Hilarius) paucos Judæorum significat devotos, igniculum fidei concipientes, et quadam dilectione cum carne juxta fumantes: quos etiam Christus non exstinxit, sed fovit incendens in eis ignem perfectæ charitatis. Remigius autem dicit « linum significare gentes amaro fumo erroris fumantes cum modica scintilla naturalis legis. » Et sicut non contempsit parvam scintillam in parvulis, sed fovit, donec accenderetur igne charitatis: ita etiam in gentibus modicam scintillam naturalis legis in magnum produxit ignem dilectionis. Sine præjudicio autem dicendum, quod per istas expositiones non videtur induci auctoritas: sed potius videtur linum significare Pharisæos nitorem innocentiae prætendentes in superstitiosa religione. Et fumus, qui est nuntius ignis, videtur significare amaras machinationes eorum ad nocendum absque aperta inflammatione iræ et rixæ. [Et hoc Christus non exstinxit, quia linum fumigans dum exstinguitur, conculcatur: quia tales Christus pedibus suæ majestatis non conculcavit. Unde, Infra, xv, 14, dicit: *Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcorum.* Ad Hebr. XII, 3: *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Hoc significatum est, II Regum, XVI, 11 et 12, cum Semei

¹Cf. Joan. IX, 7.

malediceret David, et vellet hoc ulcisci Abisai, præcepit rex, dicens: *Dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Job, xli, 12, 11: *Halitus ejus prunas ardere facit..., et de naribus ejus procedit fumus.*

« Donec ejiciat ad victoriam judicium.

21 Et in nomine ejus Gentes sperabunt. »

Donec ejiciat. »

Hic tangitur, qualis fuit Christus in fine perfectionis sui officii. Et dicit duo, scilicet victoriam bonitatis in fidelibus: et spem æternæ remunerationis, et etiam terrenæ in Christo servientibus.

De primo dicit: « *Donec ejiciat,* » hoc est, ita dissimulabit, « *donec* » paulatim per prædicationem, et sanguinis sui virtutem, « *ejiciat.* » Ejectio projectio est violenta ad exterius facta.

« *Judicium.* » Sed veritas prædicata est id quod informat judicium: et hæc « *ad victoriam* » ejicitur, quando extra fines Judææ a Judæis abjecta, in gentibus super errores vincit et triumphat: sicut maxime in die judicii vincet omnes contradicentes. III Esdræ, iii, 12: *Super omnia vincit veritas.* Isa. lxi, 1: *Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.* Apocal. vi, 2: *Et vidi: et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum..., et exivit vincens ut vinceret.* Per equum enim album potestas innocens et virtutes designantur: per sessionem, quies judicantis: per arcum significatur doctrina Scripturarum emittens

spicula auctoritatum, quibus vincit Christus omnem errorem.

« Et in nomine ejus, etc. »

Hoc est, spes fidelium, in qua completur Ecclesia fidelium, et perficitur, et finitur Christi officium. Quod autem dicit, « *in nomine ejus,* » hoc est, in nomine: quia notæ Christi nobis inscribuntur. Act. iv, 12: *Nec aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* « *Gentes,* » hoc est, Ecclesia ex diversitate gentium congregata, « *sperabunt,* » omni relicta spe temporalium et relicta justitia legis, quæ est factorum nihil adducentium ad perfectum¹. Ad Roman. xv, 12: *Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt:* et erit nomen ejus gloriosum².

« Tunc oblatum est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret. »

In superioribus probatæ veritatis hic inducitur auctoritas, ne possit calumniari terminus umbrarum.

Et hic duo inducuntur, confutatio videlicet Pharisæorum, qui eam malo attribuerunt principio: et confutatio Scribarum, qui attentantes auctorem (alias, auctoritatem) hujus veritatis, signum quærebant potestatis, ibi, ꝑ. 38: « *Tunc responderunt ei quidam de Scribis,* etc. »

Prima vero harum partium tria continet, causam scilicet calumniæ auctoritatis miraculorum probantium terminum umbrarum: et ipsam calumniam: et calumniæ confutationem.

Et hæc in littera patebunt.

Causa autem calumniæ, sive occasio fuit miraculi in dæmoniaco perfectio.

¹ Cf. ad Hebr. vii, 19: *Nihil ad perfectum adduxit lex,* etc.

² Cf. Isa. xi, 10: *In die illa radix Jesse, qui*

stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum.

Et in illo sunt tria : exoptulautia scilicet fieri miraculum, perfectio miraculi, et effectio ipsius in adstantibus.

In exoptulautia autem fieri miraculum duo sunt : fides offerentium inclinans omnipotentiam ad perfectionem ipsius : et passio obsessi trahens misericordiam ad voluntatem efficiendi.

« Tunc oblatus est ei, etc. »

De primo dicit : « *Tunc*, » præinducta rabie declinata, « *oblatus est ei*, » fide et devotione. Supra, ix, 2 : *Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto*. Unus quidem subjecto, sed multiplex in effectu dæmonis : et notatur in hoc malitia dæmonis, cui in uno non sufficit una læsio, sed multipliciter vexat unum et eundem. Isa. xxxviii, 13 : *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea*. Habacuc, i, 17 : *Semper interficere gentes non parces*.

« Dæmonium habens, cæcus et mutus. »

Tria tangit impedimenta : quia in hoc quod dæmonium habuit, impeditum habuit rationis ordinem : extra autem nobiliorem destruxit actum sensitivæ, et in hoc fecit cæcum : et nobiliorem actum rationis, qui est interpretativæ, et in hoc fecit mutum : et hæc est malitia dæmonis interius impediens usum veræ rationis, et exterius auferens visum veri luminis in coruscatione miraculorum : et laudem Dei, interpretatione sermonum ablata. Luc. xi, 14 : *Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum*. Et addit Beda, quod erat etiam cæcum. I Reg. xi, 2 : *In hoc vobiscum feriam fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros*.

« Et curavit eum. »

Ecce miraculi perfectio. Et propter

tres operationes dæmonum tria ponit antidota salutis. Contra enim defectum interiorem in impedimento usus rationis, dicit : « *Et curavit eum*. » Contra defectum in interpretatione sermonum exterius, dicit : « *Ita ut loqueretur*. » Et contra defectum cæcitatatis exterius, dicit : « *Et videret*. » Et de his multa in superioribus dicta sunt ¹.

« Et stupebant omnes turbæ, et dicebant : Numquid hic est Filius David ? »

Ecce effectus miraculi in adstantibus. Et tangit duo : stuporem admirationis, et viam fidei luminis.

De primo dicit : « *Et stupebant omnes turbæ*. » Stupor est insensibilitas cordis systolen patientis ex ignorantia causæ prodigii, quod apparet in sensibus. Luc. v, 26 : *Stupor apprehendit omnes*.

« *Et dicebant : Numquid hic est filius David ?* » Propter misericordiam dicunt eum filium David, et propter promissionem, sicut patet, I Reg. xxiv, 5 et seq., ubi non interfecit Saul. Et, II Reg. i, 17 et seq., ubi planxit inimicum. I Machab. ii, 57 : *David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula*.

« Pharisei autem audientes, dixerunt : Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum. »

Hæc est calumnia Phariseorum, qui *divisi* interpretantur : quia, sicut dicitur, Isa. lix, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum*. Audiverunt enim turbam, et non valentes calumniari factum, facti auctorem Spiritum sanctum calumniati sunt, ad contrariam et inimicam potestatem Dei miracula transferentes : « *Hic non ejicit dæmonia, nisi in*

¹ Cf. præcipue enarrationem in Matthæum, ix, 27 et seq., pag. 432 et seq.

Beelzebub, principe dæmoniorum. » Hujus autem negativæ affirmativam, supra, ix, 34, dixerunt. Et quia illa minus dicebat, ideo Christus (supra, ibidem) non impugnavit, sed tacuit. Nunc autem confirmata malitia eorum, postquam conceperunt occidere eum, ponunt negativam, quæ nihil penitus operum Christi reliquit, nisi dæmoni detur, et attribuatur: et hoc melius significatur, Marc. iii, 21 et 22, ubi sic dicitur de Jesu: *Quoniam in furorem versus est... Quoniam Beelzebub habet: et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

25 « Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis. »

Hic incipit confutare. Et dicuntur hic duo: primo enim, ante disputationem sapientiæ, signum omniscientis quem nihil latet, præmittitur: et postea, disputationem orditur.

De primo dicit: « *Jesus autem,* » ut Deus omnia, « *sciens cogitationes eorum.* » Psal. xciii, 11: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Simile est, supra, ix, 4, quando dixit: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* dixit ad confutationem eorum.

« Omne regnum divisum contra se, desolabitur: et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit. »

Hic ponit rationes ad confutandam malitiam Pharisæorum. Et dividitur in partes quatuor. Ostendit enim primo dicti eorum falsitatem: secundo, peccati eorum quod in dicto commiserunt, irremissibilitatem: tertio, intentionis perversitatem: quarto, justissimam eorum condemnationem: et sic terminatur sua disputatio.

Prima harum habet duo genera rationum. Primo enim inducit ratio-

nes deducentes ad inconueniens, quæ supposito dicto eorum indirecte probant propositum: secundo, probat ostensive supposita veritate etiam concludendo propositum.

In prima harum proponit generaliter in omni potestate: et assumit sub ipsa in potestate diaboli, et concludit propositum per inconueniens quod sequitur.

Attende autem, quod humana potestas, in qua per similitudinem proponit, non est nisi triplex, regionis scilicet, civitatis terræ, et domus: secundum quod etiam regnum refertur ad tria, œconomicam videlicet, ejus gubernatio datur patrifamilias: et civilem, ejus gubernatio datur proconsuli: et regalem, ejus gubernatio datur regi. Plures enim ad unum pluribus modis referri non possunt, nisi domestici, vel cohabitantes civiliter, vel communicantes legibus eisdem: et in his tribus dicit solvi potestatem regni, si divisa sit potestas contra potestatem.

Attende etiam, quod in toto potestativo (sicut est regnum, vel civitatis prætura, vel domus dispensatio) est potestas distributa ex uno, et ad unum ordinata, qui est Rex, vel Proconsul, sive Præfectus, vel paterfamilias: et tunc *dividi* dicitur: quia contraria dispositione reluctans, nec ex uno distribuitur in officia plurium, nec secundum communicationem ad unum ordinatur: et tunc fiunt duo domini, quibus nemo potest servire¹.

De his ergo dicit:

« Omne regnum etc. »

« *Omne regnum,* » quod est potestas regionis ordinata ad unum contra seipsum reluctando, « *divisum,* » ad divisa tendens, quia tunc destruit ordinem ad unum, « *desolabitur* » II Paralip. xx, 23, Filii Ammon versi in seditionem in seipsos divisi, mutuis concidere

¹ Cf. Matth. vi, 24.

vulneribus. « *Et omnis civitas,* » in qua est etiam ordo potestatis ad unum, « *vel domus,* » ad unum patremfamilias ordinata familia, « *divisa contra se,* » hoc est, in divisa tendens contra sui motorem et rectorem, « *non stabit:* » sed, sicut dicit, Luc. xi, 17 : *Domus supra domum cadet.* Isa. iii, 8 : *Ruit Jerusalem, et Judas concidit.* Et hujus causa ponitur, ibidem, x. 5, quia *tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.* Osee, x, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Proverb. xxviii, 2 : *Propter peccata terræ multi principes ejus,* hoc est, ad multa tendentes. I Machab. i, 6 et seq.: *Divisit Alexander regnum suum cum adhuc viveret... Et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem ejus, et loco suo:... et multiplicata sunt mala in terra.*

« Et si Satanæ Satanam ejicit, adversus se divisus est : quomodo ergo stabit regnum ejus? »

Hic assumit sub propositione generali : et est propositio falsa, supposita tamen vera secundum dictum Pharisæorum.

« *Et si Satanæ,* » adversarius humanæ saluti regnum Dei impugnans, « *Satanam,* » alium adversarium eidem regno, « *ejicit* » in toto, ne dominetur secundum aliquam potestatem inimicam saluti, « *adversus se divisus est:* » quia etsi Satanæ sint legiones diversis et divisis vitiis principantes, in hoc tamen conveniunt, quod regnum Dei, et salutem hominis impediunt : sicut, Judicum, xv, 4, vulpes Samsonis facies habebant diversas, et caudas colligatas.

« *Quomodo ergo stabit regnum ejus?* » quod non stat in uno officio, sed multis officiis : et ideo oportet, quod se invicem juvent dæmones.

Et attende, quod quidam dicunt re-

gnum diaboli esse mundum : et Salvatorem velle concludere, quod secundum dicta Pharisæorum solvendus sit mundus statim : quod Pharisæi non credebant. Et hoc non videtur esse intentio litteræ : quoniam non sequitur ex dictis nisi destructio potestatis diaboli : hoc enim vocatur regnum, licet vere sit corruptio regni in tyrannidem. Isa. xix, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium : et rex fortis dominabitur eorum.*

Cum igitur Satan non intendat destruere suum regnum, Satan non ejicit Satanam : falsum est ergo me in principe dæmoniorum ejicere dæmonia. Sed nonne necromantici in uno dæmone ejiciunt alium : et similiter fecerunt idola, sicut Astaroth, et quædam alia? Ad hoc dicendum, quod non ejiciunt, sed a quadam operatione, vel læsione cessant, ut in alia fortius possideant. Christus autem loquitur hic de ejectione secundum omnem operationem, et omne dominium.

« Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. »

27

Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. »

28

Secunda ratio est ducens ad inconveniens : et ideo resumens dictum: ex quo sequitur inconveniens, quærit, dicens : *Filii vestri in quo ejiciunt?* » Dicuntur autem filii Apostoli, et Exorcistæ, et quidam etiam non sequentes Christum. Luc. ix, 49 : *Vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.* Act. xix, 13, etiam fuerunt, qui adjurabant in nomine Jesu, quem Paulus prædicat¹ : omnes enim illi vi-

¹ Act. xix, 13 : *Tentaverunt quidam et de cir-*

cumeuntibus Judæis exorcistis, invocare super eos

dentes efficaciam nominis Christi, adjurabant per nomen Jesu.

Dicit autem « *Filii vestri*, » non mei discipuli : quia cum de eis sint nati et conversati, non essent testes contra eos, nisi a veritate secundum conscientiam essent convicti. Et cum illi sint testes efficaciam nominis et sanctitatis, et quod nullis malis artibus usus ejicio dæmones, « *ideo ipsi judices vestri erunt* : » vos primum de falsitate convincentes, et postea sua comparatione condemnantes. Job, XIII, 4 : *Prius vos ostendam fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum.* Matth. XIX, 28 : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Infra, XII, 42 : *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam.*

« Si autem ego in spiritu Dei ejicio. »

Hoc meo judicio est conclusio ex duabus inductis rationibus. Sicut enim dicit Glossa : Complexio est assumpta per divisionem istam : aut in spiritu malo ejicio dæmonia, aut in spiritu bono ? Et jam illa perducta est ad plura inconvenientia : concluditur ergo ista, et assumitur : et hoc est : « *Si autem ego in spiritu Dei*, » hoc est, in virtute Spiritus Dei a me procedentis, sicut Luc. XI, 20, dixit : *Ego novi virtutem de me exiisse* : « *ejicio dæmonia*, » tam a corporibus quam ab animabus, « *igitur pervenit in vos*, » hoc est, inter vos, quia regnum diaboli existentes non poterant intra se habere regnum Dei, « *regnum Dei.* » Jam superius diximus, quod regnum primum est, quod est animata justitiæ et legum et urbanitatum potestas in anima regis. Et ita hic sumit Christus, quia regnum hoc Dei distribuendum erat ex corde Christi in omnes ministros

qui habebant spiritus malos nomen Domini Jesu, dicentes : *Adjuro vos per Jesum, quem Paulus*

Ecclesiæ. Joan. I, 26 et 27 : *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est*, etc. Luc. I, 32 et 33 : *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Supra, VI, 10 : *Adveniat regnum tuum*, etc.

« Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius allegaverit fortem ? et tunc domum illius diripiet. »

Hic ponit per ordinem tres rationes ostensivas propositum ostendens : quarum prima sumitur a similitudine adversariorum in humana consuetudine : et est talis : Hi qui se invicem oppugnant, et alter vincens alterum, vasa confidentiæ alterius qui victus est, diripit et dispergit, ne amplius in eis confidat, non sunt amici se invicem juvantes, sed inimici. Ego et diabolus nos ita habemus ad invicem : ergo non sumus amici nos mutuo juvantes : ergo in Beelzebub non ejicio dæmonia, sed in spiritu Dei inimico diabolo.

Et hoc est :

« Aut quomodo. »

Nota est interrogationis : quia in tota disputatione Christus non arguit, sed interrogat : ut ex mansuetudine magis trahens convertat, et alliciat corda eorum. « *Quisquam potest*, » excellenti potentia. Psal. LXXXV, 8 : *Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua.* « *Intrare*, » potestative, « *in domum fortis*, » quam magis defendit quam regnum, vel civitatem : quia nullo modo defendit regnum, vel civitates, qui propriam non prævalet defendere domum. De fortitudine autem diaboli dicitur, Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei qui factus*

prædicat.

est ut nullum timeret. « *Et vasa ejus diripere.* » Sicut ego facio, Osee, XIII, 15 : *Ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.*

Est autem domus ista mundus, et conscientia, et infernus. Et Christus intravit in mundum per carnem, ejiciens dæmonem per fidei prædicationem, Joan. XIV, 30 : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.* In cor autem intrat per gratiam, et ejicit dæmonem, Luc. XI, 14 : *Erat Jesus ejiciens dæmonium.* In infernum autem intravit per animam deificatam, et ejecit dæmonis violentiam, Psal. LXVII, 19, et ad Ephes. IV, 8 : *Captivam duxit captivitatem.* Isa. XLIX, 25 : *Captivitas a forti tolletur : et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur.* Dicuntur autem vasa corda dæmoniacis operationibus plena. Ad Roman. IX, 22 et seq. : *Sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta ad interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Quos et vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus.* II ad Timoth. II, 20 : *In magna domo Dei non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* « *Nisi prius* » Luc. XI, 22 : *Si autem fortior eo supervenerit, etc.* Jerem. XLVI, 12 : *Fortis impegit in fortem, et ambo pariter conciderunt.* Christus in mortem dispensative, diabolus autem in infernum amissa quam habuit potestate. « *Alligaverit,* » potestatis ablatione. Apocal. XX, 1 et 2 : *Vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, ... et ligavit eum per annos mille.* « *Fortem,* » diabolus, Jerem. VI, 23 : *Fortis est et crudelis, et non miserebitur.* « *Et tunc domum illius,* » hoc est, contenta in domo inferni, vel mundi, vel cordis,

« *diripiet,* » hoc est, ab ipso rapiet. Isa. VIII, 3 : *Voca nomen ejus : Accellerera spolia detrahare, festina prædari.* I Joan. III, 8 : *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

« Qui non est mecum, contra me est. »

30

Secunda ratio est : et est per modum antipophoræ : quia aliquis posset dicere, quod ex familiaritate intraret in domum fortis.

Et ad hoc inducit rationem dicens : « *Qui non est mecum,* » consensu et opere. Et intelligitur, *non est mecum,* ita quod violat omnem societatem ipsius. « *Contra me est.* » Et patet per hoc, quod distribuo, et diripio (alias, eripio) vasa ipsius, quod ipse non est mecum : quia præsentiam meam non sustinet, sed est sibi tormentum. Supra, VIII, 29 : *Venisti huc ante tempus torquere nos* ¹ ? Ergo, *contra,* etc.

Et attende, quod non dicit : Cum quo ego non sum : quia ipse cum omnibus est : et est cum dæmone, qui ubique, et in omni creatura est, sicut lumen est cum cæco. II ad Corinth. VI, 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial ?* Sed contra : Proverb. XXI, 30 : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* RESPONSIO. Non contra Dominum, quod se erigere et stare possit contra Deum : sed tamen nititur, licet deprimatur. Job, IX, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.*

« Et qui non congregat mecum, spargit. »

Tertia ratio est sumpta a (alias, ex) contrarietate operum : quia Christi opus, et omnium secum operantium est congregare, diaboli autem, et omnium

¹ Cf. Luc. VIII, 28 et seq.

ministrorum suorum est dispergere. « *Congregat* » enim Christus passiones in virtutis formam, actiones ad justitiæ normam, electiones ad prudentiæ rationem, animales vires ad mentis mensuram, discursus (alias, discursas) rationis disciplinas ad intellectus simplicem felicitatem, multitudinem credentium in cor unum et animam unam, Ecclesiam sub suæ protectionis alam, sicut gallina pullos dispersos per errores et desideria in Ecclesiam, et exsules in patriam : et ita congregat ea quæ sunt hominis in seipsum, homines ad seipsos, et omnes ad Patris regnum et gloriam. Isa. xI, 11 : *Sicut pastor in brachio suo congregabit agnos.* Ezechiel. xxxiv, 12 : *Liberabo oves meas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant.* Isa. xI, 12 : *Dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ.* Et ibidem, ante, y. 12 : *Levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel.*

Quod autem diaboli opus sit dispergere, patet, Joan. x, 12 : *Lupus rapit, et dispergit oves,* per affectus passionum, per iniquitates operum, per errores electionum, per brutalitates et animalitates mentium, per varietates errorum, per diversitates cordium, per idololatrias et varietates perfidiarum, per similitudines exsiliorum in longinquum. Ezechiel. xxxiv, 5 : *Dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor : et factæ sunt in devorationem.*

31 « Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : Spiritus autem blasphemia non remittetur. »

Hic ostenditur peccati irremissibilitas, hoc est, quod non habet in se, quare inclinaret ad remissionem. Et dicit duo : facit enim primo comparisonem peccati ad peccatum penes conditiones peccan-

tium : secundo autem facit comparisonem eorundem penes ea contra quæ peccatur, ibi, y. 32 : « *Et quicumque dixerit verbum.* »

De primo dicit :

« Ideo, etc. »

Quia per rationem convicti estis, quod non ex ignorantia, sicut vilis plebecula turbarum hoc dixistis : nec ex infirmitate cogente per tentationem. « *Ideo dico vobis,* » fideliter contestans : quia, « *omne peccatum* » ex infirmitate tentationis causatum, sicut dicitur, Genes. viii, 21 : *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines : sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ad adolescentia sua.* Et ex illa infirmitate pallium habet excusationis.

« *Et blasphemia,* » quæ est per ignorantiam : et ideo habet pallium excusationis, et si non a toto, tamen a tanto. Act. iii, 15 et seq. : *Auctorem vitæ interfecistis... : et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis... Pœnitentini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Est autem blasphemia, ut supra notavimus, impositio falsi criminis in Deum : propter quod enormius est quam perjurium, quia in perjurio testis falsi Deus invocatur, in blasphemia autem falsum Deo imponitur : et hoc modo per ignorantiam sæpe in Christum vilis turbarum multitudo blasphemavit : sed non Pharisæi eruditi in Scripturis, et habentes operum Spiritus Dei, et spiritus maligni discretionem. « *Remittetur hominibus :* » hoc est, habet in se causam impotentiae vel deceptionis, quare remissibile efficitur, habens congruitatem quamdam veniæ². Jerem. xviii, 8 : *Si pœnitentiam,* etc.

« Spiritus autem blasphemia, etc. »

Spiritus blasphemia differt a blasphem-

¹ Cf. Ezechiel. xiii, passim.

mia simpliciter : quia quod ex infirmitate procedit, quasi spiritum voluntatis non habet pro causa, sed coactionis violentiam : similiter quod ex deceptione provenit voluntatis, non habet spiritum, sed ignorantiam : sed quod provenit ex certa malitia, ex solo spiritu voluntatis procedit, nihil nisi odium Dei habens pro causa. Psal. LXXII, 7 : *Prodiit quasi ex adipè iniquitas eorum : transierunt in affectum cordis, non in infirmitatem carnis, vel in ignorantiam deceptionis.* I ad Timoth. I, 13 : *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci.*

Et ideo sequitur : » *Non remittetur,* » scilicet causam remissibilitatis, et congruitatem secum non habet.

Dicitur enim veniale peccatum venia dignum tribus modis, genere, eventu et circumstantia. Genere quidem, quod secundum totum genus suum venia dignum est, et non morte æterna, sicut verbum otiosum. Eventu autem, sicut quod in se quidem est mortale, sed tamen per eventum sequentem factum est veniale, sicut peccatum omne post pœnitentiam fit veniale. Circumstantia autem dicitur veniale, quod licet in se mortale sit, tamen habet circumstantiam, ex qua magis congruat ipsum remitti, sicut peccatum infirmitatis, vel ignorantiae. Blasphemia autem istorum non processit nisi ex spiritu iniquitatis, et odii divini.

« Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. »

Secunda est comparatio istius peccati penes id in quod peccatur. Tangit igitur, quod cum duæ naturæ sint in Christo, contra utramque potest quis peccare. Natura autem humana ostendit se infir-

mis passionibus et operationibus, ut comedendo, et bibendo, et hujusmodi : et hæc erat causa scandali plurimorum, sicut quod dixerunt, quod erat *vorax et potator vini*¹. Et illud, quod (alias, quia) inductivum erat infirmitatis occultæ, remissibilitatem secum habet et pallium excusationis.

Et hoc est, quod dicit : « *Quicumque verbum* » blasphemiae « *dixerit,* » deceptus, « *contra Filium hominis,* » occasionem ex Filio hominis accipiens, « *remittetur ei,* » ex congruitate peccati, si pœniteat. Luc. xxiii, 34 : *Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.* Act. vii, 60 : *Ne statuas illis hoc peccatum :* quia nesciunt quid faciunt. Causa autem est, Isa. LIII, 3 : *Quasi absconditus vultus ejus, et despectus.* Habacuc, III, 4 : *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* I ad Corinth. II, 8 : *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Altera natura in Christo manifestatur actibus potentiæ, et sapientiæ, et bonitatis, non humanis, sed divinis. Et cognoscens hos actus esse proprios Spiritui sancto, et divinæ naturæ, et attribuens spiritui immundo, non peccat ex infirmitate, neque ex ignorantia, sed contra conscientiam ex certa malitia : et hoc peccatum vocatur impugnatio veritatis agnitæ per proprium Spiritui sancto effectum : et ideo illud nullam remissibilitatem habet ex congruitate peccati.

Et hoc est quod dicit : « *Qui autem dixerit* » blasphemiam « *contra Spiritum sanctum,* » agnitum in propriis actibus et donis suis, « *non remittetur,* » id est congruitatem remissionis non habet, « *neque in hoc sæculo* » congruitatem remissionis non habet, « *neque in futuro,* » quia de congruitate peccati indignus est liberante misericordia. I Joan. v, 16 : *Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis.* I Reg. xvi, 1 : *Usque quo tu luges Saul, cum ego projecerim*

¹ Cf. Supra, xi, 19.

eum? Jerem. xi, 14 : *Noli orare pro populo hoc, et ne assumes pro eis laudem et orationem : quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me.* II Machab. ix, 13 : *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.*

Attende autem, quod tria exiguntur ad hoc, quod peccatum sit in Spiritum sanctum : primum est radix, secundum genus peccati, tertium proprium. Radix semper est malitia, non infirmitas trahens, neque error, vel ignorantia decipiens. Genus peccati, quod semper sit contra Spiritum sanctum manifestatum (alias, manifestum) in actibus, vel donis. Proprium autem, quod non habeat aliquod pallium excusationis, nec a toto, nec a parte, sicut habent peccata ex infirmitate, vel ignorantia facta. In genere autem quinque sunt talia peccata : obduratio scilicet, præsumptio, finalis impœnitentia, invidentia fraternæ gratiæ, et impugnatio veritatis agnitæ in divinis. *Obduratio* autem hic non dicitur duritia cordis habitualis, sed propositum actuale cor non emolliendi timore, vel amore divino : ita quod proponit non frangi timore, nec emolliri amore, vel pietate : et quod hoc non proveniat ex infirmitate, vel deceptione erroris, quia hæc radix exigitur in quolibet peccato in Spiritum sanctum. Et hoc peccatum peccat contra ea, quibus inclinatur cor ad remissionem consequendam ex parte peccantis. *Præsumptio* autem est, quando aliquis actuali fiducia sic innititur misericordiæ divinæ, non deceptus, nec tentatione tractus, quod sine omni satisfactione sperat veniam : et ideo tradit se impudentiæ et cæteris peccatis. Et hic peccat contra justitiam Dei, quæ est remissivum peccati in Deo. *Impœnitentia* autem *finalis* est (non continuatio in peccatis usque ad mortem), sed potius propositum non pœnitendi, ex hoc quod ponit quantitatem peccatorum suorum excedere Dei

misericiordiam, sicut fecit Cain, Genes. iv, 13, cum diceret : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Et hæc peccat contra misericordiam Dei, quæ secundum est remissivum peccati in Deo. *Invidentia* autem *fraternæ gratiæ* est actualis tristitia affligens mentem in gratia, qua Spiritus sanctus dona, vel actus suos ostendit : et hæc est contra hoc quod remissionem operatur ex parte Ecclesiæ, quod est Sanctorum communio, sine qua nullum omnino remittitur peccatum. *Impugnatio* autem *veritatis agnitæ* est contentio et blasphemia contra Dei veritatem perceptam in sacramentis, vel verbo Dei, vel operibus miraculorum, postquam restituta est veritas : et hæc peccat contra effectum sacramentorum, quod est secundum remissivum ex parte Ecclesiæ. Et super ista quinque Spiritum sanctum impugnat : aut in his quibus operatur remissionem ex parte peccantis, sicut primum : aut in his quibus operatur remissionem in seipso, sicut secundum et tertium : aut in his quibus operatur remissionem ex parte Ecclesiæ, sicut quartum et quintum.

« Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum : aut facite arborem malam, et fructum ejus malum : si quidem ex fructu arbor agnoscitur. »

Hic incipit redarguere intentionem : quia sæpe mala fiunt bona intentione, licet stulta, sicut mendacium obstetricum¹ : et tunc peccatum habet aliquam remissibilitatem. Sed quando accedit mala intentio ad malum, nec infirmitate, nec ignorantia excusatum, tunc omnino est habens incongruitatem ad remissibilitatem.

Duo igitur inducit hic : primo enim probationem malæ intentionis inducit sub metaphora : secundo autem metaphoræ inducit explanationem.

¹ Cf. Exod. i, 19.

In metaphora autem duo dicit, metaphoram videlicet, et metaphoræ rationem.

Metaphoram autem proponit sub disjunctione, dicens :

« Aut facite arborem bonam. »

Bona autem arbor est, cujus calor potens est humidum fructuum terminare, et humidum subtile bene terminabile digerente calido : et tunc efficitur fructus dulcis : sicut cor calidum charitate, et dulce humore pietatis et bonæ intentionis bona habet verba et opera. Ezechiel. XLVII, 12 : *In ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum : non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus.* Psal. I, 3 : *Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Cantorum, II, 3 : *Sub umbra illius quem desiderabam sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.*

« Aut facite arborem malam. »

Arbor mala dicitur, quæ in se habet formaliter causam mali fructus : et hæc est, cujus calor naturalis impotens est digerere, et humidum est inobediens digestionem. Tunc enim manebit calidum humidum, et non complet decoctionem ejus : et erunt fructus acerbi, dentes obstupescentes ¹. Et hoc est quod sequitur : « *Et fructum ejus malum.* » Sapient. IV, 6 : *Fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti* : sicut etiam cor amarum malæ intentionis verba et opera profert msla. Ezechiel. XXXI, 3, 12 : *Ecce Assur quasi cedrus in Libano..., elevatum est cacumen ejus... : corruent rami ejus, et confringentur arbusta ejus.* Supra, III, 10 : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.*

¹ Jerem. XXXI, 29 : *In diebus illis non dicent ultra : Patres comederunt uvam acerbam, et den-*

« Si quidem ex fructu arbor cognoscitur. »

Ecce ratio metaphoræ, et proportionis arboris ad fructum : quia ex sapore fructus cognoscitur arboris natura in bonitate et malitia. Supra, VII, 16 et 17 : *A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit.*

« Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? »

34

Ecce metaphoræ istius explanatio.

Et dicit duo : explanationem, et explanationis rationem.

Explanatio est, quod dicitur de mala arbore.

« Progenies viperarum, »

Hoc est, venenati venenatorum filii, lingua virus effundentes mali cordis. Job, XX, 16 : *Occidet eum lingua viperæ.* Matth. XXIII, 31 et seq. : *Testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? Luc. III, 7 : Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?*

« Quomodo potestis, » pietate quæ est ex habitu, « bona loqui, cum sitis mali? » Quando enim malus ex habitu loquitur, mala loquitur. Isa. XXXII, 6 : *Stultus factus loquetur, et cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad Deum fraudulenter.*

tes filiorum obstupescunt.

35 « Ex abundantia enim cordis os loquitur.

Bonus homo de bono thesauro profert bona : et malus homo de malo thesauro profert mala. »

Ecce expositionis ratio simul et probatio.

Et dicit rationem dupliciter : generaliter, dicens : « *Ex abundantia* » habituali « *cordis*, » quæ pessima, vel optima semper in corde repræsentat, « *os loquitur*, » etiam sine præmeditatione. Et hoc est signum confirmati in bono, vel in malo habitus. Job, *iv*, 2 : *Conceptum sermonem tenere quis poterit ?* Job, *xxxii*, 18, 20 : *Coarctat me spiritus uteri mei... Loquar, et respirabo paululum : aperiam labia mea, et respondebo.*

Et subjungit hoc idem specialiter in bono et in malo.

In bono quidem, quia « *bonus homo de bono thesauro cordis sui*, » hoc est, de habitibus bona longa consuetudine acquisitis, « *profert bonum.* » Proverb. *xviii*, 4 : *Aqua profunda ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ.* Infra, *xiii*, 52 : *Omnis Scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo nova et vetera.*

« *Et malus homo de malo thesauro* » habituum malorum, « *profert mala.* » Proverb. *xv*, 2 : *Os fatuorum ebullit stultitiam.* Infra, *xv*, 19, et Marc. *vii*, 21, 22 : *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta.* Isa. *liix*, 13 : *Locuti sumus de corde, nostro scilicet, verba mendacii.* Michææ, *vi*, 10 : *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura major iræ plena.*

36 « Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint

homines, reddent rationem de eo in die iudicii.

Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. »

Hic post omnem malitiæ eorum ostensionem, inducit justissimam eorum condemnationem : et hoc facit arguens a minori. Quoniam si de otioso est reddenda ratio, relinquitur quod de tam pernicioso blasphemie verbo acerrima infligatur condemnatio.

Dicit autem duo : primo a minori inueniens argumentationem ostendit condemnandos : et secundo, quasi tacite objectioni respondens ejus qui diceret ex sermonibus neminem esse condemnandum, dicit quod ex verbis homo condemnatur, et ex verbis justificatur.

Dicit ergo : « *Dico autem vobis*, » qui sum veritas quæ non mentitur, « *quoniam de omni verbo otioso.* » Est autem otiosum, quod caret ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis, ut dicit Gregorius. Et hoc est idem ei, quod repugnat ex deformitate veniali, ordini ad finem bonum necessitatis, vel utilitatis : et ideo videtur differentiam habere ad indifferens, quod non habet hujusmodi repugnantiam : sed quod non ordinatur, hoc est, ex defectu rationis ordinantis, et non ex deformitate propari veniali : propter hoc autem ad malum sunt Scurrile quidem est, quod scurrarum : perniciosum autem, quod nocentium malorum. « *Quod locuti fuerint homines.* » Pulchre dicit *homines*, qui humum sapiunt : quia qui de terra est, de terra loquitur ¹. « *Reddent rationem in die iudicii.* » Sed ratio quæ redditur, est pro quantitate delicti, ut de parvo reddatur parva ratio, et de magno magna. Eccle. *xn*, 14 : *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errore, sive bonum, sive malum illud sit.* II ad Corinth. *v*, 10 : *Omnnes nos mani-*

¹ Joan *iii*, 31 : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur.*

festari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit.

« Ex verbis enim tuis justificaberis, »

Si sunt bona. Proverb. XII, 14 : *De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis.* « *Et ex verbis tuis condemnaberis,* » si sunt mala. Proverb. XVII, 21 : *Mors et vita in manu linguæ.* Proverb. XXI, 23 : *Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.* Luc. XIX, 22 : *De ore tuo te iudico, serve nequam.* Et, II Reg. I, 16 : *Os tuum locutum est adversum te.*

« Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Phariseis, dicentes : Magister, volumus a te signum videre. »

Hic incipit confutare tentantes.

Dividitur autem hæc pars in partes duas : primo enim ponit tentationem, et secundo confutationem, ibi, γ. 39 : « *Qui respondens.* »

Circa tentationem autem dicit duo : describit enim tempus, et qui sint tentantes : et secundo, modum tentationis.

De primo innuit tria, scilicet, cum dicit : « *Tunc,* » quando videlicet confutaverat contradictores, « *responderunt,* » non ad orationem : quia ex illa insolubili vinculo constricti fuerant. Job, IX, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* « *Quidam de Scribis et Phariseis.* » Ecce descriptio tentantium. Scribæ quidem ex præsumptione falsi nominis et scientiæ : et Pharisei superstitiosa religione confisi. « *Dicentes.* »

Ecce modus tentationis incipiens ab adulatione sapientiæ, cum dicit :

« Magister, etc. »

Infra, XXII, 16 : *Magister, scimus quia*

verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo : non enim respicis personam hominum. Joan. III, 2 : *Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister.*

Et subinferunt voluntatem, quando dicunt : « *Volumus.* » Quasi ex devotione hoc petant, quia voluntatibus bonis libenter satisfacit. Luc. II, 14 : *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et subiungit notam potestatis, cum dicunt : « *A te.* » Sapient. XII, 18 : *Subest tibi, cum volueris, posse.* Et demum ponunt curiositatem : « *Signum videre.* » Luc. XI, 16 : *Alii tentantes, signum de cælo quærebant ab eo.* I ad Corinth. I, 22 : *Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærun.* Signum autem non petunt paupertatis, Luc. II, 12 : *Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Nec signum puritatis, Isa. VII, 14 : *Dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Neque signum infirmitatis, Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.* Sed quærun signum magnæ potestatis non curantes de utilitate, persuasi a prophetia Joel, II, 30, et Act. II, 19 : *Dabo prodigia in cælo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi.*

« Qui respondens ait illis : Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei. »

Hic incipit confutatio. Et ponit tria, culpæ videlicet objurgationem, comparativam eorum condemnationem, et quod in eum retorserant, pessimorum dæmonum obsessionem. Quæ omnia patent in littera.

In culpæ autem objurgatione dicit tria, scilicet generationis nequam, ad hoc quod petit indignitatem, et incongruam sibi

petitionem, et petiti ad intentionem eorum negationem.

De primo horum dicit : « *Qui respondens ait illis.* » Proverb. xxvi, 5 : *Respondens de stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.*

« *Generatio mala,* » in opere, « *et adultera,* » in infidelitate, quæ fide violata super virum suum admisit alienum. Isa. lvi, 3 et 4 : *Filii auguratricis, semen adulteri et fornicariæ. Super quem lusistis? super quem dilatastis os, et ejecistis linguam? numquid non vos filii scelesti, semen mendax?* Proverb. xxx, 11 et seq. : *Generatio quæ patri suo maledicit, et quæ matri suæ non benedicit. Generatio quæ sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis. Generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta surrectæ. Generatio quæ pro dentibus gladios habet.* Primum horum notat blasphemiam in Deum Patrem, et in matrem sapientiam : secundum, emundationem carnis in operibus legis : tertium, superbiam simulatæ religionis, et falsi nominis scientiæ : quartum, dolum inordacem machinationis occultæ. Marc. viii, 38 : *Qui me confusus fuerit et verba mea, in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis.* Ezechiel. xvi, 38 : *Judicabo te judiciis adulterarum, et effundentium sanguinem.*

Sic igitur ostensa est indignitas petentium.

« *Signum quærit.* »

Ecce petitio incongrua : nam hæc *generatio mala et adultera* gemitu et lacrymis stans retro pedes, deberet quærere sicut peccatrix¹, et non præsumptuose se et impudenter Christi adspectibus superbe se ingerens signum quærere. Quæsivit autem signum potestatis ostensivum cœ-

lestis. Infra, xvi, 1 : *Rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis,* forte inducitur prophetia Isaiæ, vii, 11 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Joel, ii, 30, et Act. ii, 19 : *Dabo prodigia in cælo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi.*

Sed quare istos increpat, eo quod petunt? Et, Isa. vii, 13, Achaz etiam increpat, eo quod non petivit? *RESPONSIO*, quod in istis condemnat præsumptionem, et in impio rege infidelitatem, et in Sanctis quibus signum offertur, commendabilem ostendit esse devotionem. Isti enim ex præsumptuosa curiositate indigni exauditione petebant : Achaz autem Deo laudem liberationis attribui (alias, attribuere noluit) sed idolis : et ideo noluit signum quo Deus liberatorem (alias, liberationem) ostenderet. Sanctis autem, qui propter Dei cultum conculcabantur, signum liberationis de cælo ostenditur.

« *Et signum non dabitur ei.* »

Marc. viii, 12 : *Si dabitur generationi isti signum,* hoc est, non dabitur signum de cælo, vel de sublimi, sed de infirmitate, hoc est, de imo.

Sed contra, Marc. xv, 38, Luc. xxiii, 45, Sol obscuratus est, et multa alia signa apparuerunt? *RESPONSIO*, quod datum fuit, non eis, quia non fuit eis utile : sed potius datum est contra eos, quia juste ex hoc fuerunt condemnati. I ad Corinth. i, 22 et seq. : *Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

Et est, quod significat consequenter, dicens :

¹ Cf. Luc. vii, 38.

« Nisi signum Jonæ Prophetæ.

Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. »

Dicit enim tria : signi potestatis negationem, signi infirmitatis oblationem, et signi expressionem.

In oblatione autem signi infirmitatis dicit tria, scilicet quod signum est : cujus est, quia Jonæ : et quod de futuris hæc prophetia est.

Signum enim esse significat, cum dicit :

« Nisi signum Jonæ Prophetæ. »

Mors enim Christi supra naturam fuit, in hoc quod propria potestate animam posuit : et iterum, quando voluit, sumpsit ¹. Signum autem fuit Jonæ, quia naufragio suo et nomine Christi significat passionem, et Spiritus sancti effectum. Prophetia etiam fuit de profectu crucis Christi ad conversionem mundi : *ipse enim peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit* ². Ad Coloss. III, 3 et seq. : *Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*, etc. Ad Roman. VI, 3 : *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus*.

Exprimit autem hic infirmitatis signum, dicens :

« Sicut fuit Jonas in ventre ceti, etc. »

Non tantum figuraliter, sed etiam ad litteram.

Et attende, quod venter ceti locus est digestionis : et ideo circa illud quod glutitum est, tria necessario facit opera : al-

terat enim cibum, et per hoc corrumpit : attrahit subtile ex eo ad membra, et per hoc massam dividit : deponit grossiora inferius, et per hoc inferius trajicit. Et ideo mirum fuit in (alias, de) Jona, quod tamdiu in ventre ceti vivus duravit, nec potuit esse nisi divina virtute conservante, præcipue in aquaticis, quæ cibos citius quam alia digerunt animalia.

« *Tribus diebus et tribus noctibus.* » Utrum autem isti dies fuerunt integri, aut per synecdochen pars pro toto computetur, ignoratur : ego autem puto partem pro toto computari, quia sic respondet significationi. Jonæ, II, 1 : *Præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam : et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus.*

« Sic erit Filius hominis in corde, etc. »

Adaptatio est : sicut duo fuerunt in figura, scilicet, glutitio et tempus, ita duo fuerunt in veritate, sepultura et tempus, quo in sepulcro quievit.

De sepultura dicit : « *Ita erit,* » veritatem sacramenti significans, « *Filius hominis,* » notans secundum quid sepultus est, « *in corde terræ,* » notans virtutes sepulcri. Cor enim terra non habet : sed sicut operationes animalis (alias, animales) maxime sunt in corde, ita etiam ubi sunt maximæ terræ operationes, ibi dicitur cor terræ : et hoc est in loco post terræ superficiem, ubi calor terræ conceptus ex solis radiis congregatur : et ideo sicut ibi maxime radices plantarum facit pullulare, ita etiam ibi maxime putrefacit corpora sepulta. Sed sicut Jonas de loco putrefactionis cibi in pisce putrefactus et corruptus non est, ita Salvator in loco putrefactionis non est corruptus. Psal. XV, 10 : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ,* etc.

¹ Cf. Joan. X, 17.

² Isa. LIII, 12.

Tempus notat, cum dicit : « *Tribus diebus et tribus noctibus.* » Causa autem tangitur ab Augustino : « Nox enim mortis suæ, quando occidit in eo lumen naturalis vitæ, non omnino fuit nox : quia luxit in ea splendor deitatis (alias, veritatis), et lumen gratiæ redemptionis. » Eccli. xxiv, 43 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Et ideo sua mors significatur per diem sabbati, quo quievit perfectis operibus redemptionis : quemadmodum ab institutione mundi perfectis operibus quievit ab omni opere quod patrarat ab institutione mundi. Unde nox mortis suæ est illa, quæ sicut dies illuminabitur : *et nox illuminatio mea in deliciis meis*¹. Hæc ergo mors significatur per diem. Hæc autem morte duplicem nostram mortem nihil lucis habentem destruxit, unam præcedentem in culpa, et alteram sequentem in pœna, quando projicietur in tenebras exteriores, in quibus nihil omnino luminis fuit, sicut dicitur. Job, iii, 4, 6, de morte culpæ : *Non illustretur lumine... Noctem illam tenebrosus turbo possideat*, etc. De morte autem pœnæ, Sapient. xvii, 3 : *Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare pterant illam noctem horrendam.* Et hæc significatur per noctem sequentem, quæ est inter sabbatum et Dominicam. Has autem duas mortes nihil luminis habentes Christus sua luce, quæ in tenebris mortis suæ lucet, destruxit et dissipavit. Mich. vii, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* »

Colligite ergo ex rationibus Augustini, quod per synecdochen isti tres dies, et istæ tres noctes computandi sunt secundum quod congruit mysterio. Quia enim nostræ mortes nihil lucis habebant, ideo

¹ Psal cxxxviii, 11.

in noctibus quæ nostras mortes significabant, nihil fuit temporalis lucis. Et quia sua mors tota lumine plena erat, ideo sua mors significatur per diem artificialem duabus noctibus artificialibus interpositam. Ulterius, quia nox nostra a nostris tenebris inchoat, et in Christi luce terminatur : ideo secundum istam computationem nox cum sequenti die computatur : ita quod fiat vespere et mane dies unus, sicut in primo ordine, quando lux innocentiae luxit in mundo². Tunc igitur vespera Parasceves cum die artificiali præcedente et cum nocte præcedente, quæ nox est inter diem cœnæ et sextam feriam, quando jam efficaciter tractabatur qualiter mitteretur ad inferos, computatur pro uno die. Tunc enim jam foderunt foveam animæ suæ, in qua in eadem die in vespera sepultus est, et nostram mortem culpæ produxit in lucem. Nox autem, quæ est inter Parasceven et Sabbatum, cum Sabbato computatur pro una die, quando suam mortem naturæ produxit in lucem et quietem gloriæ : et nox, quæ est inter Sabbatum et diem Dominicam, computatur cum die sequenti pro una die naturali, quando nostram mortem pœnæ et condemnationis produxit in lucem suæ redemptionis. Et sic tribus diebus et tribus noctibus fuit in corde terræ, et patet quid artificialiter accepti significant, et quid naturaliter accepti, et propter quam causam per synecdochen sunt computandi : quia non congrueret mysterio, si totos fuisset in sepulcro naturales tres dies. Osee, vi, 3 : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum.*

« Viri Ninivitæ surgent in iudicio cum generatione ista. et condemnabunt eam : quia pœnitentiam egerunt

² Cf. Genes. i, 5.

in prædicatione Jonæ, et ecce plusquam Jonas hic. »

Hic ostendit condemnationem comparativam generationis hujus nequam : et cum posset multa ponere exempla, sicut de Naaman Syro, IV Reg. v, 1 et seq., et de Achior, Judith, v, 5 et seq., non ponit nisi duo exempla de Salomone et Jona : eo quod duo sunt in verbo prædicationis, quorum unum est timoris ex comminatione, quæ inducit ad pœnitentiam, ad peccati expulsionem. Et hoc perfecit Jonas puer Dei, qui lamentatus est Ninivitis : et responderunt plangentes. Alterum est sapientia, quæ in sensu verborum prædicatoris, cujus delectatio est felicitatis actus, et præcipe in expositione cœlestium promissorum, etc., Salomon puer Dei cecinit, et respondit saltando a finibus terræ regina Austri : et secundum hæc duo dividitur hæc pars in duas partes, ut patet.

Sed quia primum est expellere peccatum, ideo primum inducit lamentum Jonæ. Et dicit tria : Ninivitarum exemplum surgentium in judicio, rationem exempli, et rationem condemnationis. Et hoc est quod dicit :

« Viri Ninivitæ surgent, »

Non tantum resurrectione corporum, sed ostensione devotionis et pœnitentiæ ad Dei verbum per Jonam prædicatum, « *cum generatione ista,* » hoc est, comparatione hujus generationis, « *et condemnabunt,* » comparatione sui. Psal. cXLIX, 9 : *Ut faciant in eis judicium conscriptum,* etc. « *Quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ.* » Ratio est condemnationis duplex : ex parte condemnantium, ex ex parte condemnandorum. Ezechiel. xvi, 52 : *Justificatæ sunt sorores tuæ a te,* hoc est comparatione tui. Osee, II, 2 : *Judicate matrem vestram, judicate : quia ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus.*

« Et ecce plus quam Jonas hic. »

Inter eos qui sunt de generatione ista plus quam Jonas : non modo dignitate personæ, sed in inducentibus ad pœnitentiam. Quia diu prædicavit : die ac nocte institit (alias, instituit), miracula adhibuit, discipulos misit, Prophetis testabatur quod dixit, institutis a lege divina prædicavit. Ezechiel. III, 6 et 7 : *Non mitteris ad populos ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones : et si ad illos mittereris, ipsi audirent te. Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me : omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde.*

« Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam : quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic. »

Eodem modo tria dicit hic, sicut in præmisso, scilicet propositum exemplum alienigenæ fœminæ, in judicio condemnationem, et rationem condemnationis tam ex parte condemnantis quam ex parte condemnatorum.

Dicit ergo : « *Regina,* » quæ tantæ fuit dignitatis et sapientiæ, ut regina esse mereretur, « *Austri,* » de Saba, quæ est in parte Orientis vergente ad Austrum, ubi propter positionem climatis habitant sapientiæ studentes : unde et tres Reges venerunt. De hac habetur, III Reg. x, 1 et seq., et II Paralip. IX, 1 et seq. « *Surget,* » non tam corpore quam sui studii demonstratione, « *in judicio,* » comparationis. Isa. v, 3 : *Judicate inter me et vineam meam.* Mich. vi, 1 : *Surge, contende judicio cum populo meo.* « *Cum generatione ista.* » Deuter. xxxii, 5 et 6 : *Generatio prava atque perversa, hæccine reddis,* etc. Vocat autem *generationem,* et non

hominis, ut notet ex patribus pravis antiqua peccata hæreditasse, et ex se nova peccandi invenisse studia. Psal. LXXVII, 37 : *Quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.* Propter hoc genimina viperarum dicuntur ¹. « *Et condemnabit eam,* » sui comparatione. Sapient. iv, 16 : *Condemnat autem justus mortuus vivos impios.* « *Quia venit a finibus terræ :* » in adventu, studium pulchritudinis : in finibus terræ, labor accipitur. Isa. xxiv, 16 : *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam Justi.* « *Audire sapientiam Salomonis.* » Ecce finis. Eccle. ii, 9 : *Supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem : sapientia quoque perseraverit mecum.*

« Et ecce plus quam Salomon hic. »

Evidentiam notat, ne causetur occultum : quia thesaurus invisus et sapientia abscondita, quæ utilitas in utrisque ? Excellentiam autem in comparatione, cum dicit : « *Plus quam Salomon,* » quia ille sapiens, homo tamen : in Christo autem sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ absconditi ². Baruch, iii, 36 et 37 : *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum. Hic advinvenit omnem viam disciplinæ.* Per localem autem propinquitatem notat posse bona sui adipisci sine labore, cum regina venerit per longinqua spatia viæ. Baruch, iii, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Act. xvii, 27 et 28 : *Non longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* Unde potissimum in hoc est major Salomone : quia exterius clamat per carnem assumptam, et interius docet per sui (secundum quod Verbum Patris est) sapientiam, et inspirat quod docet per Spiritus a se procedentis gratiam. De primo, Proverb. 1,

20 : *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.* Psal. LXVIII, 4 : *Labovavi clamans, rucæ factæ sunt fauces meæ.* De secundo, Eccle. i, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* De tertio, Joan. xvi, 13 : *Cum autem venerit i. le Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

« Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, »

Hic retorquet in eos, quod sibi blasphemantes imposuerunt, quod videlicet in spiritu immundo resistebant veritati. Duo autem dicit : ponit enim similitudinem liberati a dæmonio, et prius postea possessi, et hujusmodi ponit : secundo, adaptationem, ibi, in fine γ. 43 : « *Sic erit et generationi,* etc. »

Circa primum tria dicit, exitum immundi spiritus ab homine, discursum et regressum. Et hæc patent in littera.

Dicit ergo : « *Cum autem immundus spiritus.* » Non per naturam immundus est, sed per effectum malitiæ. Matth. x, 1 : *Dedit illis potestatem spirituum immundorum.* « *Exierit ab homine,* » ab aliquo, sicut Christus expulit a multis : quia sanavit omnes oppressos a diabolo ³. Exire autem dicitur non tantum per essentiam, ut diffinitive non sit in corpore, sed etiam ut educatur per effectum gratiæ effectus suæ malitiæ. Job, xxvi, 13 : *Obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.*

« *Ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit.* »

Ecce discursus. Et tangit quatuor : discursum et loca per quæ discursus, et intentionem, et intentionis frustrationem.

De primo dicit : « *Ambulat.* » Ambu-

¹ Cf. supra, iii, 7.

² Ad Coloss. ii, 3.

³ Cf. Act. x, 38.

lare dicitur ab *an*, quod est *circum*, et *bulo*, quod non est in usu, nisi in composito : et est idem quod vado ¹. Job, I, 7: *Circuivi terram, et perambulavi eam*. I Petr. V, 8: *Circuit, quærens quem devoret*, etc.

« *Per loca arida*, » ab humore concupiscentiæ desiccata : vel secundum aliam Glossam, baptismatis non irrigata : vel pœnitentiæ lacrymis non infusa. Isa. XIX, 5: *Et arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur atque siccabitur. « Quærens requiem. »* Ecce intentio mala. Est autem requies falsa, ut scilicet sic in malo hominis quiescat, ut totum hominem non tantum in transitu visitet, sed etiam per similem impœnitentiam possideat. Isa. XIII, 21: *Requiescent ibi bestię, et replebuntur domus eorum draconibus : et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi.*

« *Et non invenit*, » quia frustratur intentione impœnitentiæ finalis. Ezechiel. XVIII, 21 et 22: *Si impius egerit pœnitentiam..., omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor*. Ad Ephes. IV, 27: *Nolite locum dare diabolo*. Jacob. IV, 7: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis.*

« Tunc dicit : Revertar in domum meam, unde exivi. »

Hic tangitur reversio. Et tanguntur tria, scilicet tractatio reversionis, dispositio ejus ad quam revertitur, et omnis introitus (alias, interitus). Et hæc patent in littera.

Dicitur ergo : « *Tunc dicit*, » in corde suo : vel, cum dæmonibus conferendo, « *revertar*. » Isa. XXXVII, 34: *In via qua venit, per eam revertetur, et civitatem hanc non ingredietur. « In domum meam, »* scilicet habitationem quæ peccato (alias, peccati opere) sua facta est. Job, XVIII, 15: *Habitent in tabernaculo illius*

¹ Vel melius ab *amb*.

socii ejus. Apocal. XVIII, 2: *Facta est habitatio dæmoniorum. « Unde exivi, »* per pœnitentem justitiam compulsus.

« Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam. »

Ecce dispositio ejus, quam ingreditur.

Et tangit quatuor, scilicet quod « *invenit eam*, » hoc est, locum habitationis suæ in eam. Quia si resisteret, non inveniret eam. Sic enim invenit eam, sicut serpens Evam². Ezech. XVI, 25: *Divisisti pedes tuos omni transeunti*. Et, Jerem. II, 24: *Omnes qui quærunter eam, non deficient : in menstruis ejus invenient eam.*

Secundo, tangit otii torporem, cum dicit : « *Vacantem*. » Ezechiel. XVI, 49, dicit, quod iniquitatum Sodomæ una fuit otiositas. Matth. XX, 6: *Quid hic statis tota die otiosi?* Eccli. XXXIII, 29: *Multam malitiam docuit otiositas.*

Tertium autem est, quod dicit : « *Scopis mundatam*, » quæ significat munditiam corporalem nimis exhibentem, sicut Judæi fecerunt, Matth. XXIII, 25: *Mundatis quod de foris est calicis, et parapsidis.*

« *Et ornatam*, » ornatum in pompa mundi præferentem. Ezechiel. XVI, 13: *Ornata es auro et argento*, etc. Proverb. VII, 10: *Præparata ad capiendas animas.*

« Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi : et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. »

Ecce reversio. Et tangit tria, scilicet invitationem sociorum, ingressum, et effectum malitiæ in eo quem ingreditur.

De primo dicit : « *Tunc vadit, et assu-*

² Cf. Genes. III, 1 et seq.

mit septem alios spiritus, » scilicet dæmones, « *secum nequiores se.* » Dæmon enim unus est, qui uno vitio principatur : septem autem, qui septem capitalibus : nequiores autem, qui ad nocendum efficaciores : et illi sunt dæmones veræ quidem iniquitatis, sed falsæ et mendacis simulationis. III Reg. xxii, 22 : *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies, et prævalebis.* Dicit autem Augustinus, quod simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Quando autem vere superbus est tegens se falsa humilitate, et vere invidus tegens se charitate, vere acediosus tegens se divini cultus hilaritate, vere iracundus tegens se mansuetudine, vere avarus tegens se largitate falsa, vere gulosus tegens se exterminata facie, et luxuriosus protectus simulata castitate, tunc nequior est. I Reg. xvi, 14 : *Spiritus Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino.*

Secundo, dicit : « *Intrantes,* » per consensum peccati, « *habitant ibi,* » per peccati permanentiam. Joan. xiii, 27 : *Post buccellam,* in qua simulavit sanctitatem, *introivit in eum Satan.*

« *Et fiunt.* » Hic tangitur effectus : et patet. Matth. xxvii, 64 : *Erit novissimus error pejor priore.* II Petr. ii, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem (alias, agnitam) retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* Jerem. vii, 26 : *Pejus operati sunt quam patres eorum.*

« Sic erit et generationi huic pessimæ. »

Hic adaptat quod dixit. Diabolus enim per sanctitatem fidei Patriarcharum, et legis observantiam exivit, per gentes aridas discurrit, finaliter quærens ibi manere : sed non potuit propter fidem susceptam : ad Judæos rediit, quos in Ægypto, et in Chaldæa possederat. Sep-

tem assumpsit, quia septem nequitias se armavit. Erant enim Judæi legem abjicientes, secundum spiritum verbis Prophetarum fidem non adhibentes, veritatem verborum Christi impugnantes, miracula maligno spiritui attribuentes, opera virtutis calumniantes, suam justitiam exteriorem Dei justitiæ præferentes, et tandem ipsum interficientes. Vacabant enim otio boni, et scopis mundabant exteriori munditia, et ornatum quemdam, cujus virtutem non habebant, in cultu Dei præferentes. Vel, exponatur sicut primum. Vel forte, per septem dæmones universitas dæmonum significatur, et hoc puto esse probabilius omnibus aliis.

Hoc est ergo quod dicit.

« Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei. »

Dixit autem ei quidam : Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes te. »

Hic incipit ultima pars, quæ est de commendatione devotorum, et abnegatione carnaliter conjunctorum.

Et dividitur in tria : in quorum primo hujus historiæ, ex adventu carnaliter conjunctorum, introducitur opportunitas : in secundo, per hoc tentantis eum importunitas : in tertio, intentionis suæ de negatione carnalis conjunctionis, et commendatione spiritualis conjunctionis ostensa spiritualis charitas.

De primo dicit duo : tempus incongruum adventui amicorum, et amicorum conjunctionem et intempestivum desiderium.

Dicit ergo : « *Adhuc eo loquente ad turbas,* » hoc est, dum instaret officio prædicationis ostendens carnalia terminari per spiritualia. Luc. viii, 19 : *Venerunt ad illum mater et fratres ejus, et non poterant adire eum præ turba.*

« *Ecce mater ejus.* » De qua, Tob. iv, 3 : *Honorem habebis matri tuæ omnibus*

diebus vitæ ejus. « *Et fratres,* » hoc est, consobrini filii materteræ. Levit. xix, 18 : *Diliges fratrem tuum sicut teipsum*¹. *Foris stabant,* » quia præ turba intrare ad eum non poterant. Et notatur, quod stabant in labore, et foris in æstu, vel pluvia, ut citius inclinaretur ad dimittendum spirituales actum. « *Quærentes loqui ei.* » Luc. ii, 48 : *Fili, quid fecisti nobis sic ? ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.* Dixerat autem, supra, x, 37 : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

Et ex isto insidiosè quærens,

« Dixit autem ei quidam, »

Tentans, an carnalia spiritualibus præponeret contra doctrinam suam. Luc. viii, 20 : *Mater tua, et fratres tui foris stant, volentes te videre.* Et hoc est idem, quod dicitur hic : « *Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes te.* »

Sed quæritur, quare hic non facit mentionem de patre, sicut, Luc. ii, 48, ubi dicit : *Ecce pater tuus et ego dolentes,* etc.

RESPONSIO, quod non facit mentionem de patre, quia cum multum sermonem de deitatis suæ potentia habuerat, et spiritum de se procedere, per consequens ostenderat se non habere patrem carnalem, et ideo iste timuit confutari statim, si de patre faceret mentionem. Sed carnalis affectus naturalis est : et ideo latenter illum præterdit, ut tentet.

« At ipse respondens dicenti sibi, ait : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei ? »

Et extendens manum in discipulos suos, dixit : *Ecce mater mea et fratres mei.*

Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. »

Hic similis ponitur confutatio tentantis, et designatio approbationis observatorum novæ gratiæ. Et facit hic tria : primo enim quærendo confutat tentantem : secundo, indicando dignitatem designat observantis gratiam novam : tertio, perfectorum in gratia determinat ad se conjunctionem. Et hæc patent in littera.

Dicit igitur :

« Quæ est mater mea ? »

Non abnegat matrem, cui reverentia est exhibenda : sed innuit non esse præponendum carnalem affectum spirituali operi : in hoc enim non debemus agnoscere carnaliter conjunctos. Joan. ii, 4 : *Quid mihi et tibi est, mulier ?*

« *Et qui sunt fratres mei ?* » Nec hos abnegat, qui quocumque modo fratres sunt : sed ostendens piis operibus esse intendendum, non modo plusquam fratribus, sed etiam plusquam sibi ipsi. Luc. ii, 49 : *Quid est quod me quærebatis ? nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Joan. iv, 34 : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.*

« Et extendens manus in discipulos suos, dixit. »

Ecce designatio dignitatis implentium novam gratiam, quod in laudem digito Dei merentur ostendere (alias, ostendi) multitudini : et hoc significatur, Supra, v, 14 : *Vos estis lux mundi.* Isa. lx, 21 : *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.*

« *Ecce mater mea,* » in quorum visceribus per fidem et charitatem formam

¹ Vulgata habet, Levit. xix, 18 : *Diliges ami-*

cum suum sicut teipsum. Quinimo fratrem.

accipio, sicut in matre. Ad Galat. iv, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* I ad Corinth. iv, 15 : *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* « *Et fratres mei,* » ex eodem Patre, et ad eandem hæreditatem. De primo, Joan. xx, 17 : *Dic fratribus meis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum.* De secundo, ad Roman. viii, 17 : *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Et ne credatur de præsentibus tantum loqui, subjungit :

« Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, »

Non in terris. Hic enim voluntatem non perficeret, nisi ex Deo natus esset. Hic enim non peccat : quia generatio Dei conservat eum¹.

« *Ipse meus frater,* » ex eodem Patre, et quia utrumque acceptat sexum, « *et soror, et mater est.* » Vel, secundum

similitudinem vocat fratrem, pro castitatis sanctitate sororem, et pro affectu charitatis matrem. Ebionitæ autem hæretici insurgunt dicentes, Christum fratres habere, sicut hic testatur Evangelium : errantes et nescientes Scripturas, in quibus multipliciter dicitur frater, sicut patet in his versibus :

Dat dici natura, fides, et adoptio fratres,
Gens, lex, affectus, regula, sanguis, amor.

Collige igitur, quæ dicta sunt in hoc capitulo : et videbis Regem Christum se Dominum dicere principalis signi, quod est sabbatum : et Dominum templi, et præponere se prophetiæ et regi : et sic cessationem inducere veteris legis quoad signa, et cultum, prophetiam, et regiam unctionem per nova gratiæ mandata quæ inducit : et omnia carnalia quæ lex præcipiebat, ad spiritualia esse ordinata. Et hæc est intentio.

CAPUT XIII.

Sedens in navicula proponit turbis parabolas seminantis ac zizaniarum, quas etiam discipulis interpretatur item parabolas de grano sinapis, de fermento in farina occultato, de thesauro et margarita inventis ; de reti in mare misso, quam parabolam etiam declarat : docens in patria, ait prophetam non esse sine honore nisi in propria patria.

1. In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare.
2. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet² : et omnis turba stabat in littore.
3. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens : Ecce exiit qui seminat, seminare.
4. Et dum seminat, quædam cecide-

- runt secus viam : et venerunt volucres cœli, et comederunt ea.
5. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam : et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ :
6. Sole autem orto æstuaverunt : et quia non habebant radicem, aruerunt.

¹ Cf. I Joan. iii, 9.

² Marc. iv, 1 ; Luc. viii, 4.

7. Alia autem ceciderunt in spinas : et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea.
8. Alia autem ceciderunt in terram bonam : et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.
9. Qui habet aures audiendi, audiat.
10. Et accedentes discipuli dixerunt ei : Quare in parabolis loqueris eis?
11. Qui respondens ait illis : Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.
12. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit : qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo ¹.
13. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt.
14. Et adimpletur in eis prophetia Isaïæ dicentis ² : Auditum audietis, et non intelligetis : et videntes videbitis, et non videbitis.
15. Incrassatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clausurunt : ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.
16. Vestri autem beati oculi, quia vident, et aures vestræ, quia audiunt.
17. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt : et audire quæ audietis, et non audierunt ³.
18. Vos ergo audite parabolam seminantis.
19. Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus : hic est qui secus viam seminatus est.
20. Qui autem super petrosa seminatus est : hic est qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud :
21. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis : facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur.
22. Qui autem seminatus est in spinis : hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.
23. Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum.
24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens ⁴ : Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo.
25. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et supereminavit zizania in medio tritici, et abiit.
26. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.
27. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?
28. Et ait illis : Inimicus homo hoc

¹ Infra, xxv, 29.² Isa, vi, 9; Marc. iv, 12; Luc. viii, 10; Joan. xii, 40; Act xxviii, 26; ad Roman.

xi, 8.

³ Luc. x, 24.⁴ Marc. iv, 26.

- fecit. Servi autem dixerunt ei : Vis, imus et colligimus ea?
29. Et ait : Non : ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.
30. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum : triticum autem congregate in horreum meum.
31. Aliam parabolam proposuit eis, dicens ¹ : Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo.
32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus : cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus.
33. Aliam parabolam locutus est eis : Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum ².
34. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas : et sine parabolis non loquebatur eis,
35. Ut impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi ³.
36. Tunc dimissis turbis, venit in domum ⁴, et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Edisere nobis parabolam zizaniorum agri.
37. Qui respondens ait illis : Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.
38. Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam.
39. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio sæculi est ⁵. Messores autem, angeli sunt.
40. Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi.
41. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem,
42. Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium.
43. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum Qui habet aures audiendi, audiat.
44. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro : quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.
45. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.
46. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.
47. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.
48. Quam cum impleta esset educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.
49. Sic erit in consummatione sæculi : exhibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum,
50. Et mittent eos in caminum ignis.

¹ Marc. iv, 34 ; Luc. xiii, 19.

² Luc. xiii, 21.

³ Psal. lxxvii, 2.

⁴ Marc. iv, 34.

⁵ Apocal. xiv, 15.

⁶ Sapient. iii, 7 ; Daniel. xii, 3.

- Ibi erit fletus et stridor dentium.
51. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei : Etiam.
52. Ait illis : Ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.
53. Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde.
54. Et veniens in patriam suam ¹, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur et dicerent :
- Unde huic sapientia hæc et virtutes?
55. Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? et fratres ejus, Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas?
56. Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista?
57. Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis : Non est propheta sine honore, nisi in patria sua et in domo sua.
58. Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.

IN CAPUT XIII MATTHÆI

ENARRATIO.

« In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare. »

Hic agit de veritate Evangelica quantum ad formam doctrinæ proportionatam nobis : et est totus parabolicus. Intellectus enim hominis conjunctus continuo et tempori non bene intelligit, ut dicit Dionysius, quæ similitudinibus corporum non sunt adaptata : pure enim spiritualia non capit nisi perfectorum intellectus spiritualium, qui, sicut dicitur, ad Hebr. v, 14 : *Pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.* Talis autem coaptatio vocatur lac, quod datur parvulis rationalibus : tamen ut in eo crescant, sicut dicitur, I Petr. ii, 2. I ad Corinth. iii, 1 et 2 : *Tamquam parvulis in Chrtsto, lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis : sed nec nunc quidem potestis.* Omnis enim nostra acceptio est per sensus, et intelligere non valemus divina nisi sensibilibus

¹ Marc. vi, 1 ; Luc. iv, 16.

coaptata, sicut dicit Gregorius, quod « regnum cœlorum ideo terrenis rebus « simile esse dicitur, ut ex his quæ animus novit, surgat ad incognita, quæ « non novit. »

Inducit autem hic parabolas septem : sed capitulum dividitur in partes tres : ita quod primo construit qua de causa inducitur parabola, et quibus : secundo autem inducuntur parabolæ : et tertio, conclusio ponitur ibi, v. 51 : « *Intellexistis hæc omnia?* »

In prima harum dicuntur quinque, scilicet, eorum qui indigni sunt, exclusio et derelictio : et hoc est, quod dicit eum exivisse de domo : secundum est loci in quo docebat, figuralis dispositio, quia sedebat secus mare in navicula : tertium est turbarum ad auditum verbi congregatio : quartum, turbarum in loco auditus positio : quintum, modus parabolicus in prædicationis verbo. Et per hoc patet divisio.

Dicit igitur :

« In illo die. »

Postquam sermone facto Judæos confutaverat in domo, vel forte verius, non

² Joan. vi, 42.

pro spatio ejusdem temporis *dies* accipitur, sed pro claritate doctrinæ sermonis Christi. Ad Roman. xiii, 12 et 13: *Abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulamus.* Isa. lx, 1: *Venit lumen tuum, Jerusalem, et gloria Domini super te orta est.* Joan. ix, 4: *Me oportet operari..., donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.*

« Exiens Jesus de domo, »

Et exitu suo blasphemus ostendens esse derelinquendos. Numer. xvi, 26: *Recedite a tabernaculis hominum impiorum.* Matth. xxiii, 38: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

« Sedebat. »

Tangit locum communem. Et in hoc tangit duo, quietem scilicet docentis, cum dicit: « *Sedebat.* » Sessio enim exterior quietem et sessionem significat motuum Doctoris, quando motus concupiscentiæ et humorum recesserunt: et ideo conceptiones animi, et affectus stabiliuntur. Quia sicut dicit Aristoteles, quod « anima sedendo et quiescendo fit « sciens et prudens. » Supra, v, 1 et 2: *Cum sedisset..., docebat eos, dicens*¹.

Secundo, tangit aptum per significationem locum, cum dicit: « *Secus mare,* » ut per mare sæculum inquietum et amarum ostenderet. Psal. cii, 25: *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus,* etc. Secus mare autem primo sedit, ut stabilitatem æternam verbi quod docuit, demonstraret: quod licet fluctibus tunderetur, tamen non esset movendum. Matth. xxiv, 35: *Cælum et terra transibunt,* etc. Matth. vii, 24: *Omnis qui audit verba mea, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.*

« Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut naviculam ascendens sederet: et omnis turba stabat in litore.

Et locutus est eis multa in parabolis, dicens. »

Tria dicit: formam, intentionem finis, et materiam.

Forma est in congregatione in unam civitatem. Genes. xlix, 2: *Congregamini, et audite Israel patrem vestrum.* I Esdræ, iii, 1: *Congregatus est populus quasi vir unus ad audiendam legem.*

Finem tangit, cum dicit: « *Ad eum.* » Deuter. xxxiii, 3: *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* Psal. xxxiii, 6: *Accedite ad eum, et illuminamini.* « *Turbæ multæ.* » Turba per se multitudinem innuit. Sed cum additur *multæ*, designatur, quod de multis civitatibus, et provinciis convenerunt: et isti sunt materia. Unde, Luc. viii, 4, dicitur: *Cum turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum.* Et idem innuitur, Marc. iv, 1.

« *Ita ut in naviculam ascendens sederet.* » Dispositio est Doctoris Evangelii in loco proprio: et in littera innuitur humilitas et effectus vitæ prædicatæ, quia diminutione notatur humilitas, et usus navis notat effectum: quia omnes alii merguntur in undis voluptatum sicut porci. Sapient. xiv, 5: *Ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam et exiguo ligno credunt omnes animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Notat etiam in hac vita exaltationis profectus per hoc quod dicit: « *Ascendens.* » Sic enim *ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum,* etc.²: imo tristans et ad alta vocans non auditur. Isa. xl, 9: *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion.* Baruch, iv, 36, et v, 5:

¹ Cf. Supra, viii, 32.

² Psal. lxxxiii, 6.

Sta in excelso, et vide jucunditatem. « *Sederet.* » Per hoc notat cor in æterna quiete resedissee. Matth. XIX, 28: *Seditis et vos super sedes duodecim.* Psal. CXXI, 5: *Illuc sederunt sedes in iudicio.*

« Et omnis turba stabat. »

Generalitatem notat, cum dicit: « *Omnis.* » Necessitatem doctrinæ, cum dicit: « *Turba.* » Aptitudinem loci, cum dicit: « *In littore.* » De primo, I ad Corinth. IX, 22: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* De secundo, ad Roman. I, 14: *Sapientibus et insipientibus debitor sum.* Turba enim non novit legem: et ideo necessaria fuit eis doctrina. Joan. VII, 49: *Turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.* « *Stabat,* » rectitudine corporis, parans se ad rectitudinem verbi auditi. Psal. V, 5: *Mane adstabo tibi, et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* II Paralip. XX, 17: *Confidenter state..., et Dominus erit vobiscum.*

« *In littore* » stabilimenti virtutis et veritatis. Psal. XXXIX, 3: *Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos.* Psal. XVI, 5: *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.*

« Et locutus est eis multa in parabolis, dicens. »

Multa dicit, quia multis multa sunt dicenda, ut pro diversitate auditorum, quod uni non convenit, alii conveniat. Sicut cibi multi diversos in complexione stomachos habentibus præparantur. IV Reg. VI, 23: *Apposita est eis ciborum magna præparatio.* In parabolis autem loqui, est humano modo et rudi loqui intellectui. Psal. LXXVII, 2: *Aperiam in parabolis os meum,* etc. Proverb. I, 6: *Animadvertet parabolam, et interpretationem, verba sapientium, et ænigmata eorum.* Osee, XII, 10: *Ego visionem*

multiplicavi, et in manibus Prophetarum assimilatus sum.

« Ecce exiit qui seminat, seminare. »

Hic incipit secunda pars capituli, in qua septem inducit parabolas, quæ per tria distinguuntur: ita quod primæ tres sunt in effectu verbi, secundum quod fides est per auditum. Ad Roman. X, 17: *Auditus autem per verbum Christi.* Secundæ autem tres sunt de charitatis profectu: et ultima est de discretione electorum a malis, qui non profecerunt ex semine jacto.

Tres autem primæ distinguuntur in duas secundum duplicem seminis operationem. Habet enim quamdam ex suscipiente fundo: et hæc explicatur in prima parabola. Et duas habet ex seipso: unam quidem ex pullulatione naturali ad germen sui generis, aliam autem ad effectum naturalem in qualitate et quantitate virtutis. Et sic distinguuntur primæ tres inductæ parabolæ.

Prima parabola est tripartita: ponitur enim primo parabolæ contextio per partes: et secundo, parabolici sermonis causa ostenditur: et tertio, parabola exponitur.

In parabolæ positione duo sunt notanda: proprietas videlicet seminantis, et proprietas seminis.

De seminante dicit quinque, evidentiam, exitum, officium, actum, et materiam.

« Ecce. »

Per hoc evidentia. Supra, X, 27: *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Nehem. seu II Esdræ, VIII, 8: *Legerunt in libro legis Dei distincte, et aperte ad intelligendum.* Habacuc, II, 2: *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.* Isa. VIII, 1: *Scribe in eo stylo hominis.*

« Exiit. »

In domo semina perduntur. Cantic. VII, 11 : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Joan. XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Isa. XXVII, 6 : *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebunt et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.* Domi enim seminatur, qui sibi et suis in carnalibus seminatur. Isa. LII, 11 : *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.*

« Qui seminat. »

Ecce officium. Qui vel habet curam, vel professionem prædicandi, officium recipit seminandi. Marc. IV, 3 : *Exiit seminans ad seminandum.* Psal. CXXV, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.*

« Seminare. »

Ecce actus. Eccle. XI, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua : quia nescis quid magis oriat, hoc aut illud : et si utrumque simul, melius erit.* Osee, X, 12 : *Seminate vobis in iustitia, et metite in ore misericordiæ.*

« Semen suum ¹. »

Ecce materia : et duo tangit, semen et seminis discretionem, quando dicit, « suum. » Est autem meum, quod in primo fructu prioris anni recepi et collegi. Homo autem tria habet tempora, innocentiae, culpæ, et gloriæ, vel supplicii. Unde dicit Ambrosius : « Quod nostrum est semen, quod in prima conditione est inditum, quando dictum est, Genes. I, 11 : *Faciens fructum juxta genus suum* : quod in Actibus, XVII, 28, dicitur esse *genus divinum.* » Et ideo,

Levit. XIX, 19, præcipitur : *Agrum tuum non seres diverso semine.*

Possunt ergo notari in isto verbo quatuor, quæ faciunt naturam seminis : quorum unum est seminis proprietas ex eo unde generatur : secundum est ejusdem virtus in generando : tertium autem in trahendo potentia : quartum et ultimum in puritate naturæ purgatio sincera, et puritatis custodia. Primum dat semini generantium naturam : secundum autem veram secundum naturam generationis efficaciam : tertium autem materiæ, unde generet, quamdam naturalem ingerit providentiam : et quartum ne evacuatur, vel adulteretur, præstat cautam custodiam.

Cum enim semen sit verbum Dei, generantis in se habet naturam, quando præfert divinam potestatem in substantia et virtute. Verbum enim Patris ex Patre paternum est in (alias, ex) natura : ex virtute Patris vivificum est in potentia Spiritus, quem spirat : et sic etiam est in semine. Hoc enim habet generantis substantiam, et spiritum quo spirat ad vitam ejus quod generat. Jactum ergo semen verbi de Deo sit in substantia, et spiritus sit ostensivum in potentia spirandi vitam. Sic impletur illud Jerem. XXIII, 5 : *Suscitabo David germen justum.* Et illud Genes. I, 11 : *Cujus semen in semetipso sit.* Propter quod dicit Philosophus, quod « sicut ovum congregat in se naturam generantium avium, ita semen plantarum ovum exitens habet in se virtutes generantium. »

Effectus autem ipsius in generando est, quod producit non simile sibi, nec simile serenti, sed simile ei a quo natum est : et multiplicatum illud simile producit. Genes, XXVI, 12 : *Seminavit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum.* Qui enim se prædi-

¹ Hæc verba non inveniuntur in Evangelio Matthæi, sed in Evangelio Lucæ, VIII, 5. Aliquando, ut jam notavimus et notabimus adhuc,

miscet egregius Doctor Albertus verba Evangelistarum de iisdem rebus tractantium.

cant, volunt quod semen seminati producat simile : et hoc est monstruosum : qui autem in multo ornatu prædicant, volunt quod solum verbum sibi simile in laude procedat : et ideo utrumque cavet Apostolus, II ad Corinth. iv, 5, dicens, quod non prædicavit seipsum ¹. Et, I ad Corinth. i, 17 : *Non in sapientia verbi, ut non evacuatur crux Christi.*

Tertium autem est quod mirabiliter est tractivum, intellectus quidem ad studium, et affectus per desiderium, et operis per profectum. Joan. xii, 32 : *Omnia traham ad meipsum.* Unde dicit Philosophus, quod « trahit sicut ventosa : « quia aliter, cum superius emittit plantam, non haberet inferius unde ministraret substantiam. » Cantic. i, 3 : *Trahe me post te.*

Quarto etiam purgat se, ut purum et sincerum sibi retineat : et ideo emittit calamum ex se, et folia palearia, et nodos facit, et aristam formando terrestria ejicit, et se in profundo involvit, ut sincerum remaneat. Unde, Supra, iii, 12 : *Paleas comburet igne inexstinguibili.* Palea enim est peccatum, et terrena cogitatio, vel intentio, omnimode a grano ejicienda. Isa. xxviii, 28 : *Panis autem comminuetur in baculo,* hoc est, baculo pœnitentiæ conteretur peccati palea, ut granum sincerum habeatur. Nullus seminat paleas cum grano. Joan. xii, 24 et 25 : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Ita ergo est verbum purificandum, quod non impropere a Domino. Psal. xlix, 16 et 17 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? Tu vero odisti disciplinam,* etc.

Sic ergo seminandum est.

Sequitur :

¹ II ad Corinth. iv, 5 : *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum no-*

« Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam. » 4

Tangit diversitatem seminis ex parte fundi suscipientis. Et tangit tres differentias mali fundi, et unam solam boni : quia malum est omnifariam, et virtus ex una sola et tota causa, sicut superius diximus : et per hoc patet divisio.

« *Aliud cecidit secus viam.* » Via est trita, dura, et frequentata : et significat sensum et imaginationem, in quibus discurrunt delectantia sensualitatem, et terunt concupiscentiam, et frequentant pompam Satanæ. Isa. li, 23 : *Dixerunt animæ tuæ : Incurvare, ut transeamus : et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.* I Reg. xxi, 5 : *Via hæc polluta est.*

« Et venerunt volucres cœli, et comederunt ea. »

Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam : et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. 5

Sole autem orto æstuaverunt : et quia non habebant radicem, aruerunt. 6

Alia autem ceciderunt in spinas : et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea. 7

Alia autem ceciderunt in terram bonam : et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. 8

Qui habet aures audiendi, audiat. » 9

Tria notantur hic : unum est, quod semen operari juxta viam non potuit propter viæ duritiam : secundum, quod volucres venerunt per tentationis illecebram : tertium, quod devoraverunt propter peccati consensum et malitiam.

strum.

« Et venerunt volucres cœli, etc. »

Volucres significant dæmones. Unde, Apocal. xviii, 2, dicitur, quod, *Babylon facta est custodia omnis volucris immundæ*. Cor enim tritum peccati et delectationum consuetudine in profundum sui verbum non recipit, sed in superficie quasi non coopertum jacet : quia nec affectu, nec intellectu cooperitur, sed expositum in propatulo avibus devorandum exponitur. Unde, Eccli. iii, 27, dicitur : *Cor durum habebit male in novissimo*. Venit autem volucris, cum tentando circumvolat. Unde, supra, iv, 3 : *Accedens tentator dixit ei*.

Comedit autem, quando in se trajicit, et sibi incorporat. Deuter. xxxii, 24 : *Devorabunt eos aves morsu amarissimo*. Ezechiel. xxxix, 4 : *Feris, avibus, omnique volatili, et bestiis terræ dedi te ad devorandum*.

Et attende, quod non dicit quod seminans alia projecit secus vias, vel in spinas : quia seminans sine distinctione projicit, ne personarum sit acceptor : et numquam ex intentione projecit in locum ubi pereat : sed aliquando cadit ex fundi malitia ab intentione projicientis : et hoc est, quod dicit, « *cecciderunt*. » Jacob. ii, 1 : *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ*. Sic ergo comeditur, quod cadit juxta viam. Quia aut in granis ab avibus colligitur, aut natum a bestiis transeuntibus decerpitur. Osee, vii, 7 : *Culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam : quod et si fecerit, alieni comedent eam*. Psal. lxxix, 13 : *Vindemiant eam omnes qui præterrediuntur viam*.

« Alia ceciderunt in petrosa. »

Secunda est fundi malitia, quæ est cordis duritia, quæ nec timore, nec comminatione frangitur : nec pietate, nec amore promissionum emollitur. Intentio autem istius partis est in sex proprietatibus mali fundi, ex petrosi. Prima qui-

dem est, quod fundus subter sit petra : secunda est, quod supra petram parum sit de terra : et quia radius incidens in petram reflectit radium, multiplicatur ibi calor, quem diu continet dura petra, et ideo modica desuper terra sicca est, et incensa, conversa quasi in pulverem. Venit autem aliquando humidum, et infundit incensam terram, et ab illo alieno humido, quod fundo non est connaturale, continuo cadens ibi semen exoritur : eo quod multam terram, non habuit, in cujus profundo latens, paulatim coalescens in terra foveretur : et hoc est tertia et quarta : continuo enim exoritur, quia non protectum a sole tangitur, et ideo supra naturæ vires pullulare compellitur, altitudinem, sive profunditatem terræ non habens, quæ non in superficie, sed in profundo ferax esse dignoscitur, quam feracitatem parum terræ arefactæ non habet. Quinta, æstuatio solis, cujus radii reduplicantur et multiplicantur repercussi a fundo solido, et ideo calorem loci generant intensivum, et ideo arent : et hæc quinta. Arida autem remanent non habentia radices fixas in profundum, a quibus sugant restitutionem humidi, quod ex calore solis et loci est arefectum. Et hoc est, quod dicit secundum litteram.

Fundus autem lapideus cor lapideum est, ut supra diximus. Ezechiel. xi, 19 : *Auferam cor lapideum de carne eorum*. Jerem. v, 3 : *Induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti*. Isa. xxii, 16 : *Excidisti in excelso memoriale diligenter, in terra tabernaculum tibi*. Pauca desuper terra est species pietatis et religionis christianæ, quæ facit levitatem animæ obedientis verbo, ut dicit Glossa. Zachar. ii, 12 : *Possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata*. Quod autem continuo oriuntur, potius est animi levitas, quam virtutis probitas. Genes. xlix, 4 : *Effusus es sicut aqua, non crescas*. Job, xxiv, 18 : *Levis est super faciem aquæ*. Sol autem æstuans est tribulatio angustians. Jacob. i, 11 : *Exortus*

est sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperit : et tunc æstuat per impatientiam. Proverb. xxvi, 17 : *Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatientis, et commiscetur rixæ alterius.* Apocal. xvi, 8 et 9 : *Datum est illi, scilicet diabolo, æstu affligere homines, et igni : et æstuaverunt homines æstu magno.* Jonæ, iv, 8 : *Percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat.*

« *Et quia non habebant radicem, scilicet charitatis, aruerunt.* » Radix enim charitatis est ad bonum sugendum, et radix timoris contra malum : una sugit ex promissis, et altera ex comminationibus. De prima, ad Ephes. iii, 17 : *In charitate radicati, et fundati.* De secunda, Eccli. i, 25 : *Radix sapientiæ est timere Deum.* Job, xv, 29 : *Non mittet in terra radicem suam* : et ideo dicitur, Isa. xv, 6 : *Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Joel, i, 11 : *Periit messis agri.* Apocal. xiv, 15 : *Aruit messis terræ.*

« *Alia ceciderunt in spinas.* »

Spina propter acutum calidum in terrestri sicco, quod in circuitu de centro ad superficiem ebullit angulos in acutissimum acuens : et ideo totum locum per circuitum spissa contegens umbra, nec calorem luminis, nec humorem roris loco dirigens, malitiam facit fundi. Frigidum enim umbræ calorem impedit vivificum, et obscuritas tota luminis cœli impedit beneficium, et sic est cor terrenis obumbratum sollicitudinibus mundi spinosum et compunctum, in quo refriguit charitas. Hoc est fundi hujus allegoricum significatum, Jerem. iv, 3 : *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas.*

Unde sequitur : « *Creverunt spinæ,* » profundius radicatae. Genes. iii, 18 : *Spinæ et tribulos germinabit tibi.* Pro-

verb. xxiv, 30 et 31 : *Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.*

« *Suffocaverunt,* » extinguendo quod in semine erat vivifici calor. Jerem. xii, 13 : *Seminaverunt triticum, et spinas messuerunt.* Isa. vii, 23 : *In spinas et in vepreserunt.*

« *Alia vero ceciderunt in terram bonam.* »

Quarta differentia est boni fundi, qui intelligitur ex dispositione bona, quod sit carens tribus inductis, pinguis, calidus, et humidus, temperate, profunde fossus, planus, humilis, ad quem defluat pinguedo montium : quia *valles abundant frumento* ¹. Pinguis quidem devotione, planus mansuetudine, fossus sarculo disciplinæ, calidus charitate, humidus visceribus pietatis et infusione lacrymarum, pluvia doctrinæ madescens, et rore gratiæ stillans. Deuter. viii, 7 : *Introducet te Dominus in terram bonam.* Psal. xxxvi, 3 : *Inhabita terram, et pasceres in divitiis ejus.* Numer. xiv, 7 : *Terra quam circumimus, valde bona est.*

Et tangit fructus distinctionem :

« *Et dabunt fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, etc.* »

Ad litteram, terræ diversitas in bonitate distinguitur multiplici redditione fructus : mala autem non solum diminuit, sed etiam naturam seminis in pejus pervertit, siliginem pro tritico producens, et aliquando lolium. Est autem centenarius numerus quadratus ex ductu denarii in seipsum in quadrum : quia decies decem sunt centum : et hoc competit virginibus. Hæ enim delectabilia quinque sensuum exteriorum, et quinque interiorum, qui simul sunt decem, in decem præcepta ducunt. Interiores

¹ Psal. lxiv, 14.

autem sunt, ut dicunt Philosophi, sensus communis, imaginum repræsentativa, phantasia, æstimativa, et memoria : ex quibus in sensu communi nihil carnale componunt in rebus : in imaginativa nihil in corde prospiciunt rebus absentibus : per phantasiam nihil fingunt carnalium : per æstimativam nihil concupiscunt : per memoriam nihil recolunt de præterito. Et hæc ducunt in obedientiam mandatorum centuplicato fructu germinantes. Viduæ propter sex opera misericordiæ in denarium mandatorum ducta, sexagesimum habent : et conjugati propter tria bona conjugii, quæ in obedientiam ducta mandatorum, habent trigesimum, quia non est salus (alias, fructus) alicui statui nisi cum obedientia mandatorum : inferius tamen alias etiam hujus assignabimus rationes.

Quia autem parabola allegorice spiritualia pronuntiat, ideo ad intellectum spiritualem invitat, dicens :

« Qui habet aures, etc. »

Exterius, audiendi interius, ita quod exterior auditus ad interiorem dirigat, « *audiat.* » Eccli. III, 31 : *Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.* Ad Roman. x, 17 : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Et præcipue dicit hoc de fructus distinctione. Genes. xxvi, 12 : *Sevit Isaac, et invenit in ipso anno centuplum.* Joan. xv, 8 : *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.* Spirituali enim auditu opus est in ista distinctione fructus. Continentiæ autem ideo inter virtutes fructus spiritualiter attribuitur, quia fructus est inhæsiō propter se gustui et refectioni dulcedinis : continentia autem cohibet dulcedinem carnis, et ideo debetur ei dulcedo spiritus in fructu : et secundum quod magis et minus continet, ita magis et minus debetur ei de fructu.

Hæc est igitur intentio primæ parabolæ.

« Et accedentes discipuli dixerunt ei : Quare in parabolis loqueris eis ? »

Hic tangitur ratio, quare in parabolis loquebatur. Et tanguntur tria, scilicet Discipulorum quæstio, quæ est causa redditæ rationis : et ratio Salvatoris tangens dispositionem imperitorum, quibus loquendum est in parabolis : et ratio ostendens dispositionem discipulorum, quibus loquendum est sine parabolis.

Dicit ergo : « *Accedentes discipuli,* » causa familiaritatis ex benignitate Magistri. « *Quare in parabolis loqueris eis ?* » Adhuc enim carnales discipuli nesciverunt distantiam inter parvulos et perfectos, nescientes quod parvuli instrui non possunt nisi manuducti per similitudines corporalium ad doctrinam spiritualium. I ad Corinth. xiii, 11 : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus.* Hæc enim est causa, quare homini rationali proposuit vestigium, et imaginationem (alias, imaginem), ut ex his accipiat cognitionem Creatoris.

Et hoc est, quod respondet Dominus.

« Qui respondens ait illis : Quia vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum.

Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit : qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo. »

Hæc pars dividitur in tres partes : in quarum prima dicit distantiam auditus spiritualis, et carnalis qui adhuc ignorantia detinetur : secundo, redit ad auditum carnalem, ostendens quoniam ille parabolis est instruendus : tertio, confirmat hoc per prophetiam.

Adhuc in prima dicit duo, differentiam scilicet spiritualis et carnalis, et differentie rationem : et hoc est, quod dicit præmittens de spiritualibus : « *Quia vobis,* » qui habetis aures ad auditum sapientie patulas et revelatas, ut possitis dicere cum Samuele, I Reg. III, 10 : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Proverb. XXI, 17 : *Inclina aurem tuam, et audi verba sapientium.* Vos enim estis, qui in auditu auris obedistis mihi. Et vobis, inquam, « *datum est,* » per donum Spiritus et intellectus et sapientie, et non habetis ex vobis. I ad Corinth. II, 12 : *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* « *Nosse mysterium.* » Μυστήριον græcum est, latine *occultum*, non per similitudinem, sed per eminentiam de Deo dictum : et ideo talibus occulta Dei nude proponuntur. Et hoc est dictum de discipulis ratione perfectionis, et non ratione inceptionis, quando adhuc carnales erant. Cum enim evacuaverunt sensum parvulorum, tunc dixerunt illud Joan. XVI, 29 et 30 : *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget.* I ad Corinth. II, 10 : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Discipulorum autem est habere eundem spiritum. Job, XXXII, 8 : *Spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.*

Vobis igitur talibus per me factis « *datum est nosse mysterium regni,* » Dei scilicet, « *illis autem,* » per oppositum adhuc carnalibus, « *non est datum,* » quia Spiritum sapientie et intelligentie non acceperunt. Act. XIX, 2 : *Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus.* Psal. CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Causa autem, quare non est datum, quia carnales sunt : et ideo Spiritum accipere non possunt. Sapient. I, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet*

factum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate. Et, ibidem, ̄. 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis :* igitur istis non est datum. Et ideo oportet, quod paulatim similitudinibus congruis a carne ad Spiritum manuducantur, et mos eis geratur secundum ipsorum facultatis analogiam. Et hujus rationem assignat ex parte hominis sumptam, ostendens quod culpa eorum non est datum, et non ex personarum acceptione, quæ sit in Deo donum distribuyente.

Et hoc est, quod dicit :

« *Qui enim habet* »

Spiritum discernentem, et quo intelligat spiritualia, « *dabitur ei :* » nuda veritas proponetur, quia illi valet ad illuminationem. Luc. XIX, 26 : *Omni habenti dabitur.* « *Et abundabit.* » Luc. VI, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Et tunc « *abundabit* » profunditate mysteriorum Dei. Act. II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.*

« *Qui autem non habet* » donum fidei et Spiritus : et hoc ideo, quod se non præparavit ad accipiendum. Joan. XIV, 17 : *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum : vos autem cognoscetis eum : quia apud vos manebit, et in vobis erit.* « *Et id quod videtur habere,* » hoc est, donum rationis et cognitionis naturæ : hoc enim non vere habet, sed videtur habere. Non vere habet, quia velatum sensu carnali habet. Psal. XLVIII, 21 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Unde, Daniel. IV, 13, cor Nabuchodonosor ab humano mutatum est, et cor feræ datum est ei. Ecce quod vere non habet, sed videtur habere : quia ad usum carnalium apparenter habet, ad

quem usum rationem non accepit. Et ideo, « *auferetur ab eo,* » merito perversitatis tantæ. Ad Roman. I, 21 et 22 : *Obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.*

13 « Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt. »

Secunda pars, in qua redit, ostendens quoniam talibus competit parabola. Ad quod intelligendum, quod isti qui sic ad Doctorem veritatis veniunt, ignorantes spiritualia et dubitantes de doctrina, sed admirantes veniunt, et solam habent admirationem in se laudabilem, quæ tamen est ignorantis : sed jam ignorantiam fugere desiderantes (alias, desiderantis). Et ideo si illi spiritualia nude proponantur, non est capax, et non credit (alias, crederet), sicut lippus excæcatur ad clarum lumen : sed oportet quod in similitudine corporalium quæ visus didicit, proponantur, ut ex corporalibus spiritualia probabilitatem : quod ita sit, ut Doctor dicit, accipiant (alias, accipiat), et ignorans et admirans facilius inductis (alias, inductus) credat.

Et hoc est quod dicit : « *Ideo in parabolis loquor eis.* » Hoc significatur, Numer. IV, 15, ubi præcipitur, quod interiora tabernaculi filii Caath *portent involuta*, quæ tamen Aaron, et filii ejus nuda tetigerunt et viderunt. Exod. XXXIV, 2 et 3 : *Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai... Nullus ascendat tecum, boves quoque et oves non pascantur e contra.*

Et hoc est quod dicit : « *Quia videntes,* » in similitudinibus corporalibus spiritualia, « *non vident* » eadem in veritate nuda : sed potius contemnerent ea secundum analogiam non proposita. Persuadet enim similitudo corporalis ita esse, ut dicitur ex nobis possibilibus.

« *Et audientes non audiunt.* » De duobus facit mentionem disciplinabilibus sensibus : quia et visu signa viderunt, et auditu parabolas audiverunt. Signa quidem in probationem deitatis et potestatis : et parabolas in probationem sapientiæ et veritatis. Ut sic a duobus juvarentur, quod a corporalibus ad spiritualia transirent. Isa. XLII, 20 : *Qui vides multa, nonne custodies ? Qui apertas habes aures, nonne audies ?* Multa in signis viderunt, et multa in parabolis audiverunt. Isa. XLIII, 8 : *Educ foras populum cæcum, et oculos habentem : surdum, et aures ei sunt.* Qui enim numquam mandeditur visu ad potestatem, et auditu ad veritatem, ejiciendus est : quia ille penitus est inutilis.

« *Neque intelligunt,* » hoc est, spiritualia non intus legunt : scilicet oportet quod sensibili lectione proponantur eis, quemadmodum adhuc laicis spiritualia oportet proponi. Jerem. X, 20 et 21 : *Filii mei exierunt a me, et non subsistunt... Stulte egerunt pastores eorum, et Dominum non quæsierunt : propterea non intellexerunt.* Psal. XXXV, 4 : *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Hoc bene exprimitur in Psalmo LXX, 15 et seq. : *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. Deus, docuisti me a juventute mea, et usque nunc.* Qui enim litteraturam Spiritus non intelligit, oportet quod admirandis potentiis miraculorum et parabolarum manuducatur, et in his justitiam Dei meditetur. Et sic a prima juventute ruditatis docetur usque nunc, quando dicit, Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Jam non per similitudines, sed per veritatem nudam : et tunc pronuntiator mirabilium Dei efficiatur. Et tunc non est opus parabolis, quia tunc est imbutus ipsa veritate. Eccli. VI, 27 et 28 : *In omni animo tuo accede ad sapientiam... Investiga illam, et manifestabitur tibi.* Sic enim acceditur, et non aliter : et in fine illius accessus implebit illud Joan. XIV,

21 : *Qui diligit me, diligitur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Sicut etiam primo Moyses solvit calceamentum pecorinæ pellis extendendo paulatim sensum carnalem et animale : et tunc appropians vidit visionem Dei revelatam¹.

Nisi autem iste locus sic exponatur, videtur sequi inconueniens : quia etiam parum intelligenti frivolum videtur, si Dei sapientia proponat aliquid hominibus ad hoc ut non videant, et ut ex hoc magis condemnentur.

« Et adimpletur in eis prophetia Isaiaë dicentis : Auditum audietis, et non intelligetis : et videntes videbitis, et non videbitis.

Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clausurunt : nequando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos .

Hæc est tertia pars, in qua per Isaiam probat, quod meritum excæcationis obstinatorum ad signa et parabolas venit ex duritia cordis eorum, et non ex Deo aliquid operante ad cæcitatem. Et dicit tria, scilicet qualiter se habuerunt ad signa et parabolas, et qua obduratione se a veritate percepta averterunt per ignorantiam crassam et affectatam, et quid hæc obduratio effecit in eis justæ damnationis.

Dicit igitur ex Isaiâ, vi, 9 et 10 : « *Auditum* » parabolarum « *audietis* » spiritualia proposita in similitudine corporalium, « *et non intelligetis* » avertentes cor ab audita et demonstrata veritate.

¹ Cf. Exod. iii, 5.

² Vulgata habet, Isa. vi, 9 et 10 : *Audite audientes, et nolite intelligere : et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et*

Hæc est littera Septuaginta. Nostra sic habet, Isa. vi, 9 : *Audite audientes, et nolite intelligere.* Isa. xxx, 9 : *Populus ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei.* Isa. i, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus me non intellexit.*

« *Et videntes* » signa exterius, « *videbitis* » eadem esse divinitatis indicia, sicut probatum est in præcedenti capitulo, « *et non videbitis* » per intellectum approbantem : quia avertetis vos a demonstrata veritate. Isa. xliv, 18 : *Nesciverunt, neque intellexerunt : obliti enim sunt ne videant oculi eorum, et ne intelligant corde suo.*

Et subjungit causam, dicens : « *Incrassatum est enim cor populi hujus.* » Crassitudo provenit ex frigido et aqueo sanguine, et generat spiritum grossum non valentem subtilia penetrare : quia quasi congelatus est spiritus animalis in talibus et tardus. Et hoc significat in frigidationem a destitutione charitatis, et raritatem (alias, raritatem) fidei, et insipida sibi esse spiritualia. Psal. lxxii, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Job, xv, 26 : *Cucurrit adversus eum, scilicet Deum, extento collo, et pingui cervice armatus est.* Deuter. xxxi, 20 : *Cumque comederint, et saturati crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, et servient eis, detrahentque mihi, et irritum facient pactum meum.* Deuter. xxxii, 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.*

Hujus autem obdurationis ponit effectus tres per ordinem : primus est rebellio ad ostensam parabolice veritatem. Et hoc est quod dicit : « *Et auribus gravi-*

aures aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.

ter, » hoc est, impatienter, et cum contradictione, « audierunt. » Act. vii, 57 : *Continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. Zachar. vii, 11 et 12 : Aures suas aggravaverunt ne audirent. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, et verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo. Psal. lvi, 4 et seq. : Alienati sunt peccatores a vulva : erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter.*

Secundus effectus est de rebellione contra visam Dei potestatem, per quam in miraculis probata fuit veritas sermonis. Et hoc est quod dicit : « *Et oculos clausurunt,* » ne lumen signorum convinceret eos vera esse, quæ audierant. Isa. xxix, 10 et 11 : *Claudet, scilicet Dominus, oculos vestros, prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati.*

Et tangit effectum tertium, qui est obstinatio contra gratiam convertentem. Et hanc tangit tripliciter, scilicet per aversionem ab inducentibus ad gratiam, et per aversionem a gratia, et per aversionem ab effectu gratiæ.

Et de aversione ab inducentibus ad gratiam dicit : « *Ne quando videant oculis* » demonstratam potestatem. Isa. xlv, 19 : *Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt.* Secundo, tangit aversionem a veritate inducente ad gratiam cum dicit : « *Et auribus audiant* » congrua similitudine veritatem propositam. Jerem. vii, 13 : *Locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis. Et, ibidem, x. 26 : Non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam : sed induraverunt cervicem, et pejus operati sunt quam patres eorum.* Tertio, tangit aversionem a consensu veritatis, cum dicit : « *Et corde intelligant.* » Jerem. v, 21 : *Audi, popule stulte, qui*

non habes cor : qui habentes oculos non videtis. Deuter. xxix, 5 : Non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possunt audire usque in præsentem diem.

Et postea tangit aversionem a gratia convertente, dicens : « *Et convertantur ad me* » qui aversi sunt.

Et subjungit aversionem ab effectu, cum dicit : « *Et sanem eos,* » a languore culpæ et mortis æternæ. Ezechiel. iii, 19 : *Si tu annuntiaveris impio, et ille non conversus fuerit ab impietate sua, ... ipse quidem in iniquitate sua morietur. Jerem. iii, 22 : Convertimini, filii, revertentes, et sanabo aversiones vestras. Malach. iii, 7 : Revertimini ad me, et ego revertar ad vos.* Sed quia non sunt conversi, dicitur, Amos, ii, 4 : *Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum, eo quod abjecerit legem Domini, et mandata ejus non custodierit. Jerem. xxx, 13 : Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Non est qui judicet iudicium tuum ad alligandum : curationum utilitas non est tibi. Et, ibidem, infra, x. 15 : Insanabilis est dolor tuus : propter multitudinem iniquitatis tuæ, et propter dura peccata tua feci hæc tibi.*

« Vestri autem beati oculi, quia vident, et aures vestræ, quia audiunt. 10

Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt. » 17

Tertia pars, in qua beatificat eos quibus datum est nosse mysterium regni Dei.

Et tangit duo : primum est beatificatio talium, et quia hoc habenti datur veritas : ideo in secundo exponit ad nudum intellectum, quod dixerat aliis parabolicum.

Beatificatio autem talium in duobus est : absolute enim beatificat eorum sen-

sus disciplinabiles, et comparative. Et hæc patent in littera.

Dicit igitur :

« Vestri autem beati oculi, quia vident. »

Ista patent per antecedentia per oppositum accepta. Vident enim deitatem in operibus principaliter operantem. Luc. x, 23 : *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.*

« *Et aures vestræ quia audiunt,* » propositam videlicet veritatem. I Joan. i, 1 et 3 : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ... annuntiamus vobis.* Unde, Act. iv, 20, dicunt : *Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui.*

« Amen quippe dico vobis. »

Beatificatio est ex comparatione.

« *Quia multi Prophetæ.* » Isa. LXIV, 1 : *Utinam dirumperes cælos, et descenderes.* Et David, Psal. CXLII, 5 : *Inclina cælos tuos, et descende.* Et alii multi. Moyses, Exod. IV, 13 : *Mitte quem missurus es.* « *Et justii.* » Luc. x, 24, dicuntur reges eo quod rex animarum est justum. Tob. XIII, 20 : *Beatus ero si fuerint reliquix seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem.* Isa. XXXVIII, 10 : *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.*

Et multi alii « *cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt.* » Contra, Joan. VIII, 56 : *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est.* Eccli. XLVIII, 27, de Isaia dicitur : *Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion.* RESPONSIO. Loquitur de corporali præsentia, in qua apparet præsentia deitatis secundum potestatem operum, et secundum veritatem sapientiæ sermonem. Ad Hebr. XI, 13 : *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a*

longe eas adspicientes, et salutantes, et confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram.

Sed adhuc contrarium videtur quod dicitur, Exod. XX, 19 : *Loquere tu nobis, et audiemus : non loquatur nobis Dominus.* Job, XLII, 5 : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Genes. XXXII, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem.* RESPONSIO. Illa omnia per ministeria Angelorum, et per inspirationem facta sunt, et non per corporalem præsentiam, in qua deitas agnoscitur. Ad Hebræos, I, 1 et 2 : *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

« Vos ergo audite parabolam seminantis. » **18**

Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus : hic est qui secus viam seminatus est. **19**

Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud : **20**

Non habet autem in se radicem, sed est temporalis : facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. **21**

Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. **22**

Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum. » **23**

Secunda pars, in qua explanat parabo-

lam inductam eodem ordine, quo inducta est : et ideo patet divisio.

Dicit ergo : « Vos, » quibus datum est nosse regni mysterium, « audite, » vestris auribus. Proverb. xx, 12 : *Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque.* « Parabolam, » hoc est, ejus, qui rerum sator est omnium. Joan. xv, 1 : *Pater meus agricola est.*

« Omnis qui audit verbum regni, »

Auditu exteriori, et ponit tantum in via sensus in propatulo, « *et non intelligit* » in profundo cordis. Aggæi, 1, 6 : *Seminastis multum, et intulistis parum... : et qui mercedes congregavit, misit eas in saccum pertusum.* « *Venit malus,* » antonomastice. Malus dicitur diabolus, hic venit per suggestionem. « *Et rapit.* » Violentiam sonat, et velocitatem raptus : quia etiam aliquando tentans rapit diabolus, qui vehementiam dilectionis aufert et subito. Judicum, vi, 3 et 4 : *Cum sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalec, cæterique orientalium nationum... : et sicut erant in herbis cuncta vastabant.* Psal. vii, 3 : *Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.* « *Hic est qui secus viam seminatus est.* »

Sed cum dixerit de seminato semine, cur hic exponit de homine seminato? Et ad hoc dicendum, quod in veritate istud semen seminatur in homine, et attrahit sibi hominem totum : et ideo homo totus efficitur cum semine seminatus. Et ita (alias, ideo) subjungit hic. Præterea, Dei verbum non potest colligere diabolus, quia illud perire non potest : sed colligit hominem qui cum verbo deberet fructificare : et ideo dicitur cecidisse secus viam, Joan. x, 12 : *Lupus rapit.* Ideo autem raptum est, quia in profundum cordis non est contactum : sed parum tetigit secus viam delectabilium mundanorum. Daniel. vii, 7 : *Dentes ferreos habebat*

magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans.

« Qui autem super petrosa seminatus est. »

Act. vii, 51 : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* « *Hic est qui verbum audit* » auditu exteriori, « *et continuo,* » ex levitate potius quam virtute, « *cum gaudio suscipit illud,* » propter dispersum loci calorem, qui in profundo non congregatur et continetur, sed in superficie est dispersus, et dispergit terram. Potius enim primo erat suscipiendum cum gemitu pro peccato. Isa. xxvi, 17 et 18 : *A facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum, scilicet salutis.* Joan. xvi, 20 : *Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

« Non autem habet in se radicem. »

Psal. li, 7 : *Evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo : et radicem tuam de terra viventium.* Isa. xl, 24 : *Et quidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum : repente flavit in eos, et aruerunt, et turbo quasi stipulam auferet eos.*

« *Sed est temporalis,* » quia in lapide crescens non crescit nisi ad tempus modicum, quo durat humor superficialis. Luc. viii, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Psal. cxxviii, 6 : *Fiant sicut fenum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit.*

« *Facta autem tribulatione* » pœnarum, « *et persecutione* » exsiliorum. Vel, « *tribulatione* » tentationum, « *et persecutione* » agitationum de uno in aliud sine quiete. Thren. v, 5 : *Cervicibus nostris minabamur, lassus non dabatur requies.* Psal. cxlii, 3 : *Persecutus est inimicus animam meam.* « *Propter verbum.* » Joan. xv, 20 : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Apocal. vi, 9 : *Vidi*

subtus altare, Dei scilicet, animas intersectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant. Sic Pharao persecutus est filios Israel propter verbum, quod mandavit ad eos Dominus¹. « *Continuo scandalizatur,* » hoc est, impingit, et cadit. Matthæi, xxiv, 10 : *Scandalizabuntur multi, et invicem tradent.* Job, iv, 5 : *Venit super te plaga, et defecisti : teligit te, et conturbatus es.* Levit. xxvi, 36 : *Terrebit eos sonitus folii volantis.*

« Qui autem seminatus est in spinis, etc. »

Ad Hebr. vi, 8 : *Terra proferens spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima.* « *Hic est, qui verbum Dei audit,* » auditu aliis præpedito.

« *Et sollicitudo sæculi istius,* » hoc est, eorum quæ sunt in sæculo : quæ sunt divitiæ, deliciae, et honores. I ad Corinth. vii, 33 : *Sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* « *Et fallacia divitiarum,* » quia decipiunt, non solvendo sufficientiam, quam promittunt. I ad Timoth. vi, 17 : *Divitibus præcipe hujus sæculi non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum.* Eccli. xxxiv, 1 et 2 : *Vana spes, et mendacium homini insensato.... Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia.* Proverb. x, 4 : *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos.* « *Suffocat,* » hoc est, exstinguit « *verbum, et* » ideo « *sine fructu efficitur.* » Sapient. iii, 11 : *Vacua spes illorum, et labores sine fructu.*

« Qui vero in terram bonam seminatus est, etc. »

Numer. xiv, 7 : *Terra quam circumvimus, valde bona est.* « *Hic est qui audit verbum.* » Joan. viii, 47 : *Qui ex Deo*

est, verba Dei audit. « *Et intelligit,* » intus legit. Psal. cxviii, 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* « *Et fructum affert.* » Jerem. xvii, 8 : *In tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.*

« *Et facit aliud quidem centesimum.* » Et hic fructus sapientiæ in contemplatione Virginum. Quia, ut dicit Augustinus, « *Virginitas est in carne corruptibili* » « *incorruptionis divinæ perpetua mediatio.* » Proverb. iii, 13 et 14 : *Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi et purissimi fructus ejus.*

« *Aliud autem sexagesimum.* »

Hic est fructus justitiæ in operibus misericordiæ Viduarum. Jacob. iii, 18 : *Fructus autem justitiæ in pace seminatur, facientibus pacem.*

« *Aliud autem trigesimum,* » in poenitentia conjugatorum. Luc. iii, 8 : *Facite fructus dignos poenitentiae.*

Potest etiam primus referri ad Martyres, Sapient. iii, 15 : *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Eccli. xxxix, 17 : *Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivus aquarum fructificate.* Secundus Prælatorum pro aliis laborantium, II ad Timoth. ii, 6 : *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* Tertius, Religiosorum, Eccli. xxiv, 23 : *Flores mei fructus honoris et honestatis.*

Sic ergo terminata est parabolæ expositio facta ad discipulos, quibus datum est nosse veritatem nudam.

« Aliam parabolam proposuit illis, dicens : Simile factum est regnum cælorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo.

Cum autem dormirent homines,

24

¹ Cf. Exod. v et seq., passim.

venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. »

Hæc est secunda parabola, quæ est de effectu verbi significati per semen : quæ sumitur ex naturali pullulatione sui generis. Semen enim bonum pullulat in bonum, et stirps mala pullulat in malum. Scias autem, quod cum verbum Dei virtutem in se habeat ejus a quo procedit, quod quantum est de se, non pullulat nisi in divinum aliquid, sicut dicitur, I Joan. iii, 9 : *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet.* Hæc ergo parabola est de effectu proprio verbi Dei in corde hominis, vel in Ecclesia, vel in mundo, in comparatione ad mendax semen malum, quod est verbo contrarium.

Dicuntur ergo tria in hac parabola : quorum primum est seminatio duorum seminum : secundum autem distinctio stirpium, quæ apparuit in utriusque germine : tertium autem distinctio quæ facta est in messione.

In prima autem harum dicuntur duo, scilicet seminatio boni seminis, et superseminatio mali.

In prima harum duo dicit, in quorum primo parabolice loqui significat cum dicit :

« Aliam parabolam, »

Non diversitatem suscipientium verbum demonstrantem sed ostendentem diversitatem jacti seminis, « *proposuit eis.* » Bene dicit : « *Proposuit,* » quia parabola semper pro alio ponitur, quam significat secundum vocis intensionem : « *dicens.* » Marc. iv, 2 : *Docebat eos in parabolis multa, et dicebat illis in doctrina sua.* Isa. xxviii, 11 : *In loquela labii, et in lingua altera loquetur ad populum istum.*

« Simile factum est regnum cœlorum, »

Quantum ad verbum quo regitur regnum, secundum illam regni significationem quæ superius dudum est determinata. Et dicitur : « *Cœlorum,* » pluraliter, eo quod non gubernat secundum unum actum cœlestium, sed secundum omnem actum regni illius : et prodit ratio gubernationis ex cœlo, et regulat secundum cœlum, et ad cœlum dirigendo. « *Homini qui,* » in negotio privato, « *seminavit bonum semen in agro suo :* » ita quod ager regno, et verbum semini proportionetur. Seminare autem, sicut ante dictum est, actus est seminantis : et secundum ipsum semen ab eo qui seminat, procedit (alias, procidit). Et in hoc notatur processus verbi ex Patre, primo rerum seminatore : et hoc fuit, quando, Genes. i, 3 et seq., dixit, *Fiat lux,* etc. : hoc est, verbum genuit, in quo verbo erat, sicut in arte et semine, ut fieret secundum formam quæ dat esse et bonum, quidquid factum est in rerum natura. Omnia enim illa in forma verbi *vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Et sic semen istud in homine bonam dedit formam et virtutem innocentiae et immortalitatis. Proverb. xi, 18 : *Seminanti justitiam merces fidelis.*

Et secundum hoc, ager est mundus communiter, et specialiter natura humana. Sic enim semen universaliter bonum fuit, virtutem bonitatis suæ naturæ humanæ infundens, et ipsam totaliter ad se convertens. Psal. lx, 21 : *Populus tuus omnes justi in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Sic enim primo nostra natura seminata est. Isa. vi, 13 : *Semen sanctum erit id quod steterit in ea.* De agro autem dicitur, Genes. xxvii, 27 : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Psal. xlix, 11 : *Pulchritudo agri mecum est.* Optimus enim ager in nulla parte degenerans, Dei manibus formatus et excultus verbum (alias, verbo) Dei, quod similitudo Dei est, in semen suscipiens : semen sanctum susceptum in ger

men divinæ plantationis. Et erat tunc hortus, de quo dicit Sapientia, Eccli. xxiv, 42: *Dixi: Rigabo hortum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.*

« Cum autem dormirent homines. »

Hæc est superseminatio. Dormitio autem est torpor per negligentias duas, a verbi contemplatione, et a verbi virtute, ad quam homo in affectu et opere se non exercet, ut totum cordis agrum occupet, mente per contemplationem, cor per meditationem, voluntatem per amorem, vires omnes per virtutem, totum hominem per singulorum membrorum ad formam verbi congruam operationem. Proverb. vi, 9: *Usquequo, piger, dormies? quando consurges de somno tuo?* I ad Thessal. v, 6: *Non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus, et sobrii simus.*

« Venit, » per suggestionem, « inimicus, » diabolus, qui omni inimicatur operi divino. Exod. xv, 9: *Dixit inimicus: Persequar et comprehendam, et dividam spolia.* Psal. cxlii, 3: *Persecutus est inimicus animam meam.*

« Et superseminavit. » Bene dicit: *Superseminavit,* quia vitium, profundum cordis non penetrat, eo quod immateriale est sicut semen Dei: sed in sensibus illudit, et spargit radices: cui tamen fundus cordis synderesis semper contradicit. Hoc notatur, Proverb. xxiv, 31, ubi dicitur, quod agrum pigri *repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.* Ad Roman. vii, 22 et 23: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et hoc est: « Zizania, » verba, sensus et rationem oppilans, et ad insaniam convertens. Et significat errorem contra verbi veritatem, insaniam concupiscentiæ carnis et mundi contra verbi virtutem, et perversitatem contra verbi ordinem in opere bono. Sapient. xii, 10 et 11: *Nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non*

poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio. « In medio tritici, » ut undique triticum detineat, et impediatur: semen enim malum undique impedit bonum, quia totum agrum inficit. Job, xxi, 7 et 8: *Quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum.*

« Et abiit, » hoc est, se ad occultum retraxit: ita quod id quod est seminarium hostis, aliquando videtur esse partus proprii cordis, propter mali consuetudinem. Psal. x secundum Hebræos, 9: *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.*

Sic ergo quinque facit diabolus: clam enim venit, clam se abscondit, inimicitias perpetuas gerit, superficiem sensuum per quos in opus pullulare seges Dei debuit zizaniis operuit, undique malum semen impediens bonum semen seminavit. Ad Hebr. xii, 15: *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur, et per illam inquinentur multi.*

« Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. »

26

Secundum est ubi pullulantium seminum ostenditur diversitas. Et dicit tria: appropriationem pullulantium, admirationem intuentium, et iudicium patrisfamilias de non evellenda statim zizania, sed cum tritico sinenda crescere usque ad messem.

De primo horum dicit: « Cum autem crevisset herba, » boni seminis scilicet. Hoc significatum est, Genes. xli, 5: *Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formosæ:* quæ septem spicæ significant omnes honorum congregationes. » *Et fructum fecisset,* hoc est folliculos, et aristas, sive spicas, in quibus fructum faceret, formasset. Act. v, 14: *Augebatur credentium in Domino multi-*

tudo virorum ac mulierum. Act. xi, 20 et 21 : *Loquebantur et ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum... Multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.* Joan. iv, 39 et seq. : *Ex civitate autem illa Samaritanorum... multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. Et mulieri dicebant : Quia jam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi.*

« *Tunc apparuerunt simul et zizania* » errorum et vitiorum. I ad Corinth. xi, 19 : *Oportet et hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Et hoc significatum est, Genes. xli, 6, ubi cum pulchris spicis apparuerunt *septem aliæ spicæ tenues et percussæ uredine, devorantes omnem priorum pulchritudinem.* Act. xv, 1 : *Quidam descendentes de Judæa, docebant fratres : Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.* Et hoc significat scissura pallii Prophetæ Ahie, III Reg. xi, 30 et 31, qui *pallium suum novum, quo opertus erat, scidit in duodecim partes : et ait ad Jeroboam : Tolle tibi decem scissuras.* Decem scissuræ significant scissam obedientiam Decalogi, quæ est zizania : duæ autem remanent in domo David, quæ informatæ sunt veritate et dilectione, veritate scilicet fidei, et forma charitatis.

27 « Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo ? Unde ergo habet zizania ? »

28 Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit. »

Ecce admiratio contemplantium et collaborantium servorum. Et sunt duæ quæstiones, et duo judicia domini. Una quæstio est de origine, et hanc solvit agri dominus : alia quæstio est de voluntate domini de extirpandis zizaniis,

ut patebit : quia tales divisiones leves sunt valde.

Dicunt ergo : « *Accedentes autem,* » per devotionis orationem, et admirationis contemplationem, et zeli indignationem, « *servi,* » custodes agrorum, hoc est, animarum, « *patrisfamilias,* » Dei Patris, « *dixerunt.* » Jerem. xii, 1 et 2 : *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum : verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur : bene est omnibus qui prævaricantur, et inique agunt ? Plantasti eos, et radicem miserunt : proficiunt et faciunt fructum.*

Et hoc est : « *Domine,* » qui omnium bonorum et malorum es Dominus. Ad Roman. x, 12 : *Idem Dominus omnium.* « *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo.* » Non enim habes malum semen : quia non habes semen, nisi quod ex te procedit, quod divinum verbum est, a quo procedit spiritus vitæ in omnes stirpes. Isa. lxv, 23 : *Semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis.* Eccli. xlii, 11 et seq. : *Cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum : et filii eorum propter illos usque in æternum manent : semen eorum et gloria eorum non derelinquetur.* Ex quo igitur sic bonum ex bono oritur : et *non potest arbor bona malos fructus facere*, sicut, supra, vii, 18, dictum est. « *Unde ergo habet zizania ?* » Et hoc est quærere, unde mali sit ortus ? Sapient. i, 13 et 16 : *Deus mortem non fecit... Impii autem manibus et verbis accersierunt illam.*

Et hoc est quod dicit :

« Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit. »

Diabolus *inimicus homo* dicitur, quia devicit hominem. Psal. cxxxix, 2 : *Eripe me, Domine, ab homine malo : a viro iniquo eripe me.* Hic est inimicus, Genes. iii, 15 : *Inimicitias ponam inter*

te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Vel, dicitur « *inimicus homo* » hoc facere, quia diabolus non facit hoc, nisi in homine et cum homine. Unde ex consensu est inimicus, et in facto est homo malus. Joan. XIII, 2 : *Cum diabolus jam misisset in cor Simonis ut traderet eum Judas Iscariotæ.*

« Servi autem dixerunt ei : Vis, imus et colligimus ea ? »

Et ait : Non : ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.

Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum : triticum autem congregate in horreum meum. »

Ecce secunda quæstio de inquisitione voluntatis de exstirpandis zizaniis.

Et hoc dixerunt zelo indignationis : « *Vis, imus et colligimus ea ?* » Intelligunt de collectione in fasciculos ad comburendum, ne amplius germinent. Luc. IX, 54 : *Vis dicimus ut ignis descendat de cælo, et consumat illos ?*

« Et ait : Non, etc. »

Luc. IX, 55 et 56 : *Conversus Dominus increpavit illos, dicens : Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* « *Ne forte colligentes,* » hoc est, colligere intendentes « *zizania,* » errantes vel hæresi, vel vita, « *eradicetis simul et triticum.* » *Eradicetis,* dicit : quia cum homo occiditur, non amplius revertitur ad statum merendi. Job, VII, 7 : *Non revertetur oculus meus ut videat bona.* Argumentum est hic, quia potius sinendi sunt mali vivere, quam timor sit quod aliqui lædantur innocentes. Genes. XVIII, 25 : *Absit a te, Domine, ut rem hanc facias, et occidas justum cum im-*

pio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum : qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc. Tamen Augustinus vult, quod « *triticum hic* » dicitur, qui potest fieri triticum. » Joel. II, 14 : *Quis scit, si convertatur, et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem.* Et hoc est verum, quamdiu aliqua est probabilitas conversionis : et hoc est post trinam admonitionem. Ad Titum, III, 10 et 11 : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devota : sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.*

Certificatus de voluntate sua servis dat judicium discretionis, dicens :

« Sinite utraque crescere usque ad messem, etc. »

Vel ultimam generalis judicii sententiam, vel usque ad sententiam hominis diffinitivam, quando scitur esse subversus, et desperatur de correptione. Et tunc lex implenda est, Exod. XXII, 18 : *Maleficos non patieris vivere.* Levit. XXIV, 14 : *Educ blasphemum extra castra..., et lapidet eum omnis populus.*

Et hoc est quod dicit : « *Et in tempore messis,* » hoc est, sui judicii, quando reatus vindicandus est, « *dicam messoribus,* » Angelis, vel iudicibus, qui etiam Angeli, hoc est, nuntii Dei sunt. Ad Roman. XIII, 4 : *Dei minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Josue, VII, 25 : *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac.* Apocal. XIV, 15 : *Mitte falcem tuam, et mete : quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ.*

« *Colligite primum zizania.* » Isa. XXIV, 22 : *Congregabuntur congregatione unius facis in lacum.* Isa. XXXII, 10 : *Consummata est vindemia, collectio ultra veniet.* « *In fasciculos.* » Quia licet omnes colligentur in unum magnum fascem, tamen pro qualitate culparum quilibet suam habebit colligationem.

Matth. xxii, 13 : *Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores. « Ad comburendum. »* Deuter. xxxii, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima : devorabitque terram cum germine suo.*

Videtur autem falsum, quod dicitur, « *primum,* » quia, Infra, xxv, 34, primo dicit : *Venite, benedicti,* etc.

RESPONSIO. Primo vocabit ad se electos : sed antequam ascendat in cælum in præsentia eorum, mittet ad comburendum reprobos : et tunc *lætabitur justus, cum viderit vindictam* ¹ : et tunc demum ascendet Christus homo cum bonis.

Et hoc est autem, quod dicit : « *Triticum autem congregate in horreum meum.* » Hoc enim facient Angeli ut ministri, et Christus ut caput et auctor. Baruch, iii, 24 : *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus !* quia licet in hac domo mansiones multæ sunt ², tamen unum est horreum commune. Sic ergo perditur zizania ex toto, sicut dicitur, Isa. xiv, 20 et 21 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum. Præparate filios ejus occisioni, in iniquitate patrum suorum : non consurgent, nec hæreditabunt terram,* etc. Triticum autem colligitur ex toto. Supra, iii, 12 : *Permundabit aream suam, et congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.*

31 « Aliam parabolam proposuit eis, dicens : Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo. »

Proposuit autem novam parabolam, ut similitudinibus consideratis viderent

quantam fides haberet efficaciam.

« *Simile est regnum cælorum.* » Tria sunt quæ accipit in similitudine : seminationem seminis, incrementum, et perfectionem ejusdem.

In primo dicit quid, cui, et in quo assimilat.

Quid ? « *Regnum cælorum.* » Non enim regnum cælorum est sicut regna aliarum potestatum. Aliarum enim potestatum regna et leges coactiva obligant virtute : cælorum autem regna virtute quadam amativa nos alliciunt, et obtinendo nos vindicant sibi : nec uni cælesti rectitudini conformant, sed omni. Ita ut dicamus, ut Apostolus ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cælis est.* Sic enim dicitur, Isa. xxxii, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt.* Et quia cælestia numquam inordinata sunt, sicut dicitur, Daniel. vii, 14 : *Regnum ejus, quod non corrumpetur.*

Cui ? Hoc autem regnum cælorum « *simile est grano sinapis.* » Ut in grano notetur puritas, et fœcunditas fidei : et in sinapi notetur virtus ejusdem. Sinapis enim proprietates sunt, quod valde subtilis est substantiæ, et ideo multum dilatatur quando conteritur : et acuta, et per hoc penetrativa est : etiam dissolutiva viscositatum, et vaporativa valde, et ideo statim obtinet cerebrum. Est etiam mordificativum : et hæc habet verbum fidei, quæ subtilissimæ est substantiæ in articulis, qui omnes sunt de Trinitate. Dilatatur autem ad æterna et temporalia et gaudia et pœnas. Conteritur autem per meditationem eorum quæ creduntur. Et est acuta valde per veritatem quæ est subjectum et causa ejus : per illam enim est *penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus* ³. Et est dissolutivum concupiscentiarum, et vaporativum per spiritum charitatem : quia spirat spiritum vitæ,

¹ Psal. lvii, 11.

² Joan. xiv, 2.

³ Ad Hebr. iv, 12.

et obtinet statim altiora nostri intellectus. Unde dicitur, Matth. xvii, 19 : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc ibi, et transibit : et nihil impossibile erit vobis*¹.

Et tangit in quo est simile, dicens : « *Quod accipiens homo seminavit in agro suo.* » Acceptio autem sonat consensum : quia cætera potest non volens, credere non nisi volens. Joan. xi, 40 : *Si credideris, videbis gloriam Dei.* « *Homo* » autem notat intellectum veritatis, quia fides illuminatio est intellectus ad æterna contuenda. Psal. xxxv, 10 : *In lumine tuo videbimus lumen.* Luc. ii, 32 : *Lumen ad revelationem gentium,* etc. *Seminatio* autem notat dispersionem, quia fides vult spargi per verbum fidei. Isa. xxvii, 6 : *Implebunt faciem orbis semine.* Isa. liii, 10 : *Videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* *Ager* autem cordis notat optimam exercitationem per disciplinam. Malach. iii, 12 : *Beatos vos dicent omnes gentes : eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.*

« *Quod minimum quidem est omnibus seminibus : cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, et habitent in ramis ejus.* »

Tangit hic incrementum. Tangit autem tria : unde crescit, quia ex minimo : et incrementum ipsum : et incrementi quantitatem.

De primo autem dubium est secundum litteram, quia dicit : « *Quod minimum est.* » Et hoc non videtur : quia granum papaveris est multo minus : et semen rutæ et hujusmodi herbarum plurimarum.

¹ Cf. Marc. xi, 23.

² Vel melius, *germen.*

RESPONSIO. Minimum est non simpliciter, sed respectu ejus, quod producit. Et ad hoc intelligendum sciendum est, quod aliud est herba, et aliud olus, et aliud gramen², et aliud frutex, et aliud arbor : et hæc differunt in eadem specie plantæ existentia. Primum quidem in genere quorundam est *gramen*³ : et hoc est, quando primum ex radice mergunt ad modum gladiatorum folia per se ipsa, et non per coctilidones radici adjuncta. *Herba* autem quando habet multa folia : quæ non nisi coctilidonibus adjunguntur uni radici, sicut est in petroselino, quod postquam gramen esse desinit, fit herba : et similiter sinapis. Sed *olus* idem efficitur, quando stipitem non ligneum producit ex radice, et in illo stipite multos ramos et folia in ramis. *Frutex* vero est, quando multos producit ex una radice stipites, sicut juniperus, et hoc faciunt multa. *Arbor* tandem est, quando stipes in ligni duritiam convertitur, et ex illo rami et virgæ in ramis, et in virgis sceptra, sive palmites, seu flagra quædam producuntur.

Dicendum igitur, quod proportione habita ad ea quæ ex ipso producuntur, minimum est : quia licet papaver sit minus, tamen stipes ejus non lignescit sicut sinapis : et licet rutæ stipes lignescat, non tamen sic in altum consurgit : et frutici magis quam arbori similatur, quia multi in ruta stipites de una radice egrediuntur. Ista minoritas fidei significat humilitatem, quæ est in cruce Salvatoris. Luc. xviii, 14 : *Qui se humiliat, exaltabitur* Ad Philip. ii, 7 et 8 : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens, Patri scilicet usque ad mortem, mortem autem crucis.* Psal. xxiv, 18 : *Vide humilitatem meam, et laborem meum.* Supra, xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Omnibus enim minimis

³ Idem.

seminibus minus est verbum fidei : nulla enim doctrina tam humilibus innitur. I ad Corinth. 1, 23 : *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Et, Ibidem, 21 : *Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Nulla autem alicujus quantumvis parvi Doctoris a tam humilibus confirmatur : quia ista sunt stultitia contra mundi sapientiam, et mortis probrosæ infirmitas contra mundi fortitudinem. Est ergo granum parvum in sapientia mundi, minus in potentia, sed minimum in superbia et fastu sæculi. Contra primum, I ad Corinth. 1, 27 : *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* Contra secundum, I ad Corinth. 1, 27 : *Et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Contra tertium, I ad Corinth. 1, 28 et 29 : *Ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus.* Ab hoc ergo minimo crescit.

Et hoc est quod sequitur :

« Cum autem creverit, »

In devotione vocatorum et electorum : tunc mutat herbæ humilitatem, paulatim exurgens in olus. Et ideo dicit : « *Majus est omnibus oleribus.* » Est autem calidum, vaporativum vehementer, et multiplicabile : et quia calidum, fortissime per radicem trahit succum : et quia vaporans, ascendit fortissime in altum : et quia subtilis substantiæ multiplicabile, fortiter extenditur in ramos, implens illud Ezechiel. xxxvi, 8 : *Vos, montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel.* Sic enim Filius hominis in corde

fidelium exaltabitur a terra, et omnia trahet ad seipsum ¹. Sic, *gloriatur frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua* ². Sic, Isa. iv, 2 : *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis.* Sic stultitia convertitur in sapientiam, quam Paulus, I ad Corinth. ii, 13 et 14, loquitur inter perfectos. Sic infirmitas transit et in fortitudinem, Isa. lxi, 3 : *Vocabuntur in ea fortes justitiæ.* Sic dedecus transit in honorem, ita quod dicat Paulus, ad Galat. vi, 14 : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Sic enim omne genu flectitur in nomine Domini, et omnis lingua confitetur quia Jesus Christus in gloria est Dei Patris ³.

« Et fit arbor, etc. »

Hic tangit tertio perfectionem : quia ligneo jam roborato stipite radici infixio multos profert ramos, et in ramis virgas et flagra totum mundum occupans, sicut arbor quam in medio terræ stantem vidit Daniel. iv, 7 et seq. Extendit enim palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus : et est lignum vitæ in medio Paradisi ⁴. Lignum existens educens suos de Ægypto in manu legislatoris, et virga in qua fiunt signa ⁵. Et non solum in ista perfectione est in se ipsa, sed et « *volucres,* » contemplativi cælum petentes, « *veniunt* » per esuriam et desiderium quiescendi cum Angelis : quibus Patriarcha, Genes. xviii, 4, dixit : *Requiescite sub arbore.* « *Et habitant in ramis ejus,* » hoc est, divisiones virtutum crucis : et gustant fructum ventris virginialis pendentem in ea. Canticor. vii, 8 : *Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam fructum ejus.*

¹ Joan. xii, 32 : *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*

² Jacob 1, 9 et 10.

³ Cf. ad Philip. ii, 10 et 11.

⁴ Cf. Genes. ii, 9.

⁵ Cf. Exod. xiii, et xv.

« Aliam parabolam locutus est eis : Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentatum est totum. »

Hæc est prima parabola de his quæ docent profectum virtutis : et quia tres sunt virtutis profectus, scilicet secundum virtutis formam, et secundum virtutis naturam (alias, materiam) sive substantiam ¹, et secundum virtutis finem, qui est Christus, secundum quod est objectum felicitatis Sanctorum ² : ideo tres inducuntur per ordinem parabolæ : et per hoc patet divisio.

Ista autem sumitur penes profectum virtutis in forma virtutis quæ est charitas, quæ per fermenti naturam significatur : de qua dicit tria, cui scilicet regnum assimilatur, et in quo, et quo effectu.

De primo dicit : « *Simile est regnum cœlorum,* » quo formaliter regnamus in cœlis. Apocal. v, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum... : et regnabimus super terram.*

« *Fermento.* » Ecce cui assimilatur. Calor fermenti, ut dicit Philosophus, humidum panis maturat, spirituale facit, levat, sapidum reddit, digestionem præparat. Et hæc omnia facit charitas, de qua parabola ista secundum Rabanum exponitur. Hæc enim maturat hominis cor crudum, ut sit viscerosum et affectuosum : et ad spiritualitatem convertit. Sicut ipse Spiritus sancti est calor, levat et alleviat cor ad cœlestia, et præparat nos, ut facile incorporemur Christo. Huius autem signum, ut dicit Philosophus, quia nemo de fermento secundum substantiam materialem aliquid in pane facto invenit : quia totum spirat in spiritum, et ubique per pastam diffunditur, sicut spiritus diffunditur in corpore : quia aliter tam modica massa non totam

massam pastæ alteraret, et ad se converteret : et ideo per hoc in nostris debet esse sacrificiis. Dominus præcipit, Levit. vii, 13, quod offerant panes fermentatos cum hostia gratiarum pro pacificis calefaciendo. Omnia præinducta facit charitas, sicut et fermentum.

Deinde tangit, in quo est simile, cum dicit :

« Quod acceptum. »

Et dicit quatuor, quorum primum est charitatis, in qua est gratia : et hoc notat, cum dicit : « *Quod acceptum,* etc. » Joan. i, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* I ad Corinth. iv, 7 : *Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?*

Secundum est gratiæ per effectum, quando dicit : « *Mulier.* » Molliens herum Deum est sapientia divina in corde hominis inspirata. Sapient. vii, 27 : *Per nationes sapientia in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.* Neminem enim Deus diligit, nisi qui cum sapientia inhabitat. Ruth, iii, 11 : *Scit omnis populus... mulierem te esse virtutis.*

Tertium est opus mulieris sapientiæ in fermento charitatis : et hoc est, quod dicit : « *Abscondit.* » Absconditur autem, quando commiscetur, et diffunditur in virtutibus omnibus : ita quod totum ingrediatur, et totum maturet, et cætera perficiat, quæ ante diximus. Ad Roman. v, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* IV Reg. 5 et 6, mulier infundit oleum in omnia vasa.

Quarto, dicit cui infunditur : « *In farinæ satis tribus.* » Farina virtutis significat innocentiam, et gratiam ex candore, timorem ex comminatione, et confortationem ex effectu. Gratia enim candet,

¹ Cf. parabolam sequentem, §. 44 hujus capituli.

² Idem, §§. 43 et seq.

et timore conteritur tota die, et scindit cor, sicut dicitur, Joel, II, 13¹. Et effectu roborat. Hæc est farina, quæ in hydria viduæ non defecit². Hæc etiam est, quam Eliseus in ollam mitti jussit, et postea non fuit quidquam amaritudinis in olla³. Levit. XXIII, 16 et 17 : *Sic offeretis sacrificium Domino novum. Ex omnibus habitaculis vestris panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ.* Duo autem panes sunt duo genera virtutum, theologica, et politica. Hæc farina sata habet tria : satum autem genus mensura est modium et dimidium capiens : tria autem sata dicuntur ratione trium personarum Dei, in quas virtutes dirigunt : aut ratione trium animæ potentiarum, rationalis, irascibilis et concupiscibilis, quas ipsæ virtutes implent : aut ratione trium generum virtutum quæ nos perficiunt in opere, quæ sunt moralis, intellectualis, et heroica. Moralis enim ordinat passiones et opera : intellectualis, conceptus (alias, conceptiones) et electiones : heroica autem vires animales ad mentis metas cohibet. Luc. XIII, 20 et 21 : *Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria.*

Tertio, tangit quo effectu sit ista comparatio : « *Donec fermentatum est totum,* » hoc est, calore charitatis totum inflammatur, et Spiritu sancto infundatur. Act. II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Est autem fermentum erroris et corruptionis, secundum quod fermentum est antiqua corrupta pasta : et secundum has proprietates non loquitur hic de fermento : sed de fermento erroris dicitur, Osee, VII, 4 : *Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum.* De fermento corruptionis, I ad Corinth. V, 6 : *Nescitis quia*

modicum fermentum totam massam corrumpit ? Sed quia hoc non pertinet ad propositum, dimittatur, donec de eo sit locus tractandi.

« Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas : et sine parabolis non loquebatur eis,

Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi* ⁴. »

Postquam tres parabolas in communi turbis juxta mare ad communem ædificationem proposuit, hic post omnes concludit, quæ sit ratio parabolarum : et per unius explanationem omnes alias se explanasse ostendit. Et ideo hæc (quæ dicta sunt) duo in ista parte facit, sicut patet in littera.

Primum autem ostendit parabolici sermonis ad turbas rationem : et ideo duo dicit, scilicet, quod parabolice loquebatur, et probat sic debere fieri per auctoritatem.

In primo horum duo dicit : affirmationem factorum, et generaliter debere intelligi semper ita Dominum fuisse locutum.

Dicit igitur : « *Hæc autem omnia locutus est Jesus in parabolis :* » quæ licet numero parabolarum non sint multa, significatione tamen earumdem valde sunt infinita. Proverb. I, 6 : *Animadvertet parabolam, et interpretationem, verba sapientium, et ænigmata eorum.* « *Ad turbas,* » quorum fuerunt carnalia corda, et quibus factorum similitudines facilius persuadent quam verba.

« *Et sine parabola non locutus est eis.* » Ecce generaliter innuit, qualiter

¹ Joel, II, 13 : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.*

² Cf. III Reg. XVII, 16.

³ Cf. IV Reg. IV, 41.

⁴ Vulgata habet. Psal. LXXVII, 2 : *Aperiam in parabolis os meum : loquar propositiones ab initio.*

se in omnibus divina sapientia rusticæ simplicitati coaptavit: et in signum hujus mater sapientiæ Verbum Dei parabolam factam in carne assumpta, pannis pauperibus involvit, et reclinavit in præsepio¹: quia homo comparatus jumentis insipientibus verbi æterni pabulum non caperet, nisi panniculis similitudinum humanarum involutum esset.

« Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem. »

David in Psalmo LXXVII, 2: « *Aperiam in parabolis os meum,* » magna dicturus (alias docturus): « *eructabo,* » cum affectu, conceptum intellectus exprimens: hoc enim sonat eructatio, quæ de stomacho vaporem cibi emittit. Psal. XLIV, 2: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Psal. XVIII, 3: *Dies diei eructat verbum,* cum sapientia perfectis luce intelligentiæ fulgentibus mysterium regni Dei ostendit, sed *nox nocti indicat scientiam,* quando parabolis obvolutus, sermo rusticam mentem, quæ obscura est instruit. « *Abcondita a constitutione mundi.* » Sapientiam enim Dei in mysterio verbi absconditam, omnia quæcumque dixit et fecit Deus, loquuntur. Ad Roman. I, 20: *Invisibilia Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas.* Totus enim mundus theologia est homini, dum *cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*².

« Tunc dimissis turbis, venit in domum, et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. »

Ecce secundum, ubi venit ad explanationem seorsum discipulis: nam « *venit in domum,* » indicans discipulos aliquando

etiam debere familiaribus intendere, et sibi vacare. Genes. xxx, 30: *Justum est ut aliquando provideam domui meæ.* Sapient. VIII, 16: *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa,* scilicet sapientia: *non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius.*

« *Et accesserunt,* » desiderio studendi et discendæ veritatis. Psal. XXXIII, 12, 6: *Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos... Accedite ad eum, et illuminamini: et facies vestræ non confundentur.* « *Discipuli ejus,* » a doctrinis ejus imbuendi: et ideo nomen habentes discipulorum. « *Dicentes,* » hoc est, instrui petentes: « *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* » De hac potius quærunt quam de alia: quia hæc continebat perfidorum reprobationem, et gentium fidelium implicite vocationem: ad quod plurimum volebat Apostolos esse instructos et cautos. Unde et de hoc plurima dicet inferius.

37

« Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.

38

Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam.

39

Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio sæculi est. Messores autem, Angeli sunt.

40

Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi.

41

Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem,

42

Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium. »

¹ Cf. Luc. II, 6.

² Psal. XVIII, 2.

Circa istius parabolæ summalem explanationem dicit novem.

Explanat enim primo seminantem, dicens : « *Qui seminat semen bonum, est Filius hominis.* » Non modo tantum in carne veniens, sed ab initio mundi, et hodie per ora omnium loquentium de eo, quod est sapientia perfectorum et rationalium hominum, et quod est congruum pabulum jumentorum. Unde, Jerem. xxxi, 27 : *Seminabo domum Israel et domum Juda semine hominum, et semine jumentorum.* Marc. iv, 33 et 34 : *Multis parabolis loquebatur eis verbum prout poterant audire : sine parabola autem non loquebatur eis.*

Secundo, explanat agrum, dicens :

« *Ager autem est mundus.* »

Ager ab agendo dictus, eo quod actus surgat in fructum. Cantic. vii, 11 : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Psal. xxiii, 1 : *Domini est terra, et plenitudo ejus.*

Tertio, explanat bonum semen, dicens : « *Bonum vero semen, hi sunt filii regni,* » hoc est, ad regnum formati per semen : et ideo semen vocati sunt, sicut supra diximus. Psal. xxi, 31 : *Anima mea illi vivet : et semen meum serviet ipsi.*

Quarto, explanat malum semen, dicens : « *Zizania autem, filii sunt nequam,* » propter causam oppositam : quia semen diaboli ita deformat eos, quod semen suum dicuntur. Joan. viii, 44 : *Vos ex patre diabolo estis, et opera patris vestri vultis perficere.*

Et quinto, declarat inimicum, dicens :

« *Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus.* »

Daniel. xiii, 56 : *Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum.* Psal. xii, 4 et 5 : *Illumina oculos meos ne umquam obdormiam in morte : nequando dicat*

inimicus meus : Prævalui adversus eum.

Sexto, declarat messem, dicens : « *Messis vero, consummatio sæculi est :* vel universalis, quando omnes colliguntur : vel particularis, quando colligitur quilibet. Jerem. viii, 20 : *Transiit messis, finita est ætas : et nos salvati non sumus.* Est tamen alia ante illam messis, in qua fideles colliguntur per gratiam in Ecclesiam. Joan. iv, 35 : *Videte regiones, quia albæ jam sunt ad messem.*

Septimo, explanat messorum, dicens : « *Messores autem, Angeli sunt,* » quia faciunt ad collectionem cinerum eorum qui resurgent, et ad collectionem iudicandorum per ministerium. Hoc ostendit Angelus in manu falcem habens, Apocal. xiv, 14, Joel, iii, 12 : *Consurgant, et ascendant gentes in vallem Josaphat : quia ibi sedebo ut iudicem omnes gentes in circuitu.*

Octavo, tangit modum, dicens :

« *Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur.* »

Infra, xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus.* « *Sic erit in consummatione sæculi,* » quando finis erit sæculi istius. Psal. xlix, 3 : *Ignis in conspectu ejus exardescet, et inflamabit in circuitu inimicos ejus.*

Et hoc explanat ulterius, dicens :

« *Mittet Filius hominis.* »

Infra, xxiv, 31 : *Mittet Filius hominis Angelos suos cum tuba, et voce magna : et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cælorum usque ad terminos eorum.* « *Et colligent de regno ejus,* » hoc est, de societate bonorum, « *omnia scandala.* » Sapient. xiv, 9 : *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus.* Et ideo si scandalum est impietas, et impius scandalum erit. Eccli.

xxvii, 26 : *In verbis tuis dabit scandalum.* Et, Eccli. xxxii, 23 : *Ne ponas animæ tuæ scandalum.* Infra, xviii, 7 : *Væ mundo a scandalis!* Et explanat quid scandala vocat, dicens : « *Et eos qui faciunt iniquitatem.* » Job, iv, 8 et 9 : *Vidi eos..., qui seminant dolores..., flante Deo perisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos.*

« Et mittent eos in caminum ignis. »

Hoc est, in infernum, ubi ardebunt, et non depurabuntur. Malach. iv, 1 : *Ecce dies Domini veniet succensa quasi caminus : et erunt omnes superbi et omnes facientes iniquitatem stipula.*

Et tangit in camino genera pœnarum, dicens : « *Ibi erit fletus.* » Isa. lxxv, 14 : *Præ contritione spiritus ululabitis.* « *Et stridor dentium,* » quia Job, iv, 19, dicitur : *Ad nimium calorem transibunt ab aquis nivium.* Apocal. xvi, 10 et 11 : *Commanducaverunt linguas suas præ dolore : et blasphemaverunt Deum cæli præ doloribus, et vulneribus suis.*

Nono autem determinat, quali gloria colliguntur bona semina in horrea cæli, dicens :

« Tunc justii fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. »

Tangit autem quatuor : meritum scilicet, et gloriam, et honorem potestatis, et jus perpetuæ hæreditatis ex affectu Patris acquisitum.

Primum notatur in hoc, quod dicit : « *Justi.* » Justitia enim dedit lucem in merito, et ideo lucem accepit in præmio : et ideo dixit Plato, quod « justitia « est sicut hesperus clarissimi fulgoris. » Proverb. iv, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque*

in perfectam diem. Ad Philip. ii, 15 : *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Daniel. xii, 3 : *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* « *Fulgebunt sicut sol.* » In fulgore notatur mentis et corporis luminositas et agilitas : quia sine tempore in momento est ab Oriente in Occidente (alias, ad Occidentem). In sole autem notatur impassibilitas, et spiritualitas, sive subtilitas, quæ non intelligitur fieri per rarefactionem, sed per subtractionem grossitiei, et ignobilitatis : quia si ita rara essent futura corpora nostra, tunc non retinerent figuram. Et hanc hæresim missus fuit destruere beatus Gregorius in Constantinopolim. Sapient. iii, 7 : *Fulgebunt justii et tamquam scintillæ in arundinetis discurrent.* « *In regno* » autem notatur perfectio potestatis : « *Patris eorum.* » Patris autem hoc regnum dicitur, quia ex effectu (alias, affectu) ipsius jus habent hæreditatis. Ad Coloss. i, 12 et 13 : *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.*

« Qui habet aures audiendi, audiat. »

Hoc est supra expositum¹, et nota est parabolicæ locutionis. Licet hanc autem solam parabolam hic edisserat, tamen Marc. iv, 34, dicitur, quod seorsum omnia discipulis exponebat² : quia illi exercitatos habebant sensus ad capienda mysteria.

« Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. » 44

Hic tangitur secunda parabola penes

¹ Cf. enarrationem in §. 9 hujusce capituli.

² Marc. iv, 34 : *Sine parabola non loquebatur*

eis, seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.

perfectum virtutis sumpta, secundum quod profectus virtutis est studium in essentia virtutis. Et tangit hic quatuor, scilicet quid, cui, et in quo, et propter quid comparatur. Et hæc patebunt in expositione.

Quid autem comparatur?

« Est regnum cœlorum. »

Regnum, inquam, secundum quod est completa virtutis potestas et gratiæ ad cœlestis gaudii reducens gustum omne quod est in homine. Sapient. x, 10 : *Ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum : honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.* Ad Roman. xiv, 17 : *Non est regnum Dei esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.*

Hoc autem regnum assimilatur terrenis rebus, scilicet,

« Thesauro abscondito in agro. »

In quo tria notantur, quid thesaurus, qualiter absconditus, et quid ager in quo est absconditus. Thesaurus autem est studium virtutis et sapientiæ, quæ potissima est virtutum. Proverb. xxi, 20 : *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justii.* II ad Corinth. iv, 7 : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit ex virtute Dei, et non ex nobis.*

Absconditus autem est iste thesaurus in solitudine silentii, in intentione soli Deo placere desideranti, et in occultatione humili : studentem enim virtuti, sapientiæ et cœlestibus, oportet amare solitudinem silentii. Quia dicit Bernardus quod « delicata est divina consolatio, « non datur admittentibus alienam. » Isa. xlv, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Job, xxviii, 18 : *Trahitur autem sapientia de occultis.* De intentione autem, quæ soli Deo placere desiderat, supra, vi, 3 : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Et ideo dicitur, ibi-

dem, x, 6, quod intrandum est cubiculum, et clauso ostio orandus est Pater noster. Et, ibidem x, 18, quod *Pater noster qui videt in abscondito, reddet vobis.* De absconsione humilitatis dicit Gregorius quod « deprædari desiderat, « qui thesaurum in via publice portat. » Job, iii, 21 et 22 : *Quasi effodientes thesaurum : gaudentque vehementer, cum iwenerint sepulcrum,* ubi scilicet fossus est thesaurus virtutum. Proverb. ii, 4 : *Si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam.*

« In agro. » Ager est cor humanum. Jerem. xxxii, 7 : *Eme tibi agrum meum, qui est in Anathot : tibi enim competit ex propinquitate ut emas eum.* Anathoth, sub obedientia interpretatur : quia ad hoc mandata scripta sunt in corde, ut sub obedientia mandatorum sit cor humanum. In verbo enim est absconditus thesaurus, sicut dicitur, Job, xxviii, 21 : *Abscondita est ab oculis omnium viventium :* et sic dictum est quid, et cui comparatur.

Et sequitur in quo :

« Quem qui invenit homo, abscondit. »

Tria dicit : inventionem, invenientem, et occultationem.

Inventio per studium inquisitionis, hoc est, in frequentatione virtutis, et meditatione sapientiæ. Eccli. xiv, 22 : *Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspeditionem Dei.* Et, Proverb. iii, 13 et 14 : *Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi et purissimi fructus ejus.*

Inveniens autem est homo nihil irrationabile agens, sed totum quod est ad intellectum referens. Eccli. xii, 13 : *Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo.* Genes. i, 26 :

Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.

Occultatio autem est dilectio secreti ab humano tumultu. Isa. XXIIV, 16 : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Unde Judith in superioribus domus suæ habuit secretum cubiculum, in quo Deo vacabat.

Quare autem sit ista comparatio, sequitur :

« Et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. »

Et dicit quatuor : primum est de invento thesauro conceptum gaudium : secundum est ex gaudio ortum virtutis majus studium : tertium, omnium sæcularium ex jucunda possessione virtutis fastidium : quartum, terrenorum pro spiritualium comparatione oblatum pretium. Et hæc patent in littera

De primo horum dicit : « *Præ gaudio.* » Augustinus : « Gaudium est diffusio animi in conceptione et adeptione boni. » Ad Philip. IV, 4 : *Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete.* Isa. LXI, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.*

Et tangit studium, et majorem profectum, quando dicit : « *Vadit.* » Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem,* etc. Jerem. LI, 50 : *Venite, nolite stare : recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.* Ezechiel. I, 14 : *Animalia ibant, et revertentur in similitudinem fulguris coruscantis.* Et dicitur, ibidem, v. 17, *quod non revertentur cum ambularent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.* Et dicit Gregorius, quod « illæ facies sunt facies virtutum. »

Sequitur terrenorum fastidium, cum dicit : « *Et vendit universa quæ habet.* » Matth. XIX, 21 : *Vade, vende quæ habes,*

¹ Cf. Judith, viii, 5.

et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo. Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et seculi sumus te.*

Et notabile est, quod dicit, « *quæ habet,* » quia si haberetur a divitiis, non venderet eas, sed potius divitiæ venderent eum diabolo. I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli.* Adhuc notabile est quod dicit, « *universa,* » non sibi partem retinens : sicut Ananias et Saphira, qui fraudaverunt de pretio agri terreni : et ideo morti addicti sunt ².

Sequitur commutatio, cum dicit : « *Et emit agrum illum,* » Cor scilicet cum thesauro : quia cum terrenis haberi non potest. Supra, VI, 21 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Unde Plato pondus auri projecit in mare, dicens : *Melius est perdi aurum quam cor.* Proverb. XXXI, 16 et 18 : *Consideravit agrum, et emit eum : de fructu manuum suarum plantavit vineam... Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus.*

« Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. » **45**

Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. » **46**

Hic tangitur profectus in comparatione ad finem. Finis autem simpliciter est Christus. Ad Roman. X, 4 : *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.* Est autem finis citra finem, qui est terminus conjungens nos fini ultimo, et hic (alias, hæc) est veritas in intellectu de sensibus Scripturarum, sicut de conchiliis eruta : et est dulcedo bonitatis, vel vitæ cælestis in affectu de conchis studiorum collecta : Christus autem de concha uteri virginalis acceptus est : et ita ista significantur per margaritas.

Sunt autem hic notanda quinque, sci-

² Cf. Act. v, 2 et seq.

licet quid, cui, secundum quid, propter quid, et qualiter comparatur.

Quid autem dicit :

« Iterum. »

Sicut enim in studiis virtutis, et iustitiæ regni cœlorum, et in forma virtutis : ita iterum in fine comparatur terrenis, ut nihil ex eo lateat quod nobis humano modo non demonstraretur. Act. xx, 27 : *Non subterfugi, quominus annuntiare omne consilium Dei vobis.* Joan. xv, 15 : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* « *Simile est regnum cœlorum,* » hoc est, decor regni cœlorum. Sapient. v, 17 : *Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini.*

Et dicit cui :

« Homini negotiatori. »

Non negotiatur nisi homo. Ad quid ergo addit : « *Homini negotiatori?* » Dicendum, quod instruit quoniam per intellectum mentis negotiatur veritatem, et per affectum, dulcedinem : hæc enim sunt, quæ in anima superiora sunt. Proverb. xxxi, 14 : *Facta est quasi navis institoris (sive negotiatoris), de longe portans panem suum.* Luc. xix, 13 : *Negotiamini dum venio.* Negotium dicitur negans otium : quia *multam malitiam docuit otiositas*¹. Sic autem non se habet, qui quærit Christum, et ea quæ conjungunt Christo, veritatem et dulcedinem Spiritus. Sapient. viii, 2 : *Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea.*

Tangit autem in quo :

« Quærenti bonas margaritas. »

Bonæ margaritæ dicuntur colore et effectu. Colore meliores sunt : quæ splendorem aluminis pluviosi exhibent, qui est splendor argenti, cui supernat

tenuissimus fumus hyacinthinus. Splendor autem argenti est sicut si clare lucens penetrat in aquam limpida : et sic color bonæ margaritæ ex luce est clara, et perspicuitate aquæ limpida, et supernatante fumo hyacinthino tenui valde et subtili, et vix notabili. Lux autem est sapientiæ. Unde, Sapient. vii, 29 : *Luci comparata, invenitur prior.* Aqua autem est per metas puræ et refrigeratæ castitatis. Ezechiel. xxxvi, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Hujus autem signum est, quod ostrea et conchilia, quæ margaritas portant, hoc inter omnia animalia habent proprium, quod numquam coeunt, nec per commistionem generant (alias, generantur), sed potius lumine lunæ, cujus lumen est sicut argentum, ut dicunt alchimici : et hoc lumen conceptum in humido viscoso sicco format et colorat margaritam. Fumus autem hyacinthinus desuper natans, cœlestis est sapor in mente. Ad Coloss. iii, 2 : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

Natura autem margaritæ est in cœlo habere efficientem, quæ est lumen lunæ : in humore roscido (qui in ripa maris colligitur in mane) habere materiam seminalem : in conclusionem, conchilia habere locum formationis quasi matricem : in animali mundissimo et castissimo habere naturalem suæ substantiæ virtutem. Et hoc competit : quia per lumen lunæ, sicut diximus, conceptum in humido roscido, quod ex hoc quod in animali imbibitur, viscosatur et siccatur, generantur margaritæ. Sancti autem veritati et dulcedini divinæ studentes, e cœlo omnia concipiunt, splendore cœlesti omnia concipientes. Daniel. xii, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti,* humore roscido, quod infunditur ex gratia Dei in se non vacua. Isa. xxvi, 19 : *Ros lucis ros tuus, et terram,* etc. Isa. xlv, 8 : *Rorate, cœli, de-*

¹ Eccli. xxxiii, 29.

super. In mari autem hujus sæculi durantur in conchis per patientiam. Deuter. xxxiii, 19 : *Inundationem maris quasi lac sugent, thesauros absconditos arenarum.* Ad litteram, thesauri arenarum sunt margaritæ, quia inter arenas latent. In conchis autem habent matricis actum et virtutem, quia de figuris et ænigmatibus eliciunt veritatem, et inveniunt dulcedinem quasi per testitudinis apertionem. I ad Corinth. xiii, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* I Joan. iii, 2 : *Nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Ad Roman. viii, 19 : *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.* Virtus autem formans et substantians, ut ita liceat dicere, virtus est mundissimæ animalitatis : quia ex hoc quod ros cidus humor per corpus transit animalis, virtutem concipit formativam : et hoc rotundat, et naturat margaritam, et specificat eam : et talis virtus ex corpore est Sanctorum mundissimo, quia ex hoc etiam ipsa anima juvatur ad bonos et stabiles, et æternitati similes actus, et mobiles per obedientiam in omne bonum. Sapient. vii, 19 et 20 : *Sortitus sum animam bonam et corpus incoinquinatum.* Unde, Eccli. xlix, 12, dicit, quod ossa Joseph pullulabant de loco suo. Et, xlv, 14 : *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem.* Sanctum enim corpus est vas in quo multam virtutem concipit anima. Psal. lxxxiii, 3 : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.*

Effectus autem est (præcipue qui dum versus æquinoctialem veniunt) castum facere corpus et sobrium : cor confortare, præcipue contra debilitatem spiritus : et perficere animam ad bonos conceptus intelligentiarum. De primo horum dicit Apostolus, I ad Corinth. ix, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo,* etc. Ad Titum, ii, 12 et 13 : *Sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc*

sæculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei. De secundo, Ezechiel. xxxvii, 10 : *Ingressus est in ea spiritus vitæ, et vixerunt.* Genes. ii, 7 : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* De eo quod facit in anima, Psal. xxxi, 8 : *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris : firmabo super te oculos meos.* Luc. xxiv, 45 : *Tunc aperuit illis sensum, ut intellexerent Scripturas.*

Scias autem, quod optimarum margaritarum conchæ sunt odoriferæ : ita quod etiam ad pulverem thymiamatis conferuntur : et illæ dicuntur *onyxæ*, eo quod ad modum humani unguis colorantur : et hoc significat bonitatem famæ et devotionis. Eccli. xlix, 1 et 2 : *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria.*

Deinde tangit qualiter fit ista assimilatio, dicens :

« Inventa autem una pretiosa margarita, »

Hoc est, intus considerata. Sed cum, Apocal. xxi, 21, dicatur, quod *singulæ portæ erant ex singulis margaritis*, qualiter hic dicitur, quod una pretiosa sit inventa ? Dicendum, quod licet Christus veritas et dulcedo animæ sit unicus Patris et animæ fidelis, tamen semper secum habet multa pretiosa. Et hoc convenit margaritis : quia etiam in baccis concharum una pretiosior circa se habet alias circumpositas minores : propter quod etiam alio nomine margaritæ dicuntur *uniones* : et congregatio talis vocatur proprie, *margaritum fulgens*, a gemmariis. Proverb. xxv, 12 : *Inauris aurea, et margaritum fulgens, qui arguit sapientem, et aurem obedientem.* Pretiosa est ergo illa, quia nullo pretio æstimanda. Job, xxviii, 17 : *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Sapient. vii, 14 : *Infinitus enim thesaurus est illius hominibus : quo qui usi sunt,*

participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinæ dona commendati.

Deinde tangit propter quid, dicens :

« Abiit, etc. »

Et dicit tria, abire per fugam mundi : vendere omnia quæ possedit per concupiscentiæ et passionum aliarum commutationem ad virtutis studium : et emere eam pretio sanctorum meritorum. In primo relinquitur peccatum, in secundo per virtutes exciduntur radices vitiorum, ut tertio optime disposito animo, margaritæ conferatur ornamentum. De primo, Isai. LII, 11 : *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere : exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini.* Cantic. V, 17 : *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ?* De secundo, Supra, IV, 22 : *Relictis retibus et patre, secuti sunt eum.* Infra, XIX, 27 : *Reliquimus omnia, et secuti sumus te.* De tertio, Cantic. VIII, 7 : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Apocal. III, 18 : *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Proverb. XX, 14 : *Malum est, malum est, dicit omnis emptor : et cum recessit, tunc gloriabitur.*

Sciendum autem, quod margaritæ tantum amant dulcedinem, quod dulcedine concipiuntur, et generantur : et in aceto, vel urina positæ mollescunt, et resolvuntur : quia Christum non habet is qui est amari cordis. Jerem. II, 19 : *Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum.* I Petr. II, 3 et 4 : *Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus. Ad quem accedentes lapidem vivum, etc.*

47 « Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.

48 Quam cum impleta esset educentes,

et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. »

Hæc est ultima parabola, in qua auctoritas Apostolorum et Ecclesiæ sagenæ comparatur.

Et in hac duo dicuntur, parabola videlicet, et explicatio.

In parabola autem notandum est quid, cui, et in quo comparetur, et quare. Et hæc plana sunt in littera ?

Quid enim comparatur ? Est « *regnum cœlorum,* » quoad hunc actum, qui est potestas, et auctoritas educendi homines ex humoribus instabilis mundi ad stabile littus fidei, quæ per veritatem (quæ causa et subjectum ejus est) jam stabilit credentes in æternitate : et de hoc dicitur, Joan. XVII, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et, supra, XI, 12 : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

Cui autem comparatur, subdit :

« *Sagenæ missæ in mare.* »

Sagena nodata ex chordis, potestas est dispensationis verbi, quæ complectitur ex filis subtilitatum scientiarum, et zelo animarum trahitur, et ordinatur auctoritate ecclesiastica. Job, XL, 26 : *Numquid implebis sagenas pelle ejus, et gurgustium piscium capite illius ?* Pellis Leviathan sunt peccatores, qui sagena Christi ad littus æternitatis deducuntur, gurgustium autem est confessio sacramentalis, in quo (alias, qua) caput, hoc est, principium peccati capitur, et occiditur. Ezechiel. XVII, 20 : *Expandam super eum rete meum, et comprehendetur in sagena mea, et adducam eum in Babylonem,* hoc est, in suiipsius confusione : quia erubescet de malis, quæ fecit : et hoc est, quod sequitur : *Et iudicabo eum in prævaricatione qua desepxit me.* Et sic sagena accipitur in bono, et est rete Petri.

Est autem sagena diaboli, qua multos trahit : concupiscentia carnis una, et avaritia altera. De prima, Eccle. vii, 27 : *Inveni amariorē morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius.* De secunda, Habacuc, i, 15 et 16 : *Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit illud in rete suum. Super hoc lætabitur, et exsultabit. Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo.* Hæc mittitur in mare mundi. Psal. ciii, 25 : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus.*

Deinde tangit in quo, cum dicit :

« Ex omni generæ piscium congreganti. »

Rete enim Petri modo trahit bonos, qui merito et numero intus sunt permisti cum malis, Luc. v, 4 : *Laxate retia vestra in capturam, piscium scilicet.* Joan. xxi, 6 : *Mittite in dexteram navigii rete : et invenietis,* hoc est, in consideratione virtutis et æternitatis. Et sequitur, quod *jam non valebant illud,* scilicet rete, *trahere præ multitudine piscium.*

Deinde tangit propter quod, cum dicit :

« Quam cum impleta esset, »

Quoad numerum prævisorum, « *educentes,* » ad littus æternitatis, « *et secus littus,* » in iudicio in hoc mundo, post modicum in cælum transitori, « *elegerunt,* » discernendo per merita, « *bonos,* » tamquam bene meritos secundum doctrinam Apostolicam, « *in vasa sua.* » Vasa piscatorum sunt sacramenta, quæ quidem unam rem habent significatam, et contentam, et causatam, quæ est gratia remissionis peccati : aliam autem habent significatam quidem, et causatam, sed non contentam in præsentī, sed futuro : et hoc est gloria Beatorum : et in

hæc vasa colligunt bonos meriti discretionē. Jerem. xvi, 16 : *Mittam piscatores multos, et piscabuntur eos.* Eligunt autem Apostoli demonstratione meriti : Angeli autem colligendo in resurrectione, et Christi auctoritate. Psal. cv, 47 : *Salvos fac nos, Domine Deus noster : et congrega nos de nationibus, ut confiteamur,* etc. Joan. xi, 52 : *Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Tunc enim fiet unum ovile, et unus pastor¹.

« *Malos autem foras miserunt,* » qui solo numero fuerunt in reti. Foras autem mitti est extra consortium honorum, et omnis boni participationem in infernum projici. Apocal. xxi, 15 : *Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes.*

« Sic erit in consummatione sæculi : exhibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum. »

Explanatio est : quia ea, quæ sunt de fine mundi, magis quam alia, indigent explanatione, quia magis sunt ignota : et non tangit explanationem, nisi ultimæ discretionis : quia illa, quæ sunt in tempore, per se patent, qualiter modo mali cum bonis sunt permisti.

Et hoc est, quod dicit : « *Sic erit,* » in hominibus ut in piscibus, « *in consummatione sæculi.* » Isa. xxxii, 10 : *Consummata est vindemia, collectio ultra non veniet.* Sophoniæ, i, 18 : *Consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.*

Explanat autem similitudinem in tribus, in ministerio Angelorum, in separatione malorum, et in loco pœnarum.

De primo horum dicit : « *Exhibunt Angeli,* » ab intimo contemplationis ad ministerium congregationis resurgentium. Luc. xxi, 26 : *Virtutes cælorum movebuntur.*

¹ Joan. x, 16.

« *Et separabunt malos de medio iustorum.* »

Secundum est : et hæc separatio est divisio a consortio bonorum. Infra, xxiv, 40 : *Duo erunt in agro : unus assumetur, et unus relinquetur.* Infra, xxv, 32 : *Separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.* Separationem enim illam facient Angeli ministerio, Christus auctoritate.

50 « Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium. »

Tertium est determinatio ad pœnam. Et tangit locum, speciem pœnæ, et effectum. Locus est caminus. Psal. xx, 10 : *Pones eos ut clihanum ignis in tempore vultus tui.* Et de igne qui est species pœnæ, sequitur, ibidem : *Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.* Isa. lxvi, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur,* etc.

« Ibi erit fletus, etc. »

Ecce effectus : et hæc supra exposita sunt ¹. Fletus enim erit ex acerbitate caloris pro concupiscentia, et stridor ex frigore pro refrigescente charitate. Eccli. xliii, 22 : *Gelavit crystallus ab aqua.* Job, xxxviii, 30 : *In similitudinem lapidis aquæ durantur.*

51 « Intellexistis hæc omnia ? Dicunt ei : Etiam. »

Hæc est conclusio totius. Et dividitur in partes duas : in quarum prima concludit, quod sic abundare debet qui præest in Ecclesia : in secunda autem ostendit exemplo, quibus debet abundare, ibi, ꝑ. 53 : « *Et factum est, cum consummasset.* »

In conclusione duo facit : intellectum enim prædictorum a Discipulis (qui sui debent esse Vicarii) requirit, sciens quod intellectu opus est Prælati : secundo, intellectu habito, docet in quanta abundantia debent proponere. Et hæc patent in littera.

De primo dicit :

« Intellexistis hæc omnia ? »

Dicta, et causas, et significationes dictorum, et factorum ? Psal. cxviii, 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* Supra, xi, 25 : *Revelasti ea parvulis.* Joan. vi, 45 : *Erunt omnes docibiles Dei.* Isa. liv, 13 : *Universos filios tuos ponam doctos a Domino.*

« *Dicunt ei : Etiam.* » Sed videntur male respondere : quia non adhuc erat Spiritus datus, qui docet omnia.

RESPONSIO, dicendum, quod hic respondent de his quæ nunc docuit Dominus, et non de omnibus simpliciter.

« Ait illis : Ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. »

Ecce secundum : et tangit tria, nomen et officium et habitum docentis, et quem docere debet, et quem debet imitari.

De primo dicit : « *Ideo omnis,* » generaliter, officio, « *Scriba,* » tam scribens voluntatem Dei in cordibus auditorum, quam etiam scriptus. « *Doctus* » autem dicit habitu interiori, quoniam non doctus non debet docere. Sapient. iii, 9 : *Qui confidunt in illo, intelligent veritatem : et fideles in dilectione acquiescent illi.* Sapient. vi, 2 et 3 : *Audite, reges, et intelligite... Præbete aures, vos qui con-*

¹ Cf. expositionem supra factam, Matth. viii, 12.

tinētis multitudines. Infra, xxiii, 34 : *Mitto ad vos sapientes et Scribas.*

« *In regno cœlorum.* » Ecce cui debet abundare: quoniam justitiam illius, et potestatem, et gaudium debet docere, sicut ipse Christus ¹.

Quem autem debeat imitari, subjungit, dicens: « *Similis est homini patrifamilias,* » qui est Filius hominis. I ad Corinth. xi, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

« *Qui profert de thesauro suo,* » hoc est, ex cordis abundantia. Supra, xi, 35 : *Bonus homo de bono thesauro profert bona.* Eccli. i, 31 : *In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ.*

« *Nova et vetera.* » Nova sunt dignitate, vetera autem intentione, et ideo proponit ea. Sunt autem nova novis in spiritu apta, quibus *datum est nosse mysterium regni Dei* ². Vetera autem sunt adhuc veteribus apta per similitudines corporales imbuendis. Cantic. vii, 13 : *Omnia poma, nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Levit. xxvi, 10 : *Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis.* Vel, potest dici, quod nova sunt quæ ad innovationem pertinent, vetera autem, quæ ad vetustatem. Prima proferruntur, ut ad ea audientes invitentur: secunda autem vituperantur, ut fugiantur. Ad Coloss. iii, 9 et 10 : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum.* Ad Ephes. iv, 22 et seq. : *Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.*

¹ Cf. Matth. iv, 17.

« *Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde.* »

Dixerat qualiter nova et vetera proferre habent Vicarii Jesu Christi: hic autem confirmat perfectum, quod dixerat per verbum, ostendens nova et vetera ad omnium admirationem.

Tangit hic ergo tria: primo ostensionem veterum et novorum, ibi, in medio x. 54 : « *Ita ut mirarentur,* etc. » secundo, scandalum infidelium ad ea unde debebant ædificari ad fidem, ibi, in medio x. 57 : « *Jesus autem dixit eis:* » tertio, scandali illius confutationem. Et hæc patent in littera.

In primo horum tria dicit: primum est continuatio dicendorum ad dicta: secundum, locus solemnus, et ubi fuit notus: tertium autem admiratione digna proposita doctrina.

De primo dicit: « *Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas,* » hoc est, ad summum sapientiæ deduxisset. Isa. x, 33 : *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.*

« *Transiit inde,* » ut etiam alibi radios suæ lucis spargeret. Unde, Supra, xi, 1 : *Transiit inde ut doceret, et prædicaret in civitatibus eorum.* Et hic est locus, quem reliquit.

« *Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur et dicerent: Unde huic sapientia hæc et virtutes?* »

Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? et fratres ejus, Jacobus, et Joseph, et Simôn, et Judas?

Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista?

² Marc. iv, 11.

57

Et scandalizabantur in eo. »

« *Et veniens in patriam suam,* » Galilæam : et est locus ad quem venit communis. « *Docebat in Synagogis eorum.* » Ecce locus sollemnis, ad quem omnes conveniunt. Posuit enim *lucernam super candelabrum, ut luceret omnibus qui in domo sunt*¹. Et tangit effectum, qui proprius fuit causa sapientiæ in auditoribus.

Et ibi incipit scandalum, ubi incipere debuit ædificatio eorum. Et dicuntur hic quatuor : primum est mirum causatum ex sapientia dictorum : secundum est offendiculum ex humilitate generis sumptum : tertium est notitia nihil talium ostendens : quartum et ultimum scandalum ex comparatione humilis et notæ originis ad tantam sapientiam, quanta videbatur in dictis. Et hæc patent in litera.

Dicit ergo :

« Ita ut mirarentur. »

Supra, VII, 28 et 29 : *Admirabantur turbæ super doctrina ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisei.*

« *Et dicerent : Unde huic sapientia ?* » quæ apparet in dictis, « *et virtutes ?* » quæ apparent in factis. Fideli autem non est hoc mirabile : quia, I ad Corinth. I, 24, scit Christum Dei esse virtutem, et Dei sapientiam². Nec est mirum, si substantialiter virtus et sapientia existens, ostendat virtutem et sapientiam : quia *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*³.

« Nonne hic est fabri filius ? »

Ecce scandalum ex humilitate generis : quia vocatur in arte et ac tu patris putativi,

¹ Supra, v, 15.

² I ad Corinth. I, 23, et 24 : *Nos prædicamus Christum crucifixum..., Christum Dei virtutem, et*

quia Joseph faber lignarius fuisse perhibetur. Et licet ignorantes causam, non sine re dictum est : quia filius est ejus, de quo dicitur, Psal. LXXIII, 16 et 17 : *Tu fabricatus es auroram et solem. Tu fecisti terminos terræ : æstatem et ver tu plasmasti ea.*

Sed, Marc. VI, 3, non sic dicitur, sed dicunt : *Nonne hic est faber, filius Mariæ ?* Sed dicendum, quod utrumque dixerunt, unum ad notitiam referentes, et alterum ad despectum artificii, vel actus, in quo victum Joseph quærebat.

Et ideo de notitia generis subinferunt :

« Nonne et mater ejus dicitur Maria ? »

Hoc verum est : sed non noverunt quid dixit Angelus, Luc. I, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod si novissent, de nullo dubitassent. « *Et fratres ejus,* » non uterini, sed consobrini : « *Jacobus* » minor, qui *frater Domini* dicebatur, « *et Joseph,* » cognomento *Justus,* « *et Simon,* » a loco unde ortus est dictus *Canonæus,* cognomento *Zelotes,* « *et Judas,* » cognomento *Thaddæus* : de quibus, supra, x, 3, habitum est. « *Et sorores ejus,* » non uterinæ, sed consanguineæ, « *nonne omnes apud nos sunt ?* » Obliti sunt jam ejus quod paulo ante, Matth. XII, 50, dixerat : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est ipse meus frater, et soror, et mater est.*

Et comparantes magna dicta et facta ad generis infirmitatem, et mirantes, quærunt :

« Unde ergo huic omnia ista ? »

Sed cum cognoverunt, quod ex ge-

Dei sapientiam.

³ I ad Corinth. I, 25.

nere, studio, vel actu generis habere non poterat, et videbant in digito Dei hoc fieri, de levi poterant conjicere quod ex Deo erant omnia, sicut dicitur, Joan. ix, 33: *Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Sed hoc est, quod dicitur, Joan. vii, 5, quia *neque fratres ejus credebant in eum.* Talia enim sæpe fecit Deus. I Regum, xvi, 13, ubi unxit David in regem, accipiens eum de officio pastorum, sicut ipse dicit, Psal. lxxvii, 70: *Elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium: de post fætantes accepit eum.* Amos, i, 1, et vii, 14, qui fuit pastor, et rusticus. Et sic sæpe fecit Deus. I Reg. ii, 8: *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Et adhuc ipsi omnium Judæorum parentes, Patriarchæ et Prophetæ existentes, non fuerunt reges hominum, sed pastores ovium, sicut confitentur coram Pharaone, Genes. xlvii, 3: *Pastores ovium sumus servi tui, et nos, et patres nostri.* Sed et hoc conveniens fuit prophetiæ. Deuter. xviii, 15, ubi dixit Moyses: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.*

Et ex his omnibus facile poterant intelligere, quia ita debuit esse ortus Christi: infidelitas autem transverterat eos in contrarium.

« Et scandalizabantur in eo, »

Non occasionem a Christo, sed ex se ipsis accipientes. Eccli. xxxii, 25: *In via ruinæ non eas, et non offendes in lapides.* Isa. viii, 13 et seq.: *Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, et ipse terror vester: et erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel: in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur.*

« Jesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua.

Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum. »

58

Hic incipit confutatio infidelium istorum. Et tangit duo: quorum primum est generale: et secundo, ad meritum indignitatis eorum non multiplicantur inter eos virtutes.

Generale autem est, quod dicit, quod « *Non est Propheta sine honore,* » qui proprie est præmium virtutis, « *nisi in patria sua* » communi, « *et* » præcipue « *in domo sua,* » hoc est, inter cognatos et notos. Marc. vi, 4, et Luc. iv, 24, dicitur sic: *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus in patria sua.* Joan. iv, 44: *Ipse Jesus testimonium perhibuit quia Propheta in patria sua honorem non habet.* Causa autem est, quia magna relata ad parva minorantur: et talis relatio fit in patria, ubi visi sunt Prophetæ in infirmis, et puerilibus, et humilibus. Unde, Genes. xii, 1, dicitur Abrahæ: *Egredere de terra tua, et de cognatione tua.* Et sequitur postea, y. 2: *Faciam te in gentem magnam.* Similiter, Numer. xii, 1 et seq., Aaron et Maria jurgati sunt contra Moysen, cum apud extraneos fuisset in honore. Cantic. i, 5: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.*

« Et non fecit ibi virtutes multas. »

Tamen aliquas fecit, ut per eas quas fecit convinceret eos juste damnandos, qui virtuti divinæ detraherent: et quia non multas fecit, demonstrarentur esse infideles, qui indigni essent quod propter eos, vel coram eis virtutes faceret. Unde, supra, xii, 39: *Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei.*

Et hoc est, quod sequitur: « *Propter incredulitatem illorum.* » Marc.

vi, 5, dicitur: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere.* Sed ad hoc dicendum, quod hoc possumus, quod de jure possumus: Christus ergo potuit de potentia deitatis facere quæ voluit, sed non potuit de congruo populi, cum scivit quod indevoti fuerunt.

Quia licet dicat Apostolus, I ad Corinth. xiv, 22, quod signa non fidelibus, sed infidelibus data sunt ¹, tamen non sunt data nisi infidelibus ignorantibus, et jam mirantibus fidem, et incipientibus fugere infidelitatem.

CAPUT XIV.

Caput Joannis datur puellæ saltatrici: Jesus quinque virorum millia in deserto quinque panibus et duobus piscibus satiat, sublatis duodecim reliquiarum cophinis: et super mare ambulans discipulos tempestate agitados confortat, Petrumque a submersione liberat: in terra Genesar varii curantur languores tactu vestimenti ipsius.

1. In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu ²,
2. Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo.
3. Herodes enim tenuit Joannem ³ et alligavit eum, et posuit in carcerem, propter Herodiam, uxorem fratris sui.
4. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.
5. Et volens illum occidere, timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant ⁴.
6. Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi.
7. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.
8. At illa præmonita a matre sua:
 9. Et contristatus est rex: propter juramentum autem et eos qui pariter recumbebant, jussit dari.
 10. Misitque et decollavit Joannem in carcere.
 11. Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et attulit matri suæ.
 12. Et accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud, et venientes nuntiaverunt Jesu.
 13. Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum ⁵: et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.
 14. Et exiens vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum.

¹ I ad Corinth. xiv, 22: *Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.*

² Marc. vi, 14; Luc. ix, 4.

³ Marc. vi, 17; Luc. iiii, 19.

⁴ Infra, xxi, 26.

⁵ Marc. vi, 31; Luc. xi, 40; Joan. vi, 4.

15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Desertus est locus, et hora jam præteriit : dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas.
16. Jesus autem dixit eis : Non habent necesse ire : date illis vos manducare.
17. Responderunt ei : Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces ¹.
18. Qui ait eis : Afferte mihi illos huc.
19. Et cum jussisset turbam discumbere super fœnum, accepit quinque panibus et duobus piscibus, adspiciens in cœlum benedixit et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.
20. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.
21. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis.
22. Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam ², et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.
23. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare ³. Vespere autem facto, solus erat ibi.
24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus : erat enim contrarius ventus.
25. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare.
26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes : Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.
27. Statimque Jesus locutus est eis, dicens : Habete fiduciam : ego sum, nolite timere.
28. Respondens autem Petrus dixit : Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.
29. At ipse ait : Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum.
30. Videns vero ventum validum, timuit : et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens : Domine, salvum me fac.
31. Et continuo Jesus, extendens manum, apprehendit eum : et ait illi : Modicæ fidei, quare dubitasti?
32. Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus.
33. Qui autem in navicula erant venerunt et adoraverunt eum, dicentes : Vere Filius Dei es.
34. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar ⁴.
35. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes.
31. Et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt salvi facti sunt.

¹ Joan. vi, 9.² Marc. vi, 45.³ Joan. vi, 15.⁴ Marc. vi, 53.

IN CAPUT XIV MATTHÆI

ENARRATIO.

« In illo tempore audivit Herodes tetrarchæ famam Jesu.

Et ait pueris suis : Hic est Joannes Baptista : ipse surrexit a mortuis, et ide o virtuteso perantur in eo. »

In isto capitulo determinatur ordo Ecclesiæ secundum doctrinam veritatis penes quantitatem gratiæ quam præstat. Et habet duas partes : in quarum prima per congruitatem primo ostenditur finis ejus, quod fuit via ad eandem gratiam introducendam : et hoc significatur in interfectione Joannis. In secundo, ostenditur cursus communitatis gratiæ introductæ, ibi, ̄. 13 : « *Quod cum audisset Jesus, etc.* »

Prima harum subdividitur in partes duas : in quarum prima declarat, qualiter hæc historia de occisione Joannis hic ad litteram introducitur : et in secunda describitur, ibi, ̄. 3 : « *Herodes enim tenuit, etc.* »

In prima tria declarantur : fama ad Herodem de Jesu perveniens : error circa personam Christi : et causa, quare putavit Christum esse Joanenm, quod est causa erroris.

De primo dicit :

¶ « In illo tempore, »

Cum sic de sapientia et virtute omnes homines mirarentur, « *audivit,* » etiam post alios, « *Herodes tetracha famam*

Jesu. » Magis enim malitiosi reges tenti et non accipientes sibi, ut dicit Augustinus, nisi eos qui gratiantur honores hujus mundi : nec solliciti de inquisitione salutis, non audiunt de Deo nisi post alios omnium ore famam prædicante. Supra enim, ix, 26, habitum est, quod *exiit fama hæc in universam terram illam.* Et loquitur de regione Judææ. Et, Luc. iv, 14 : *Fama exiit per universam regionem.* Et loquitur de Galilæa. Et, Supra, iv, 24 : *Abit opinio ejus in totam Syriam.* Omnem ergo terram occupante fama, tandem violenter percussit etiam aures Herodis. II ad Corinth. ii, 15 : *Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt.* Et præcedit, ̄. 14 : « *Deo autem gratias, qui... odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.*

« Et ait pueris suis. »

Pueri sunt servi, *pueri* dicti, quia ad modum puerorum ab alio moventur et ducuntur. *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum* ¹. Ad Galat. iv, 1 : *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo.* Non ergo a puritate dicti sunt isti pueri : sed, ut diximus, quia ab alio minantur, moventur, et non motu proprio. Sed quare non dixit extraneis ? Dicendum, quod iste versipellis finxit se dolere de morte Joannis : et ideo apud extraneos de morte non loquebatur, sed apud complices scelerum suorum pueros suos. Iste autem Herodes non est Ascalonita, qui pueros occidit, et sub quo Dominus natus fuit : sed filius ejus, qui Antipas cognomine vocabatur, cujus filius, nepos primi Herodis, occidit Jacobum, fratrem Joannis, gladio, et captivavit Petrum ². Et hæc notata sunt supra, ii, 3 ³.

¹ Psal. cxxii, 2.

² Cf. Act. xii, 1 et 2.

³ Cf. enarrationem supra factam, Matth. ii, 3, 19.

« Hic est Joannes Baptista. »

Ecce error in persona Salvatoris Sed, Luc, ix, 9, sic dicitur: *Joannem ego decollavi. Quis est autem iste, de quo ego talia audio?* Et dicendum, quod utrumque dixit. Sed id quod dicit Lucas, dixit in principio famæ. Vincente autem fama, dixit quod scribitur hic: et in hoc notatur accusatio Herodis. Si enim eum occidit cujus sanctitatem tantam credidit, ut nulli alii competeret fama tantarum virtutum, ex hoc reatiorem se ostendit quo sanctiorem Joannem esse dixit. Joannem enim tantum credidit, quod Christus æstimari potuisset.

« Ipse surrexit a mortuis. »

Ecce causa erroris. Joannes enim in hac mortalitate (alias, mortali vita) vivens *quidem signum fecit nullum*, sicut dicitur, Joan. x, 41. Et hoc statui suo competebat, et non derogabat merito. Status enim suus fuit, quod oportet eum continue minui¹, et ideo miracula eum magnum in opinione hominum facere non debebant: non ergo hoc derogabat merito. Herodes autem licet infidelis esset, tamen credidit resurrectionem, et quod post resurrectionem Sancti majoris virtutis essent quam ante: et ideo Joannem facere resurgentem dixit, quod ante resurrectionem eum non posse facere putavit, I ad Corinth. xv, 43: *Seiminatur in infirmitate, surget in virtute.* Et in hoc arguuntur Judæi resurrectionem non credentes, quam alienigena credidit.

Et hoc est quod sequitur:

« Et ideo virtutes operantur in eo. »

Hypallage est. Ipse virtutes operatur in eis. Vel, dicatur quod propria, et non figurata est locutio: quia duæ sunt causæ virtutum, una quidem meritoria per con-

gruitatem, et si non per condignitatem: et hæc est ex parte populi: alia est ex parte facientis effectiva miraculi. Et de primo loquens, dicit: « *Ideo virtutes operantur in eo.* »

« Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem. »

Secunda pars istius historiæ, in qua describitur occisio Joannis.

Dividitur autem pars ista in tres partes: in quarum prima ostenditur Joannis captivitas: in secunda, occisio: et in tertia, sepultura. Et hæc omnia patent in littera.

In prima harum duo dicuntur: captivitas, et causa captivitatis.

Captivitas autem tribus exaggeratur malis: tentione, alligatione, et incarceratione. Quorum primum fuit temerarium tenere prophetam: secundum, impium ligare membra plena Spiritu sancto: tertium, sacrilegium incarcerare eum qui multos solverat a carcere dæmonum.

Et hoc est quod dicit:

« Herodes enim tenuit Joannem, »

Eum scilicet qui expeditus debuit præcedere Christum in spiritu et virtute Eliæ, impediens, quantum in ipso fuit, salutis viam.

« *Et alligavit eum,* » qui libere sonare debuit, ut vox verbum, impediens salutis auditum.

« *Et posuit eum in carcerem,* » qui major erat inter natos mulierum, ad quem omnes relictis propriis exhibant ad videndum: et in hoc recludens virtutis formam et exemplum.

« Propter Herodiadem, uxorem fratris sui.

¹ Joan. III, 30: *Illum oportet crescere, me autem minui.*

4 Dicebat enim illi Joannes : Non licet tibi habere eam.

5 Et volens eum occidere, timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebant. »

« *Propter Herodiam uxorem fratris sui,* » scilicet Philippi. Hic tanguntur causæ captivitatis : et dicuntur hic tria, scilicet vera causa, modus causæ, et effectus in Herode.

Causa enim fuit meretrix mulier, thorum veri mariti adulterio simul et stupro commaculans : erat enim ista Herodias filia Aretæ regis, qui quia odivit Philippum, filiam Philippo abstulit : et cum Philippus adversaretur Herodi propter impietatem et crudelitatem istius Herodis, in dolorem Philippi eam Herodi copulavit : et ipsa meretrix existens et fornicatrix in hoc consensit, et sicut in littera innuitur, hoc fieri procuravit. Eccli. xxiii, 31 et seq. : *Erit in dedecus... mulier omnis relinquens virum suum, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio : primo enim in lege Altissimi incredibilis fuit : secundo in virum suum deliquit : tertio in adulterio fornicata est.* Eccli. xxvi, 10 : *Sicut boum jugum quod movetur, ita et mulier nequam : qui tenet illam quasi qui apprehendit scorpionem.* Eccli. vii, 27 : *Inveni amariorum morte mulierem, quæ laqueus venarorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius.*

Et subjungit modum causæ istius :

« Dicebat enim illi Joannes : Non licet tibi habere eam. »

Levit. xx, 21 : *Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit.* Levit.

¹ Simile, I ad Corinth. v 1, : *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.*

xviii, 16 : *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis.*

Et attende modestiam Joannis, qualiter sine improprio, solius veritatis amore, non ex se, sed ex lege potius monens de veritate quam corripiens, illicitas detestatur nuptias. Deferens enim regi, attendens quod dicit Apostolus, ad Roman. xiii, 7 : *Cui honorem, honorem* : non dicit : Progenies viperarum, sed simpliciter : « *Non licet tibi habere eam.* » Sapient. vii, 30 : *Sapientiam non vincit malitia.* Omnino enim hæc audiebatur fornicatio in rege populi Dei, et talis, ut uxorem fratris sui contra legem haberet ¹. Sed hoc fuit, quod dicit Amos, v, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta : et loquentem perfecte abominati sunt.*

Sed qualiter dicit : *Non licet tibi habere eam,* cum iste fuerit alienigena ex patre Idumæo. Dicunt autem quidam, quod forte legem Dei assumpserat, maxime quia mater dicitur Judæa fuisse ² : vel si hoc non fuit, tamen Prælatus populi Dei existens, legis forma esse debuit, quamdiu præfuit : et ideo peccavit contra legem. Vel dicatur, quod contra omnem legem naturalem et aliam est habere uxorem alicujus, et præcipue contra ordinem conjunctorum sanguine : est enim hoc crimen committere contra fratrem, et est fœdatio fratris.

« Et volens eum occidere. »

Ecce quid fecit tam levis admonitio in stupratore adultero : crudelitatem in prophetam, et timorem mundanum, quorum utrumque fuit maximum vitium.

De crudelitate dicit : « *Volens eum occidere.* » Psal. liv, 24 : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiebunt dies suos.* Sapient. ii, 12 : *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius*

² Iste Herodes Antipas filius erat Herodis Magni et mulieris Samaritanæ cui nomen Malthace. Cf. Joseph. Ant. xvii, 1-3.

est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis.

De timore mundano ait: « *Timuit populum.* » Non quidem propter irrationabilem tumultum populi, sed potius propter propriam culpam: quia se culpabilem cognovit. « *Quoniam sicut prophetam eum habebant,* » et majorem propheta. Sapient. XVII, 10: *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia.* Timor autem iste mundanus non corripit culpam conceptam, sed potius machinatus est causam quæ videretur opportuna ad scelus perpetrandum. Timor autem Dei corrigit culpam, sicut dicitur, Eccli. 1, 27 et 28: *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est non poterit justificari.*

« Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi. »

Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.

At illa præmonita a matre sua: Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ. »

Hic incipit agere de morte Joannis. Et tangit duo, causam videlicet, et decollationem.

Causam autem describit ab opportunitate temporis importuni et illiciti, dum inter vina sitiretur sanguis innocentis, et inter epulas esuriretur caput Prophetæ ad mensam deportatum. Describit etiam ab inducente saltatrice garria histrionica motus meretricios (alias, meretricis) matris detegente: et describit ab illicito, et stulto juramento tam regis quam sacrilegi proditoris.

De primo dicit:

« Die autem natalis Herodis. »

Dies quam celebravit, cum tamen nocumentum mundo illatum est, ut tam profanus nasceretur: in quo is in cujus nativitate mundus gaudere præcipitur, occideretur. Paraverat autem tunc festum principibus, et populis Galilææ, sicut dicitur, Marc. VI, 21. In hac autem die, cum in peccatis, et ad tantum facinus natus est, potius erat lugendum, sicut dicit David, Psal. L, 7: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Ad Ephes. II, 3: *Sumus natura filii iræ.* Job, III, 3: *Peccat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo.* Jerem. XX, 14 et 15: *Maledicta dies in qua natus sum! dies in qua peperit mater mea, non sit benedicta! Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus!* Hæc potius plangendo dicere debuit Herodes, quam natalis sui festum celebrare, qui tantum infelicitatis commisit ut decollaret Joannem.

« Saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi. »

Causa inducens hic describitur, quæ fuit repræsentatio turpissimi conceptus in matre, et admonitio scorti in uxore adultera et stupratrice, et libidinis incentivum in tota convivantium societate. Saltus enim motus repræsentavit concupiscentiæ (alias, concupiscentiam) ignominiosæ suæ matris, quæ eam in libidinis concepit moribus. *Filia* autem dicitur *Herodiadis*, eo quod non fuit filia Herodis: quia consuetum est in Scriptura filias potius dici patrum quam matrum: nec præsumitur filia fuisse Philippi, quia illa non petisset caput ejus qui reprehendit separationem matris suæ a patre quem diligeret. Et quia non fit mentio patris istius filiæ, præsumitur vilem patrem habuisse, et ex scorto matris nata: quod Herodes potius verecundari debuit,

quam allici ex hoc in tam detestabile facinus perpetrandum ¹. Præterea, filiæ nobilium non discunt saltus, sed potius in verecundia puellari honestas exspectant nuptias : et ideo omnium scorti matris fuit ista testimonium. Et debuit dixisse Herodes, sicut Jehu dixit Joram, IV Reg. ix, 22 : *Adhuc fornicationes Jezabel, matris tuæ, et veneficia ejus multa vigent* : et interfecisse filiam, et præcipitasse matrem ignominiosam. Salto autem ipso, in quo verecunda nudantur, et motibus inordinatis dispositio repræsentatur turpitudinis, fomenta libidinis accipiebant assidentes. Proverb. vii, 10 et 11 : *Occurrit mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendum animas : garrula et vaga, quietis impatiens.*

« Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset. »

Addit alius Evangelista : *Licet dimidium regni mei* ². Et ex hoc accipitur, quantum iste possessus fuit amore libidinis, qui talia obtulit thura libidinis aris, ut dimidium offerret regni sui. Ostenditur autem, quod turpis fuit in causa jurandi, stultus in jurando, et impius in reddendo. Libido enim causa fuit, stultitia generaliter jurare fecit, et vera impietas pietate mendaci contacta est. Exod. xx, 7 : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Iste autem assumpsit in turpem causam, et in stultum sacramentum. Supra, v, 34 : *Ego dico vobis, non jurare omnino.* De hoc autem, ibidem, plura dicta sunt : et ideo hic transeunda .

In juramento autem isto tria considerantur : obligatio stulta, ejus cui obligatur petitio, ejusdem a scortatrice subornatio (alias, subordinatio). De obligatione jam dictum est.

¹ Joseph. Ant. xvii, 5, 4, vocat eam Salome et dicit eam filiam fuisse Philippi, quem, ut supra notavit D. Albertus, dereliquerat Herodias ut Herodi Antipæ copularetur.

De subornatione subinfertur :

« At illa præmonita a matre sua, »

Non curam agente de filia, sed de scorti, et stupri sui libidine retinenda sine reprehensione. Timuit enim, quoniam populus habebat Joannem sicut prophetam, quod aliquando concitatus populus cogeret Herodem ad dimittendum eam : et ideo subornavit filiam. Apocal. xvii, 6 : *Vidi mulierem ebriam sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu.*

« Da mihi in disco caput Joannis Baptistæ. »

Notantur in hoc inverecundia saltatrici, crudelitas, et profana impietas. Verecundiæ puellaris est non posse videre etiam animalia mortua et occisa. Sed, Eccli. xxvi, 12, dicit causam, quod *fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnosceretur.*

Omnis mulier meretrix etiam est crudelis : et ideo ferali raptu quærens satiari pœnis, non simpliciter petit abscidi caput, sed sibi in disco dari, in quo cibus offerri (alias, afferi) consueverat. Jezabel pro certo ista filia, quæ, III Reg. xxi, 2, juramento juravit se in crastino occisuram Eliam prophetam. Profanum autem non addere testimonium turpissimæ causæ, cum nomen proponit occidendi et officium, dicens : « *Joannis Baptistæ,* » quia Joannes (in quo est gratia) dicitur Baptista : via enim fuit pœnitentiæ et purificationis. Causam ergo mortis quam posuit, Deus voluit sic exprimi : ut excusaretur scortum petens, et occisor obediens, et occisi declararentur causa, quæ martyrem facit et sanctum : pro zelo enim legis et castitatis est interfectus.

² Marc. vi, 23 : *Quidquid petierit dabo tibi, licet dimidium regni mei.*

³ Cf. supra enarrationem in Matth. v, 33-37.

« Et contristatus est rex : propter juramentum autem et eos qui pariter recumbebant, etc. »

Hic tangitur interfectio. Et tanguntur duo : primo enim repetuntur causæ inducentes, et postea subinfertur decollatio.

Inducentia autem sunt duo : obligatio stulti juramenti, et discumbentes, quibus in velamen malitiæ præmittitur falsæ pietatis exterior obumbratio.

De qua dicit : « *Et contristatus est rex.* » Fingebat enim coram populo se libenter audire Joannem, et multa facere pro eo. Et ideo etiam nunc simulat tristitiam, ac si victus religione juramenti facere cogatur. Innata enim erat ei ex patre fictio, qui etiam se velle adorare Christum simulabat ¹. Isa. xxxii, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper iudicium.*

« *Propter juramentum.* » Ecce una causa, non attendens quod stulte voverat meliori consilio esse retractandum, et in turpi voto mutandum esse voluntatis decretum : quanto enim plus proceditur in malo, tanto est pejus : et ideo jurando stultus, procedens ad impletionem juramenti efficitur impius, et homicida.

« *Et propter eos qui pariter recumbebant,* » quorum mentes saltatrix in libidinem verterat, turpi motu lasciviæ verecunda præterens : qualis enim fuit rex, tales vocavit convivas. II Petr. ii, 13 et 14 : *Voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes, et maculæ delicti affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum : oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti : pellicientes animas instabiles.*

¹ Cf. supra, ii, 8.

« Jussit dari.

Misitque et decollavit Joannem in carcere.

Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et illa attulit matri suæ.

Et accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud, et venientes nuntiaverunt Jesu. »

Ecce occisio. Et tangit tria : delirantem imperantis, impietatem obsequentis, et infandam feritatem petentis.

De primo dicit : « *Jussit dari,* » mandato sacrilego. Sapient. vi, 5 : *Cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis.* Daniel. xiii, 53 : *Innocentes opprimens, et dimittens noxios.*

« Misitque, etc. »

Ministrum detestabilem, sceleris executorem, « *et decollavit,* » per illum, *Joannem in carcere.* » Non enim produxit eum populo, timens ne populus corripere eum, volens esse occultum, ut nemo sciret, nisi discumbentes, quorum mentes scortatrix per saltatricem dementaverat. Isa. lvii, 1 : *Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo : et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat : a facie enim malitiæ collectus est justus.*

« Et allatum est caput Joannis, etc. »

Ferale autem peccatum petentis est triplex, unum delectari in visu capitis : quod notatur, cum dicit : « *Allatum est caput Joannis in disco,* » ut vel sic satiaretur pœnis ejus. Et secundum est remuneratio saltatricis, quod dicit : « *Datum est puellæ.* » Tertium est pretium, et redemptio liberi scorti, quod dicit : « *Puella dedit matri suæ,* » sic (alias, se) a scorto non temperans.

10

11

12

Reatum incidit perjurii et homicidii Herodes : et ne crederetur a populo, qui Joannem prophetam habuit, libenter occidisse, reatum illiciti juramenti adjecit, et per convivium natalis sui opportunitatem tanti sceleris inquisivit, sicut innuitur, Marc. vi, 20 et seq. Eccli. ix, 4 : *Cum saltatrice ne assiduus sis : nec audias illam, ne pereas in efficacia illius.* Et quod quidem fecit Jezabel aperta infidelitate per voluntatem, et non potuit perficere per opus, quia fugit Elias. Juravit enim dicens : *Hæc mihi faciant dii, et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis*¹. Aperta enim crudelitas effugitur. Et similiter, quod rex Israel juravit se facturum in ira, et impatientia, (V Reg. vi, 31 : *Hæc mihi faciat Deus et hæc addat, si steterit caput Elisei, filii Saphat, super ipsum hodie!* Et impeditus fuit perficere per seniores Israel. Similiter quod inconsulte juravit David se interfecturum Nabal stultum, consilio meliori mutavit per interventum Abigail sapientis mulieris². Sed dolum non habet remedium : dolo enim detinuit, ne evaderet, et libenter eum audire simulavit, et discipulos obsequi permisit, ne putaretur velle occidere sub obtentu nefandæ religionis, necessitatem occidendi sibi paravit, mentes convivarum poculis et saltatricis gestibus, et uxoris meretriciis (alias, meretricis) commentis obtinuit : et sic nefas quod conceperat, perpetravit. Jerem. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Psal. x secundum Hæbræos, 9 : *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem.* Eccli. xii, 16 : *In oculis suis lacrymabitur inimicus, et si invenerit tempus, non satiabitur sanguine.*

¹ III Reg. xix, 22.

« Et accedentes discipuli, etc. »

Quos, ut dolum simularet, coram Judæis non prohibuit. « *Tulerunt corpus ejus.* » Ex hoc innuitur, quod de illo loco ad locum alium tulerunt.

« *Et sepelierunt illud.* » Ultima pars est ista de sepultura Joannis. Dicit autem Hieronymus, quod Joannes in Sebaste est occisus, et in Machoronta sepultus. Sebaste autem fuit, quæ et Samaria dicebatur, ubi Herodes fecit domum regiam, in qua forte carcerali custodia detentus fuit Joannes. Et cum hoc concordat Josephus. In Ecclesiastica autem historia et in chronicis Eusebii narratur contra factum fuisse : quod scilicet in Machoronta occisus sit, et in Sebaste sepultus. Sed de capite omnes confitentur, quod Jerosolymis sepultum sit. Machoronta autem oppidum est ultra Jordanem, in sorte duarum et dimidiæ tribuum.

« *Et venientes nuntiaverunt Jesu.* » Ecce quantum profuit missio discipulorum Joannis ad Jesum, Supra, xi, 2 et seq. Persuasi enim tunc a Domino, nunc veniunt, et nuntiant Jesu de morte : et qui prius æmulati sunt eum, nunc prænuntiant pericula, ut caveat sibi, ne similiter a doloso Herode occidatur. Luc. xiii, 31 : *Exi, et vade hinc : quia Herodes vult te occidere.*

« Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum : et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus. »

Hic incipit agere de novæ gratiæ multiplicatione. Manifestatur autem in nobis dupliciter multiplicatio gratiæ : uno modo, quando ea quibus abutendo ingrati efflicimur, in usum gratiæ convertuntur, et in usu illo abundant : secundo

² Cf. I Reg. xxv, 13 et seq.

autem modo manifestatur in nobis gratia per effectum proprium. Primum horum est gratiæ divinæ in nobis signum, secundum autem est gratiæ complementum. Ex primo, conformitas auctoris gratiæ ad eum qui dedit legem ostenditur, quia ille pavit populum in deserto, in quo legem dedit¹. Ex secundo, rigoris legis datæ ostenditur temperamentum. Secundum incipit, ibi, *ꝯ. 22* : « *Et statim compulit Jesus discipulos.* »

In primo autem horum tria determinantur, quorum unum est gratiæ istius causa, et opportunitas : secundum, perfectio cum circumstantibus eam, ibi, *ꝯ. 18* : « *Qui ait eis : Afferte mihi illos.* » Tertium autem est istius gratiæ superabundantia, ibi, *ꝯ. 20* : « *Et manducaverunt omnes.* »

Prima harum dividitur in tres : in quarum prima ponitur opportunitas istius gratiæ : in secunda, allegatio discipulorum ignorantium exhibitionem futuræ gratiæ : et in tertia ponitur instructio de gratia exhibenda. Et hæc patent in littera.

In prima harum sunt tres paragraphi : in quorum primo continetur opportunitas ex loco, in quo necesse fuit exhibere refectionis gratiam : in secundo, devotio turbarum, ex postulans per congruitatem devotionis quod fieret : in tertio ponitur præexhibitio gratiæ minoris, quæ signum est securæ gratiæ communis. Et hæc patent in littera.

In primo horum quatuor dicuntur, quare videlicet a loco in quo fuit recessit, et recessit, et quo instrumento, et quo pervenit. Et hoc plane dicit littera.

De primo dicit :

« Quod cum audisset Jesus, »

Quod Herodes sic in innocentes debaccharetur, et dolos tenderet ad occi-

dendum eos : et maxime quod sibi etiam (volens placere Judæis) insidiaretur : non quod hoc prius nesciret sine nuntio : quia dicitur, *Ecclesi. xxiii, 29* : *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita.* Sed in hoc et in omnibus aliis assumptæ humanitatis ostendit naturam, sciens futuras hæreses Manichæorum negaturas veritatem assumpti hominis.

« Recessit inde, etc. »

Ne temeritati Herodis locum daret homicidium homicidio, vel potius Deicidium Propheticidio cumulandi, parcens ex misericordia etiam his qui in sordibus erant, ne nimis sordescerent : et quia nondum impleta adhuc erant sacramenta nostræ salutis : et ut fugere discipulis ostenderet pro tempore, et declinare rabiem persequentium, cum grex non quæritur, sed tantum persona. Unde, *Luc. xiii, 32 et 33*, dicitur : *Dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie, et cras, et die tertia consummor. Verumtamen oportet me ambulare hodie et cras et sequenti die, quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem.* *Supra, xii, 14 et 15* : *Pharisæi consilium faciebant adversus eum quomodo perderent eum. Jesus autem sciens recessit inde : et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes.*

« *In navicula,* » quæ fuit recedendi instrumentum, quo citius se furori subduceret, et quo non sequi possent.

« *In locum desertum seorsum.* » Quia enim fuit *locus*, utcumque præstabat latendi habitaculum : et quia *desertus*, vitavit insidiantium Pharisæorum et Scribarum notitiam : et quia *seorsum*, longe à via, sequestravit a tortorum notitia. *Marci, vi, 31* : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* *Psal. lxii, 3* : *In terra deserta, et invia, et*

¹ Cf. *Exod. xvi, 4 et seq.*

inaquosa : sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.

« Et cum audissent turbæ, etc. »

Secundus est paragraphus. Audiverunt autem turbæ forte per nautas, vel per alios commeantes : non enim quæsit omnino latere, sed a loco furoris et frequentia invidorum Pharisæorum se subducere : desertum enim istud erat juxta mare Galilææ, quod est Tiberiadis, sicut dicitur, Joan. vi, 1. Et erat in finibus Bethsaidæ, sicut dicitur, Marc. vi, 45, et Luc. ix, 10 : quia omnes quatuor Evangelistæ scribunt istam historiam. Et ideo multitudo maxima de civitatibus et finibus illarum civitatum ad eum illuc properavit.

Et hoc est quod sequitur : « *Secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.* » Et in hoc notatur devotio in insecutione, labor in hoc quod pedestres, difficultas in hoc quod de civitatibus, quia illi ex commodis delicatioribus secuti sunt. Eccle. x, 7 : *Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos.* III Reg. xx, 14 et seq., cum præliaretur Achab contra regem Syriæ, devicit eum per pedissequos principum provinciarum. Levit. xi, 20, dicitur, quod de volucris, gradiens quatuor pedibus immundum est. Amos, ii, 15 : *Ascensor equi non salvabit animam suam.*

14

« Et exiens vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum. »

Tertius est paragraphus, in quo quatuor dicuntur : aggratulationis videlicet occursum, et beneplaciti sive dilectionis respectus, et misericordiæ affectus, et miserationis effectus. Sic enim turbis

¹ Psal. cxi, 4 : *Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, et miserator, et justus Dominus.*

exortus est per occursum : in tenebris autem existentibus lumen rectis corde exhibuit per dilectionis respectum, misericors fuit per misericordiæ affectum, et miserator Dominus per miserationis effectum ¹.

Et attende, quod hic non exspectat ut rogetur : quia labor, et devotio turbarum omnem vincebant postulationem : ideo etiam ultro occurrit eis.

Dicit ergo : « *Et exiens,* » de interioribus deserti in occursum turbarum. Isa. lxiv, 5 : *Occurristi lætanti, et facienti justitiam : in viis tuis recordabuntur tui.* Sic enim ex nimio desiderio redemptionis nostræ processit obviam crucifixoribus ². « *Vidit turbam multam.* » Marc. x, 21 : *Jesus intuitus eum, dilexit eum.* Sapient, iv, 15 : *Respectus Dei in electos illius.*

« *Et misertus est eis.* » Marc. vi, 34 : *Exiens vidit turbam multam Jesus : et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem.* Hæc autem misericordia fuit propositum pascendi eos intus et extra. Isa. xxx, 19 : *Miserans miserebitur tui : ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.*

« *Et curavit languidos eorum.* » Supra, iv, 23 : *Circuibat... sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo.* Act. x, 38 : *Pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.*

« Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Desertus est locus, et hora jam præteriiit : dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas. »

Hæc est pars de legatione discipu-

² Cf. Joan. xviii, 4.

lorum. Tanguntur hic duo, scilicet discipulorum accessus, et allegatio.

De accessu duo dicit, tempus inducens, et ausum discipulorum.

Tempus inducens est quod dicit : « *Vespere autem facto,* » quia tarditas temporis lassos invitabat ad requiem, « *accesserunt ad eum discipuli ejus,* » ausu majoris familiaritatis. Supra, v, 1 : *Accesserunt ad eum discipuli ejus.*

« *Dicentes.* » Allegando quatuor : loci incongruitatem ad manendum, temporis refectionis transitum : et ideo dimitendas esse turbas, et ad quid dimittantur, assignantes.

Dicunt igitur : « *Desertus est locus.* » Numer. xx, 5 : *Quare nos... adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper et aquam non habet ad bibendum ?* « *Et hora* » refectionis « *jam* » dudum « *præterit.* » Innuunt, quod sustinuerunt eum jejunantes usque ad vesperam, et laboraverunt longius venientes. Simile est, Act. xx, 7 : *Protraxit autem sermonem Paulus usque in mediam noctem.*

« *Dimitte turbas.* » In hoc notatur, quod turba non petebat ire, suspensa ad dulcedinem sermonis. Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.* Psal. cxviii, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo !* « *Ut euntes in castella,* » vicina deserto : castella enim erant loca munita (alias, minuta) in finibus civitatum. Quasi dicat : Non poterunt redire hodie ad propria, dimitte ergo, ut saltem ementes in castellis necessaria, refocillent membra lassitudine confracta. « *Emant sibi escas.* » Genes. xlii, 2 : *Emite nobis necessaria, ut possimus vivere, et non consumamur inopia.*

« *Jesus autem dixit eis : Non habent*

necesse ire : date illis vos manducare. »

Hic ponitur discipulorum instructio. Et dicuntur tria : primo enim ponit eorum quæ allegabant exclusionem : secundo, imperat discipulis turbarum cibationem : tertio autem discipulorum ad hoc ostenditur penuria.

De primo dicit : « *Non habent necesse ire,* » habentes juxta se universorum Dominum, de quo dicitur, ad Roman. x, 12 : *Qui dives est in omnes qui invocant illum.* I Petr. v, 7 : *Omni sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Psal. liv, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.*

« *Date illis vos manducare.* » Ecce mandatum, per quod injungitur discipulis, ut subditis de hoc quod acceperunt a Domino, procurent pabulum tam spiritus quam corporis, si necesse fuerit, et facultas adsit. Eccli. xxix, 33 : *Orna mensam : et quæ in manu habes, ciba cæteros.* Infra, xxiv, 45 : *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore ?* Econtra de male providentibus dicitur, Threnor. iv, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Dominus autem dixit Petro, Joan. xxxi, 17 : *Pasce oves meas.* Hoc intellexerunt Apostoli, quando pupillos, et viduas, et alios pauperes fideles in suas susceperunt procuraciones ¹. II ad Corinth. xii, 13 : *Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

« *Responderunt ei : Non habemus hic nisi quinque panes, et duos pisces.* »

Ecce excusatio discipulorum. « *Non*

¹ Cf. Act. vi, 1 et seq.

habemus hic nisi quinque panes. » Joan. vi, 9, addit, *hordeaceos.* « *Et duos pisces.* »

Sed contra, Joan. vi, 9 : *Est puer unus hic, qui habet,* etc. Et ibi dicitur, ꝯ. 5, quod Jesus dixit ad Philippum : *Unde ememus panes, ut manducent hi ?* RESPONSIO, quod dixit hoc ad Philippum primo, quia specialiter indiguit instructione propter simplicitatem : et postea dixit ad omnes, quod continetur hic. Et Philippus respondit quod dixit Joannes : et postea omnes responderunt, quod hic continetur.

In hoc autem, quod non habebant pro omnibus Apostolis et discipulis, nisi quinque panes, notatur parcitas eorum in comedendo. Et in hoc, quod secundum Joannem erant hordeacei, notatur duritia victus : et in duobus piscibus notatur parum dulcoramenti pro naturæ fragilitate. Eccli. xxxi, 24 : *Somnus sanitatis in homine parco : dormiet usque mane, et anima illius cum ipso delectabitur.* Daniel. x, 3 : *Panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum.* Piscis autem præbet frigidum dulcoramentum, et non fovet libidinem. Eccli. xxiii, 6 : *Aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, et animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me.*

Secundum mysterium autem, ut dicit Glossa, sunt quinque panes quinque librorum legis refectiones : et duo pisces Psalmi, qui sunt laudes : et Prophetiæ, quæ sunt futurorum prænuntiationes : quia licet in sensu convenient, tamen modo differunt. Luc. xxii, 37 : *Dico vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, scilicet, in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis, oportet impleri in me.*

Vel forte, quinque panes sunt quinque dona Spiritus sancti ad activam vitam pertinentia : quæ sunt consilium in dubiis, fortitudo in adversis, scientia

in cavendis vitiis, pietas in communicandis bonis, et timor in fugiendis malis : duo autem pisces dulcorantes totum hoc, sunt duo dona ad contemplationem pertinentia, intellectus in illustratione mentis de auditu cœlestium, et sapientia in sapore divinorum. Isa. iv, 1 : *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem nostrum comedemus.*

Vel, quinque panes sunt quinque spirituales refectiones : primus est panis verbi in auditu. Supra, iv, 4 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Sapient. xvi, 26 : *Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus qui pascit omnia, hos qui in te crediderint conservat.* Secundus panis est Sacramentum. Joan. vi, 51 : *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Sapient. xvi, 20 : *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, in se omne delectamentum habentem, et omnis saporis suavitatem.* Tertius panis est gratiæ, cor ad virtutis robur confortantis. Psal. ciii, 15 : *Panis cor hominis confirmet.* Et isti sunt tres panes, quos is qui venit de via, amicus noster, a nobis petit ¹. Quartus est panis veritatis in intellectu. Eccli. xv, 3 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus.* Hic est, de quo dicitur, Proverb. xxxi, 27 : *Panem otiosa non comedit.* Non enim datur otiantibus, sed facientibus veritatis intellectus. Quia dicit, Psal. cx, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Psal. cxviii, 104 : *A mandatis tuis intellexi.* Quintus est panis refectionis internæ, qui est panis filiorum. Infra, xv, 26 : *Non est bonum sumere panem filiorum,* etc. Genes. xlix, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.* Duo autem pisces sunt duæ gratiæ omnia dulcorantes : una est gustus spiritus in dulcedine, et altera profectio contemplationis in veritatis ad-

¹ Cf. Luc. xi, 5 et 6.

miratione. Unus est albus piscis et mundus : et alter est dulcis. Luc. xxiv, 42 : *Obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis.* Vel dicatur, quod duo pisces sunt consideratio Passionis Christi et Resurrectionis. Primus est piscis Tobiaë, cujus fel illuminat ¹ : alter est piscis in solo littoris inventus, cujus condimentum est favus mellis in gloria Resurrectionis.

Qui ait eis : Afferte mihi illos huc.

Et cum jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, et duobus piscibus, adspiciens in cœlum benedixit. Et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.

Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis. »

Hic agit de miraculi perfectione. Et dicuntur duo, scilicet multiplicatio panum, et ministerium discipulorum.

Circa multiplicationem panum dicit septem : primum est, quod præcipit quod seminarium pabuli in sistarciis discipulorum ad ipsum referatur, ut ex ipso sufficientiam accipiat. Et hoc notatur per hoc, quod dicit :

« Afferte mihi illos huc. »

II ad Corinth. iii, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et hoc est contra præsum-

ptionem eorum, qui apud se sufficere multis præsumunt.

Secundum est præceptum discumbendi, et modus eorum qui Dei dona recipiunt. Et hoc est :

« Et cum jussisset turbam discumbere super fœnum. »

Lassis enim turbis profecit Dei benedictio percepto incommodo : simul et in metaphora docens sedendo et quiescendo et carnem subjiciendo debere refici animam. Isa. xl, 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.* Si enim subjiciatur caro, tunc sobrie sumitur cibus corporis, et digne sumitur cibus mentis, qui per cibum corporis designatur. Ad Hebr. xiii, 10 : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Ad Hebr. xii, 16 : *Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua.* III Reg. xix, 7 : *Surge, et comede : grandis enim tibi restat via.*

Tertium est acceptatio divina, quod est :

« Acceptis quinque panibus et duobus piscibus. »

Christus enim accepit, quando refectio ad vires reparandas sic sumitur, ut vires in obsequio Dei exerceantur, et expendantur (alias, expandantur). Et ideo dicit, Psal. ciii, 28 : *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Manus enim Christi virtutem habet multiplicatricem virtute in se latentis deitatis, sicut etiam in se manus Dei virtutem creatricem. Psal. cxliv, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Joan. vi, 11 : *Accipit Jesus panes, etc.*

Quartum est ad Patrem cœlestem sui operis directio, cum dicit :

¹ Cf. Tob xi, 8.

« Adspiciens in cœlum. »

Psal. cxx, 1 : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Docuit autem et nos ante cibum ad Patrem cœlestem quotidianum panem dantem adspicere. Job, III, 24 : *Antequam comedam suspiro.*

Quintum est benedictio cum dicit :

« Benedixit. »

Et ignoratur, qua benedictione, vel quo signo benedictionis. I ad Timoth. IV, 5 : *Sanctificatur per verbum Dei, et orationem.* Hoc autem docuit etiam nos, non sine benedictione cibos corporis, vel mentis accipere. Infra, xxvi, 26 : *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis.*

Sextum est, quod dicit :

« Fregit. »

Cibus enim non bene tota virtute nutrit nisi fractus sit, quia naturæ opus suctione perficitur. Suctio autem magis est de interiori medulla quam de cortice exteriori : et hoc magis in cibo verificatur mentis, ubi frequenti meditatione et expositione medulla exsugitur. Luc. xxiv, 35 : *Cognoverunt Dominum in fractione panis.* In hoc etiam notatur, quod non dat panem ad reservandum, quia ille daretur integer : sed sicut supra, vi, 11, dictum est, ad usum quotidianum. Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam.*

Septimum, quod ministrorum manibus commendavit, cum dicit :

« Et dedit discipulis suis, »

Volens eos mereri obsequio et diligentia, et statuere Ecclesiam in ordinibus graduum suorum, quo unus gratiam

Dei dispensative accipiat ab altero : et ad hoc significandum, per corvos pabulum misit Eliæ ¹. Et corvi sunt nigri, aut humilitate, aut peccato ministri Christi : quorum tamen est dispensare pabulum turbis Ecclesiarum. I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

« Discipuli autem dederunt turbis. »

Istud est obsequium ministrorum. Luc. IX, 16 : *Distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.* Supra, X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.*

« Et manducaverunt omnes. »

Hic tangitur gratiæ istius abundantia per effectum, et per quantitatem dupliciter, ad multum in cibo, et ad multitudinem manducantium. Et hæc tria patent in littera.

De effectu dicit : « *Manducaverunt omnes, et saturati sunt,* » scilicet generaliter acceperunt, et effectum satietatis invenerunt. Omnes autem manducaverunt, contra hoc quod dixit Philippus, Joan. VI, 7 : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Saturati sunt, contra hoc, quod dixit Andreas, ibidem, 9 : *Hæc quid sunt inter tantos ?* Psal. LXXVII, 29 et 30 : *Manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis Dominus : non sunt fraudati a desiderio suo.*

« Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum. »

Ecce signum abundantiae in multitudine panis superflui, et piscium. Est autem cophinus vas magnum, quod a

¹ Cf. III Reg. XVII, 6.

dorso portatur ab his qui purgamenta portant platearum. Psal. LXXX, 7: *Manus ejus in cophino servierunt.* Significat autem ea, quæ turba per sensum non attingit: quæ tamen servantur in capacitate sensus Prælatorum. Joan. VI, 13: *Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos plenos fragmentorum ex quinque panibus hordaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant.*

« Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum. »

Ecce signum abundantiæ ex numero comedentium sumptum. « *Exceptis mulieribus,* » quarum multo major numerus consuevit sequi prædicationes quam virorum. « *Et parvulis.* » Parvuli enim, quia non intelligunt, pauci veniunt. Sed hic parvuli secundum Glossam, accipiuntur qui sunt citra viginti annos: illi enim ad bella non procedebant, sicut dicitur, Numer. 1, 2 et 3, et xxvi, 2. Et hoc dicit Glossa.

« Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. »

Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. »

Hinc incipit agere de multiplicatione gratiæ Novi Testamenti, respectu periculi quod est ex causis universalibus mundi, in cujus subventionem generaliter se ostendit et mundi et Ecclesiæ gubernatorem, et liberatorem, et ordinatorem. Propter quem ordinem, spiritualem effectum gratiæ ostendit Petro.

Dividitur autem hæc pars in partes quatuor: in quarum prima ostendit, qualiter navicula cum discipulis pervenit in fluctibus sine eo: in secunda, ostendit periculum, et diutinum laborem re-

migrantium, et timoris causam: in tertia autem ponit auxilium et universale et particulare: in quarta, miraculi ponit effectum. Et hæc patebunt in littera.

In prima harum tria dicit: missionem ante se discipulorum, instantiam orationis pro subditis et redimendis, et quod ipso non existente cum homine, necesse est incurrere periculum.

De primo autem dicit, quod « *statim compulit discipulos ascendere in naviculam.* »

Et dicit quatuor, scilicet velocitatem missionis, modum, et motum, et quo mittebat eos. Velocitatem, cum dicit: « *Statim.* » Causa autem fuit, ut sine mora post magna facta ad humilitatem doceret confugere, et laudes de magnis operibus contemnere: et notatur modus missionis coactivus: quia « *humanæ infirmitati est difficile oblatas laudes non acceptare,* » sicut dicit Augustinus. Et hoc accipitur ex verbis Joannis, VI, 14 et seq., ubi dicitur, quod post miraculum panum, turbæ dixerunt: *Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Et ideo jussit discipulos suos ascendere in navim, et præcedere eum. Navicula autem uti fecit discipulos, ut citius pervenirent, et ut opportunitatem miraculi futuri præstitueret tam in se quam in liberatione discipulorum.

« *Et præcedere eum trans fretum,* » in Bethsaidam, secundum Marcum, VI, 45. Quia sicut dicit Lucas, X, 1, consueverat eos mittere binos et binos *ante faciem suam, in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus.*

« *Donec dimitteret turbas.* » Turba enim ante miraculum devote quæsit eum, et inseparabiliter adhæsit: sed post miraculum multo fortius. Psal. LXII, 9: *Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.* Et ideo oportuit non projicere cum vituperio, nec fugere

statim : sed oportuit (alias, opportune) dimittere sic inseparabiliter adhærentem, sicut Eliseus Eliæ, IV Reg. II, 2 et seq. : *Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Et sicut Jacob Angelo, Genes. xxxii, 26 : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Cantic. III, 4 : *Tenui eum, nec dimittam.*

Alia etiam causa fuit, quod voluit quod turbæ viderent quod non esset cum discipulis, nec in alia navi : et sic convincerentur credere, quod calcatis undis trans mare venisset : et sic non regem hominum quærerent, sed Dominum et Creatorem mundi scirent : et hoc continetur, Joan. VI, 17. Et ibi dicitur, quod discipuli præcesserunt eum in Capharnaum, non in Bethsaidam. Sed dicendum, quod tam Capharnaum quam Bethsaida sunt in eadem ripa, et fines utriusque civitatis devenerunt expectantes eum.

« Et dimissa turba ascendit in montem. »

Secundum est, ubi docet orare : et post magna ad Deum confugere, et non de se præsumere : et ut nihil orationem perturbet, dimittit turbas. Genes. xxii, 5 : *Expectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Eccle. x, 1 : *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.*

Ostendit etiam orationis effectum, qui secundum Damascenum, « est ascensus intellectus in Deum : » et ideo ascendit in montem. Isa. II, 3 : *Venite, et ascendamus ad montem Domini..., et docebit nos vias suas.* Isa. xxxvii, 4 : *Leva orationem pro reliquiis quæ repertæ sunt.* Psal. clx, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum,* etc. Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in caelos.*

¹ Cf. Ad Hebr. ix, 11.

« *Solus* : » dimissis etiam intimis : ut liber affectus, et intentio simplex sint cum Domino. Supra, VI, 6 : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem,* etc.

« *Orare.* » Non pro se, sed pro his qui credebant, et credituri erant in eum. Joan. xvii, 20 : *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Ad Hebr. v, 7 : *Preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

« Vespere autem facto, solus erat ibi. »

Notat, quod ipse sine discipulis erat. Et ideo discipuli inutiliter laborabant, et pericula invenerunt. Notatur autem in mysterio, quod facto vespere occasu suæ lucis in Passione, solus remansit. Joan. xvi, 32 : *Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquantis.* Solus est etiam ibi, ubi fuit cum Deo : quia solus Christus Patri assistens Pontifex futurorum bonorum¹. Solus etiam est, ut liberator suorum in Passione. Isa. lxiii, 3 : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Sed litteraliter : solus ibi erat, ut fidem faceret turbis quod postea non navigio venerat. Isa. xliii, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te.*

« Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus : erat enim contrarius ventus. »

Tangit periculum duplex, scilicet tempestatis, et terroris ex visu Domini et phantasmatis.

De primo dicit :

« *Navicula autem in medio mari ja-*

ctabatur fluctibus. » Tangit triplicem causam periculi tempestatis: quarum prima est ex pravitate instrumenti, quod citius submergitur quam magna et fortis navis. Secunda est ex impossibilitate declinandi: quia erat in medio mari, nec erat divertere. Tertia fuit ex tempestate venti, quia *jactabatur*: quæ jactatio fit ex multis ventis in oppositum procellas projicientibus, ita quod navis dirigi in ventum non potest. Daniel. VII, 2: *Ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* Supra, VIII, 24: *Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Jonæ, I, 4: *Facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri.* Et, ibidem, infra 5. 11: *Mare ibat, et intumescebat.* Primum autem horum mystice est parvæ et pusillanimitatis mentis: secundum, desperationis auxilii: tertium autem instantis fortiter, et tentantis concupiscentiæ et passionis. Psal. LIV, 9: *A pusillanimitate spiritus, et tempestate.* Et hoc est de primo et ultimo. De medio autem, Orat. Manassæ, in medio: *Incurvatus sum multo vinculo ferreo..., et non est respiratio mihi.* Psal. LXVIII, 3: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.*

Et causam ultimi assignat: « *Erat enim ventus contrarius* » illis. Act. XXVII, 14: *Misit se contra navim ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.* Jonæ, I, 4: *Dominus misit ventum magnum in mare: et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri.*

« Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare. »

Hic tangit causam perturbationis ex visu Domini. Et tangit tria, quando scilicet, et qualiter venit: errorem videntium discipulorum, et perturbationem: quæ patent in littera.

De primo ergo dicit, quando et qualiter venit: « *Quarta autem vigilia noctis,* »

quando jam ultra quietis tempus laboraverant: et dupliciter lassati, ex longa videlicet remigatione et forti, et ex ablatione quietis per somnum. Unde, Marci, VI, 48, dicitur, quod tota nocte laboraverant in remigando.

Attende autem, quod secundum divisionem graduum æquinocialis circuli duodecim horæ sunt noctis: ita quod quælibet hora duodecim habet gradus æquales. Secundum autem divisionem Zodiaci sex sunt horæ diei, et sex horæ noctis: quia semper sex signa sunt super hemisphærium, et sex subtus. Sex autem horæ noctis sunt crepusculum, conticinium, intempestum, gallicinium, antelucanum, et diluculum: sed duæ istarum horarum tenebras (alias, tenebris) noctis permistas habent cum lumine, scilicet prima et ultima: et ideo de illis non fit hic mentio. Quatuor autem sunt perfectarum tenebrarum. *Conticinium* quidem a conticendo dictum: quia tunc, frigiditate opprimente organa sensuum, incipiunt conticere homines: *intempestum* autem, quando tempestate congrua profundissimus est somnus: *gallicinium* autem, quando in prima tenebrarum divisione parvis motibus immutantur animalium corpora: et ideo quæ non sollicitantur circa propria, tunc cantant, et moventur: *antelucanum* autem, quando motus lucis pellere et declinare incipit tenebras tenentes (et a tenendo dictas,) et incipit somnus attenuari, et sanguis ebullire ad exterius, et somnia apparere incipiunt, et ideo etiam *antelucanum* vocatur. Marc. XIII, 35: *Nescitis quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.*

Tunc ergo « *venit ad eos.* »

Et tangit modum:

« *Ambulans super mare.* »

Psal. LXXVI, 20: *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis: et vestigia tua non cognoscentur.*

Et attende, quod istud miraculum est

unum de illis, quod dupliciter in toto est mirabile : ex parte enim ambulantis non fuit ablata gravitas molis a corpore, nam illius est mergi : et cum non mergeretur, fuit ibi actus non mersionis cum impotentia ad eundem, sicut cum Virgo, manens virgo, peperit. Similiter ex parte aquæ non fuit ablata fluiditas aquæ; cujus est semper cedere, et circumstare tangens se grave : et tamen hic non cessit : et ideo aliud est istud a divisione Maris rubri, et divisione Jordanis, et divisione Eliæ et Elisei : quia ibi aqua cessit, et liberum per se transitum dedit. Et cedere quidem fuit mirabile, sed non fuit mirabile per cedentem aquam incedere. Hoc autem in Christo demonstravit utramque naturam : divinam in potestate, et humanam in veritate incedentis : et ideo non est dicendum, quod Dominus hic usum dotis illius assumpserit, quæ est agilitas : sicut nec assumpsit usum subtilitatis, sive spiritualitatis in Nativitate. In his omnibus vera et incontradicibilia demonstrantur Filii Dei, secundum utramque naturam : et eliduntur hæreses Marchionis et Manichæi, et Arii, et aliorum, qui Christum aut phantasticum in humanitate, aut simplicem creaturam sine deitate mentiti sunt fuisse, vel esse.

26 « Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes : Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt. »

Tangit terrorem : primo quidem in communi : quia non æstimantes de eo aliquid, tunc inconsiderate in tenebris super mare ambulans apparuit (quod puri hominis non est.) Propter quod putabant esse phantasiam, hoc est, apparentiam hominis, et non existentiam, sed aliquem esse spiritum mare perturbantem. Simile, Lvuc. xxi, 37: *Conturbati*

et conterriti, existimabant se spiritum videre.

Effectus autem istius causæ est triplex : turbatio quidem in rationis titubatione, timor in fugâ cordis secundum systolen, et clamor confusus pro auxilii destitutione : et hæc sunt plana in littera.

Dicit enim : « *Turbati sunt.* » Hæc etiam turbatio fuit orta, quia, sicut dicitur, Marc. vi, 48, ostendebat ac si vellet præterire eos : non quod finxerit Christus, sed ut ostenderet quales essent, eo prætereunte. Job, xxiii, 15 : *A facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor.* Job, iv, 16 et 15 : *Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis. Et cum spiritus, me præsentem, transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.*

Et hoc est quod dicit : « *Dicentes : Quia phantasma est.* » Si quæritur, quare timuerunt id quod phantasma esse putaverunt? Dicendum, quod putabant esse phantasma quoad umbram corporis, sed non quoad rem : quia putaverunt spiritum malignum esse mare commoventem. Job, xli, 22 : *Fervescere faciet quasi ollam profundum mare, et ponet quasi cum unguenta bulliunt.*

« *Et præ timore clamaverunt.* » Hic tangit duo simul. Habacuc, iii, 16 : *Audivi, et conturbatus est venter meus : a voce contremuerunt labia mea.* Jonæ, i, 5 : *Timuerunt nautæ, et clamaverunt viri ad deum suum.*

« Statimque Jesus locutus est eis, dicens : Habete fiduciam : ego sum, nolite timere. »

Ecce confortatio communis discipulorum. Et tangit duo, ablationem terroris ex visu suo, et consolationem Petri.

De primo dicit tria : velocitatem auxilii per hoc quod dicit : « *Statim Jesus locutus est.* » Isa. xxx, 19 : *Statim ut audierit, respondebit tibi.*

Secundo, inducit fiduciam, dicens :

« *Habete fiduciam.* » Jerem. xviii, 7 : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.* Joan. xvi, 33 : *Confidite, ego vici mundum.*

Tertio, aufert timorem : et dicit duo, causam scilicet non timendi, cum dicit : « *Ego sum.* » Genes. xvii, 4 : *Ego sum, et pactum meum tecum,* supple, ponam. Exod. iii, 14 : *Ego sum qui sum* : quia idem ipse sum in mutationibus tempestatum, vel apparitione terribilium, non paveas. Et hoc est quod dicit secundo : « *Nolite timere.* » II Paralip. xx, 17 : *O Juda, et Jerusalem, nolite timere, nec paveatis.* Joan. xiv, 1 : *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite.* Et iterum, infra, ibidem, x. 27 : *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.*

« Respondens autem Petrus dixit : Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.

At ipse ait : Veni. Et descendens Petrus de navicula ambulabat, super aquam ut veniret ad Jesum »

Hic incipit eruditio et confortatio Petri, qui specialiter illa indiguit, sicut Princeps Ecclesiæ, et vertex Apostolorum. Et dicuntur hic tria, scilicet, quod debetur fervori fidei, et quod debetur pusillanimitati fidei, et quod congruit liberatori.

Quod autem debetur fervori fidei, est petitio, exauditio, et effectus in opere petitionis et exauditionis.

Primum est, quod dicit :

« Domine, si tu es, etc. »

Et in hoc dicit tria, scilicet professionem Domini, inquisitionem personæ, et petitionem actus similis ei quem ipse exercuit.

De primo dicit : « *Domine.* » Esther, xiii, 9 : *Domine, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati.* « *Si tu es* » idem in persona, qui demonstraris in potestate : et notatur dilectio Petri, quod etiam ad alium qui ejusdem esset operis cum Christo non iret : et ideo non ad ambulantes supra mare iret, nisi Christus esset : et hoc est, « *Si tu es.* » Ad Philip. ii, 10 : *In nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, et infernorum.* Et respondet ad hoc quod dixit : *Ego sum,* « *jube me venire ad te super aquas.* » Dabis enim voci meæ vocem virtutis, et in verbo tuo potero quod tu poteris per te ipsum. Nec est temeritatis : quia instructio fuit mundi gubernatoris, qui non in una navicula veniret, sed totum mundum gubernans, Vicarius Christi perfectus esse probaretur. Eccle. viii, 4 : *Sermo illius potestate plenus est.* Nec fuit istud tentatio, sed futurorum præsignatio.

« At ipse ait : Veni. »

Concessio, sive exauditio petitionis. Proverb. x, 24 : *Desiderium suum justis dabitur.* Joan. xv, 7 : *Quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.*

« Et descendens Petrus de navicula, etc. »

Fervore spiritus accensus, non cogitans de periculo tempestatum in præsentia Salvatoris. Simile autem fecit, Joan. xxi, 7 et 8, ubi cum a Joanne audivisset, quia Dominus est qui stabat in littore, tunica succinxit se, et misit se in mare : alii autem discipuli navigio venerunt. Fervor enim Petri acutus fuit valde, et omnia tentare ausus fuit in præsentia Salvatoris. Hinc est, quod multitudinem capientium Christum invadens, amputavit servo auriculam ¹. Et dixit : *Tecum*

¹ Cf. infra, xxvi, 51.

paratus sum et in carcerem, et in mortem ire ¹. Et multa fecit, et dixit talia. Hoc autem competit vertici Apostolorum Vicario Domini, qui mundi debuit suscipere gubernacula, sicut diximus.

30 « Videns vero ventum validum, timuit : et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens ; Domine, salvum me fac. »

Secundum est, quod debetur pusillanimitati fidei. Petrus enim licet ferventer diligeret, minus tamen dilexit constanter, et minus sapienter. Unde probari debuit, ut sibi ipsi sua innotesceret debilitas.

Tangit autem causam timoris, tentationem, et effectum timoris, clamorem cum cresceret periculum, et orationem salutis.

De primo dicit : « *Videns vero ventum validum* » venientem. Sed quomodo est hoc, quod modo videt ventum, cum per totam noctem ventus fuerit ?

RESPONSIO : Ventus, qui magis est periculosus in mari, est ille qui non est continuæ exsufflationis : et ille venit in nube post nubem : et talis novæ exsufflationis vidit ventum venientem. Job, 1, 19 : *Ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos.*

« *Timuit.* » Sic Elias primo Achab audacter occurrens, et prophetas Baal occidens ², postea fugiens timuit Jezabel ³. Sic et Moyses timuit Pharaonem, et fugit ⁴ : et David Absalonem ⁵. Omnes enim illi insufflati fuerunt spiritu dæmonis, et cor ipsorum *quasi mare fervens quod quiescere non potest* ⁶.

« *Et cum cœpisset mergi,* » grave-scente periculo. Psal. LXVIII, 3 : *Veni in*

altitudinem maris : et tempestas demersit me. « Clamavit dicens. » Jonæ, 11, 3 : *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me.*

« *Domine, salvum me fac.* » Psal. LVIII, 2 : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* II Paralip. xx, 12 : *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

« Et continuo Jesus, extendens manum, apprehendit eum : et ait illi : Modicæ fidei, quare dubitasti ? **31**

Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus. **31**

Qui autem in navicula erant venerunt et adoraverunt eum dicentes : Vere Filius Dei es. » **31**

Ecce quod congruit liberatori respectu sui Vicarii : cito enim et potenter subvenit, et efficaciter, et utiliter ad eruditionem.

Cito : et ideo dicit : « *Et continuo.* » Esther, XIII, 9 : *Si decreveris salvare Israel, continuo liberabimur.*

Potenter : et ideo dicit : « *Jesus extendens manum.* » II Petr. II, 9 : *Novit Dominus pios de tentatione eripere.* Isa. XLI, 10 : *Suscepit te dextera iusti mei.* Similiter, Supra, VIII, 3 : *Extendens Jesus manum, scilicet misericordiæ, tetigit leprosum, dicens : Volo, mundare.* Proverb. XXXI, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.*

« *Apprehendit eum.* » Supra etiam, VIII, 15, apprehensa manu socrus Petri, *dimisit eam febris.* Et ideo dicit Paulus, ad Philip. III, 12 : *Sequor, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum.* Et in hoc notatur efficacia salutis.

¹ Luc. XXII, 33.

² Cf. III Reg. XVIII, 17 et seq.

³ Cf. III Reg. XIX, 3 et seq.

⁴ Cf. Exod. II, 15.

⁵ Cf. II Reg. XV, 14.

⁶ Isa. LVII, 20.

Et sequitur utilitas ad eruditionem :
 « *Et ait illi : Modicæ fidei, quare dubitasti?* » Non enim tunc habuit fidem, sicut granum sinapis, quod quanto plus teritur, magis redolet¹. Supra, viii, 26 : *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Deprehensus est enim Petrus, qui insipienter fervebat, minus constanter diligere.

« Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus. »

Hoc est de perfectione miraculi. Psal. xcii, 4 : *Mirabiles elationes maris : mirabilis in altis Dominus.* Supra, viii, 27 : *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* Psal. cvi, 25 : *Dixit, et stetit spiritus procellæ.* Eccli. xliii, 25 : *In sermone ejus siluit ventus.* Tob. iii, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis.*

« Qui autem in navicula erant. »

Ecce miraculi effectus. Fuerunt autem in navicula nautæ, et forte aliqui magis familiares. « *Venerunt,* » devotione fidei, « *et adoraverunt eum* » latria. Psal. xciv, 1 : *Venite, exsultemus Domino,* etc. Isa. xlv, 14 : *Te adorabunt, teque deprecabuntur.*

Sed contra, Joan. vi, 21, dicitur, quod *voluerunt accipere eum in navim, et statim navis fuit ad terram.* Dicendum, quod juxta terram fuit : et ideo intrando statim applicuerunt.

« *Dicentes : Vere filius Dei es.* » Joan. xi, 27 : *Ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi.* Infra, xvi, 16 : *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Joan. i, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.*

Sic ergo completa est pars de gratia liberationis in periculo.

« Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. » **34**

Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes. **35**

Et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. » **36**

Hic incipit agere de multiplicatione gratiæ ad curationes infirmitatum. Et tanguntur quatuor, scilicet primo, loci congruitas : secundum est curatorum generalitas : tertium est curandi facilitas : et quartum, salutis efficacia. Et hæc patent in littera.

Dicit ergo : « *Et cum transfretassent* » ultra stagnum, « *venerunt in terram Genesar,* » hoc est, adjacentem illi stagno, ubi Bethsaida Tiberiadis, et Capharnaum, ad quos fama miraculorum crebro pervenerat : et ideo locus devotioni turbarum congruus erat. Marc. vi, 53 : *Cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth, et applicuerunt.*

Et cum cognovissent eum viri loci illius, »

Quod scilicet illuc venerat. Et dicit, « *viri,* » quia fœminea levitas cito ad utrumlibet movetur, sed viri constantis animus non movetur nisi ex magnis causis. Joan. x, 14 : *Ego cognosco meas, et cognoscunt me meæ.* « *Miserunt in universam regionem illam,* » ut sit generalitas ex parte locorum unde veniunt : « *et obtulerunt ei omnes male habentes,* » ut sit generalitas ex parte infirmorum. Supra, iv, 24 : *Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos.* Marc. vi, 54 et 55 : *Cum egressi es-*

¹ Cf. Infra, xvii, 19.

sent de navi, continuo cognoverunt eum : et percurrentes universam regionem illam, cæperunt in grabatis eos qui se malem habebant circumferre, ubi audiebant eum esse.

« Et rogabant eum. »

Et in hoc ostenditur devotio fidei : « *ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent.* » In hoc notatur curandi facilitas. Supra, ix, 21 : *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Psal. cxxxii, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.*

« *Et quicumque tetigerunt.* » Salutis notatur efficacia : « *salvi facti sunt.* » Tactus autem hic perficitur, fide operante per dilectionem. Luc. viii, 46 : *Tetigit me aliquis : nam ego cognovi virtutem de me exisse.* Marc. vi, 56 : *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant.* Activa enim est salutis caro Salvatoris, sicut activus est ignis combustionis. Zachar. viii, 23 : *Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam unius viri Judæi, dicentes : Ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.*

Et sic perficitur gratiæ multiplicatio.

CAPUT XV.

Pharisæorum de lavandis manibus aliisque rebus traditiones, quas Dei mandatis præponebant : et quæ sint coinquinantia hominem : mulier Chananæa perseveranti fide ac supplicatione impetrat filii curationem : Jesus curatis juxta mare Galilææ variis languoribus, quatuor virorum millia septem panibus paucisque pisciculis satiat, sublatis septem sportarum reliquiis.

1. Tunc accesserunt ad eum ab Jerusalemis Scribæ et Pharisæi¹, dicentes :
2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum²? non enim lavant manus suas cum panem manducant.
3. Ipse autem respondens ait illis : Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit :
4. Honora patrem et matrem³ : et :
5. Vos autem dicitis : Quicumque dixerit patri vel matri : Munus quodcumque est ex me tibi proderit :
6. Et non honorificabit patrem suum aut matrem suam : et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.
7. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens :

¹ Marc. vii, 1.

² Marc. vii, 5.

³ Exod. xx, 12; Deuter. v, 16; ad Ephes.

vi, 2.

⁴ Exod. xxi, 17; Levit. xx, 9; Proverb. xx, 20.

8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me ¹.
9. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.
10. Et convocatis ad se turbis, dixit eis : Audite et intelligite.
11. Non quod intrat in os coinquinat hominem : sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.
12. Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei : Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt ?
13. At ille respondens ait : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur ².
14. Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum : cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt ³.
15. Respondens autem Petrus ⁴ dixit ei : Edissere nobis parabolam istam.
16. At ille dixit : Adhuc et vos sine intellectu estis ?
17. Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur ?
18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquant hominem.
19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiam.
20. Hæc sunt quæ coinquant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquant hominem.
21. Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis ⁵.
22. Et ecce mulier Chananæa, a finibus illis egressa, clamavit, dicens ei : Miserere mei, Domine, fili David : filia mea male a dæmonio vexatur.
23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes : Dimitte eam, quia clamat post nos.
24. Ipse autem respondens ait : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel ⁶.
25. At illa venit, et adoravit eum, dicens : Domine, adjuva me.
26. Qui respondens ait : Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.
27. At illa dixit : Etiam, Domine : nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.
28. Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.
29. Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Gaillææ : et ascendens in montem, sedebat ibi.
30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles et alios multos ⁷ : et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos :
31. Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes : et magnificabant Deum Israel.
32. Jesus autem, convocatis discipulis suis ⁸, dixit : Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent quod manducent : et dimittere eos jejunos nolo, ne deficient in via.

¹ Isa. xxix, 13 ; Marc. vii, 6.² Joan. xv, 2.³ Luc. vi, 39.⁴ Marc. vii, 17.⁵ Marc. vii, 24.⁶ Supra, x, 6 ; Joan. x, 3.⁷ Isa. xxxv, 5.⁸ Marc. viii, 1.

33. Et dicunt ei discipuli : Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?
34. Et ait illis Jesus : Quot habetis panes? At illi dixerunt : Septem, et paucos pisciculos.
35. Et præcepit turbæ ut discumberent super terram.
36. Et accipiens septem panes et pisces, et gratias agens fregit et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo.
37. Et comederunt omnes, et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis tulerunt, septem sportas plenas.
38. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres.
39. Et dimissa turba, ascendit in naviculam, et venit in fines Magedan.

IN CAPUT XV MATTHÆI

ENARRATIO.

« Tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ et Pharisæi dicentes :

Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant. »

Hic incipit agere de veritatis evangelicæ auctoritate (alias, de veritate evangelicæ auctoritatis).

Et ideo in duas partes dividitur : in quarum prima veritatis ejus probatur auctoritas, traditioni hominum et ceremoniis legis anteponenda esse : in secunda vero, quia tantæ est auctoritatis, ostenditur esse promulganda : et deviando tam ad gentes, quam ad Judæos, ibi, *ꝯ. 21* : « *Et egressus Jesus secessit.* »

Adhuc, prior harum dividitur in duas partes : in quarum prima modo historiæ inducitur quæstio de hoc facta : et in secunda per determinationem illius ostenditur quod dictum est.

In quæstione autem ponitur dolus quærentium : auctoritas ex professione : et auctoritas ex loco ex parte quærentium : et postea subinfertur ipsa quæstio, quæ

duo continet, dolosam reprehensionem, reprehensionis apparentem rationem. Et per hoc patet divisio.

Dicit ergo :

« Tunc, etc. »

In eodem tempore livore tacti ex fama miraculorum, et quod regem vellent eum constituere : et sic ipsorum minueretur auctoritas, vel reprimeretur.

« *Accesserunt* » in dolo, ac si parcendo verecundiæ Christi nolent arguere eum in publico. *Infra, xviii, 15* : *Corripue eum inter te, et ipsum solum.* « *Ad eum,* » quasi dilectionem simulantes. *Infra, xvi, 1* : *Accesserunt ad eum Pharisæi, et Sadducæi tentantes.*

« *Ab Jerosolymis.* » Ecce auctoritas ex loco. Jerosolymis enim erat summa potestas, et hi quibus summa rerum credita erant : et forte erant missi ad inveniendam occasionem contra eum, vel ut explorarent de fama quæ pervenerat ad eos. Simile est, *Joan. i, 19* : *Et hoc est testimonium Joannis, scilicet Baptistæ, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum : Tu quis es?*

« *Scribæ et Pharisæi.* » Ecce auctoritas ex professione sapientiæ et religionis, qui scirent investigare, et revelli (alias, repellere) non possent ex vitæ dignitate.

Daniel. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.*

« Quare discipuli tui, etc. »

Ecce quæstio in fronte reprehensionem continens. Quasi dicat : Discipuli tui sunt, et culpa eorum in te retorquetur : *Qualis enim rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea*¹. « *Transgrediuntur,* » quasi vilipendentes, « *traditiones.* » Traditio est statutum, observationem aliquam præter legis auctoritatem continens. « *Seniorum,* » quorum cani sunt sensus, et eorum standum est ordinationi de omnibus. Non fuerunt autem illi senes de Patriarchis et Prophetis, quia illorum observationes in canone Scripturæ scriptæ sunt : sed sunt de his, de quibus dicitur, Daniel. XIII, 52 : *Inveterate dierum malorum.* Sapient. IV, 8 et 9 : *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata : cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* Et isti sunt, de quibus dicitur, Isa. X, 1 et 2 : *Væ qui conduunt leges iniquas ! et scribentes, iniustitiam, scripserunt : ut opprimerent in iudicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei.* Hi enim omnia statuerunt ad avaritiam propriam, immiscentes aliquid de exteriori cultu et munditia, ut iniquitatem, quæ erat in aliis statutis obumbrarent.

Et hujus argutæ interrogationis subjungunt rationem, dicentes :

« Non enim lavant manus cum panem manducant. »

Volebant autem hanc traditionem extrahere ab eo, quod dicitur, Levit. XV, passim : Lavetur aqua, qui contrahit immunditiam. Errantes et non intelligentes Scripturas, quoniam hoc, sicut et alia

ceremonialia, ad instructionem dictum est. Isa. I, 16 : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Isa. LII, 11 : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*

Marc. VII, 1 et 2, plenius ista dicuntur sic : *Conveniunt ad eum Pharisei, et quidam de Scribis, venientes ab Jerosolymis. Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt.* Et, post pauca, ꝑ. 3 : *Pharisei enim, et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum.* Et tunc demum formant sic quæstionem, ꝑ. 5 : *Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem ?*

« Ipse autem respondens ait illis : Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram ?

3

Hic ex responsione determinat auctoritatem veritatis evangelicæ omnibus humanis esse anteponendam. Et hoc facit tripliciter : ex auctoritate, ex pietate, et ex veritate : quæ omnia patebunt in literæ expositione.

Ex auctoritate probat, per quæstionem e contrario factam : ex auctoritate simul et pietate, in ostensione exempli : ex auctoritate, pietate et veritate in declaratione veritatis ad turbas.

Dicit ergo primo :

« Quare et vos, »

Qui ex loco summæ potestatis estis, et omnia debetis posse pro veritate, et nihil adversus veritatem. Sic Paulus, II ad Corinth. XIII, 10 : *Secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem.* Et hoc, quia estis Jerosolymitæ. Vel, « *Et vos,* »

¹ Eccle. X, 2.

qui sapientiæ habetis clavem, nec ipsi intratis, nec alios intrare sinitis. Et vos, Pharisæi, qui *mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia*¹.

« *Transgredimini mandatum Dei, etc.* »

Dupliciter : quia videlicet traditiones præter Dei mandata facitis : et quia contraria, quæ cum Dei mandatis stare non possunt, facitis. De primo, Deuter. iv, 2 : *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Deuter. xii, 32 : *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* De secundo ipse Dominus arguit, Infra, §. 4, mandata Dei quæ promisistis implere. Exod. xxiv, 3 : *Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus :* et erimus obedientes. Ad Roman. x, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Similiter, Infra, xxi, 23-28, cum quærent in qua potestate hæc faceret, per contrariam quæstionem confutavit. Similiter, Joan. viii, 3, 10, cum de judicio adulteræ quærent, e contra judicii reatum similem in eos retorquens confutavit.

4

« Nam Deus dixit : Honora patrem et matrem : et : Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. »

Hic incipit ostendere veritatem evangelicam per pietatem quam continet, esse traditionibus anteponebam, et etiam legi : et in pietate etiam est auctoritas.

Et facit tria : primo enim ostendit pietatem evangelicam in concordia ad pietatem naturæ et legis scriptæ : secundo, ostendit impietatem traditionis ipsorum : tertio, convictos de pietate arguit ex prophetia Isaïæ.

Pietatem in concordia ad legem naturæ et scriptam ostendit, assignando duas

leges, unam affirmativam in bonis conferendis, et alteram negativam et prohibitivam in removendis malis.

De prima dicit :

« Honora patrem et matrem. »

Et intelliguntur hic tria : exhibitio honoris, causa, et necessitas.

Exhibitio honoris est triplex : in obedientia honestorum, in reverentia, et ut in statu honesto teneantur. Obedire enim oportet parentibus in honestis : et ideo filius contumax, qui monita patris non audit, lapidatur². Reverentiam etiam oportet in signo exhibere. Ad Hebr. xii, 9 : *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos.* Quod autem teneantur in statu honesto secundum facultatem filiorum, hoc intelligitur : quia si subtrahantur eis necessaria, cum filii habeant unde ministrent, exponuntur turpitudini mendicationis et paupertatis, quod est inhonestum. Et ideo Glossa dicit honorari eos, quando necessaria ei ministrantur.

Causa autem est auctoritas, quam habent in esse filiorum : parentes enim causa filiorum sunt, et auctores.

Necessitas vero, quia crescente virtute in filiis, decrescit in parentibus : et ideo indigent isto honore, et filii possunt hoc ex robore. Eccli. iii, 9 et 10 : *Omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Domino.* Tob. iv, 3 : *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus.*

« Et qui maledixerit, etc. »³

Et est interminatio pænæ in eum, qui contraria facit honori parentum : et sic intelligitur prohibitum. « *Qui maledixerit patri vel matri, morte* » culpæ « *moriatur,* » et morte pænæ. Proverb. xxx, 17 : *Oculum qui subsannat patrem, et*

¹ Vide, Infra, xxiii, 25 et seq.

² Cf. Deuter. xxi, 18-22.

³ Levit. xx, 9 : *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur.*

qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ, hoc est, suspendatur in patibulo, et exponatur avibus devorandus. Hoc igitur dixit Deus, quod præterire non licet, et omnis humana traditio ad hoc implendum debet obsequi.

« Vos autem dicitis : Quicumque dixerit patri vel matri : Munus quodcumque est ex me tibi proderit :

Et non honorificabit patrem suum aut matrem suam : et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. »

Facit primo mentionem traditionis humanæ : et secundo, ostendit esse contrariam pietati divinæ : et tertio, convincit ex hoc in irritum eos revocare mandatum Dei.

De primo dicit :

« Quicumque dixerit patri vel matri. »

Casus traditionis est talis. Aliquis vovit oblationem Deo et Sacerdotibus de bonis suis, non valens Sacerdotibus offerre, et parentibus subvenire simul, sed sufficiens ad alterum. Venit hæc quæstio ad Sacerdotes, ad quos omne dubium referebatur. Statuerunt illi, quod votum esset tenendum, et parentibus non subveniendum : quia votum solvere apud Deum esset major subventio parentum quam temporalium administratio : et si votum non solveretur propter parentes, ex hoc Deus permitteret in egestatem cadere parentes. Et hoc fecerunt, ut suæ per hoc consulerent avaritiæ, quia partem habebant in sacrificiis : et non propter amorem cultus divini.

¹ Cf. I Reg. xxi, 6 et seq.

² Proverb. xx, 25.

Non advertentes, quoniam si jam esset oblatum, pauperibus esset erogandum in necessitate. Sicut David esurienti oblatis sunt panes propositionis comedendi¹ : qui tamen de necessario provisionis parentum non erant oblatis.

Et hoc est quod dicit : « Vos dicitis, » quod filii dicant parentibus necessaria petentibus ab eis : « *Munus* » sacrificii, vel voti, « *quodcumque est ex me,* » hoc est, quodcumque per me offertur, « *proderit tibi,* » o pater, vel mater : et ideo æquanimiter sustine, quia magis tibi prodest apud Deum, quam si ipsum tibi porrigerem. Vel, interrogative legatur sub eodem sensu : Sic tibi proderit hoc? Numquid tibi proderit? Quasi diceret : Non proderit. *Quia ruina est homini devorare Sanctos, et post vota retractare*². Proverb. xxviii, 24 : *Qui subtrahit aliquid a patre suo, et a matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.*

« Et non honorificabit, etc. »

« Arguit, quia cum mandato Dei hoc stare (alias, facere) non potest. « *Et* » ideo « *non honorificabit patrem suum vel matrem suam.* » Cum tamen dicatur, Act. v, 29, quod *obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Et Philosophus, quod « oportet magis obedire diis quam humanis legibus, si dissentiant. » Et ulterius arguit : « *Et irritum fecistis mandata Dei propter tenendam*³ *traditionem vestram.* » Proverb. xxx, 6 : *Ne addas quidquam verbis illius, et arguaris, inveniariisque mendax.*

« Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens :

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.

³ Alias, *tradendam*.

Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum. »

Redargutio est convictorum per prophetiam ejus qui maximæ fuit auctoritatis in prophetia. Et quia accesserunt quasi deferentes, ut occulte arguerent, dicit : « *Hypocritæ.* » Et ideo etiam, quia tam diligentes erant insidiando, ut dum non invenirent in Magistro quid reprehenderent, quæsierunt in discipulis : et non inventes in Dei mandatis, converterunt se ad traditiones seniorum : et in his non invenerunt nisi in corporali et exteriori munditia.

Dicit ergo : « *Hypocritæ,* » pro omnibus his. Infra, xxiii, 13 et passim : *Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ. « Bene prophetavit de vobis Isaias,* » Propheta, xxix, 13¹, « *dicens :* »

« Populus hic labiis me honorat, etc. »

Cum, Psal. xlix, 16 et 17, dicat : *Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? Tu vero odisti disciplinam,* etc. Et sic honoraverunt. Infra, xxii, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces. « Cor autem eorum longe est a me. »* Jerem. xii, 2 : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.* Ad Roman. xvi, 18 : *Per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentium.*

« *Sine causa* » ante oculos « *colunt me,* » quia tale obsequium non remunerat. Supra, vi, 2 : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Psal. lxxii, 27 : *Qui elongant se a te, peribunt. « Docentes doctrinas,* » quoad falsas legis Dei interpretationes, « *et mandata hominum,* » quoad traditiones suas. Hæc autem littera est Septuaginta. Nostra enim

sic habet, Isa. xxix, 13 : *Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem eorum longe est a me, sine causa colunt me : et timuerunt me mandato hominum et doctrinis.* Homo enim doctrinam ex se facere non potest : quia *omnis homo mendax,* ut dicit Psalmus cxv, 11, et Apostolus, ad Roman. iii, 4. Similiter ex se traditionem justam et bonam facere non potest, cum dicat Psalmus xiii, 2, quod non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, etc. Et, Luc. xi, 13 : *Vos cum sitis,* etc. Et, supra, vii, 11. Ideo iste ergo cultus iniquus, falsus et malus, et mandatis Dei contrarius sine causa est : quia remunerationem non meretur.

« Et convocatis ad se turbis, dixit eis : Audite et intelligite.

Non quod intrat in os coinquinat hominem : sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. »

Hic incipit in doctrina gratiæ præcellentem ostendere veritatem supra doctrinas hominum in lege, et super traditiones in faciendis. Et habet tres partes : in quarum prima perspicuam palam omnibus ostendit veritatem : in secunda, dicit hanc non dimittendam esse propter scandalum : et in tertia, non intelligentibus eam adhibet expositionem. Et hæc patent in littera.

In prima harum tria facit : palam loquitur, excitat attentionem, et liquidam proponit veritatem.

Ut enim palam loquatur, dicit : « *Et convocatis ad se turbis.* » Implens hoc, quod supra dixit, x, 27 : *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Quasi diceret : Pharisei mihi susurrant ad aurem,

¹ En verba Isaiæ prophetæ ex Vulgata, xxix, 13 et 14 : *Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat*

me, cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis, ideo ecce ego, etc.

quia *qui male agit, odit lucem* ¹, ego autem omnibus manifeste dico : quod enim omnes tangit, omnibus proponendum est.

« *Audite*, » obediendo, « *et intelligite*, » veritatem discernendo. « *Audite* » contradictiones, « *et intelligite* » contra doctrinas hominum. Eccli. III, 31 : *Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam*. Vos ergo, turbæ devotæ, audite, et intelligite, non Scribæ et Pharisæi. Proverb, III, 32 : *Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus*.

« Non quod intrat in os, coinquinat hominem. »

Ratio autem hæc est : quia quod in os intrat ab exteriori, movetur in hominem : et ideo si hoc coinquinaret, sequerentur duo inconvenientia ; unum est, quod creatura Dei bona non esset, cum scriptum sit, Genes. I, 31 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*. I ad Timoth. IV, 4 : *Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*. Secundum inconveniens esset, quod homo coinquinaretur iniquatione culpæ non de suo opere, vel dicto, vel cogitatione : quod iterum falsum est : quia « peccatum est » dictum, vel factum, vel concupitum « contra legem Dei. »

Et attende, quod hic totus ille ciborum discretorum modus, qui, Levit. XI, 1 et seq., continetur, a doctrinis hominum ad doctrinam Spiritus Dei est revocatus, ut spiritualiter intelligatur, et non carnaliter. Et hoc Petro significatum est, Act. X, 15 : *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*. Et per consequens omnia ceremonialia a doctrinis humanis ad veritatem spiritus sunt revocata. Unde etiam cum coram Apostolis quæstio magna fieret de his, judicaverunt

¹ Joan. III, 20.

hæc in novæ gratiæ populo non esse tenenda ².

« *Sed quod procedit de ore, hoc coinquinat hominem.* » Sicut enim id quod invenit homo polluto et corrupto humore permistum, immundum est : ita illa quæ ex corruptione hominis ab intus procedunt, immunda sunt. Est autem os exterius, quod loquitur ea quæ in spiritu vocis formata sunt : spiritus autem ille corporeus formam, quæ est intentio verbi, accipit a spiritu incorporeo, qui est in corde : et ille est primum os determinans omnia cogitanda et loquenda et agenda : et de hoc ore intelligitur quod hic dicitur : et illius organum est os exterius : et quidquid procedit ab illo ore polluto et corrupto, immundum est, sicut vomitus. Ad Titum, I, 15 : *Coinquinatis et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia*. Supra, XII, 35 : *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala*. Psal. X sec. Hebr., 5 : *Non est Deus in conspectu ejus : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*. Ad Hebr. XII, 15 : *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur, et per illam inquinentur multi*.

« Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei : Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt ? »

Hic ostendit, quod veritas etiam offendens aliquos non est dimittenda propter offensam (alias, offensionem) eorum. Et dicit duo : objectionem scandali factam a discipulis, et determinationem objectionis.

Dicit ergo : « *Tunc accedentes discipuli ejus.* » Et causa quæstionis est, vel admonitionis : quia et ipsos discipulos adhuc carnaliter legi adhærentes tetigit istud, sicut et Pharisæos : et ideo objiciunt scandalum. « *Dixerunt ei,* » quasi

² Cf. Act. XV, 1 et seq.

in alios causam dicti referentes : « *Scis*, » qui omnia nosti antequam fiant, « *quia Pharisæi*, » carnaliter observantes, « *audito hoc verbo*, » cum insidiatores huc missi sint ab Jerusalem, « *scandalizati sunt ?* » hoc est, offensi, et impingunt teipsum tamquam accusatione dignum. Et dicunt *scandalizati* passive, deferentes Magistro qui non scandalizavit, licet illi scandalizentur. Isa. LIX, 10 : *Impegimus meridie quasi in tenebris*.

13

« At ille respondens ait : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.

14

Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum : cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. »

Hic determinat objectionem : et primo per generalem propositionem, quæ ostendit removendas esse doctrinas, et mandata hominum : secundo autem dicit, quod sinendi sunt esse in scandalo cæci hoc non videntes, quia propter hominem non est præjudicandum veritati : tertio, tangit nocumentum quod provenit ex hoc quod veritas non videtur. Et hæc patent in littera.

Dicit igitur : « *Omnis plantatio*, » quæ est quasi superexcrementa arboris, quæ est sicut doctrina hominis, in falso, vel carnali intellectu : vel traditio contra pietatem existens, « *quam non* » secundum spiritum « *plantavit*, » intus in radice veritatis et pietatis, « *Pater meus cœlestis*, » qui agricola est, ut dicitur, Joan. xv, 1. Et plantat aliquando per se, aliquando per ministrum, vera in credendis, et pia in faciendis. Isa. LX, 21 : *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum*. Eccli. xxiv, 42 : *Dixi : Rigabo hortum plantationum, et inebriabo prati mei fructum*. Per ministrum autem, I ad Corinth. iii, 6 : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incre-*

mentum dedit. Et de Christo qui plantat, ut dispensator et Filius, Isa. LI, 16 : *Posui verba mea in ore tuo, et in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, et fundes terram*.

Ista ergo non eradicabitur, sed quam Deus non plantavit, sed homo per se et de suo, illa « *eradicabitur*. » Job, xv, 29 : *Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terram radicem suam*. Sapient. iv, 3 : *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt*.

Manichæus autem dicens duos plantatores, quod hic dicitur, sine causa allegat : quia plantatio quæ eradicatur plantata hic dicitur ab homine, non in fundamento veritatis et pietatis : et hoc fit libero arbitrio hominis, qui mendax est, sicut ante diximus : et ideo fundamentum veritatis stabilis ex se non habet.

« Sinite illos »

In scandalo : quia « *cæci sunt*, » nolentes videre, « *et duces cæcorum*, » quos venire ad veritate impediunt. *Sinere* autem *illos* dicit duo : scilicet, quod permittantur in turbatione, ne præjudicium fiat veritati : et quod vitentur in imitatione erroris. Apocal. xxii, 11 : *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Psal. LXXX, 13 : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis*. Luc. xxii, 51 : *Sinite usque huc*. « *Cæci sunt*. » Isa. XLII, 19 : *Quis cæcus, nisi servus meus ?* Isa. LVI, 10 : *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi*. Ad Roman. ii, 19 et seq. : *Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium.... Qui ergo alium doces, teipsum non doces*.

« *Cæcus autem si cæco ducatum præstet*. » Tangit nocumentum, quod incurritur, quando non lucide veritas docetur. « *Ambo in foveam*, » peccati et damna-

tionis, « *cadunt.* » Isa. xxiv, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Psal. vii, 16 : *Incidit in foveam,* etc. Psal. xciii, 12 et 13 : *Beatus homo quem tu erudieris, Domine: et de lege tua docueris eum. Ut mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.* Job, xl, 8 : *Facies eorum demerge in foveam.*

• « Respondens autem Petrus, dixit ei : Edissere nobis parabolam istam.

• At ille dixit : Adhuc et vos sine intellectu estis ?

Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur ?

Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquant hominem.

• De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, et blasphemiam.

Hæc sunt, quæ coinquant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquant hominem. »

Hic liquide explanat promulgatam veritatem. Et dicit duo : inquisitionem Petri, et explanationem Christi.

Et explanatio Christi duo continet, scilicet partem intrantium non coinquantium, et exeuntium et coinquantium. Et per hoc patet divisio.

Dicit ergo Petrus : « *Edissere nobis parabolam istam.* » Detentus enim carnali intellectu legis, putabat Christum parabolice loqui, qui doctrinas de cibus revocavit ad novæ gratiæ veritatem.

« *At ille dixit,* » explanando.

Et primo ponit increpationem, dicens : « *Adhuc et vos,* » post tot audita, et visa

et exposita : vos quibus *datum est nosse mysteria regni cælorum*¹, « *sine intellectu* » veritatis « *estis.* » Psal. lxxxii, 5 : *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulat : movebuntur omnia fundamenta terræ.*

« *Non intelligitis quia omne quod in os intrat,* » ab intrinseco, « *in ventrem vadit,* » et ideo non polluit : « *et in secessum emittitur.* » *Secessus* vocatur omnis porus per totum corpus sive manifestus, sive occultus, per quem purgatur corpus, sive per resolutionem superfluitatis siccæ, sive per resolutionem superfluitatis humidæ, sive per sudores, sive per evaporationes, sive per sorditiem omnium pororum fiat.

Et attende, quod dicunt Rabanus et Beda fratres, quod quidam arguunt Dominum hic tamquam physicæ disputationis ignarum, quod dixerit totum, et omne nutrimentum transire per secessum, et nihil in naturam corporis converti : et ideo quidam nihil omnino de physicis scientes, volunt consolari locum istum, et majores dicunt abusiones quas physici magis derident, quam hoc quod hic dicitur. Dicunt enim quod in veritate nihil de nutrimento transit in humanam naturam, sed nutrimentum facit in ea quod plumbum facit in camino cum auro : dicunt enim, quod defendit aurum ab incendio : et sic nutrimentalis humor defendit veritatem (alias, vitam) humanæ naturæ, et non convertitur in ipsam : sed ipsa in se multiplicatur ad sui esse, et ad sui quantitatem. Et hoc deridet omnis physicus homo magis quam primum. Et in hoc quod nituntur evadere incidere. Ad quid enim oportet fieri tot expensas pro cibus ? quia secundum hoc, omnis cibus æqualiter conveniens est corpori, si nullus incorporatur : quia non accipitur nisi ut humor resistens calori.

Adhuc, ille humor aut resistit calori, in quantum contrarius, aut in quantum

¹ Matth. xiii, 14.

conveniens? Si in quantum contrarius, tunc pro cibo et potu homini sufficit ad vitam aquæ potus maxime, et erit maxime delectabilis: si in quantum est conveniens, hoc erit mirabile, quod conveniens resistat. Detur tamen eis secundum hoc vivere homo delectabiliter potatus solo oleo: et hæc sunt absurda, et non proveniunt nisi ex procaci ignorantia quæ se scire contendit, cum nihil sciat.

Dicamus igitur, quod si quis bene interiorius sciat physicam, Domini sermones non habent dubitationem: quoniam Aristoteles probavit in I de *Generatione*, quod « caro materialis influit continue, « et effluit in id quo nutritur animal « quodcumque: » caro autem nutrimentalis tota est caro dicta secundum materiam: ergo tota et omnis influit per cibum, et effluit per secessionem. Et tamen in medio influxus et effluxus est vera materia corporis: et hoc non negat Dominus. Caro autem dicta secundum materiam, est quæ tantum ad supplementum vacuitatum corporis. De hac autem resurget, quod satis est ad staturam resurgentis, sicut etiam dicit de capillis. Augustinus in libro XXII de *Civitate Dei*: Et si non sit in aliquo (sicut in pueris) quod satis est, de ista supplebitur ab opifice: et sicut diximus de carne, ita est de aliis membris similibus: et hæc est sententia Augustini. Et secundum hoc nihil dubietatis est in littera. Qui enim dicunt hoc tantum esse de veritate humanæ naturæ, quod apparebit in resurrectione, licet verum dicant aliquo modo, tamen non satis dicunt: hoc enim est de veritate humanæ naturæ, de quo aliquando possum dicere: hæc est vera et vere natura humana: et hoc possum dicere de omni materia demonstrata sub forma hominis: sed hoc non est de veritate humanæ naturæ, sine quo verior est humana natura, quam cum ipso: sicut est corruptio, et senectus, et huiusmodi, quæ ex peccato acciderunt: et per hoc patet solutio omnium.

« Quæ autem procedunt de ore, »

Primo interiori, quod informat os exterius secundum infectionem (alias, imperfectionem) oris, sunt immunda: et ideo immundant. Et hoc est quod sequitur: « *De corde exeunt.* » Et intelliguntur exire non aliunde deviata, sed de propriis cordis prodire conceptibus, et affectibus: quia non semper diabolus hoc immittit, sed sunt partus proprii cordis. « *Et ea coinquant hominem.* » Eccli. xxiv, 4: *Ab immundo quid mundabitur? et a mendace quid verum dicitur?*

Et exemplificat illa per actus cordis et operis et locutionis, in majoribus ponens exemplum: et hoc est: « *De corde enim exeunt,* » tamquam ex fonte, vel instrumento diaboli: bona enim non exeunt de corde, sed ex Deo. Isa. xxvi, 12: *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.* Joan. xv, 5: *Sine me nihil potestis facere.* II ad Corinth. iii, 5: *Non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quæ autem de proprio fundo (alias, ore) cordis exeunt, sunt « *cogitationes malæ,* » quoad ea quæ sunt cordis: « *homicidia, adulteria, fornicationes, furta,* » quoad opera nocentia proximo in substantia corporis: quoad esse individui, « *homicidia:* » et secundum nocumentum illatum in conjuncto sibi ad sustentationem speciei, « *adulteria:* » et quoad solum concubitus in corpus peccantem, « *fornicationes:* » et secundum nocumentum illatum in his quæ data sunt in solatium infirmitatis sustentandæ, « *furta:* » et quoad peccatum gravius in verbo contra proximum, « *falsa testimonia,* » in quibus intelligitur mendacium et perjurium: et majus, quod est in verbo contra Deum, « *blasphemix,* » de qua, Supra, xi, 32, dixit: quod non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro.

« *Hæc* » igitur et his similia, « *coinquant hominem,* » ex propriis hominum

actibus accipientes causam coinquinatio-
nis.

« *Non lotis autem manibus manduca-
re non coinquinat hominem,* » sicut su-
perius explanatum est : quia, sicut dicit
Chrysostomus « sæpe transibant sata fri-
« cantes spicas, ubi aqua non fuit ad
« lavandum, et sæpe agebant in desertis,
« ubi aqua non fuit. » Et sicut dicit Au-
gustinus : « Nimius appetitus munditiæ
« corporalis sordes inducit mentis : et
« ablutio corporis nihil penitus confert
« ad munditiam mentis. » Unde, Jerem.
II, 22 : *Si laveris te nitro, et multiplica-
veris tibi herbam borith, maculata es
coram me, dicit Dominus Deus.* Et Poe-
ta, de Helena :

Si fueris lota, si vita sequens bona tota :
Non eris ignota, non eris absque nota.
Passa modo Paridem, Paridem modo testa
[per idem,
Es factura fidem, ne redeas in idem.
Rumor de veteri faciet ventura timeri :
Cras poterunt fieri turpia, sicut heri, etc.

« Et egressus inde Jesus, secessit in
partes Tyri et Sidonis. »

Probata auctoritate, pietate, et veritate
Evangelicæ veritatis, tangit hic demon-
strationem illius veritatis in primitiis ad
gentes primo, et postea in conversione
ultima ad conversionem Judæorum in
parte sequenti, ibi, 29 : « *Et cum
transisset inde Jesus, venit secus mare,*
etc.

In prima harum, in qua præsignatur
transitus fidei ad gentes, tria continen-
tur : in quorum primo ostenditur op-
portunitas salutis transferendæ ad gen-
tes ; et in secundo, probatio fidei et
devotionis gentium : et in tertio, com-
mendatio cum effectu salutis. In prima
offertur et petitur, in secunda probatur
et approbatur, in tertia autem commen-
datur et efficitur. Et hæc patent in lit-
tera.

In prima tanguntur duo, scilicet obla-

tio per appropinquationem Christi, et
petitio per orationem mulieris.

De primo horum tanguntur tria : reces-
sus ab obstinatis, cum dicit :

« Et egressus inde Jesus, »

A loco, in quo dolosi erant Judæi et
Scribæ et Pharisæi ab Jerusalem ve-
nientes. Matth. xxiii, 38 : *Ecce relinque-
tur vobis domus vestra deserta.* Act. x,
15 et seq., statim postquam dictum est
Petro, quod nihil commune dicat quod
Deus sanctificavit, mittitur ad Cornelium,
qui fuit gentilis : et hic statim post re-
probationem discretionis ciborum, Do-
minus vadit ad gentes.

« Secessit. »

Secundum est, quod occulte ivit de-
clinans calumnias tentantium. Simile,
Supra, xiv, 13, ubi secessit propter He-
rodem.

« In partes Tyri et Sidonis. »

Tertium est, quo ivit : Tyrus enim et
Sidon civitates sunt gentilium, de qui-
bus, Supra, xi, 21 : *Quia si in Tyro et
Sidone factæ essent virtutes quæ factæ
sunt in vobis, olim in cilicio et cinere
pœnitentiam egissent.* Act. xxi, 3 et seq.,
dicitur, quod Tyri et Sidonii cum omni
gaudio receperunt verbum.

Sed cum, Supra, x, 5, dixerit : *In
viam gentium ne abieritis,* quare modo
in propria persona vadit? Dicendum
quod ipse suo mandato non obligatur.
Vel, dicendum melius, quod non vadit ut
prædicet, vel maneat, quod supra prohi-
buit : sed occasione præfigurandæ salu-
tis gentium, in commendatione fidei
gentibus (alias, gentilibus) in compara-
tione ad infidelitatem Scribarum et Pha-
risæorum, quod non prohibuit.

Attende autem, quod dicit *in partes,*
et non in civitates : quia confinia tan-
tum intravit. Et egressus iste a Judæis,

sicut, Genes. XII, 1 : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua*, dicit Pater ad Filium in typo Abrahæ. Secessit autem in partes, et non in totum : quia Tyrus *angustia*, et Sidon *venatio* interpretantur : et est angustia mala, quæ est culpæ, et est angustia bona, quæ est pœnæ ex misericordia assumptæ : et hanc partem Christus assumpsit, et non totam. Similiter est venatio mala, de qua dicitur, Eccli. XIII, 23 : *Venatio leonis onager in eremo*, hoc est, Nemroth : et est venatio bona, de qua, Jerem. XVI, 16 : *Mittam eis multos venatores, et venabuntur eos*. Genes. XXVII, 3 et 4 : *Cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, et affer ut comedam, et benedicat tibi anima mea* : Et hæc est venatio bona, quæ est in captu silvestrium pecorum : et hanc Christus intravit, cum se gentibus obtulit. Sic repulsi Paulus et Barnabas ab obstinatis, Act. XIII, 46, dixerunt : *Quoniam repellitis verbum Dei, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes*.

22 « Ecce mulier Chananæa, a finibus illis egressa. »

Secundum est primæ partis, ubi tangitur ex parte gentium petitio salutis. Et tanguntur hic tria ex parte mulieris gentilis, scilicet sexus, patria, et devotio.

Sexus, cum dicit : « *Et ecce mulier.* » Sexus fragilis, facile seducibilis : modo masculinum sibi ingerens animum, sicut dicitur, II Machab. VII, 20 : *Supra modum autem mater mirabilis*, etc. Ruth, III, 11 : *Scit omnis Israel mulierem te esse virtutis*.

Originem autem tangit in communi, et in speciali. In communi : « *Chananæa.* » Quia terra dicitur Chananæa, aut quia de dispersione fuit Chananæorum expulsorum a filiis Israel, cum sorte terram acciperent. Congruit autem, quia mutata fuit a veteri vita in novam reli-

gionis fidei conversationem. Ad Ephes. IV, 23 et seq. : *Renovamini spiritu mentis vestræ*, etc. Isa. XIX, 18 : *Erunt quinque civitates, loquentes lingua Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum*. In speciali etiam tangitur : « *A finibus illis,* » malæ angustię, et malæ venationis, « *egressa* » per pœnitentiam. Genes. XIX, 14 : *Egredimini de loco isto, quia*, etc. Et infra, ꝑ. 17, dicitur ad Lot : *Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione*.

« Clamavit, dicens ei : Miserere mei, Domine, fili David : filia mea male a dæmonio vexatur. »

Hic tangit qualis fuit in petitione. Et dicit duo : intentionem devotionis, et rationabilitatem orationis.

De intentione devotionis dicit : « *Clamavit,* » non tam alta voce oris, quam magna cordis devotione. Exod. XIV, 15 : *Quid clamas ad me ?* Jerem. XXXIII, 3 : *Clama ad me, et exaudiam te.* « *Dicens :* » non confuso clamore, sed dicens quid petat. Ad Roman. XII, 1 : *Rationabile sit obsequium vestrum*.

« Miserere. »

Tangit petitionem : et in hac petitione quædam ex parte sui, quædam ex parte filiæ proponit, hoc est, ex parte orantis compassionem, et pietatis naturalis affectum : ex parte ejus quem orat, confitetur majestatem deitatis per fidem, et misericordiam humilitatis per assumptam ex David humanitatem : ex parte autem ejus pro qua orat, naturalis vinculi obligationem, mali quod patiebatur intolerabilitatem, vexantis impietatem, doloris acerbitatem.

Dicit ergo primum ex parte sui compassionem : « *Miserere,* » quia jam misera sum, alienam passionem meam efficiendo. Eccli. XXXVI, 1 : *Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum*.

« *Mei,* » quia pietate naturali ad hanc compassionem me obligasti faciendo matrem. Isa. XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?*

Deinde subjungit ea quæ sunt ex parte ejus ad quem orat, dicens : « *Domine,* » in cujus ditione cuncta sunt posita¹, qui vitæ et mortis habes potestatem. « *Fili David,* » ex natura sciens compati. Ad Hebr. IV, 15 : *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Ad Hebr. II, 17 : *Debit per omnia fratribus simulari, ut misericors fieret.* Ex patre autem habens ignoscendi facilitatem, qui in manibus habens inimicum dimisit et fugit, impropria sibi convitiantem prohiberi noluit, suum persecutorem deplanxit². Marc. X, 48 : *Fili David, miserere mei.* Supra, IX, 27, *miserere nostri, fili David.* Matth. XXI, 9 : *Hosanna filio David.*

« *Filia mea.* » Allegat ex parte ejus pro qua rogat, oblationis naturalis necessitatem. « *Filia mea,* » carnaliter, et magis spiritualiter. Ad Galat. IV, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* II ad Corinth. XI, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* « *Male,* » intolerabiliter. Thren. I, 12 : *Videte, si est dolor sicut dolor meus?* « *A dæmonio.* » Supra, VIII, 6 : *Domine, male torquetur a dæmonio.* Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.* Jerem. XXIV, 9 : *Dabo eos in vexationem afflictionemque omnibus regnis terræ.* Et hoc est, quod dicit : « *Vexatur.* » Isa. XIX, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium.*

« Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant

¹ Cf. Esther, XIII, 9.

² Cf. I. Reg. XXIV, 5 et seq., XXVI, 9 et seq. :

eum, dicentes : Dimitte eam, quia clamat post nos. »

Hic tangitur probatio mulieris per tria, scilicet per dissimulationem, abnegationem, et exprobrationem : et mulieris approbatio per longanimitatem, et instantissimam obsecrationem, et humilitatis exprobratæ recognitionem, et confessionem. Et hæc patent in littera.

In primo horum tangitur dissimulatio longanimitate (alias, longanimitatis) clamantis primo, postea supplicatio discipulorum.

Dicit ergo : « *Qui non respondit ei verbum,* » ut omnibus ostenderet longanimitatem. Habacuc, I, 2 : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis?* Cantic. V, 6 : *Vocavi, et non respondit mihi.*

« Et accedentes discipuli rogabant eum. »

Tamquam acceptiores, pro quibus exaudiat. « *Dicentes : Dimitte eam,* » hoc est, absolve nos ab ea, « *quia clamat post nos,* » importune instando. II ad Timoth. IV, 2 : *Insta importune, opportune.* Luc. XVIII, 1 : *Oportet semper orare et non deficere.* Isa. LXII, 6 et 7 : *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei.*

Videtur autem secundum ea quæ hic dicuntur, quod Dominus fuit in via : Marc. autem, VII, 24 et 25, sic dicitur : *Inde surgens Jesus, abiit in fines Tyri et Sidonis : et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit et procidit ad pedes ejus.* Ad hoc autem dicendum, quod primo fuit in via, et secuta est in domum, et ibi nolens exaudire coram Judæis, exivit in viam iterum :

et II Reg. I, 17.

et tunc discipuli dixerunt, quæ hic dicuntur. Isa. xix, 20 : *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis.*

24

« Ipse autem respondens ait : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. »

Hic tangitur abjectio (alias, objectio).

« *Non sum missus,* » a Patre per me in persona, « *nisi ad oves* » errantes, simplices et pios ex Judæis convertendos, « *domus,* » hoc est, familiæ, « *Israel,* » cujus semen totum est benedictum : sed opportuno tempore transibo ad gentes per Apostolos, et tunc erit tempus ista quæ petis, perficiendi : quia modo sacramenta salutis in Judæa perficio, eo quod salus ex Judæis est.

Et dixi vobis, supra, x, 5 : *In viam gentium ne abieritis.* Et hoc est : « *Non sum missus* » Isa. lxi, 1 : *Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde,* etc ¹. Mittitur enim deceptis veritas, errantibus vita. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *Nisi ad oves quæ perierunt.* » I Petr. ii, 25 : *Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, et Episcopum animarum vestrarum.* Joan. xi, 51 et 52 : *Prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente : et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Luc. xv, 4 : *Nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam.*

25

« At illa venit, et adoravit eum, dicens : Domine, adjuva me. »

Contra abjectionem (alias, objectionem) proponit humillimam adorationem, et instantissimam petitionem, et fidei appropinquationem, quæ per dilectionem

operatur. De qua dicit : « *At illa venit.* » Joan. iv, 7, *Venit mulier ad hauriendum aquam ex fonte misericordiæ.* « *Et adoravit eum,* » latriæ adoratione. Isa. lx, 14 : *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te.* Isa. xlv, 14 : *Te adorabunt teque deprecabuntur.* « *Dicens : Domine,* » qui solus habes immortalitatem, et lucem habitas inaccessibilitatem ².

« *Adjuva me.* » Esther, xiv, 3 : *Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam, et cujus præter te nullus est auxiliator alius.* Psal. lxxviii, 9 : *Adjuva nos, Deus salutaris noster.* Non sicut dixit ille, Marc. ix, 21 : *Si quid potes, adjuva nos misertus nostri.* Et ideo respondit ei Dominus, ꝑ. 18 et seq. : *O generatio incredula, quamdiu ero apud vos, quamdiu vos patiar?... Si potes credere, omniaabilia sunt credenti... At ille dixit : Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.*

« Qui respondens ait : Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. »

Hic tangitur exprobratio mulieris.

« *Non est bonum,* » hoc est, non est adhuc tempori opportunum, « *sumere panem filiorum,* » promissum filiis, de quibus dicitur, Osee, xi, 1 : *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Exod. iv, 22 : *Filius meus primogenitus Israel.* Panis autem est salus parata per doctrinam et gratiam Evangelii. Genes. xlix, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.* Isa. xxx, 23 : *Panis frugum terræ erit uberrimus, et pinguis.*

« *Et mittere canibus,* » hoc est, gentilibus, qui canes sunt per idololatriæ voracitatem. Isa. lvi, 11 : *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Supra, vii, 6 : *Nolite dare sanctum canibus.*

¹ Cf. Luc. iv, 18.

² Cf. I ad Timoth. vi, 16.

« At illa dixit : Etiam, Domine : nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. »

Opponit exprobatiori humillimam improprii recognitionem, et adhibet petitionis rationem.

Unde dicit : « *Etiam, Domine* » Quasi dicat : Canis sum : saluum per omnia est verbum tuum. II Petr. II, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum*. Tamen et si vere (alias, vera) catula sum, tamen non peto modo salutem communem gentis meæ, sed unius miserere filiæ, cui hoc opportunum est concedere.

« *Nam et catelli* » quibus inter communes canes non paratur refectio, « *edunt,* » non præparationes communes, sed « *de micis,* » reliquiis gratiæ, « *quæ cadunt de mensa,* » in qua sunt præparationes communes, « *dominorum suorum,* » filiorum Israel, quibus iste panis paratus est. Et est, ac si dicat : Ista filia mea si debeat exspectare salutem communem gentium, citius morietur quam consequatur : et ideo quædam reliquiæ gratiæ per teipsum in eam deriventur. Hoc significatum est, Ruth, II, 3, quæ gentilis ivit in agrum Judæorum, et collegit spicas, quæ effugere poterant metentium manus.

18 « Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora. »

Hic ponitur commendatio, et exauditio.

Unde, « *Ait illi : O mulier.* » Sexum tangit, ut mirabilius sit, et commendabilius. « *Magna est fides tua.* » Supra, VII, 10 : *Non inveni tantam fidem in Israel*. Fides enim vivit per opera, quantitatem accipit per dilectionem. Luc. VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quo-*

niam dilexit multum. « *Fiat tibi sicut vis.* » Non ponit metam, quæ in fide terminum non habuit, quin super omnia veritati divinæ crederet. Proverb. X, 24 : *Desiderium suum justis dabitur.*

« *Et sanata est filia ejus ex illa hora.* » Psal. LXVII, 34 : *Dabit voci suæ vocem virtutis*. Joan. IV, 53 : *Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit : et credidit ipse, et domus ejus tota.*

« Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ : et ascendens in montem, sedebat ibi. »

Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos : et projecerunt eos ad pedes ejus. »

Receptis primitiis Gentium, quas in fide parentis sanavit, non corporali præsentia veniens (sicut et Ecclesia recipit parvulos), redit ad sacramentorum perfectionem in Judæa, ubi fuit corporali præsentia, significans quod veræ reliquiæ Israel convertentur in fine, et omnis Israel salvus fiet, postquam plenitudo Gentium intraverit.

Et tangit inducentia ad fidem : quorum unum est malorum ablatio per indulgentiam sanitarum : et alterum, bonorum omnium collatio per bonorum Domini convivationem.

Circa primum tria dicuntur : male habentium oblatio, eorumdem curatio et ex perfecta sanitate turbæ gratulatio.

In oblato tangit ex parte Dei cui offerebantur locum, altitudinem virtutis figuratiter ostendentem, Christum in potestate benefici quiescentem : ex parte offerentis turbæ, fidei accessum, infirmorum compassionem, diversitatem infirmitatum, oblationis modum. Et hæc per ordinem in littera dicuntur, sicut patet cuilibet.

Ex parte ergo ejus, qui sanabat, dicit :

29

30

« Ascendens in montem, »

Ut ex loco altitudinem suæ potestatis demonstraret. Jerem. xxxi, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Supra, v, 1 : *Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem.*

« *Sedebat ibi,* » hoc est, in potestate benefici quiescebat : quia sibi dulce est benefacere. Proverb. viii, 31 : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Supra, v, 1 et 2 : *Cum sedisset..., docebat eos.*

« Et accesserunt. »

Accessus est fidei ex parte offerentium. « *Ad eum,* » per devotionem, « *turbæ multæ.* »

Sed quare turbæ, supra, v, 1, non poterant ascendere in montem tunc, nunc autem ascendunt ?

RESPONSIO. Quæ a principio minus devotæ, et minus ferventes non ita laborare ad Christum voluerunt, scandendo montes, sicut postea fecerunt, excitatæ sapientia, beneficiis, et miraculis.

« *Habentes secum,* » plus in corde per compassionem, quam in comitatu per societatem. Ad Roman. xii, 15 et 16 : *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus : idipsum invicem sentientes.*

« Mutos, etc. »

Diversitatem tangit infirmitatum. Muti sunt corpore, et mente a laude Dei. Ezechiel. iii, 26 : *Eris mutus, nec quasi vir objurgans.* Qui autem muti sunt, frequenter etiam surdi sunt. Luc. xi, 14 : *Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum.* « *Et claudos :* » in via Dei uno pede ambulantes per fidem, et alio curto claudicantes per pravam operationem. III Reg. xviii, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ?* « *Cæcos.* » Isa. lix, 9 et 10 : *In tenebris ambulavimus. Pal-*

pavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus. « *Debiles,* » toto corpore ex defectu virtutis operativæ. II Reg. iv, 4 : *Erat Jonathæ filius debilis pedibus*¹. « *Et alios multos.* » Luc. vi, 19 : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Psal. ciii, 3 et 4 : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus.*

« Et curavit eos :

Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes : et magnificabant Deum Israel. »

Ecce salutis perfectio. Luc. xiii, 32 : *Ejicio dæmonia, et sanitates perficio.*

« Ita ut turbæ mirarentur. »

Hic ponitur turbæ congratulatio. Et tangit ante admirationem potestatis, et causam admirationis, quæ est perfectio sanitatis : et tertio, magnificentiam laudis : et hoc est, quod dicit : « *Ita ut turbæ admirarentur.* » Supra, ix, 33 : *Mirratæ sunt turbæ dicentes : Numquam apparuit sic in Israel.* Joan. vii, 21, 23 : *Unum opus feci, et omnes miramini... : quia totum hominem sanum feci in sabbato.*

Et sequitur causa admirationis : « *Videntes mutos loquentes.* » Isa. xxxv, 6 : *Aperta erit lingua mutorum,* et lingua balborum velociter loquetur et plane. « *Et claudos ambulantes.* Isa. xxxv, 6 : *Saliet sicut cervus claudus.* Act. iii, 7 et 8 : *Consolidatæ sunt basæ ejus, et plantæ. Et exsiliens stetit, et ambulabat.* « *Cæcos videntes.* » Isa. xxxv, 5 : *Aperientur oculi cæcorum.*

¹ Hic filius vocabatur Miphiboseth, qui est interpretatus *vir confusionis.*

« *Et magnificabant.* » Ecce magnificentia laudis. « *Deum Israel,* » cui promissus est Christus. Psal. xxxiii, 4 : *Magnificate Dominum mecum : et exaltemus nomen ejus in idipsum.* Luc. vii, 16 : *Acceptit autem omnes timor : et magnificabant Deum, dicentes : Quia Propheta magnus surrexit in nobis : et quia Deus visitavit plebem suam.*

» « Jesus autem, convocatis discipulis suis, dixit. »

Postquam removit impedimenta per curationes infirmitatum, impendit beneficia per procuraciones refectionum.

Tanguntur autem hic quinque per ordinem : primum est instructio discipulorum : secundum, misericordia calamitatum : tertium, provocatio discipulorum ad similia : quartum, impensum beneficium : quintum, gratuita dimissio turbarum.

De primo dicit : « *Jesus autem, convocatis discipulis suis, dixit.* » Convocavit, ut instrueret ad similia, et exemplum daret quod magni minoribus sua communicent consilia, et viso miraculo confirmarentur ad pericula. De primo, Joan. xiii, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* De secundo, Eccli. xxxii, 24 : *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.* De tertio, I ad Timoth. iv, 7 : *Exerce teipsum ad pietatem.*

« Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent quod manducant : et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. »

Ecce misericordia in die laborantium. Et tangit quinque : misericordiæ affectum, causam miseræ ex longa perseverantia cum Christo, defectum ciborum, bonam voluntatem Christi in subven-

tionem, causam subventionis in viæ labore.

De primo dicit : « *Misereor turbæ.* » Supra, xiv, 14 : *Vidit turbam multam, et misertus est eis.* Marc. vi, 34 : *Vidit turbam multam Jesus, et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem.*

« *Quia triduo jam perseverant mecum :* » attendentes ad sermonem instructionis meæ : et si quid portaverint, jamdudum consumptum est. Triduum autem est confessionis, compunctionis, et satisfactionis : vel fidei, illuminationis, et perfectæ cognitionis. Esther, iv, 16 : *Non comedatis et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus.* Exod. v, 3 : *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro.* I Reg. xxx, 12 : *Refocillatus est vir Ægyptius, qui non comederat panem neque biberat aquam tribus diebus et tribus noctibus.* Josue, ii, 22 : *Illi, scilicet exploratores, pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies.*

Et quia forte discipuli possent dicere, quod procuraverunt sibi portari necessaria de villis vicinis, addit : « *Et non habent quid manducant.* » Supra, vi, 31 et 32 : *Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, etc. ?... Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.*

« *Et dimittere eos jejunos nolo,* » quia jam consortio sermonis virtutem habentes, postea separati sentirent defectum. Volo ergo eos confortare per cibum. Act. ix, 19 : *Cum accepisset cibum, confortatus est.* Act. xxvii, 35 et 36 : *Et cum hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium : et cum fregisset, cœpit manducare. Animæ quiores autem facti omnes, et ipsi sumpserunt cibum.* III Reg. xix, 7 : *Surge, comede : grandis enim tibi restat via.* « *Ne deficiant in via,* » separati a mea præsentia, quæ modo facit eos non sentire defectum. Marc. viii, 3, additur : *Quidam enim ex*

eis de longe venerunt. II Reg. xvi, 2, dixit Siba ad David regem : Asini, domesticis regis ut sedeant : panes et palathæ ad vescendum pueris tuis : vinum autem, ut bibat si quis defecerit in deserto.

33 « Et dicunt ei discipuli : Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam ?

34 Et ait illis Jesus : Quot habetis panes ? At illi dixerunt : Septem, et paucos pisciculos.

35 Et præcepit turbæ ut discumberent super terram. »

Hic non admonent discipuli, ut dimittatur turba sicut superius, tum quia ista devotior, tum quia jam experti erant quod pasceret : et exspectabant voluntatem Domini.

« Unde ergo nobis in deserto ? » Supra, xiv, 15 : *Desertus est locus. « Panes tantos. »* Joan. vi, 7 : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. « Ut saturemus turbam tantam ? »* Hoc dicunt ignari quid velit : quia aliquando cibos fecit emere ¹.

« Et ait illis Jesus, »

Instruens eos in (alias, de) miraculo. Quia id quod habebant, seminarium fuit unde multiplicati sunt panes, sicut, Supra, xiv, 19, propter duas causas, quarum una fuit ut se ostendat auctorem creaturarum : ideo enim non creat novas, sed utitur pro semine antiquis, et eas multiplicat, opus suum fundans in opere Creatoris; et in hoc confundens Manichæum. Joan. v, 17 : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Alia, ut sic præsignaret formam, quam tenere

debent Doctores, qui *expositores* vocantur *sacræ Scripturæ* : qui de hoc, quod est in sacculis Prophetarum, et Apostolorum, multiplices sensus debent eruere, et non instruere de suo aliquid novum.

Unde subdit : « *Quot panes habetis ?* » Sic Elias, III Reg. xvii, 14, farinam viduæ multiplicavit. Sic Eliseus panes oblatos multiplicatos obtulit filiis prophetarum ².

« Dicunt ei septem. »

Hi sunt septem spicæ pulchræ et plenæ, pullulantes in Christo, sicut in culmo uno, ad omnem Ægypti sustentationem et mundi sufficientes ³. Et possunt aptari septem pœnitentiæ partibus. II ad Corinth. vii, 11 : *Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantum in vobis operatur sollicitudinem : sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam.* Tristitia enim est de peccati pœnitentia, quod licet transeat actu, tamen manens reatu potens est : sollicitudo est angustia de cavendo futuro malo : defensio autem est contra tentationem et libidinem peccati, quia pœnitentia est præterita mala deplangere, et eorum suggestionibus aditum ulterius non indulgere : indignatio autem est, quando homo sibi irascitur, et punit se, quia commisit malum : timor autem est fuga mali ad præsidium sapientiæ Dei : desiderium autem et æmulatio est amor proficiendi : vindicta autem est per condignam satisfactionem delicti emendatio. Eccli. xx, 12 : *Est qui multa, scilicet mala, redimat modico pretio, et restituens ea in septuplum.* Hæc sunt septem sigilla libri ⁴.

Vel, quia non dicitur quod isti fuerunt hordeaci panes, dicamus, quod sunt septem refectiones in bonis Dei, quorum primum est bonum in genere, secundum

¹ Cf. Joan. iv, 8.

² Cf. IV Reg. vi, 22 et 23.

³ Cf. Genes. xli, 5 et seq.

⁴ Cf. Apocal. v et vi.

bonum circumstantiæ inductivum et generativum virtutis, tertium est bonum virtutis politicæ, quartum bonum virtutis theologicæ, quintum bonum doni sancti Spiritus, sextum bonum fructus spiritus¹, septimum est bonum beatitudinis². His septem panibus per septem vitia deperditum restituitur: septiformis Spiritus acquiritur: septem gradibus templum ascenditur³: septem spirituum (qui in conspectu throni Dei sunt) societas acquiritur⁴.

« *Et paucos pisciculos.* » *Paucos* dicit, ut notetur virtus multiplicantis in multitudine: et parvos designat, ut ejusdem potentia cognoscatur respectu magnæ saturitatis: et notatur in hoc dulcoramentum humilis sapientiæ Sanctorum, qui reficiuntur in sapientiæ dulcedine. Hæc enim ante patriam parva est, raptim data, et pauca est impediendo hujus mundi turbatione plurima. Luc. x, 41: *Sollicita es, et turbaris erga plurima.* Post resurrectionem autem erit rete plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus⁵.

Instructis autem sic discipulis,

« Præcepit turbæ ut discumberent super terram, »

Omnia terrena sibi subjicientes requiescerent, non oppressi aliquo terreno affectu, requie veritatis mentem inclinarent, et stramentum mollis fœni in concupiscibilibus carnis non desiderarent, sicut, supra, xiv, 19. Et in hoc notatur fides et obedientia turbarum: quia non discumberent nisi refici crederent. Supra, xi, 28: *Ego reficiam vos.* Luc. xxii, 30: *Ut edatis et bibatis supra mensam meam in regno meo.* Isa. v, 17: *Et pascentur agni juxta ordinem suum; et deserta in ubertatem versa advenæ comedent.* Quia

¹ Ad Galat. v, 22 et 23.

² Cf. Supra, v, 3-12.

³ Cf. Ezechiel. xl, 22.

ad litteram, in deserto factum est istud convivium.

« Et accipiens septem panes et pisces, et gratias agens, fregit et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo. »

Instructis discipulis, et dispositis turbis, sequitur doni Dei exhibitio: primo in facto auctoris, secundo in ministerio discipulorum, tertio in refectione turbarum, quæ per ordinem sunt in littera.

Quinque autem sunt in facto auctoris: acceptio, quæ est conjunctio ad virtutem multiplicatricem: materia accepta panis et piscium: gratiarum actio ad Patrem: fractio ad comedentium facultatem: fracti panis ministratio discipulis, ad officii eorum institutionem simul et instructionem.

Dicit ergo: « *Et accipiens,* » ut tactu manus fieret multiplicatus panis, et virtutem acciperet divini saporis, et condimentum. Psal. cxliv, 16: *Aperis tu manum tuam, et implet omne animal benedictione.*

« *Septem panes.* » Isa. lv, 2: *Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate?* I ad Corinth. x, 16: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* « *Et pisces.* » Marci, viii, 7: *Et habebant pisciculos paucos: et ipsos benedixit.*

« *Et gratias agens,* » Deo Patri. Jacob, i, 17: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*

« *Fregit.* » Isa. lviii, 7: *Frangite esurienti panem tuum.* Luc. xxiv, 35: *Cognoverunt eum in fractione panis.*

« *Et dedit discipulis suis.* » Jerem. 1,

⁴ Cf. Apocal. i, 4; Tob. xii, 15.

⁵ Joan. xxi, 11.

9 et 10 : *Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constitui te hodie super gentes et super regna.*

« *Discipuli autem dederunt turbæ :* » hoc est ministerium Discipulorum. *Supra, x, 8 : Gratis accepistis, gratis date. Luc. vi, 38 : Date, et dabitur vobis.*

37 « Et comederunt omnes, et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis tulerunt, septem sportas plenas.

38 Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos, et mulieres.

39 Et dimissa turba, ascendit in naviculam, et venit in fines Magedan.

Tangit hic convivantium refectionem in quatuor : in generalitate, in saturitate, in superabundantia, in comedentium numerositate.

Dicit ergo : « *Et comederunt omnes.* » Proverb. ix, 5 : *Venite, comedite panem meum.* « *Et saturati sunt.* » Psal. xxi, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur : et laudabunt Dominum.* Isa. xxiii, 18 : *Manducet in saturitatem.* Psal. lxxvii, 29 et seq. : *Manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis,* etc. Proverb. xx, 13 : *Aperi oculos tuos, et saturare panibus.*

« *Et quod superfuit de fragmentis tulerunt, septem sportas plenas.* » Superabundantia est. Et attende, quod, supra, xiv, 20, duodecim superfuerunt secundum numerum distribuentium. Hic autem septem secundum numerum pa-

num distributorum : quia et ministri secundum facultates proprias, et secundum materiam recipiunt abundantiam. Vel, septem sportæ sunt septem abundantia Scripturæ : in historia quoad rerum gestarum veritatem : in allegoria de ædificantibus ad fidem : in tropologia de convertentibus ad morem : in anagogia de ducentibus in æternorum contemplationem : in disputatione quoad inquisitionem subtilium : et hi exterius oblati : interius autem est intellectus cœlestium, et sapor divinorum, qui sunt sportæ colligentes fragmenta et continentes ea.

« Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum. »

Quadrati ad virtutis stabilimentum ex quatuor cardinalibus reductis in intellectuales, et heroicæ, et contemplativas, et divinas perfectiones.

« *Extra parvulos et mulieres,* » quorum tamen, ut præsumitur, major fuit ibi numerus, sed ad bella Domini non numerantur¹.

Et sic expletum est, quod est de gratiæ evangelicæ multiplicatione.

« Et dimissa turba, »

Ut exemplum humilitatis ostenderet, sicut, supra, xiv, 23 : *Ascendit in montem solus orare.*

« *Ascendit in naviculam,* » ut citius a laudantibus recederet, « *et venit in fines Magedan* » Marc. viii, 10, dicitur, *Dalmanutha,* quia binomius erat locus².

¹ Cf. Numer. iii, 4 et seq.

² Marc. viii, 10 : *Et statim ascendens navim*

cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.

CAPUT XVI.

Jesus signi petitione ipsum tentantes arguit, quod signa temporum non dijudicarent : jubet discipulos cavere a fermento Pharisæorum ac Sadducæorum : ipsosque interrogat quem ipsum esse dicant, et Petro post illius responsionem promittit claves regni cœlorum : suam autem passionem prædicens, a Petro increpatur : propter quod Satanam ipsum appellat, docens quemque propriam crucem tollere, et Deum unicuique juxta sua opera redditurum.

1. Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sadducæi tentantes : et rogaverunt eum ut signum de cœlo ostenderet eis ¹.
2. At ille respondens ait illis : Facto vespere, dicitis ² : Serenum erit, rubicundum est enim cœlum.
3. Et mane : Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum.
4. Faciem ergo cœli dijudicare nosteris : signa autem temporum non potestis scire. Generatio mala et adultera signum quærit ³ : et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ ⁴. Et relictis illis, abiit.
5. Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere.
6. Qui dixit illis : Intuemini, et cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum ⁵.
7. At illi cogitabant intra se, dicentes : Quia panes non accepimus.
8. Sciens autem Jesus, dixit : Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis?
9. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis ⁶?
10. Neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis ⁷?
11. Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis : Cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum?
12. Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum et Sadducæorum.
13. Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi ⁸ : et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis?
14. At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam ⁹, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.
15. Dicit illis Jesus : Vos autem quem me esse dicitis?
16. Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus, Filius Dei vivi ¹⁰.

¹ Marc. viii, 11.

² Luc. xii, 54.

³ Supra, xii, 39.

⁴ Jonæ, ii, 1.

⁵ Marc. viii, 15 ; Luc. xii, 1.

⁶ Supra, xiv, 17 ; Joan. vi, 9.

⁷ Supra, xv, 34.

⁸ Marc. viii, 27.

⁹ Marc. viii, 28 ; Luc. ix, 19.

¹⁰ Joan. vi, 70.

17. Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.
18. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam ¹.
19. Et tibi dabo claves regni cœlorum ² : et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis ³.
20. Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.
21. Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus, et Scribis, et Principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere.
22. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens : Absit a te, Domine : non erit tibi hoc.
23. Qui conversus, dixit Petro : Vade post me, Satana : scandalum es mihi : quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum ⁴.
24. Tunc Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me ⁵.
25. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam ⁶.
26. Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?
27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis ⁷ : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.
28. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo ⁸.

IN CAPUT XVI MATTHÆI

ENARRATIO.

« Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sadducæi tentantes : et rogaverunt eum ut signum de cœlo ostenderet eis. »

Ab hoc loco incipit agere de potestate qua Prelati ordinantur ad subditos. Et

habet partes duas, in quarum prima est ipsius potestatis determinatio et collatio : et hoc in isto capitulo, et sequenti continetur. Et in secunda determinatur usus, qui incipit in capitulo xviii.

Prima autem habet partes duas : in quarum prima tangit potestatem secundum ea in quibus est potestas in Ecclesiæ ministris : in secunda autem tangit ea ex quorum virtute operatur potestas, sicut est Christi Passio, et Resurrectio, et hujusmodi : et hoc continetur in capite sequenti.

¹ Joan. i, 42.

² Isa. xxii, 22.

³ Joan. xx, 23.

⁴ Marc. viii, 33.

⁵ Supra, x, 38 ; Luc. ix, 23 et xiv, 27.

⁶ Luc. xvii, 33 ; Joan. xii, 25.

⁷ Act. xvii, 31 ; ad Roman. ii, 6.

⁸ Marc. viii, 39 ; Luc. ix, 27.

Istud autem capitulum continet tria : primum est hæresis (quæ fundamento potestatis contrariatur) remotio : secundum est veri fundamenti positio, ibi, *ŷ. 13* : « *Venit Jesus in partes Cæsareæ.* » Tertium est ipsius potestatis collatio, ibi, *ŷ. 17* : « *Beatus es, Simon Barjona.* »

In prima harum partium duo continentur, quorum primum est hæresis confutatio, et secundum, ejusdem hæresis a discipulis alienatio, ibi, *ŷ. 5* : « *Et cum venissent discipuli ejus trans fretum.* »

Adhuc, in prima harum tria continentur. Hæreticorum videlicet tentatio, tentantium a Christo convictio, et victorum exprobratio. Et hæc patent in littera.

In tentatione dicit quatuor, simulatorum accessum, cum dicit :

« Et accesserunt ad eum, »

Simulando. Isa. LVII, 3 : *Accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri et fornicariæ.* Simile, Infra, xxii, 15 et seq.

Secundo, tangit tentantium vipeream professionem duplicem in perversitatem justitiæ, cum dicit : « *Pharisæi.* » Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Et quoad perversitatem fidei, cum dicit : « *Et Sadducæi.* » Infra, xxii, 23 : *Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem* ¹.

Tertio, tangit intentionis perversitatem, cum dicit : « *Tentantes.* » Infra, xxii, 18 : *Quid me tentatis, hypocritæ ?*

Quarto, tangit curiositatem, dicendo : « *Et rogaverunt eum.* » Non de salute, sed « *ut signum de cælo,* » potestatis ostensivum, « *ostenderet eis.* » Volebant autem, ut iterum pascerentur pane cælesti, et gulæ eorum satisfaceret in loco ubi panis habebatur, sicut fecerat in deserto

ubi panis erat indigentia. Unde, Joan. VI, 30 et 31, dicunt : *Quod ergo tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi ? Quid operaris ? Patres nostri manducaverunt manna in deserto.* Quidam tamen dicunt, quod gratia curiositatis petebant signum de cælo, sicut Elias ignem fecit descendere ². Vel, quod solem faceret stare, sicut Josue ³. Vel, solem retrocedere, sicut, Isa. xxxviii, 8. Sed primum est probabilius.

« At ille respondens, ait illis : Facto vespere, dicitis : Serenum erit, rubicundum est enim cælum :

Et mane : Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum.

Faciem ergo cæli dijudicare nostis : signa autem temporum non potestis scire ! »

Hic ponitur tentantium confutatio, in qua duo dicuntur : primo enim ostendit facilitatem cognoscendi de suo adventu veritatem ex similitudine : secundo, arguit ex illa similitudine, quod eum deberent cognoscere.

Ad primum proponit duo signa pronosticationis futurorum. Primum est serenitatis ad cognoscendam nativitatem : et secundum est signum tempestatis in passione. Primum est signum operandi salutem : et secundum, patiendi pro salvandis.

De primo dicit :

« Facto vespere, »

Quando sol declinavit ad occasum, et radius visivus transit ad eum per vapores juxta terram elevatos, « *dicitis : Serenum erit,* » pronosticando pro nocte futura, et die sequenti : et hoc verum, quando rubor serotinus splendorem auri politi præ-

¹ Cf. Act. xxiii, 8.

² Cf. IV Reg. i, 40 et 42.

³ Cf. Josue, x, 13.

tendit: quoniam tunc est tenuis, et bene a sole attractus: et tunc trahit eum ad inferius hemisphærium: et tunc per consequens istud hemisphærium purgatur a vaporibus, et serenatur. Quando autem ruborem cupri præterdit, significat eum esse spissum, et non a sole attractum: et ideo ille non significat serenum, sed prædicat pluvias: quia ille color resultat ex hoc quod radii solis eum inferius percutiunt, et non desuper attrahunt: et ideo non trahitur, sed relinquitur.

« Et mane, etc. »

Supple, cælo rubente, dicitis: « *Hodie tempestas,* » supple, erit. « *Rutilat enim triste cælum.* » Aereum cælum dicitur triste, propter frigus opprimens, et humidum resolvens, et molliens corpora: et istud signum etiam debet accipi in rubore cupri, quando sol inferioribus nobis immittit radios, emergens de hemisphærio: quia tunc significat aquam imponentem terræ. Si autem sit in corpore solis rubor quasi flammæ, et in circuitu aeris videatur quasi fumus cum pulvere respersus, et hoc totum rubicundum sit lucentis ruboris: hoc significat longam serenitatem, quia significat vapores esse incensos, et per incendium exsiccatos. Significat autem vespere rutilans cælum sanguinis Christi ruborem occasu suæ lucis effusum. Psal. xxix, 6: *Ad vespere demorabitur fetus.* Serenitas autem, pulsa nube dubitationis, significat gaudium Resurrectionis. Psal. xxix, 6: *Ad matutinum lætitia.* Et ideo dicitur, Canticor. v, 19: *Dilectus meus candidus et rubicundus:* rubicundus autem in Passione, candidus in Resurrectione. Iste, dicitur ortus surgentis auroræ¹. Et propter eos qui in vitam secum resurgunt, dicitur, Judicum, v, 31: *Qui diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.* II Regum, xxiii, 4: *Sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus ruti-*

lat. Per ruborem autem sanguineum obscurum in mane, Passio significatur in mane nascentis Ecclesiæ: tempestas autem sequens conflictum significat, qui fuit omni vento doctrinæ hæreticorum. De rubore, Isaïæ, lxiii, 2: *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Vestimentum Christi sunt sancti Martyres. De tempestate hæreticorum, Nahum, 1, 3: *Dominus in tempestate, et turbine viæ ejus.* Psal. xlix, 3: *In circuitu ejus tempestas valida.*

Istis signis sic positis, dicit arguendo a simili simul et a minori:

« Faciem ergo cæli, »

Hoc est, dispositionem aeris, « *djudicare,* » pronosticando de futuris, « *notis:* » quæ tamen sunt signa falsa. « *Signa autem temporum* » certa per legem, per ænigmata Patriarcharum, per prophetias prædictas temporum, dico, adventus, et operum eorum, « *non potestis scire,* » facultatem vobis hæresi et invidia auferente. Jerem. viii, 7: *Milvus in cælo cognovit tempus suum: turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* Isa. 1, 3: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Luc. xix, 44: *Ad terram prosternent te...: eo quod non cognovisti tempus visitationis tuæ.*

« Generatio mala et adultera signum quærit: et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Et relictis illis, abiit. »

Hic ponitur convictorum exprobratio.

Dicuntur autem: « *Generatio mala,* » quoad perversitatem morum, « *adulte-*

¹ Cf Job, iii, 9.

ra » autem, quoad violationem fidei per idololatriam. Deuter. xxxii, 20 : *Generatio enim perversa est, et infideles filii.* Isa. lvi, 3 : *Semen adulteri, et fornicariæ.* Jerem. ii, 13 : *Duo mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* « *Signum,* » majestatis indicativum, « *quærit.* » I ad Corinth. i, 22 : *Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt.* « *Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ,* » hoc est, infirmitatis, sicut superius expositum est. Psal. lxxxv, 17 : *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundatur : quoniam tu, Domine adjuvisti me, et consolatus es me.* Hoc enim est signum passionis, per quod omnis homo est adjutus.

« Relictis illis, abiit. »

Ecce hic tangitur relictio incorrigibilium. Infra, xxi, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.*

« Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere. »

Hic ex præcedentibus removet a suis Christus contrarium suæ potestati fundamentum, quod est hæretica pravitas contra fidem : et traditiones impiæ contra justitiæ pietatem.

Dicit autem hic tria : primum est, quod incidenter inducitur ad sciendum qualiter discipuli acceperunt intellectum per verbum ex verbis Domini, quia panes obliti sunt accipere. Secundum est verbum, ex quo ille ortus est falsus intellectus cum ipso malo intellectu quem ex verbis habuerunt. Et tertium est illuminatio, simul excludens errorem disci-

pulorum in verbis, et hæresim tentatorum.

De primo dicit : « *Et cum venissent discipuli ejus trans fretum,* » hoc est, trans fretum Genesareth, « *obliti sunt panes accipere,* » hoc est, fragmenta panum septem sportarum superioris convivii. Supra, xiv, 22 : *Et statim compellit Jesus illos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum* ¹. Et ita etiam modo fugit turbas excitatas per sanitatis miraculum : et in illo transitu panes obliti sunt accipere.

Causa autem fuit quadruplex : una quidem prohibitio de crastino sollicitudinis, Supra, vi, 34 : *Nolite solliciti esse in crastinum,* etc. Secunda fuit occursum pauperum famelicorum, quibus fragmenta in viaticum, quando a Domino recesserunt, ministraverunt. Proverb. xxxi, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* Tertia causa est spes de Domino : quia jam factis miraculorum excitati, certi erant quod nihil deficeret, Psal. xxxiii, 10 et 11 : *Non est inopia timentibus eum... : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Quarta et ultima, interna dulcedo veri panis, quem secum habebant : illa enim rapti de exteriori pane cogitare nihil poterant. Sapient. xvi, 20 : *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Ideo ergo obliti sunt panes accipere.

« Qui dixit illis : Intuemini, et cave-
vete a fermento Phariseorum et Sad-
duceorum. » 6

At illi cogitabant intra se, dicentes :
Quia panes non accepimus. » 7

Istud est secundum. Inducta enim occasione erroris discipulorum, inducit verbum, circa cujus errabant intellectum : « *Intuemini,* » diligenter per in-

¹ Cf. Matth. xv, 39.

tellectum eo quod, sicut dicit Boetius : « Non vitatur malum nisi cognitum. » « *Et cavete,* » in vobis Doctoribus, et in discipulis, « *a fermento.* » Fermentum similitudinem habet conspersionis sive pastæ : sed est corruptio ipsius : et significat hæresim. « *Pharisæorum,* » quorum hæresis fuit impia traditio plusquam observata, legis prædicatio per verbum, et per opus impugnatio, gloria de apparente justitia, et pertinax avaritia. « *Et Sadducæorum,* » quorum corruptio fuit hæresis contra resurrectionem : non dicere aliquid esse spiritum, nec Angelum ¹, et auferre ab eis gloriam æternam : propter solam legis exteriorum observationem Prophetas spernere : spe præsentium deservire : et nihil ab ipso post mortem exspectare. Marc. viii, 15, additur : *Et a fermento Herodis,* cujus corruptio est occulte insidiari Christo, gratiam sub simulata religione et observatione necare, nuptiarum honestatem violare. Ad Galat. v, 9 : *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* I ad Corinth. v, 7 : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi.* Osee, vii, 4 : *Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum.* Primum corrumpit in dolo simulatæ bonitatis : secundum, in fraude simulatæ veritatis : et tertium, in dolo justæ potestatis : injuste enim videtur princeps agere, si juramenta non teneat verbo proposito : circa quod errabant discipuli.

Tangitur error eorum secundum actum cordis et oris : èt hoc est quod dicit :

« At illi cogitaverunt intra se, dicentes, »

Ad invicem occulto murmure, « *quia panes non accepimus.* » Potest esse, quod putabant Dominum velle custoditum esse panem a se sanctificatum pro benedictionis reverentia, et pro miraculi memoria,

sicut in *Exodo* jussit impleri Gomor, et poni in arca fœderis in testimonium ². Ad Hebr. ix, 4 : *In qua urna aurea habens manna.*

Sed quia Dominus non de hujusmodi reliquiis cogitavit, sed meliorem panem Ecclesiæ dimittere voluit, hoc est, panem vivum qui de cœlo descendit, ut det vitam mundo : ideo subjungit :

« Sciens autem Jesus, dixit : Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis ?

Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis ?

Neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis ?

Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis : Cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum.

Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum et Sadducæorum. »

Incipit hic illuminare discipulos. Et tangit duo, illuminationem doctrinæ, et effectum ejus in discipulis.

Illuminatio quatuor facit : primo, errantes arguit : secundo, in memoriam præteritorum reducit : tertio, cum increpatione verum intellectum ingerit : et quartum est, quod ante hæc est, quod in modo cognitionis et visitationis eorum signum divinæ sapientiæ omnia illuminantis ostendit.

Et hoc tangit, cum dicit : « *Sciens autem Jesus, dixit.* » Ad Hebr. iv, 13 : *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.* « *Quid cogitatis intra vos, modicæ*

¹ Cf. Matth. xxii, 23 ; Act. xxiii, 8.

² Cf. Exod. xvi, 32.

fidei, » quæ non nisi parva præsumit, « *quia panes non habetis?* » Lucæ, xxiv, 16 et 23 : *Oculi illorum tenebantur ne eum agnoscerent...* Et increpavit eos, dicens : *O stulti, et tardi corde ad credendum!*

« Nondum intelligitis »

Potentiam meæ deitatis, « *neque recordamini* » mirabilium præteriorum. Marc. vi, 52 : *Non intellexerunt de panibus discipuli : erat enim cor eorum obtusatum.* Hoc tamen provenit ex simplicitate eorum. Psal. xciii, 8 : *Intelligite, insipientes in populo : et stulti, aliquando sapite.* « *Quinque panum in quinque millia hominum* ¹, *et quod cophinos sumpsistis?* » Proverb. iii, 10 : *Implebuntur horrea tua saturitate.*

« *Neque septem panum in septem millia hominum,* » in præcedenti capitulo, 37 et 38, « *et quot sportas sumpsistis?* » Quæ sportæ spatulis palmarum, et ex juncto textæ ex palma, spem æternorum : et ex junco, qui in aquis radices habet, significant pietatem ex notitia Scripturarum.

« Quare non intelligitis. »

Cum increpatione illuminat. Marci, xvi, 14 : *Exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis.* « *Quia non de pane,* » scilicet materiali, « *dixi vobis : Cavete a fermento Phariseorum et Sadduceorum.* » Et si doctrina perversa a Domino vocatur *fermentum,* consequens etiam est, ut vera et catholica doctrina vocetur *panis.* Isa. xxi, 14 : *Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrите fugienti.* Terra Austri calida et luminosa, corda illustrata Spiritu intelligentiæ designat.

« Tunc intellexerunt. »

Luc. xxiv, 43 : *Aperuit illis sensum ut*

¹ Supra, xiv, 20 et 21.

intelligerent Scripturas. « *Quia non dixerat cavendum a fermento panum :* » quia, supra, xv, 11, dixit : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem : sed a doctrina Phariseorum et Sadduceorum.* » Supra, vii, 13 : *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos,* etc. Isa. ix, 13 : *Propheta docens mendacium, ipse est cauda,* etc.

« Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi : et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis? »

13

At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. »

14

Hic remotis hæresibus a cordibus fidelium, tangit fidei foundationem in petra confessionis Apostolicæ.

Et dividitur in partes duas : in quarum prima ponitur inquisitio, et confessio veritatis personæ, in cujus sacramentis fides stabilitur : in secunda autem ponitur instructio veritatis principalium sacramentorum Passionis et Resurrectionis, ibi, 21 : « *Exinde cæpit Jesus.* »

Adhuc, prima continet duo, inquisitionem, et confessionem opinionis eorum quibus non est datum nosse mysterium Christi, nisi in parabolis : et inquisitionem et confessionem veritatis expressæ ab his, quibus datum est nosse mysterium regni Dei, ibi, 23 : « *Vos autem,* etc. »

Adhuc, prior harum dividitur in tres paragraphos : in quorum primo tangitur loci ad inquirendum congruentia : in secundo, inquisitio de opinione Christi in turba : et in tertio, responsio discipulorum de audita fama.

Dicit ergo :

« Venit autem Jesus, »

Sicut Salvator, ubique lumen doctrinæ spargens, ubique perditos quærens, ubique salutem non salvatis ingerens. De primo, Job, xxv, 3 : *Super quem non surget lumen illius ?* De secundo, Luc. xix, 10 : *Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat.* De tertio, I ad Timoth. i, 15 : *Fidelis Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.*

« *In partes Cæsareæ.* » Non profunde : quia gentes ibi habitabant, et dixerat, Supra, x, 5 : *In viam gentium ne abieritis.* Sed tamen, per hoc quod ad vicina gentium declinabat, ideo salus gentium præfigurabatur. Joan. vii, 35 : *Numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes ?* Isa. xlix, 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

« *Cæsareæ Philippi.* » Civitas est Phœnicis in terminis Judææ ad septentrionem, quam Philippus, filius Herodis, tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, ædificavit ob memoriam sui nominis, et ob honorem Imperatoris Tiberii Cæsaris. Et ideo ab utroque composito nomine vocabatur *Cæsarea Philippi*. Et erat civitas, ad quam tributum censicapitis deferebatur, pro quo descriptus erat universus orbis ab Augusto Cæsare¹. Congruum ergo fuit, ut in loco, in quo orbis tributum solvit, Rex regum mundi Dominus, exigeret tributum fidei, quod solvitur de animæ capite, quod est mens hominis. Infra, xxii, 21 : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.*

« Et interrogabat discipulos suos, dicens : »

Non ignorans qui omnia novit, sed ut confessio fidei dignam acciperet foundationem. Ad Roman. x, 10 : *Corde credi-*

tur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Psal. xcvi, 6 : *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.*

« Quem dicunt homines esse Filium hominis ? »

Ecce requisitio confessionis ab his qui videntes non vident. Quærit autem de persona, cum dicit : « *Quem ?* » quia persona est duarum naturarum, quarum una innotuit per visum, et alios sensus, et opera infirmitatum : et ideo non quærit de illa, sed opponit, quando dicit : « *Filium hominis.* » Et est sensus : Quem sciunt homines esse Filium hominis per naturam quæ offertur sensibus : « *quem* » in persona « *dicunt* » esse ex visu operum majestatis ? Dicunt ne aliquid habere super hominem ? Marc. viii, 27 : *Quem me dicunt esse homines ?* Pulchre autem dicit *homines*, quia de Filio Dei nihil intelligere potuerunt super hominem : vel, *homines* dicit propter rationem : quia licet sensibus eorum objiceretur humana infirmitas, tamen rationi per opera præsentabatur majestas : et ex ratione facile cognoscere poterant quod Deus erat qui talia faciebat. Joan. v, 36 : *Ego habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Joan. viii, 43 : *Quare loquelam meam non cognoscitis ?*

« At illi dixerunt, »

De falsa turbarum opinione respondentem, qui diversis de causis supra dictis a nobis Christum sequebatur. Joan. vii, 12 : *Murmur multum erat in turba de eo. Quidam dicebant : Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas.*

¹ Cf. Luc ii, 1 et seq., et iii, 1 et seq.

Sed tamen omnes illi, de quibus respondent discipuli, vera dicunt, sed imperfecte : et hoc est : « *Alii Joannem Baptistam,* » propter vitæ perfectionem. Supra, xiv, 2 : *Joannes Baptista surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo.*

« *Alii autem Eliam,* » propter perfectionem potestatis : quia ignem de cælo deposuit super superbos ¹ : et ignem supra sacrificia ².

« *Alii vero Jeremiam,* » propter perfectionem misericordiæ, quia populi peccata planxit. Jerem. ix, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* Et hujus gratia terræ nos composuit, et hujus gratia errantem populum in Ægyptum persecutus fuit ³.

« *Aut unum ex Prophetis.* » Dicunt unum, scilicet Eliseum, propter perfectionem spiritus et virtutis in prophetando. IV Reg. v, 26 : *Nonne cor meum in præsentem erat, quando reversus est homo de curru suo,* etc., quia spiritus Eliæ dupliciter erat in eo ⁴. Vel, dicatur aliter, et melius, quod *unus ex prophetis* dicitur formaliter accipiendo unicum « *ex Prophetis,* » hoc est, singularis : et hic est ille de quo dicitur, Deuter. xviii, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* Joan. vi, 14 : *Hic est vere Propheta qui venturus est in mundum.* Luc. xxiv, 19 : *Fuit vir Propheta, potens in opere, et sermone coram Deo, et omni populo.*

Et secundum hoc omnes aliquid altum dixerunt de Christo. Est autem altum hominis ex tribus : ex statu ante peccatum, et ex statu gratiæ, et ex statu gloriæ resurgentium : et considerantes statum gloriæ resurgentium, dixerunt quod esset Joannes Baptista, præsumentes quod mortalis hominis non esset

tanta potestas in miraculis faciendis. Considerantes autem statum hominis in paradiso, ubi eximiæ virtutis fuit, et tamen alimonia indiguit, dixerunt Christum esse Eliam. Considerantes autem statum hominis in gratia, duo considerabant, excellentiam videlicet sanctitatis : et illi dixerunt esse Jeremiam, eo quod dictum est de illo : *Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et Prophetam in gentibus dedi te* ⁵. Et hæc maxime dixerunt propter mirabilia quæ audiverunt de infantia, nativitate et pueritia ipsius. Considerantes autem excellentiam in sapientia, dixerunt eum esse Prophetam, qui venturus est in mundum. Joan. iii, 31 et 32 : *Qui de cælo venit, super omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc homo testatur.* Glossa dicit ibi : « *De cælo,* hoc est, de altitudine humanæ naturæ. »

Sic ergo de Christo confitetur humana opinio.

« Dicit illis Jesus : Vos autem quem me esse dicitis? » 15

Hic ponitur requisitio veritatis. Et habet duo, scilicet confessionem, et confessionis commendationem cum remuneratione, quæ est potestatis collatio.

De primo dicit duo : requisitionem confessionis, et confessionem ipsam.

De primo dicit : « *Vos autem,* » quibus datum est nosse mysterium regni cælorum (Supra, xiii, 11) : *Qui estis lux mundi* (Supra, v, 14) : *Quibus omnia quæcumque audivi a Patre, nota feci* (Joan. xv, 15).

« *Quem me esse dicitis?* » Iterum quærit de persona in humana natura apparente, et existente : sed non dicit filium hominis, ut supra, sed simpliciter

¹ Cf. IV Reg. i, 40 et 42.

² Cf. III Reg. xviii, 38.

³ Cf. Jerem. xliii, 1 et seq.

⁴ Cf. IV Reg. i, 9.

⁵ Jerem. i, 5.

de persona quærit : quia istis plus innotuit. Joan. 1, 14 : *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* I ad Corinth. 11, 10 : *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Et hinc argumentum, quod Prælati debet quærere, quæ de eo sit opinio tam in plebe, quam inter Prælatos alios.

16 « Respondens Simon Petrus dixit. »

Ille præ omnibus, et pro omnibus respondit, qui omnibus præesse et prodesse debuit.

Dicit autem tria : primo quod respondit, quia quæstioni quæ ab homine fieri potuit, satisfacit : non sicut turbæ, minus, nec sicut Pharisei, falsa dicentes : qui enim ad hominem quæstioni satisfacere videntur, secundum Aristotelem, dicunt, sed non respondent. Job, xxxviii, 3 : *Accinge sicut vir lumbos tuos : interrogabo te, et responde mihi.*

« Simon. »

Obediens : et per hoc significatur meritum, et idoneitas ad debitum et congruitatem responsionis. Psal. cxviii, 104 : *A mandatis tuis intellexi.* Obedientia enim mandatorum plus dat intellectum in divinis, quam labor studiorum : non enim erit sacra Scriptura contemplationis gratia, sed ut boni fiamus. Unde etiam veri discipuli Christi tribus perficiuntur, scilicet disciplina mandatorum, Isa. viii, 16 : *Signa legem in discipulis meis.* Deuter. xxxiii, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, hoc est, vestigiis ejus, accipient de doctrina illius.* Secundo, perficiuntur dilectione affectionis, Joan. xiii, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Tertium est cognitio veritatis, quæ est secundum pietatem, Joan. viii, 31 et 32 : *Si vos manseritis in ser-*

mone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Sic ergo obediens mandatis, et sequens vestigia affectus dilectione, manens in sermone, vere Simon vocatur obediens, et idoneus ad respondendum.

« Petrus, »

Cognomine, Joan. 1, 42 : *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Cephas enim interpretatur *caput*¹ : et hoc non est Petrus, nisi per similitudinem actus, sive effectus, et operis. Quia sicut caput regit, et influit sensum et motum aliis membris, ita petra continet, et firmat ædificium. Unde quod est caput in animalibus caput habentibus, hoc est petra in ædificiis. Et tangitur in hoc responsionis facultas : quia Petrus dicitur persica lingua *agnoscens*, eo quod illum agnovit. Isa. xlv, 15, dicitur : *Vere tu es Deus absconditus.* Et ibidem, v. 14 : *Non est absque te Deus.* Regnum ergo accipitur in Cepha, propter quod etiam *vertex* dicitur *Apostolorum*, facultas in agnitione, et solidum veritatis agnitæ in petra. Supra, vi, 24 : *Assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* Hic ergo bonus respondens fuit, qui sicut vir intus virens, lumbos a revelatione carnis et sanguinis restrinxit.

« Tu es Christus, Filius Dei vivi. »

Hic tria tangit : confessionem, confessionis commendationem, et commendatæ confessionis retributionem.

In confessione duo sunt, quod est deificatæ humanitatis, et quod est humanatæ deitatis. Et quod quidem est humanatæ deitatis, triplex est significatio : significatio personæ, et significatio æternæ permanentiæ, et significatio humanitatis deificatæ.

De persona dicit :

¹ Α κεφαλή, caput [ΚΕΦ, r.]

« Tu. »

Discretionem notans, et articulationem : non enim alius est, nisi ipse. Baruch, III, 36 : *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum.* Id quod etiam articulatum significatur, est persona. Exod. xv, 2 . *Iste Deus meus, et glorificabo eum.*

« Es. »

Qui vere es. Exod. III, 14 : *Qui est, misit me ad vos.* Non enim salvare in æternum posset, nisi in æternum permaneret. Ad Hebr. VII, 25 : *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Item, XIII, 8 : *Jesus Christus heri, et hodie, ipse et in sæcula.* Semper enim præsens est, qui numquam et nusquam deest. Psal. CI, 28 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

« Christus. »

Humanam naturam significat penetratam divina quasi unctione, ut unctio ab eo, sicut a capite in conjunctos sibi Apostolos, et discipulos, tamquam in barbam, et in vestimentum Ecclesiæ, et in oram fimbriarum descendat ¹. Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Unctus autem in Regem, ut legem novam condat . et in Sacerdote, ut sacra nova ministret. Psal. CIX, 4 : *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Isa. XXXIII, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus Rex noster : ipse salvabit nos.*

Deinde tangit confessionem ex parte divinitatis humanatæ dicens tria : quod personæ est, quod naturæ, et quod actus naturalis. Quod personæ est, quia filius naturalis, in quo omnes filii adoptivi adoptantur : et ideo dicit :

« Filius. »

Pater enim impotens generare, adoptare non potest : in Deo autem potentia non est ante actum : et ideo Deus unicum habens, adoptat in filios eos qui conformes sunt imagini Filii. Ad Roman. VIII, 29 et 30 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui... Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Joan. I, 34 : *Ego vidi, et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei.* Joan. III, 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Ut simus in vero Filio ejus. In vero enim Filio ejus sunt filii adoptivi, quando in eo in filios adoptantur.

Deinde tangit, quod est naturæ diviniæ :

« Dei. »

Contra Arium : quia sicut filius hominis homo est, ita Filius Dei Deus est : Deus autem visibilis in hominis Filio, ut filios hominum reduceret ad deitatis participationem. Joan. X, 35 : *Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est : et non potest solvi Scriptura.* Psal. LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Hic enim deitas non solum calceavit pedem in humanitate pellis assumptæ, sed etiam in omnibus membris mystici corporis ejus. Psal. LIX, 10 : *In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ subditi sunt.* Deuter. XXIII, 24 et 25 : *Tinget in oleo pedem suum. Ferrum et æs calceamentum ejus.* Ferrum domans duritiam vitiatorum, æs autem in confessione sonorum : oleum autem in operibus miserationum.

Sequitur :

¹ Cf. Psal. CXXXII, 2.

« Vivi. »

Quod est operatio Filii in se, et in nobis. Eccli. iv, 12 : *Sapientia filiis suis vitam inspirat*. Sic enim primo dando spiritum vitæ, dedit vitam naturæ : tandem tempore gratiæ dedit per spiritum vitam gratiæ, et in futuro vitam gloriæ per eundem spiritum. Joan. v, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso*. Quia, Psal. xxxvi, 10, dicit : *Domine, apud te est fons vitæ*. Et sic omnis vitæ fons est Pater, et hæc vita venam accipit in Filio, et fluxum in omnes in Spiritu sancto. Deuter. iv, 4 : *Vos qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi*. Sic non est in diis aliis opera mortis demonstrantibus, sicut per totum ostendunt epistolæ Jeremiæ¹. Isa. xlvi, 1 et 2 : *Onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem contabuerunt*.

Hæc est ergo confessio Petri : hæc eadem confessio facta est a Martha, Joan. xi, 27 : *Ego credidi quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti*.

7

« Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es, Simon Barjona. »

Commendatio est confessionis. Et dicit quatuor : beatitudinem confitentis, firmitatem confessionis, remunerationem in collatione potestatis, et usum potestatis ejusdem. Et hæc in littera patent per ordinem.

Beatitudinem autem tangens dicit tria : beatitudinem, contrarii remotionem, et beatitudinis causam.

In beatitudine quatuor considerantur : ipsa substantia beatitudinis, præsentia justitiæ beatificantis, dispositio beatificati, et virtus.

Primum tangitur, cum dicit :

« Beatus es. »

Quia nos, supra, v, 3 et seq., multa de beatitudine diximus, non dicimus hic nisi quod duplex est beatitudo, virtutis operativæ, et contemplationis : una est hominis secundum rationem opus ordinantis in optimum hominis ad hominem : et altera est hominis secundum intellectum ordinati in Deum.

Prima est expeditus actus prudentiæ, quæ in actibus omnium virtutum et extrinsecus adjuvantium expedita optime gubernat vitam, et attingit rectum statum hominis, non declinans a virtutis optimo. Psal. cxviii, 1 : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Jerem. xvii, 7 et 8 : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas : et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum*.

Beatitudo autem contemplationis intellectus est contemplatio veritatis puræ et firmæ a nullo penitus impedita. Sicut Petrus hic agnovit veritatem, quæ quidem pura est : quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit², sed descendit desuper cor illuminans mirabiliter a montibus æternis : et de hac habetur, supra, xiii, 16 et 17 : *Vestri autem beati oculi, quia vident... Multi Prophetæ, et justii cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt*. Supra, v, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Hæc enim visio, et cognitio aliquid vitæ æternæ est, sicut dicitur, Joan. xvii, 3 : *Hæc est autem vita æterna : Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*.

Secundum est, quia præsentis justitiæ est beatitudo ista : et ideo dicit :

¹ Cf. Baruch, vi, 3 et seq.

² Cf. I ad Corinth. ii, 9 : *Oculus non vidit,*

nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, etc. Cf. Isa. lxiv, 4.

« Beatus es. »

Non enim propter futurum aliquis beatus est, unde et hic idem Petrus Apostolus propter ignorantiam futuri dicitur *Satanas*¹. Nec propter præteritum, quod non est continuatum ad præsens, dicitur *beatus* : quia dicit Boetius, quod « ex-
« tremum genus infelicitatis est non esse,
« sed aliquando fuisse felicem : » hic enim duplici punitur miseria, una quidem præsentis mali, et altera ex recordatione præteriti boni amissi. Baruch, iv, 4 : *Beati sumus, Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* « Præsens enim proprie, sicut dicit Augustinus, « est de præterito memoria, et de futuro « providentia, et de præsentem intelligentia. » Et sic præsens est continuatio præteriti et futuri, super novum ad futurum, et semper consuetum ad præteritum : et sic est optimus status boni in homine. Psal. lxxvi, 11 : *Dixi : Nunc cæpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

« Simon. »

Dispositio optima est beati, ut antiquo nomine Simon per antiquam obedientiam nominetur, implens illud Luc. xv, 29 : *Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi.* Sic enim septem annis (quibus omne tempus significatur) bonus luctator servivit pro Rachel vidente principium in contemplatione, et videntur ei dies pauci præ amoris magnitudine².

« Barjona, »

Hoc est, beatitudinis istius tota, et sola virtus. « *Barjona* » interpretatur *filius columbæ* propter hoc quod Spiritus sanctus in columbæ speciem apparuit³. Filius autem columbæ est, qui formante spiritu in similitudinem spiritus ab omni

carnalis concupiscentiæ tabe purgatus, spiritualiter translatus est, et generatus. Ad Roman. viii, 14 : *Quicumque spiritu Dei aguntur, et simplices oculos non ad sæculum, vel carnem incurvatos, sed ad internum et æternum lumen dirigunt : et ab ipsa veritate formati, nullis erroribus, vel dubiis detenti, ii sunt filii Dei, toti transeunt in contemplationem faciei Dei.* De istis enim dicitur, Psal. xxx, 21 : *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum.* Hi enim, cum elevatur spiritus de terra, simul et elevantur altivoli in contemplatione divina, semper cum suspirio dicentes illud Psalmi lrv, 7 et 8 : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Cantic. iv, 1 : *Oculi tui columbarum.* Supra autem plura notata sunt de hujus avis proprietatibus. Hic spiritus est, de quo dicitur, ad Galat. iv, 6 : *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater.* Et, ad Roman. viii, 16 et 17 : *Ipsæ enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:*

Omnia autem impedimenta hujus beatitudinis ostendit esse remota per hoc quod subjungit, dicens :

« Quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. »

Tangit enim duplicem causam erroris : unam quidem carnis, aliam autem ex revelatione sanguinis provenientes.

Ex carne quidem quo non attollitur mens nisi ad ea quæ a carnalibus accipiuntur organis sensuum corporis : ab illis enim non oritur nisi phantasia erroris. Propter hoc, *Deus lucem inhabitat*

¹ Infra, §. 23.

² Cf. Genes. xxix, 20.

³ Cf. Matth. iii, 16 ; Marc. i, 10 ; Luc. iii, 22 ; Joan. i, 32.

inaccessabilem, ut dicitur, I ad Timoth. vi, 16. Et ideo dicitur, Psal. cxxxviii, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.* I ad Corinth. ii, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Exod. xxxiii, 20 : *Non videbit me homo, et vivet.* Ideo, II ad Corinth. xii, 2, Paulus cum videret visiones Dei, raptus est in tertium cælum, ultra id quod videtur in corporis sensu et imagine corporis : in puritate intellectus sublatus in divinum lumen. Numer. xii, 8, Moyses *palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt.*

Secunda autem causa erroris est affectus ex concupiscentia *sanguinis* proveniens, sicut eorum qui sunt de doctrina Balaam, qui docent edere et fornicari ¹. Isti sunt in amplexibus mulieris pessimæ Jezabel, qui *fluxus sterquilini* interpretatur, computrescentes in stercore suis : sicut et homines, honore rationis perduto et intellectu, similes facti sunt jumentis insipientibus, et comparati bestiis. Eccli. xvii, 30 : *Quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis ?* Ad Galat. i, 15 et 16 : *Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelavit Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini.* Joan. i, 13 : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* I Joan. iv, 2 : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.*

Et optime dicit :

« Non revelavit tibi, »

Hoc est, velata in carne et sanguine non in cor tuum adduxit. Daniel. xiii,

56 : *Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum.* Sed Paulus de viris Apostolicis dicit, ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cælis est.* Et animalia sacra, de quibus loquitur Ezechiel. i, 5, imminens habent cælum capiti, quia mens semper in cælum defixa : et isti iidem viri Apostolici educuntur foras cum Abraham ² extra carnis habitationem, et jubentur stellas, hoc est, lucas cœlestes numerare, et suspicere, et ad illas lucas omne benedictum semen conceptus cordium suorum ordinare, et nihil omnino velatum in carne et sanguine videre, vel revolvere : quia melius est illa velata permanere : eo quod pomum delectationis contemplatum, et revelatum, forte pulchrum visu, adspectuque delectabile, et ad vescendum suave videbitur, et ad suasum serpentis manu consensus et operis illicitum attrectatur, et perditur cum divino lumine conjunctio mentis ³.

Remota autem causa impedimenti, ponit veram causam istius revelationis divinæ :

« Sed Pater meus qui in cælis est. »

Dicens tria : revelantem, thesaurum luminis unde revelatio prorumpit, et locum a quo exit.

Pater enim est revelans : ille, inquam, de quo dicitur, Jacob. i, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Et ideo dicitur Sanctis, ad Ephes. v, 8 : *Ut filii lucis ambulate,* quorum interior facies imaginis Dei renovata est secundum agnitionem illius qui fecit eam ⁴.

Thesaurus autem lucis est Filius : et hoc notatur quando dicit : « *meus.* » I ad Corinth. i, 24 : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. Est enim hæc, scilicet sapientia, speciosior sole, et super*

¹ Cf. Numer. xxv, 2, et Apocal. ii, 14, 20.

² Cf. Genes. xv, 5.

³ Cf. Genes. iii, passim.

⁴ Cf. ad Coloss. iii, 10.

*omnem dispositionem stellarum : luci comparata, invenitur prior. Illi enim, scilicet luci, succedit nox : sapientiam autem non vincit malitia*¹. Sapient. vii, 26. : *Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis.*

Locum autem dicit : « *Qui in cælis est :* » ubi est regio luminis, præcipue in mentibus Beatorum, in quibus Deus habitat : quia anima justi sedes est sapientiæ. Hoc lumen conqueritur Tobias se non videre, et ideo consolationem non posse recipere². Huic lumini conformes fiunt omnes qui imbuuntur ipso. Daniel. xii, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Supra, xiii, 43 : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*

« Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

Et tibo dabo claves regni cœlorum. »

« *Et ego dico tibi quia tu es Petrus,* » hoc est, firmitas confessionis. Et dicit tria : fundamentum videlicet, et Ecclesiæ in fundamento foundationem, et contra subvertentia firmitatem.

De fundamento dicit : « *Et ego,* » qui sum veritas immobilis. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* « *Dico tibi,* » cujus verba non transibunt³. « *Quia tu es Petrus :* » quod nomen tibi per confessionem confirmo, licet ante datum sit⁴ : sed nunc in agnitione veritatis confirmo.

Et attende, quem nos latine et græce Petrum vocamus, hunc Hebræi et Syri Cepham vocant, sicut dicit Hieronymus

super epistolam ad Galatas, iv, sub eodem sensu.

« *Et super hanc petram* » firmæ confessionis, et immobilis. Isa. xxviii, 16 : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion,* etc. Eccli. xxvi, 24 : *Fundamenta æterna supra petram solidam.* I ad Corinth. iii, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere,* etc. « *Ædificabo Ecclesiam meam.* » Ad Ephes. ii, 20 et 21 : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum,* etc. I ad Corinth. iii, 9 : *Dei ædificatio estis.* Ad Coloss. i, 23 : *Permanete in fide fundati et stabiles.*

Dicit autem « *meam,* » quia, Psal. xxv, 5 : *Odivi Ecclesiam malignantium.* Apocal. ii, 9 : *Dicunt se Ecclesiam esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ.* Ecclesia enim Apostolica est sancta, sicut dicit Symbolum : « *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam :* » quæ quatuor habet : vitam in sanctitate : scientiam fidei quæ secundum pietatem est in professione : auctoritatem in potestate clavium, et jurisdictionem : et generalitatem tam in congregationum multitudine quam in regularum quibus regitur, veritate : quibus nulla potest falsitas hæresis obviare. Sic enim est Catholica, ut dicit Boetius. Jerem. xxxi, 33 : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et ædificabitur civitas Domino.* Supra, vii, 24 : *Assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* « *Et portæ inferi,* » quæ sunt hæreses, et peccata mortalia, quæ introducunt ad mortem. Job, xxxviii, 17 : *Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti?* Isa. xxxviii, 10 : *Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* « *Non prævalebunt adversus eam,* » ut evertant eam. Supra, vii, 25 : *Venerunt flumina et flaverunt venti. Descendit pluvia et*

¹ Sapient. vii, 29 et 30.

² Tob. v, 12.

³ Cf. Matth. xxiv, 35.

⁴ Cf. Joan. i, 42, et Matth. x, 2.

irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram, II ad Timoth. II, 19: Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. III Esdræ, III, 12: Super omnia vincit veritas. Ad Hebr. XI, 10: Exspectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus.

« Et tibi dabo claves regni cœlorum. »

Claves quidem sunt, non scientia discernendi, et potestas ligandi, ut quidam dicunt, et hoc Glossa dicere videtur, sed potius discernendi auctoritas inter lepram et lepram, et iudicandi de peccatis, sicut et in Levitico XIII, 2 et seq., non dabatur Sacerdotibus levitici generis scientia discernendi inter lepram et lepram, sed auctoritas: sed scientia juvat ad clavium executionem. Simile autem est, quod aliquando dispensator nescit usum clavium, et oportet discere: et ille qui bene scit, aliquando dispensator domus non constituitur: et ideo auctoritatem non habet. Potestas autem ligandi et solvendi debet regi etiam in forma ab auctoritate discernendi: est enim arbitraria iudicii potestas, et hoc habet ex auctoritate: et rationabilis et discreta, et hoc habet ex hoc quod est scientia.

Dicuntur autem hæ claves per similitudinem: quia ostium regni cœlorum quod peccatoribus clauditur, per eas aperitur: et quia thesaurus gratiæ qui peccatoribus veniam meretur, eis reseratur. Omnia enim Sanctorum et Christi merita sunt dispensatoribus clavium credita, quod significatur, Isa. XXII, 22, ubi primo dicit: *Dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat.* Post modicum subjungit, ꝑ. 24: *Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus: vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis crate-*

rarum usque ad omne vas musicorum. Gloria autem domus Patris cœlestis est thesaurus qui est in Sanctorum meritis: et vasa sunt corda Sanctorum, parvula per humilitatem, et ideo plus gratiæ continentia, et vasa musica sunt corda laudis divinæ, eo quod in eis amplius gratia Dei præfulget: ex hoc enim thesauro suppletur defectus eorum quibus de pœna condigna pro peccato, vel pars aliquando, vel totum remittitur. Tantum igitur vel plus, vel minus remittere est auctoritatis: tantum autem, vel minus pro discretionem peccatorum, vel pœnitentis scire esse remittendum, est scientiæ etiam sine auctoritate: sed hoc non est clavis, sed potius potestas iudicandi et discernendi.

Ergo, « *dabo tibi,* » singulariter: non quod singulariter acceperit Petrus, sed quia in unitate ordinis Ecclesiæ unus est qui accipit in plenitudine potestatis, qui est successor Petri, et Petrus in potestate. Alii autem in eadem unitate accipiunt in parte potestatis, eo quod vocantur in partem sollicitudinis. Et ideo, Joan. XX, 22 et 23, dicitur pluraliter: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis retenta sunt.*

Et quod hic dicuntur « *claves* » ab effectu, ibi dicitur *Spiritus sanctus* a causa: quia in Spiritu sancto remissio fit peccatorum. Dicuntur autem « *regni cœlorum,* » a fine, quia in regnum introducunt. I Paralip. IX, 2 et seq., ubi describunt Levitæ, quibus committebatur custodia templi ad aperiendum templum, et claudendum. Habet tamen Christus solus claves mortis et inferni¹: quia sicut Zachar. IX, 11, dicitur: *In sanguine testamenti sui emisit vinctos suos de lacu in quo non est aqua.*

« Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et

¹ Apocal. I, 18: *Habeo claves mortis et inferni.*

quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis. »

Hic tangitur usus in ordine verborum.

Et notandum est quod dicit Ricardus de sancto Victore, quod « videlicet ligatio sacerdotis præcedit absolutionem, « sed Dei opus e contrario est : quia Deus « solvendo primo, postea ligat : sacerdos « autem primo ligando, postea solvit. » Est enim vinculum culpæ et vinculum pœnæ : vinculum autem culpæ est, quo homo ligatur peccato, et non potest mereri quamdiu est in illo. Isa. xxiv, 18 : *Tenebitur planta ejus laqueo.* Orat. Manassæ, versus medium : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo..., et non est respiratio mihi.* Vinculum autem pœnæ est multiplex, scilicet vinculum æternæ damnationis, et vinculum pœnæ purgatorii, quæ non est proportionata viribus pœnitentis : et est vinculum pœnæ temporalis condignæ peccatis : et est vinculum pœnæ arbitrariæ, secundum conditionem pœnitentis, et peccatorum æstimantis. Deus ergo absolvit a duobus vinculis primis per seipsum, et sine conditione : et nisi absolvat, nihil potest fieri de peccatore, nisi damnatio. Isa. XLIII, 25 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Luc. v, 21 : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ?* Psal. l, 6 : *Tibi soli peccavi.* Sic autem absolutum mittit ad sacerdotem ligatum pœna purgatoria, et pœna peccato condigna : sicut Lazarum suscitatum misit ad discipulos solvendum¹. Sacerdos autem vinculatum a Deo solvere non potest simpliciter, sed ligando ad pœnam expiationis potest absolvere a pœna condignæ purgationis quam in purgatorio solvere deberet : eo quod sacerdos non est Dominus, sed minister : et oportet eum primo æstimare emendam Domino faciendam, et ad illam ligare : et tunc residuum vi clavium remittere et absolvere a vinculis, quibus vinctus ad

eum accessit. Eccli. vi, 31 : *Vincula illius alligatura salutaris.* Sic, Luc. x, 34, Samaritanus alligando vulnera infundit vinum pœnæ satisfactoriæ, et oleum remissionis pœnæ purgatoriæ, et peccatis condignæ : sic etiam aliquando per indulgentias remittunt.

Sed de hoc notandum est, quod indulgentia est remissio pœnæ satisfactoriæ injunctæ, vel injungendæ pro peccato confesso, et de quo præcessit compunctio : quia ille a Deo absolutus est a vinculo peccati, et æternæ damnationis : quæ absolutio nisi præcedat, non habet locum indulgentia hominis. Et ad hanc exiguntur sex : duo ex parte dantis indulgentiam, et quatuor ex parte recipientis.

Primo, ex parte dantis : potestas in dante indulgentiam, et causa : causa autem duplex, aut cogens necessitas, aut invitans utilitas. Necessitas quidem, sicut amissio terræ sanctæ, vel alterius partis Ecclesiæ : utilitas autem, sicut ædificatio loci religiosi, vel Ecclesiæ, vel hospitalis, vel reparatio viarum communium, vel audiendi verbum Dei, vel aliquod hujusmodi. Hæc igitur sunt duo ex parte dantis indulgentiam, auctoritas dandi, et causa.

Secundo, ex parte autem recipientis quatuor exiguntur : quorum primum est, quod compunctus sit, quia aliter non præcessit in eo absolutio divina : secundum, quod vinculum Ecclesiæ non contemnat propter indulgentiam, vel negligat, scilicet quod præsentet se sacerdoti : quia sicut sacerdos tenetur cognoscere diligenter vultum pecoris sui, ita tenetur subditus se præsentare semel in anno, et vincula non negligere. Joan. x, 14, utrumque dicitur : *Cognosco meas,* et hoc pertinet ad sacerdotem : *et cognoscunt me meæ,* et hoc pertinet ad subditum. Tertium est fides operans per dilectionem, quæ hoc credat auctoritate ministri Ecclesiæ sibi posse fieri. II ad

¹ Cf. Joan. xi, 44.

Corinth. II, 10 : *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Glossa dicit : « Ac si Christus donasset in propria persona. » Tunc enim per charitatem unitur Ecclesiæ (in qua fit remissio) is cui remittitur, et per fidem in potestatem remittentis Dei movetur. Luc. I, 45 : *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.* Quartum autem est perfectio ejus, pro quo datur indulgentia pro rationabili facultate et utilitate : quia, Luc. XXI, 2 et seq., Vidua duo æra dando, plus omnibus dedisse dicta est a Domino : quando enim non illudit, sed pro facultate devote, et utiliter facit quod faciendum est, indulgentiam consequitur. Sed multi dant, ita quod Domini potius illusio est, quam utile : et his exstantibus totum remitti potest. Et per hoc tota patet littera. Infra, Matth. XVIII, 18, et Joan. XX, 23 : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.*

20

« Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus. »

Ultimum est istius partis, in quo adhuc nondum perfectis sacramentis redemptionis, præcipit occultari gloriam deitatis : sed tenendam esse fideliter firmitatem confessionis. Tob. XII, 7 : *Sacramentum regis abscondere bonum est.* In hoc etiam dat formam humilitatis, ut etiam vera magis abscondantur a nobis.

Et hoc est quod dicit : « *Ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus,* » quousque in gloria resurgeret, et ad sedem Patris rediret : et tunc prædicarent. Matth. XXVIII, 19 : *Euntes, docete omnes gentes,* etc ¹.

« Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis. »

21

Habita fide et confessione deitatis, super quam fundatur Ecclesia, tangit hic instructionem ad fidem passionis, quæ operatur in clavibus et Ecclesiæ sacramentis : et per hoc patet ordo.

Tanguntur autem hic tria : primum, passionis in capite futuræ revelatio : secundum, ad compatiendum discipulorum invitatio : tertium autem, ne nimis deiciantur, gloriæ resurrectionis promissio. Et hæc in littera patent.

In primo duo sunt paragraphi : quorum primus continet futuræ passionis in capite revelationem : secundus vero irrationabilitatis Petri zelantis increpatorium instructionem.

In primo dicitur quo ordine, quis, quibus, quid ostendit.

Et de ordine dicit : « *Exinde,* » post fundatam fidem deitatis, in qua firmi (alias, sui) permaneant in contemplatione Passionis. Isa. LIV, 11 et 12 : *Fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua.* Jaspidem enim propugnacula ponere est virorem fidei firmantis tentationibus expugnandis opponere : in sapphiris fundare est in cœlesti natura deitatis fide firmiter collocati.

« *Cœpit,* » quia hoc est principium. Joan. VIII, 25 : *Ego principium, qui et loquor vobis.*

« *Jesus.* » I ad Timoth. II, 4 : *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

« *Ostendere,* » per revelationem, « *discipulis suis.* » Joan. XV, 15 : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

« Quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus et

¹ Cf. Marc. XVI, 15.

Scribis et Principibus Sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. »

Ecce quid ostendit. Ostendit autem Passionis opportunitatem et ad redimendum meliori modo necessitatem, locum, quantitatem, auctores passionis et acerbitatem, et finem. Et hæc per ordinem continentur in littera.

De opportunitate dicit: « *Quia oportet eum,* » quia opem portat, et opes portat, et necesse est suppositionis necessitate, si deberet meliori modo quo potest fieri redemptio, sicut disposuit Pater. Isa. xxv, 1: *Domine... fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. Amen!* Luc. xxiv, 26: *Nonne hæc oportuit pati Christum?...*

De loco dicit: « *Ire Jerosolymam,* » ubi fuit locus solemnus, et Sacerdotum, et religionis, et regni. Luc. xiii, 33: *Non capit Prophetam perire extra Jerusalem.* Infra, xxiii, 37: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt,* etc. Nomen tamen civitatis significavit pacem, quam fecit sanguine Christi plenam¹.

« *Et multa pati.* » Cantic. i, 12: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

« *A senioribus* » auctoribus, in quibus consilium, « *et Scribis,* » in quibus sapientia, « *Et principibus sacerdotum,* » in quibus auctoritas, et zelus. I. Esd. ix, 2: *Manus principum et magistratum fuit in transgressione hac prima.* Luc. xxiii, 10: *Stabant Principes sacerdotum et Scribæ constanter accusantes eum.*

« *Et occidi.* » Ecce acerbitas. Act. iii, 15: *Auctorem vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis*².

Et hoc est quod sequitur: « *Et tertia die resurget,* » ne nimis dejiciantur tristitia Passionis, et ne dubitent de ea quam fecerunt, confessione deitatis.

Act. x, 39 et seq.: *Quem occiderunt suspendentes in ligno, hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo.*

« Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit a te, Domine: non erit tibi hoc. »

Increpatoria est Petri instructio. Et tria tanguntur: quorum primum est Petri zelus et fervor: secundum, Petri increpacio: et tertium, cum increpatione instructio.

Circa primum ponit zelantem, et modum zeli, dicens: « *Et assumens eum Petrus,* » seorsum, ne videretur temerarius, « *cœpit increpare illum,* » scilicet modo increpantis dure dicere: zelabat enim suam confessionem, et putabat Filium Dei vivi non debere mori: zelabat etiam amicabilem Christi præsentiam, et abhorruit eum talia pati debere, et æquanimiter sustinere non poterat. Marc. viii, 32: *Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.*

« *Dicens: Absit a te Domine,* » scilicet quod Filius Dei vivi intereat. « *Non erit tibi hoc.* » Ex pietate, et amore victus dicebat. Hieronymus dicit, quod in Hebræo habetur: « Propitius esto tibi, Domine: non erit tibi hoc. »

« Qui conversus, dixit Petro: Vade post me, Satana: scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. »

Ecce increpacio.

Dicit ergo: « *Qui,* » Jesus, « *conversus,* » ut inspiceret eum, cui ante procedens dorsum verterat, intuitus eum in-

¹ Cf. ad Ephes. ii, 4; ad Coloss. ii, 13.

² Act. ii, 23 et 24: *Hunc... per manus ini-*

quorum affligentes interemistis. Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, etc.

duxit erubescenciam. Luc. xxii, 62 et 62 : *Conversus Dominus respexit Petrum... Et egressus foras Petrus flevit amare.* « Dixit » ergo « Petro. » II Reg. xviii, 33 : *Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te ?* « Vade post me, » conformitate voluntatis. *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra*¹. Luc. xxii, 42 : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* I Reg. iii, 18 : *Dominus est : quod bonum est in oculis suis faciat.*

« Satana, » qui meæ adversaris voluntati, nesciens tamen, et ex amore : et ideo non in perpetuum es repellendus ut diabolus², sed instruendus es, ut non præcedas, sed sequaris meam voluntatem. « *Scandalum es mihi,* » hoc est, scandalum in me accipis ruinæ tuæ. Isa. viii, 15 : *Offendent ex eis plurimi, et cadent.* « *Quia non sapis ea quæ Dei sunt,* » per zelum indiscretum. Ad Coloss. iii, 2 : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* « *Sed ea quæ hominum,* » humane me zelando et diligendo. II ad Corinth. v, 16 : *Nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* In prima enim confessione nihil revelavit caro et sanguis, nunc autem in affectu caro et sanguis ista Petro revelabant. Ad Roman. viii, 5 : *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt.* Ad Philip. iii, 19 : *Gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.*

24

« Tunc Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. »

Hic invitatur ad compatiendum. Et dicit duo : invitationem, et rationem quare invitatio sit recipienda. Invitationem dicit primo.

¹ Supra, vi, 10.

Dicit ergo : « *Tunc Jesus dixit discipulis suis.* » Sed contra, Marc. viii, 34 : *Convocata turba cum discipulis suis, dixit : Si quis,* etc. RESPONSIO : Discipulis dixit magis quam aliis, quia Prælati hic primi debent esse.

« Si quis vult, etc. »

Tangit hic quinque sequenda : videlicet difficultatem sequentium, libertatem, formam, profectum, et in quo sequantur.

De primo dicit : « *Si quis.* » Quasi dicat : Rarus est, sed tamen laudabilis. Matth. xx, 16 : *Pauci electi.* Luc. xii, 32 : *Nolite timere, pusillus grex.* Circa difficile autem est bonum virtutis.

« *Vult.* » Notat libertatis voluntatem. II ad Corinth. ix, 7 : *Non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.*

« *Post me.* » Formam meam ante se habens præcedentem. Ad Hebr. xiii, 13 : *Exeamus ad eum extra castra, improprium ejus portantes.* Isa. xlv, 14 : *Viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt : post te ambulabunt, vinciti manibus pergent, et te adorabunt, teque deprecabuntur.*

« *Venire.* » Tangitur profectus. Jerem. li, 50 : *Venite, nolite stare : recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.*

« Abneget, etc. »

Tangit in quo, quia in tribus : in propriæ voluntatis abnegatione, in carnis mortificatione, quia his duobus tollitur sequendi impedimentum : et virtutis perfectione, quæ est ipsa insecutio.

De primo dicit : « *Abneget.* » Non tantum abneget partem, sed totum abneget « *semetipsum,* » in omnibus quorum causa est ipse : quia illa vel vana, vel mala sunt : et induat Deum quem con-

² Ibid. iv, 3-11.

fessus est Petrus, ut illius voluntas tam Deo quam per eum fiat. Psal. XLIV, 11 : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Ad Titum, II, 12 : *Abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo.*

« *Et tollat crucem suam,* » hoc est, cruciatum, qui eum pro peccati mortificatione, et carnis castigatione proportionabiliter contingit. I ad Corinth. IX, 27 : *Castigo corpus meum.* Ad Galat. VI, 17 : *De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.*

« *Et sequatur me,* » perfecta imitatione virtutis. Præcedere enim nemo potest eum, qui *exsultavit sicut gigas ad currendum viam, a summo cælo,* etc.¹. Concomitari etiam nullus in passionibus, quia, Thren. I, 12 : *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte,* etc. Psal. XLIV, 3 : *Speciosus forma præ filiis hominum.* Sequatur ergo necesse est, vel abscedat. Eccli. XXIII, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum.* I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

« Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. »

Ratio est, quare sequendus sit. Et sunt tres rationes: prima quarum est, quia hoc solum est salutis: secunda autem, quia id solum est utilitatis: tertia autem, quia hoc solum est securitatis.

In prima autem ratione duo sunt rami per oppositum accepti, ut magis probetur et eluceat veritas propositi.

Dicit igitur, primo sumens in opposito, unde intendit avertere : « *Qui enim*

voluerit, » eo quod vitium est voluntarium. Genes. IV, 7 : *Subter te erit appetitus tuus.* « *Animam suam,* » ab animalitate dictam, « *salvam facere.* » Vel in persecutione negando Christum, ne occidatur : vel in delectabilibus carnis fovendo, ne tristetur. « *Perdet eam,* » in gehenna, si negat, et si delectabilia sequitur. Iterum « *perdet,* » quia in affectu delectationis, in qua moritur, perpetue manebit : et tunc, ut dicit Bernardus, « *In æternum non obtinebit, quod vult : et tamen quod non vult, in perpetuum sustinebit.* » Vel, « *perdet,* » quia cum semina boni sint sparsa in anima, tanto magis bonum naturale perditur, quanto vitium adimens bonum sæpius iteratur. I ad Corinth. VI, 13 : *Esca ventri, et venter escis. Deus autem et hunc, et has destruet.* Joan. XII, 25 : *Qui amat animam suam, perdet eam.*

« Qui autem perdiderit animam suam, etc. »

Per oppositum eligendo mortem, antequam me neget : vel subtrahendo delectabilia animalitati : vel tertio, faciendo bona, disperdet animalitatem. Quo enim plus honesta per rationem facimus, eo plus brutalis in nobis perditur sensus, et affectus. Daniel. IV, 33 : *Sensus meus reversus est ad me, et ad honorem regni mei, decoremque perveni.* Sicut enim homo evacuando bonum naturæ et rationis, mutatur in bestiales sensus et affectus, ita etiam faciendo honesta, et rationis bona, paulatim redit humanus honor, et regnum rationis et decor. Unde Nabuchodonosor delicias sequenti primo dictum est : *Regnum tuum transibit a te : et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua*². Joan. XII, 25 : *Qui odit animam suam..., custodit eam,* etc.

¹ Psal. XVIII, 6.

² Daniel. IV, 28 et 29.

26

« Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? »

Ratio est sumpta ab utilitate. Et habet duos ramos : unus ostendit esse nullum lucrum in his qui perdunt animam : secundus sumitur ab æstimatione boni animæ et mundi.

Dicit ergo : « *Quid enim prodest homini* » rationali, si mundum in deliciis et divitiis et honoribus, « *lucretur,* » quæ sunt stercora. Ad Philip. III, 7 et 8 : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* « *Animæ vero suæ.* » Non ab animalitate, sed ab animeitate dictæ : « *detrimentum patiatur.* » Continuum enim detrimentum, ut diximus, patitur rationis naturale bonum animæ ex boni mundani illicita perfruitione. Habacuc, II, 6 : *Væ ei qui multiplicat non sua! et usquequo aggravat contra se densum lutum?* Non nostra enim, non humana bona, sed jumentina, in quibus infigitur animus, et impeditur virtutis profectus. Psal. LXVII, 3 : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.*

« *Aut quam dabit homo* » rationalis, « *commutationem pro anima sua,* » quam perdit continue. Thren. I, 6 : *Egressus est a filia Sion omnis decor ejus.* Job, II, 4 : *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Ezechiel. VII, 19 : *Argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini.* Proverb. XI, 4 : *Non proderunt divitiæ in die ultionis : justitia autem liberabit a morte.*

« Filius enim hominis venturus est in gloria Patris suis cum Angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. »

Hic ponitur ratio a consideratione securitatis in judicio divino. Tangit autem judicis dispositionem, et judicii.

Circa judicem tangit quatuor : formam in qua judicabit, certitudinem futuri adventus ad judicium, majestatem, et ministros.

De primo autem dicit : « *Filius enim hominis,* » quia in forma hominis, in qua judicatus est, judicabit. Joan. V, 27 : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Act. XVII, 31 : *Statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.*

Secundo, certitudinem autem adventus ad judicandum dicit : « *Venturus est.* » Quod enim venturum est, veniet, et non tardabit. Isa. XXXV, 4 : *Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis.*

« *In gloria Patris sui.* » Ecce majestas. Daniel. VII, 14 : *Dedit ei potestatem, et honorem, et regnum.* Luc. XXI, 27 : *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.*

« *Cum Angelis suis.* » Ecce ministri. Infra, XXIV, 29 : *Virtutes cælorum commovebuntur.* Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.*

« Et tunc reddet unicuique, »

Teste conscientia, « *secundum opera sua.* » Modus est judicii. II ad Corinth. V, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Isa. XVI, 5 : *Sedebit super solium in veritate in tabernaculo*

David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.

« Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. »

Hic quia multa dixit de Passione, quæ credibilis fuit omnibus propter naturam passibilem assumptam, et confirmat ea quæ dixit de Resurrectionis gloria, ut tolerabilior sit invitatio ad patiendum.

Et hoc est : « Amen dico vobis, » hoc est, fideliter, « sunt quidam de hic stantibus. » Qui? Tres, Petrus, Jacobus, et Joannes, « qui non gustabunt mortem, »

quia mors gustata fert mortem, sicut quælibet res gustata suum fert saporem : boni autem gustant mortem, mali bibunt eam. Jerem. xxv, 28 : *Bibentes bibetis.*

« Donec videant, » oculis corporis : et sicut dixit supra, xiii, 16 : *Vestri autem beati oculi, quia vident,* etc. « *Filium hominis,* » tectum humilitate Passionis, « *venientem* » ad notitiam : vel, a morte, « *in regno suo.* » Vel, splendore regni in transfiguratione : vel, regni hæreditate in gloria Resurrectionis : vel promittit aliquos visuros Ecclesiæ dilationem. Luc. ix, 27 : *Donec videant regnum Dei.* Sapient. x, 10 : *Ostendit illi regnum Dei.*

CAPUT XVII.

Christi in monte transfiguratio, quam jubet discipulos silentio servare, donec a mortuis resurgat : Eliam dicit venturum, imo jam venisse, sed cognitum non fuisse, nempe Joannem Baptistam : puerum lunaticum curat, quem discipuli ob modicam fidem curare non potuerant : ostendens quantæ sint virtutis, fides similis grano sinapis, jejunium, et oratio : passionem suam prædicit : pro se quoque et Petro didrachma solvit invento in ore piscis statere.

1. Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum ¹ :
2. Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.
3. Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias, cum eo loquentes.
4. Respondens autem Petrus, dixit

- ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.
5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite ².
 6. Et audientes discipuli ceciderunt

¹ Marc. ix, 4 ; Luc. ix, 28.

² Supra, iii, 17 ; II Petr. i, 17.

- in faciem suam, et timuerunt valde.
7. Et accessit Jesus, et tetigit eos : dixitque eis : Surgite, et nolite timere.
8. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Jesum.
9. Et descendantibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.
10. Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes : Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire ¹?
11. At ille respondens ait eis : Elias quidem venturus est, et restituet omnia ².
12. Dico autem vobis ³ quia Elias jam venit : et non cognoverunt eum ⁴, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic et Filius hominis passurus est ab eis.
13. Tunc intellexerunt discipuli quia de Joanne Baptista dixisset eis.
14. Et cum venisset ad turbam ⁵, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens : Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est et male patitur : nam sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam.
15. Et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum.
16. Respondens autem Jesus, ait : O generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me.
17. Et increpavit illum Jesus : et exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora.
18. Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, et dixerunt : Quare nos non potuimus ejicere illum?
19. Dixit illis Jesus : Propter incredulitatem vestram ⁶. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis.
20. Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium.
21. Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus : Filius hominis tradendus est in manus hominum ⁷,
22. Et occidetur : et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.
23. Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, et dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma?
24. Ait : Etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens : Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ, a quibus accipiunt tributum vel census? a filiis suis an ab alienis?
25. Et ille dixit : Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii.
26. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle : et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me et te.

¹ Marc. ix, 10.² Malach. iv, 5.³ Supra, xi, 14.⁴ Supra, xiv, 10.⁵ Marc. ix, 16; Luc. ix, 38.⁶ Luc. xvii, 6.⁷ Infra, xx, 18; Marc. ix, 30; Luc. ix, 44.

IN CAPUT XVII MATTHÆI

ENARRATIO

« Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum. »

Habitis fundamentis Ecclesiæ, tanguntur ea quorum virtute claves faciunt quod faciunt : sicut et hic tanguntur Resurrectio, et Passio. Vel melius : Quia dictum est, quod quia nunc omnes claves regni cœlorum collatæ sunt ministris, ostenditur hic quale est regnum quod referant, sicut et in fine præcedentis capituli est promissum.

Tanguntur ergo hic duo, gloria scilicet Resurrectionis sequens meritum Passionis : et effectus tam super dæmonem impediens, quam etiam ad libertatem filiorum, quam perfectissime efficit : et hæc duo continentur in secunda parte capituli, sicut per se patet cuilibet¹.

Circa manifestationem autem gloriæ regni Resurrectionis tria inducit : ubi scilicet et quando et quibus facta manifestatio : et modum suæ manifestationis : et instructionem qua discipulos de veritate instruit. Et hæc in littera patent.

Dicit igitur de tempore :

« Et post dies sex, »

A facta confessione. Idem etiam habetur. Marc. ix, 1. Contra, Luc. ix, 28, dicitur : *Factum est post hæc verba fere dies octo.* RESPONSIO secundum Augustinum,

¹ Ibi, v. 14 et seq. : *Et cum venisset ad turbam, etc.*

quod Lucas numerat primum in quo facta est confessio, et ultimum in quo facta est transfiguratio : hos duos non numerant Matthæus et Marcus, sed tantum intermedios : octo tamen propter octavam competentem resurrectioni corporum : sed quieti regni competit post dies sex, quæ est septima quietis æternæ. Ad Hebr. iv, 10 : *Qui ingressus est in ejus, scilicet Dei, requiem, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus.*

« Assumit Jesus. »

Nota est familiaritatis. Psal. xxvi, 10 : *Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Exod. vi, 7 : *Assumam vos mihi in populum, et ero vester Deus : et scietis quod ego sum Dominus Deus vester.*

« Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus. »

Deuter. xix, 15 : *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Hos etiam magis familiares assumpsit in suscitatione filiæ Archisynagogi² : et in Passione, quando oravit³. Quorum Petrus Prælatos, Jacobus activos, et Joannes contemplativos significat. Ezechiel. xiv, 14 : *Noe, Daniel et Job ipsi justitia sua liberabunt animas suas.*

« Et ducit illos, etc. »

Deuter. xxxii, 12 : *Dominus solus dux ejus fuit.* Exod. xv, 17 : *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ. « In montem. »* Psal. lxxvii, 17 : *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Jerem. xxxi, 23 : *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus. « Excelsum. »* Ezechiel. xl, 2 : *Dimisit me super montem excelsum ni-*

² Cf. Marc. v, 37.

³ Cf. infra, xxvi, 37.

mis. Hic mons erat Thabor, qui *veniens lumen* interpretatur. Psal. LXXXVIII, 13 et 14 : *Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt : tuum brachium cum potentia.* « *Seorsum,* » a mundi strepitu. Marc. VI, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.*

2 « Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. »

Eccè ipsa transfiguratio. Describit autem eam dupliciter, in Domino videlicet, et in testibus qui in monte fuerunt.

In ipso autem dupliciter : in corpore Domini, et in amictu.

In corpore autem describit dupliciter : in communi, et in speciali determinando modos ejus.

In communi autem dicit :

« Transfiguratus est ante eos. »

Cum autem figura sit terminatio quantitatis, hoc modo non mutavit figuram Dominus : sed dicitur hic figura physici corporis, quæ est cum colore et passionibus, quæ transfigurata est, quando actus altioris potestatis in ea apparuit. Id enim quod in corpore humano secundum potestatem qualitatum complexionalium apparet, color est humanus : sed quia corpus dominicum fuit unitum deitati, et organum animæ plenissimæ gratiæ : et deitas radiat super omnem lucem, ut dicitur, Sapient. VII, 29 : *Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior.* Quod igitur secundum potestatem deitatis in corpore apparet divino, transfiguratio est in lu-

cem. Et patet, quod illi corpori lux illa connaturalis fuit, sicut et color, sicut et in potestate habuit ponendi animam et iterum sumendi eam¹. Non enim nisi naturale esse potest, quod convenit ei, in quantum erat deitati unitum, et animæ cum Deo unitæ organum. Unde, Luc. IX, 29 : *Facta est species vultus ejus altera.* Et non dixit : Alia

Dicit autem : « *Ante eos,* » ad demulcendum discipulos, et trahendum corda eorum in æternorum desiderium. Joan. XIV, 21 : *Ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Unde Petrus gloriatur, II Petr. I, 16 : *Non doctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam : sed speculatores facti illius magnitudinis.*

Et tangit in speciali modos, dicens :

« Et resplenduit facies ejus sicut sol. »

In corpore : in infinitum autem magis in mente quam in corpore. Apocal. I, 16 : *Facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.* Sed contra, Eccli. XLIII, 4 : *Sol refulgens radiis suis obcæcat oculos :* qualiter ergo sufficere potuerunt? Dicendum, quod confortatum majori lumine habebant visum.

Deinde tangit amictum :

« Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. »

Hoc vestimentum potest esse humanitas : quod ego non puto : quia humana facies fuit, quæ resplenduit sicut sol. Sed ad litteram vestis lucentis nubes alba videtur, ubi splendor occumbere, et in albedinem in circuitu videtur terminari. Significat autem vestis Sanctos. Isa. XLIX, 18 : *Vivo ego, dicit Dominus, quia*

¹ Joan. X, 17 et 18 : *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me : sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo*

ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.

omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa. Psal. ciii, 2 : *Amictus lumine sicut vestimento.* Nix autem est rara, alba et mollis : rara, quia non congelatur, antequam convertatur in aquam, eo quod calidum tenet eam raram : alba autem propter naturam perspicui aquæ, quod est materia ejus : mollis autem propter calorem in nube conceptum, qui resolvit congelatum aliquantulum, et mollificat. Et rarum quidem significat spiritualitatem : albedo autem, innocentiae et castitatis candorem : et mollities, mansuetudinem : et calor, charitatem. Isa. lv, 10 et 11 : *Quomodo descendit imber, et nix de caelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti : sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo.* Infra, xxviii, 3 : *Erat... vestimentum ejus sicut nix.* Apocal. i, 14 : *Caput ejus et capilli erant conditi tamquam lana alba et tamquam nix.* Vestimenta alba quasi lana munda, et sicut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Fullo, inquam, Deus, qui se Sanctis vestit : qui tale lumen Sancti adhuc in terra degentes recipere non possunt.

« Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias, cum eo loquentes. »

Hic tangitur transfiguratio quoad testes quadrupliciter. Primo, quoad testimonium apparentium Patrum : secundo, quoad testimonium Apostolorum : tertio, quoad testimonium creaturarum : et quarto, quoad testimonium Patris.

De primo dicit : « *Et ecce,* » ut notetur evidentiâ, « *apparuerunt,* » ut subito et divinus notetur eorum adventus : quia sicut supra, ii, 13, notatum est ¹, quod apparet, subito advenit,

¹ Cf. enarrationem in §. 13 cap. II hujusce

et impræmeditate. « *Eis,* » discipulis, ut magis certificentur.

« *Moyses,* » ex limbo veniens de mortuis, ut probetur, quod ipse est de quo dicitur, Deuter. xviii, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.*

« *Et Elias,* » vivus de paradiso veniens eximius Prophetarum : ut ex Propheta haberet testimonium. Isa. vii, 41 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra,* hoc est, de paradiso, vel inferno : et ut notetur, quoniam vitæ et mortis habet potestatem. Ad Roman. xiv, 9 : *In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur.*

« *Cum eo loquentes.* » Luc. ix, 30 et 31 : *Erant Moyses et Elias, visi in majestate : et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Dicit enim Origenes quod Moyses ibi oravit pro populo suo. Excessus autem iste erat amoris, doloris et humilitatis. De primo quidem, Joan. xv, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet,* etc. De secundo, Thren. i, 12 : *O vos omnes,* etc. De tertio, ad Philip. ii, 8 : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem,* etc. Thren. iii, 19 : *Recordare paupertatis,* etc.

« Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Eliæ unum. »

Secundum est, scilicet testimonium Apostolorum.

« *Respondens autem Petrus,* » ad gloriosa verba Moysi et Eliæ, quæ habe-

bant cum Christo, « *dixit ad Jesum : Domine,* » omnium, « *bonum est nos :* » omnis boni bonum. Exod. xxxiii, 19 : *Ego ostendam omne bonum tibi.* « *Hic esse :* » ut abscondamur in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum. Sed errat : hic enim non datur, sed in futurum promittitur : hoc lumen non est abscondendum, sed super candelabrum ponendum : non soli dandum, sed ut luceat omnibus, qui in domo sunt ¹. Marcus autem, ix, 5 et Luc. ix, 33, dicunt : *Nesciens quid diceret.*

« Si vis. »

Hoc præmittit, ne increpetur sicut supra, xvi, 22, quando dixit : *Absit a te, Domine : non erit tibi hoc.* Unde hic præmittit se conformare voluntati suæ.

« *Faciamus hic.* » Non erat suum facere formam cognoscere. « *Tria tabernacula.* » In hoc errat : quia Legis et Prophetiæ et Evangelii non sunt tres habitationes, sed una, quæ est Ecclesia. Apocal. xxi, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus : et habitabit cum eis.* Unum ergo est tricameratum, propter Trinitatis fidem et propter præeuntium, et sequentium, et comitantium societatem : et propter Legis et Prophetiæ cum Evangelio completionem.

« *Tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* » Voluit enim seorsum habitare, sed cum Christo in tabernaculo requiescere. Isa. iv, 6 : *Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia.*

« Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. »

Testimonium est creaturarum.

¹ Cf. Matth. v, 15 et Luc. viii, 16 ; Marc. iv, 21 ; iterum, Luc. xi, 33.

² Ut, Genes. vi, 6 : *Pœnituit eum,* scilicet Deum, quod hominem fecisset in terra, etc.

« *Ecce nubes lucida obumbravit eos,* » ut lumen ingereret blandimentum, et luminis testimonium : nubes autem temperaret lucis excessum. Isa. xli, 2 : *In umbra manus suæ protexit me.*

« Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite. »

Testimonium tangit Patris. II Petr. i, 17 : *Voce delapsa ad eum hujusmodi a magnifica gloria.* Cantic. ii, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.*

« *Hic est Filius,* » consubstantialis, « *dilectus,* » et dilectionis, sicut ego principium, « *in quo,* » sicut in redemptore, « *mihi,* » sicut auctori in opere, « *bene,* » modo virtutis, « *complacui,* » non pœnitentia ductus de opere ².

« *Ipsium audite,* » quasi legislatorem. Isa. lv, 2 : *Audite, audientes me, et comedite bonum.* Supra, iii, 17, de hoc multa sunt dicta ³. Hæc autem, quæ de voce Patris dicuntur etiam in baptismo, sonabant ibi ad perfectionem sanctitatis : hic autem ad perfectionem majestatis : in Passione autem, Joan. xii, 28, ad perfectionem claritatis ⁴.

« Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde. »

Hic tangitur instructio discipulorum. Et habet duo : instructionem ex facto de transfiguratione : et instructionem per verbum de circumstantibus apparitionem.

In primo dicit tria : casum ex magnitudine, confortationem ex Domini consolatione, et instructionem ex transitu gloriæ revelatæ.

³ Cf. supra enarrationem in §. 17 cap. iii, pag. 110 et 111.

⁴ Joan. xii, 28 : *Venit vox de cælo : Et clarificavi, et iterum clarificabo.*

De primo dicit : « *Et audientes discipuli,* » vocem Patris de testimonio veritatis. II Petr. I, 18 : *Vocem Patris audivimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.*

« *Ceciderunt in faciem suam.* » Qui cadit in faciem, sciens ubi cadit, prudenter cadit. I ad Corinth. XIV, 25 : *Cadens in faciem suam adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* E contra cadentes retrorsum, nesciunt ubi cadant, et extra gratiam cadunt. I Reg. IV, 18, Heli cadens de sella retrorsum fractis cervicibus exspiravit. Daniel. X, 16, est simile ei quod habetur hic : ubi Daniel cecidit ad visum viri Gabrielis, et dixit : *Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium.*

« *Et timuerunt valde,* » non aliquid mali, quod ibi non erat, sed territi insolita majestate, et coruscatione, quæ humana infirmitas sustinere non poterat, licet ad ipsam primitus facta sit. Job, XXVI, 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Isa. XXI, 3 et 4 : *Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Emarcui cor meum.* Timor enim, qui est fuga cordis intus, causa fuit casus exterius.

« Et accessit Jesus et tetigit eos : dixitque eis : Surgite, et nolite timere. »

« *Et accessit Jesus,* » appropinquatione dignationis consolabatur et confortabat eos.

Et tria tangit : accessum, tactum et allocutionem. Matth. XXVII, 18, ubi etiam dubitaverant, dicit : *Accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas, etc.*

« *Et tetigit eos,* » ut tactu carnis præsentiam sentirent virtutis deitatis. Da-

niel. X, 10 : *Manus tetigit me, et erexit me super genua mea.*

« *Dixitque eis,* » allocutione. Psal. XLIV, 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis.*

Dicit autem : « *Surgite,* » contra casum : « *nolite timere,* » contra timorem. Joan. XIV, 1 : *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite.* Supra, XIV, 27 : *Habete fiduciam : ego sum, nolite timere.*

« Levantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Jesum. »

Hic ponitur instructio facti et verbi : et ideo duo dicuntur.

De primo duo : oculorum ad rem docentem elevatio, et rei instructio.

Dicit igitur : « *Levantes oculos suos.* » Luc. XXI, 28 : *Levate capita vestra.* Baruch, IV, 36 : *Circumspice..., et vide jucunditatem a Deo tibi venientem.*

« *Neminem viderunt,* » quia omnia disparuerunt, ut soli Christo adhærent. I ad Corinth. XIII, 10 : *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Significatur etiam, quod omnibus transeuntibus, *erit Deus omnia in omnibus*¹.

« Et descendantibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat. »

Instructio est per verbum duplex : una est humilitatis et mysterii : altera ex solutione dubietatis.

De prima dicit : « *Et descendantibus illis.* » II ad Corinth. V, 13 : *Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis.* Elevati enim in contemplatione redeunt ad actionem. Sic Abraham re-

¹ I ad Corinth. XV, 28.

versus est in locum suum a monte visionis ¹.

« *Præcepit illis Jesus,* » præcepto instructionis: « *Nemini dixeritis visionem,* » de transfiguratione, et circumstantibus eam, « *donec Filius hominis,* » cujus est mori, « *a mortuis resurgat.* » Duplici ratione: quia si prius diceretur, et postea mori videretur, fieret scandalum, et non ædificatio ad fidem, quod sic transfiguratus mori posset. Eccli. III, 7: *Tempus tacendi, et tempus loquendi.* Eccli. XX, 22: *Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo.* Alia causa est, scilicet informatio ad humilitatem. Eccli. XI, 2: *Non laudes hominem in specie sua.* Et, ibidem, X, 30: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.*

Dicit autem: « *A mortuis,* » quia ad hoc moritur, ut mortuos visitet. Eccli. XXIV, 45: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes.* Adhuc etiam ipse solus fuit *inter mortuos liber* ²: et ideo surrexit ab eis.

10 « Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire? »

Hæc est solutio dubiorum. Et habet tres partes: quarum prima est interrogatio: secunda, solutio: et tertia, illuminatio perfecta.

De prima dicit: « *Quid ergo Scribæ dicunt,* » qui auctoritatem habent ex scientia legis, « *quod Eliam oporteat primum venire.* » Hanc enim formam fecerunt Scribæ, persuasi ex hoc quod continetur, Malach. IV, 5 et 6: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. Et convertet cor patrum*

ad filios, et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, et percutiam terram anathemate. Dixerunt igitur, quod Elias veniens restitutus erat omnia in antiquum statum concordiæ, gratiæ, et innocentiae.

« At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, et restituet omnia. »

Dico autem vobis quia Elias jam venit: et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic et Filius hominis passurus est ab eis.

Tunc intellexerunt discipuli quia de Joanne Baptista dixisset eis. »

Solutio est duo continens: unum intellectus Scripturæ de adventu Eliæ in persona: alterum est de adventu Eliæ in spiritu et virtute.

De primo dicit: « *Elias quidem venturus est,* » ante secundum adventum ad iudicium: et tunc « *restituet omnia,* » quæ destruxit Antichristus. Malach. IV, 5: *Mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis.*

« Dico autem vobis quia Elias jam venit. »

Ille, inquam, de quo dicitur, Luc. I, 17: *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.* « *Et non cognoverunt eum,* » per approbationem, quia testimonium mihi perhibuit. Amos, V, 10: *Odio habuerunt corripientem in porta: et loquentem perfecte abominati sunt.*

« *Sed fecerunt in eum quæcumque voluerunt.* » In hoc notatur, quod causa fuerunt mortis Joannis, vel quod per-

¹Cf. Genes XVIII, 33.

² Psal. LXXXVII, 6.

suaserunt Herodi, ut occideret eum : vel consenserunt ad minus : et hoc ideo, quia testimonium perhibuit Christo. Act. vii, 52 : *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.*

Et hoc est quod sequitur : « *Sic et Filius hominis passurus est ab eis,* » scilicet, quod non cognoscentes occiderunt eum. I ad Corinth. ii, 8 : *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Joan. i, 10 : *Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.*

« Tunc, etc. »

Videntes in Joanne impletum quod dixerat, « *intellexerunt discipuli quia de Joanne Baptista dixisset eis.* » Sicut, supra, xvi, 12, intellexerunt, quia non dixerat de fermento panum, sed de doctrina Phariseorum dixerat esse cavendum.

« Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum. »

Effectus præinductorum Sanctorum hic determinatur : primo quidem in ablatione impediens consecutionem Sanctorum hic. Et habet duas partes : in quarum prima ponitur impedimenti ablatio : et secundo Apostolorum circa difficultatem expulsionis Dæmonis instructio.

Circa primum tanguntur tria : Dæmoniaci oblatio, offerentium increpatio, et expulsionis Dæmonis perfectio. Quæ per ordinem in littera continentur.

Circa oblationem infirmi duo sunt : primum, occursus Domini per misericor-

diam : alterum oblatio miseri propter miseriam.

De primo dicit : « *Et cum venisset ad turbam,* » per misericordiam descendens de monte, ut se turbæ coaptaret. Psal. ciii, 8 : *Ascendunt montes, et descendunt campi in locum quem fundasti eis.*

« Accessit ad eum homo. »

Hic est oblatio miseri. Et tanguntur duo : postulatio salutis, et allegatio magnæ infirmitatis et necessitatis.

In primo dicuntur quatuor, devotio videlicet, et ratio, et reverentia, et propositio petitionis cum instantia obtinendi.

Devotio notatur, cum dicit : « *Accessit ad eum,* » propinquitate devotionis. Psal. xxxiii, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini,* etc. « *Homo.* » Notatur rationabilitas : quia iste discrevit, quod ejus est qui fecit curandi potentia. Psal. xxxv, 7 et 8 : *Homines et jumenta salvabis, Domine : quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus. « Genibus provolutus ante eum. »* Marc. i, 40 : *Venit ad eum leprosus, et genu flexo,* etc. Ad Philip. ii, 10 : *In nomine Jesu omne genu flectatur,* etc. Isa. xlv, 22 et seq. : *Ego Deus, et non est alius... : quia mihi curvabitur omne genu.* Mich. vi, 6 : *Curvabo genu Deo excelso.* Non autem flectit, sicut illudentes milites, Infra, xxvii, 29. Est autem genuflexio ad humanitatem proprie, sed prostratio ad deitatem, sicut Magi *proidentes adoraverunt eum*¹. Quia curvatur genu in signum casus, et erectio significat liberationem a casu. Prostratio autem est in signum quod homo nihil est, et erectio est recognitio majestatis de nihilo in altum erigentis.

« Dicens : Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et male pati-

¹ Matth. ii, 11.

tur : nam sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam.

15 Et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum. »

Ecce petitionis propositio. Et dicit quatuor : profitetur enim potestatis perfectionem in eo quem interpellat : et petit misericordiam, quia justitia non suppetit : et ostendit rationem affectus ad eum pro quo petit : et allegat necessitatem.

De primo dicit : « *Domine.* » Sapient. xii, 18 : *Subest tibi, cum volueris, posse.* « *Miserere,* » quia tibi proprium est misereri semper et parcere. II ad Corinth. i, 3 et 4 : *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*

« *Filio meo.* » Jus enim naturæ est, ut illius miserear. Supra, xv, 22 : *Miserere mei, Domine, fili David : filia mea male a dæmonio vexatur.*

« *Quia lunaticus est.* » Allegat hic necessitatem duplicem, infirmitatis, et difficultatem curationis. In infirmitate dicit tempus passionis, acerbiteriam, frequentiam, et periculum. Tempus, quia « *lunaticus est :* » in renovatione lunæ patiens. Dæmon enim hoc tempus observans intendit odibilem facere Creatorem, qui tales creaturas fecisset, quæ nocerent. Marc. ix, 16 et 24, dicitur iste surdus et mutus. Potuit esse, quod deficiente luna quæ movet humidum, oppilabantur ei viæ aurium, et venæ moventes linguam humido a capite descendente, et sic redeunte mense surdus et mutus factus est.

« *Et male patitur.* » Ecce acerbitas doloris a dæmone vexante. Simile, Supra, xv, 22, *male vexatur.* Supra, viii, 6, *male torquetur,* de servo Centurionis.

« *Nam sæpe.* » Ecce frequentia. Marc. ix, 17 : *Qui,* scilicet dæmon, *ubicumque*

eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit ¹.

« *Cadit in ignem, et crebro in aquam.* » Ecce periculum, quia quærebat dæmonium occidere infirmum elementis, quæ vel activa vehementer corpus dissolverent, vel oppilando vias spiritus necarent : sic enim cito occiditur homo : et est ignis libidinis, vel iræ, vel æstus avaritiæ. Proverb. xxx, 16 : *Ignis numquam dicit : Sufficit.* Job, xxxi, 12 : *Ignis est usque ad consummationem devorans, et omnia eradicans genimina.* Psal. lvii, 9 : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Aqua autem est voluptatum, quæ nutrit libidinem. Psal. lxxviii, 2 : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Thren. iii, 54, 18 : *Inundaverunt aquæ super caput meum... Dixi : Perit finis meus, et spes mea a Domino.*

« Et obtuli eum, etc. »

Difficultas notatur curationis. « *Discipulis tuis,* » quibus, Supra, x, 1, data est potestas ejiciendi spiritus immundos, et ut languores curarent. Luc. ix, 1 : *Dedit illis potestatem super omnia dæmonia.*

« *Et non potuerunt curare eum.* » Quadruplici de causa : propter modicitatem fidei discipulorum : incredulitatem offerentium : et ignorantiam, quia nesciverunt curationis modum in oratione et jejuniis debere fieri : et infirmi indignitatem ad sanitatis beneficium.

« Respondens autem Jesus, ait : O generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum ? usquequo patiar vos ? »

Ecce increpatio offerentium incredulorum.

¹ Luc. ix, 39 : *Et ecce spiritus apprehendit eum, et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum*

spuma, et vic discedit dilanians eum.

Dicit autem duo de offerentibus, et duo de seipso.

De offerentibus : « *O generatio incredula,* » quoad infidelitatem. Psal. LXXVII, 8 : *Generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus.* « *Et perversa,* » quoad mores. Deuter. XXXII, 5 et 6 : *Generatio prava atque perversa, hæccine reddis,* etc. « *Quousque ero vobiscum,* » incredulis ? « *Usquequo paliar vos* » perversos ? Ad Roman. IX, 22 : *Sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum.* Unde non dicit istud tædio victus, sed potius innuens improbositatem eorum qui propter peccata causas tristitiæ ingeminabant. Psal. CV, 22 et 33 : *Vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus.* Osee, X, 10 : *Corripientur propter duas iniquitates suas.* Sic enim lux in tenebris lucet, certans ad dissipationem tenebrarum. Job, V, 17 et 18 : *Increpationem Domini ne reprobes : quia ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt.*

« Afferte huc illum ad me.

Et increpavit illum Jesum : et exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora. »

Hic ponitur salutis perfectio in quatuor : in allatione infirmi, in increpatione dæmonis, et infirmi ejectione, et in salutis perfectione.

De primo dicit : « *Afferte illum ad me.* » Luc. IX, 41 : *Adduc huc filium tuum.* Supra, IV, 24 : *Obtulerunt ei omnes male habentes.*

« Et increpavit illum Jesus. »

Et puerum propter peccata, et dæmonem propter intentionis malitiam. Luc. IX, 43 : *Increpavit Jesus spiritum im-*

mundum, et sanavit puerum. Marc. IX, 19 : *Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, scilicet Jesum, statim spiritus conturbavit illum.*

« *Et exiit ab eo dæmonium,* » propter verba increpantis. Marc. IX, 24 : *Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum.*

« *Et curatus est puer ex illa hora.* » Subito : ne credatur beneficio naturæ curatus esse. Sapient. V, 2 : *Mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.* Osee, XI, 3 : *Portabam eos in brachiis meis : et nescierunt quod curarem eos.* Luc. XI, 11 : *Eos qui cura indigebant sanabat.*

« Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, et dixerunt : Quare nos non potuimus ejicere illum ? »

18

Hic tangitur instructio discipulorum. Et dicuntur duo, interrogatio discipulorum, et instructio.

De primo dicit : « *Accesserunt,* » ausu familiaritatis, « *ad Jesum,* » magistrum veritatis. Eccli. LI, 31 : *Appropiate ad me, indocti.* Eccli. VI, 27 : *In omni animo tuo accede ad illam,* scilicet sapientiam. « *Secreto.* » Vel, quia se putabant amisisse curativam gratiam : vel, evadentes verecundiam, quia curare non poterant : vel, nolentes publice increpari pro modicitate fidei. Supra, XIII, 11 et seq., seorsum exponebat parabolas discipulis.

« *Et dixerunt : Quare nos non potuimus ejicere illum ?* » cum nobis dederis claves, et dixeris, quod portæ inferi non prævalebunt adversus confessionem nostram ¹.

« Dixit illis Jesus : Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic :

19

¹ Cf. Matth. XVI, 18 et 19.

Transi hinc illuc, et transibit: et nihil impossibile erit vobis.

20 Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium. »

Instructio hic ponitur duplex. Ostenditur enim impotentia ex parte discipulorum, et ex parte infirmi.

Ex parte discipulorum duplex: una est incredulitas, et alia fidei frigiditas.

De prima dicit: « *Propter incredulitatem vestram.* » Incredulitas dicitur duobus modis: uno quidem modo dicit diminutionem, vel privationem ex parte crediti, quia non omnia credit credenda, et sic non fuerunt increduli: alio modo dicit remissionem ex parte actus innitendi primæ veritati propter se, et super omnia, et sic dicuntur hic increduli adhuc aliquantulum innitentes humanæ rationi: quia fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Jacob, I, 6: *Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur.* Non ergo æstimet homo ille, quod aliquid accipiat a Deo.

« Amen quippe dico vobis. »

Instructio est ad fidei fervorem, quæ per charitatem fervet. « *Si habueritis fidem sicut granum sinapis,* » in qualitate, non in quantitate: quia tritum replet superiora spiritualia, et corruptos humores deponit a capite, et tritum invalescit in virtute. II ad Corinth. XII, 10: *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* « *Dicetis monti huic,* » hoc est, superbiam dæmonis. Jerem. LI, 25: *Ecce ego ad te, mons pestifer, qui corrumpis universam terram.* « *Transi hinc illuc, et transibit.* » Psal. XLV, 3: *Transferentur montes in cor maris.* Isa. LXIV, 1 et 2: *Utinam... a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent,* etc. Istud etiam ad litteram aliquando factum est, et adhuc fieret, si hoc fides, et fidelium status exposcerent. I ad Corinth.

XIII, 2: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam,* etc.

« *Et nihil impossibile erit vobis.* » Marc. IX, 22: *Omniaabilia sunt credenti.* Luc. I, 37: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Ratio autem est, quia fides nititur omnipotentiam Dei, et non rationi humanæ: et ideo omnia vincit. III Esdræ, III, 12: *Super omnia vincit veritas.*

« Hoc autem genus non ejicitur. »

Instructio autem ex parte morbi: ut sint cauti in discernendis criminibus. « *Nisi per orationem,* » quæ sanat pestes mentis indevotæ, « *et jejunium,* » quod sanat pestes petulantiam carnis. Et intelligitur, quod iste puer et nequitiam spiritualibus, et carnalibus subjacuit. Tob. XII, 8: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna.* Et dicit Chrysostomus, quod « nihil est validius homine devote orante cum jejunio, et eleemosyna, si habet: » quia tunc corpus orationem non fœdat, « et eleemosyna ad exaudiendum adjuvat. » Psal. XXXIV, 13: *Ego autem cum mihi molesti essent, induer bar cilio: humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.* Eleemosynam autem hic non adjungit, quia non omnes habent unde corporalem faciant eleemosynam.

Sic ergo terminatur pars, in qua agitur de remotione impedimenti.

« Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum: »

Et occident eum, et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. »

Hic ultimo agit de libertate, quæ efficitur in ministris. Tangit autem duo: repetit enim primo quod sæpe dicendum est de causa libertatis, quæ pro nobis solvendo pretium a tributo tyrannorum

liberat : et hoc est Passionis sacramentum. Deinde tangit libertatis rationem, et causam.

De Passione autem, qua solvitur pro nobis pretium, tangit tria : locum, ordinem, et effectum ex parte discipulorum.

Locum tangit dicens : « *Conversantibus autem eis in Galilæa,* » in locis ubi immortalis, lætus lætis post resurrectionem occurrit. Matth. xxviii, 16 : *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus* : ibi enim populus qui ambulabat in tenebris, sicut primo vidit lucem prædicationis suæ, sic etiam primo lucem vidit suæ Resurrectionis¹ : significans, quod transfiguratione facta in homine de vitiis ad virtutes, de virtute in virtutem, de exsilio ad patriam, lætus et gloriosus occurrit Dominus.

« Dixit illis Jesus, etc. »

Dixit ordinem Passionis suæ, et postea Resurrectionis : ordinem autem Passionis quoad Passionem patientis, quoad modum traditionis, quoad ministros sceleris, quoad consummationem mortis.

De primo horum dicit : « *Filius hominis* : » non ex concupiscentia natus, et ideo peccatum non habens ex nativitate. I Petr. ii, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Tangit etiam naturam in hoc quod pati potuit, in quantum filius hominis est. I Petr. iv, 1 : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.* Jam autem tertio prædicit passionem, ut semper sit in cordibus nostris sanguis patientis. Luc. ix, 44 : *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos : Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.* Thren. iii, 19 et 20 : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absynthii et fellis. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.*

« *Tradendus est in manus.* » Secun-

¹ Isa. ix, 2 : *Populus qui ambulabat in tenebris*

dum est. Traditus est a Patre, Ad Roman. viii, 32 : *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Traditus etiam est a seipso, Isa. liii, 12 : *Eo quod tradidit in mortem animam suam.* Traditus est a discipulo. Joan. xiii, 2 : *Cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.* Traditus etiam est a Judæis. Infra, xxvi, 55, et Joannis, xxiv, 11 : *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Sed a Patre traditus est in reconciliationem, a seipso in hostiam, a Juda Judæis, a Judæis gentibus, a gentibus in mortem.

« *In manus hominum.* » Tertium est, hoc est, peccatorum gentilium, qui ministri erant sceleris, cujus inventores sunt Judæi. Infra, xx, 19 et Luc. xviii, 32 : *Tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.*

« *Et occident eum.* » Quartum est, hoc est, consummatio mortis, Luc. xxiv, 20 : *Tradiderunt eum summi sacerdotes, et principes in damnationem mortis.*

Ne autem abundantiori tristitia absorbentur, subjungit ordinem resurrectionis, dicens :

« Et tertia die resurget. »

Osee, vi, 3 : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos.* Joan. ii, 19 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.*

« *Et contristati sunt vehementer,* » propter absentiam dulcis præsentiae in carne Domini nostri Jesu. Joan. xvi, 22 : *Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum : et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

« Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipie-

vidit lucem magnam, etc.

bant ad Petrum, et dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma?

24 Ait : Etiam. »

Hic tangit de libertate in figura, quam fecit Passio pretium solvens. Et tangit tria : occasionem qua inducitur historia, historiam, et instructionem de vitando scandalo in defensionem libertatis.

De primo dicit : ubi, qui, quid, et a quo petebat tributum servitutis, dicens : « *Cum venisset Capharnaum.* » Non poterat esse locus inconvenientior ad exigendum tributum ab omnium liberatore servorum : quia ibi plurima miracula fecerat, pro quibus, etsi conditionaliter servus fuisset, manumitti debuerat, vel ad minus a tributo absolvi. Luc. iv, 23 : *Quanta audivimus facta in Capharnaum !* Supra, xi, 23 : *Et tu, Capharnaum, numquid usque in cælum exaltaberis ? usque in infernum descendes : quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.*

« *Accesserunt qui didrachma accipiebant.* » Attende, quod Pompeius primo fecit Judæam tributariam, sed non solvebatur nisi de civitatibus summa pecuniæ : Augustus vero postea imposuit censicapitem, quod quilibet solvit de capite suo : et hoc erat didrachma, hoc est, munus, vel pondus duos valens usuales, et erat in eo imago Augusti. Unde, Infra, xxii, 20 et 21 : *Cujus est imago hæc et superscriptio ? Dicunt ei : Cæsaris.* « *Ad Petrum.* » Non enim audebant ad Christum accedere propter signorum magnitudinem, ut dicit Hieronymus. « *Et dixerunt ei,* » sicut majori inter discipulos : « *Magister vester non solvit didrachma ?* » Forte, ut tentarent eum, sicut, Infra xxii, 15 et seq. Unde, Luc. xxiii, 2 : *Hunc invenimus... prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse.*

« *Ait* » Petrus : « *Etiam.* » Simplicem

confitetur veritatem, sicut a Magistro didicerat, Supra, v, 37 : *Sit sermo vester : Est, est : Non, non : quod autem his abundantius est, a malo est.*

« Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens : Quid tibi videtur, Simon ? Reges terræ, a quibus accipiunt tributum vel censum ? a filiis suis, an ab alienis ?

Et ille dixit : Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii. »

Hæc est ostensio libertatis factæ per Christum, qui pretium solvit pro nobis, et nos in filios regni progenuit. Et tangit quatuor in ordine : primo enim ut Deus conscientiam ostendit : secundo, humilitatem ostendens discipuli sententiam quæsivit : tertio, sententiam a discipulo inventam audivit : et quarto, approbavit, et confirmavit : Prælatos instruens, ut quantumcumque sint sapientes et boni, non tamen omnia faciant de consilio proprii capitis, sed accipiant consilium subditorum.

Dicit igitur : « *Et cum intrasset in domum.* » Publice enim de libertate loqui noluit, ne Judæi, vel Gentiles acciperent scandali occasionem. I ad Corinth. x, 32 : *Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei.* « *Prævenit eum Jesus,* » conscientiam ostendens. Job, x, 13 : *Scio quia universorum meminervis.* Et ibidem, xlii, 2 : *Scio quia nulla te latet cogitatio.*

« *Dicens : Quid tibi videtur, Simon.* » Petrum nominat, quia Petrus liber et Dominus, de tributo solvendo non debet audire quæstionem. Ad Galat. ii, 5 : *Nec ad horam cessimus subjectione.* « *Reges terræ, a quibus accipiunt tributum vel censum ?* » Tributum fuit de terris, quæ defendebantur in republica : census autem de capite. Ad Roman. xiii, 7 : *Cui tributum, tributum : cui*

vectigal, vectigal : cui honorem, honorem. Et præmittit, 23. 7 et 8 : *Reddite ergo omnibus debita... Nemini quidquam debeatis.* « *A filiis suis, an ab alienis?* Ad Galat. v, 13 : *Vos in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Ibidem, iv, 31 : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ : qua libertate Christus nos liberavit.*

« At ille dixit : Ab alienis. »

Alienus autem dicitur, qui extraneus est, et a nobilitate regni, et ab actu regnandi : quia communicantes in actu regiminis non solvunt tributum, sicut sacerdotum gens in spiritualibus, et sapientes in consiliis et in inventionibus legum, et milites in armorum strenuitate : hæc enim decet habere imperatoriam majestatem. I Petr. ii, 9 : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Et, I Reg. xvii, 25, dictum est David, quod qui percuteret Philistæum, efficeretur *domus patris ejus absque tributo in Israel.*

« *Dicit illi Jêsus,* » sententiam discipuli approbans : « *Ergo liberi sunt filii.* » III Esdræ, viii, 24 et 25 : *Vobis dicitur, ut omnibus Sacerdotibus et Levitis, et sacris cantoribus et servis templi, et scribis templi hujus, nullum tributum, neque ulla alia indictio irrogetur, nec habeat quisquam potestatem objicere eis quidquam.* III Reg. ix, 22 : *De filiis Israel non constituit Salomon servire quemquam : sed erant viri belatores, etc.* Christus autem filius fuit David regis : unde multo minus solvere debebat tributum.

« Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum : et eum piscem, qui primus ascenderit,

tolle : et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me et te. »

Instructio est, ne nimius fervor defendendæ libertatis fiat scandali occasio, præcipue apud infideles : et in hoc ipse non solum liberum, sed et universitatis Dominum se ostendit, cui creatura maris pretium offert, et censum suæ servitutis.

Dicit ergo duo cavendum, scilicet scandalum, et unde accipiatur census pro redimenda vexatione tyrannorum.

Dicit igitur : « *Ut autem non scandalizemus.* » I ad Corinth. viii, 9 : *Videte, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* Infra, xviii, 7 : *Væ homini illi per quem scandalum venit!* Hæc enim non sunt de veritate vitæ, vel doctrinæ, vel judicii : et ideo dissimulanda sunt propter scandalum.

« *Vade ad mare,* » quia ego feci mare, et omnia quæ in eo sunt : « *et mitte hamum,* » instrumentum scilicet piscandi : et est notabile, quod Petrus pretium hamo ad necessitatem, animas autem sagena piscari præcipitur. Et e contra modo fit : quia nec pretium sagena, nec animæ hamo capiuntur a Prælati. Supra, xiii, 47 : *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.*

« *Et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle.* » Significans, quod ultro-neus debet offerri census, et non per agitationem est extorquendus.

Et hoc est, quod sequitur : « *Et aperto ore ejus,* » quia voto offert, « *invenies staterem,* » qui valet duo didrachmata. « *Illum sumens da illis pro me et te.* »

Sed numquid non habebat loculos, unde solvere poterat? Dicendum, quod sic : sed pecuniam in usus pauperum oblatam nolebat convertere in usus proprios. Sed quare non solvit pro aliis discipulis? RESPONSIO, quod illi quasi de

familia reputabantur. I ad Corinth. ix, 19 : *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.*

CAPUT XVIII.

Proposito parvulo docet quisnam major sit in regno cœlorum, et quam sit a pusillorum scandalo cavendum : quomodo frater in nos peccans debeat corripi, et Ecclesiam non audiens pro ethnico haberi, potestate ligandi atque solvendi discipulis tradita : docet etiam, quam sit apud Deum efficax duorum petitio sibi consentientium, et quoties fratri in nos peccanti sit ignoscendum, accommodata ad hoc parabola de rege rationem cum servis suis ineunte.

1. In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlorum¹ ?
2. Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum²,
3. Et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum³.
4. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.
5. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.
6. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris⁴.
7. Væ mundo a scandalis ! Necesse est enim ut veniant scandala. Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit !
8. Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum et projice abs te⁵ : bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum.
9. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te : bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.
10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est⁶.
11. Venit enim Filius hominis salvare quod perierat⁷.
12. Quid vobis videtur⁸ ? si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis, nonne relinquit novaginta novem in montibus, et vadit quærere eam quæ erravit ?

¹ Marc. ix, 33 ; Luc. ix, 46.

² Infra, xix, 14.

³ I ad Corinth. xiv, 20.

⁴ Marc. ix, 41 ; Luc. xvii, 2.

⁵ Supra, v, 30 ; Marc. ix, 42.

⁶ Psal. xxxiii, 8.

⁷ Luc. xix, 10.

⁸ Luc. xv, 4.

13. Et si contigerit ut inveniatur eam, amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quam super nonaginta novem quæ non erraverunt.
14. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.
15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum¹.
16. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum².
17. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus³.
18. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata est in cœlo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlo⁴.
19. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint fiet illis a Patre meo qui in cœlis est.
20. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.
21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei⁵? usque septies?
22. Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.
23. Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.
24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta.
25. Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi.
26. Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.
27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.
28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios: et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes.
29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.
30. Ille autem noluit: sed abiit, et misit eum in carcerem donec redderet debitum.
31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde: et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.
32. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me:
33. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?
34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.
35. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unumque fratri suo de cordibus vestris.

¹ Levit. xix, 17; Eccli. xix, 13; Luc. xvii, 3; Jacob. v, 19.

² Deuter. xix, 15; Joan. viii, 17; II ad Corinth. xiii, 1; ad Hebr. x, 28.

³ I ad Corinth. v, 9; II ad Thessal. iii, 14.

⁴ Joan. xx, 23.

⁵ Luc. xvii, 4.

IN CAPUT XVIII MATTHÆI.

ENARRATIO.

« In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlorum ? »

Usus, et quis (alias, opus) potestatis ministrorum determinatur ab hoc loco. Quia autem usus dupliciter consideratur, in opere scilicet, et secundum instantiam operis, ideo duas habet partes : ita quod primo determinat proprium opus : et secundo, instantiam circa opus, infra in capitulo xx, 1-8.

Opus autem dupliciter determinatur ad subditos, invitatione, et cura mali : et hoc determinatur in isto capitulo, et in regimine boni secundum statum omnem boni in Ecclesia : et hoc determinatur in capitulo sequenti.

Istud autem capitulum in duas dividitur partes : in quarum prima docetur cautela, et vitatio mali circa subditum, ne fiat malum : in secunda autem docetur cura mali, quod factum est, ibi, v. 12 : « *Quid vobis videtur ? Si fuerint alicui centum oves.* »

Prima harum in duas dividitur. Primo enim dicit occasionem ex qua doctrina de usu potestatis introducit : secundo, dat doctrinam, ibi, v. 2 : « *Et advocans Jesus, etc.* »

In prima dicit tempus, et auctores facti, et factum, per quod doctrina ista introducit : dicens :

¶ « In illa hora, »

Quando occasionem acceperant ex hoc quod tres præter alios in montem adduxit, et pro Petro, et non pro aliis solvi

fecit : et sic quasi specialis dignitatis esset, eum habuit : cui etiam claves dedit. « *Accesserunt,* » ausu familiaritatis, « *Ad Jesum,* » sicut ad illuminatorem, « *dicentes.* »

Contrarium dicitur, Marc. ix, 32 et 33 : *Venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos : Quid in via tractabatis ? At illi tacebant : siquidem in via inter se disputaverant quis eorum major esset ?* Luc. ix, 46 : *Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset.* RESPONSIO. Lucas dicit id quod primum fuit et initium istius elationis in primo motu, ubi comprimenda fuit, quando primo tentavit. Tob. iv, 14 : *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Marcus autem tangit, in quo processit ad verbum contentionis : Matthæus autem qualiter quaestio est sopita.

« Quis, putas, »

Cujus reputatio est secundum veritatem dignitatis meritorum. Proverb. xvi, 2 : *Spirituum ponderator est Dominus.* Primo enim tacentes quando deprehensi sunt a Domino : postea non audientes increpantem dure, sicut fecerat de errore Petri, fiduciam acceperunt interrogandi. « *Major est.* » Augustinus : « In rebus quæ non mole, sed virtute magnæ sunt, idem est majus esse, quod melius esse. » Occasionabatur autem hoc ex hoc dicto superius, v, 19 : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Job, 1, 3 : *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.* « *In regno cœlorum :* » qui non contendebant de regno terreno, sed de regno cœlorum, in quo bonum est magnum esse, licet non bonum sit videri sibi esse magnum : ideo non merentur increpationem, sed instructionem.

Est autem regnum cœlorum vel materialiter accipiendum pro congregatione justorum : vel secundum sæpe

habitam expositionem, pro completa potestate in officiis, et legibus, et ordine, et distributione regni : vel pro gloria regni, in quam inducuntur Sancti. Luc. xxii, 29 et 30 : *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum*, etc. Terrenam autem potestatem concupivit mater filiorum Zebedæi ¹, et ideo increpata est.

« Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum. »

Hæc doctrina dividitur in partes duas, quæ competit Prælati secundum usum potestatis. Prima est exhortatio ad innocentiam, et secunda est dehortatio a nocentia, ibi, §. 6 : « *Qui autem scandalizaverit*, etc. »

Prima harum habet tres paragraphos : in quorum primo docet innocentiam humilem, in secundo, sensum humilem, et in tertio, beneficentiam humilem. Et hæc per ordinem sunt in littera.

De primo dicit duo : exemplum, et doctrinam.

De exemplo quatuor : quorum primum notat Doctoris ad innocentem humilitatem assimilationem : secundum, humilitatis imitationem : tertium, exempli in animo confirmationem : quartum, omnium bonorum ad exemplum in animo statutum comparationem (alias, operationem) et reductionem.

Primum notatur in hoc quod dicit :

« Advocans Jesus, »

Hoc est, ad sui conformitatem vocans. Supra, xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. Isa. ix, 6 : *Parvulus natus est nobis*. Ad Philip. ii, 7 : *Semetipsum exinanivit*, etc.

Secundum notatur, cum dicit : « *Parvulum*, » hoc est, formam parvulis com-

¹ Cf. infra, xx, 21.

petentem. Parvulus autem est minor parvo : et ille est, qui reputatione sui etiam parvis minor est. I ad Corinth. xv, 9 : *Ego enim sum minimus Apostolorum* (ecce parvis minor) *qui non sum dignus vocari Apostolus*. Ecce minor minimis, qui parvis et minoribus minores sunt. Ad Ephes. iii, 8 : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc*. Supra, xi, 11 : *Qui minor est in regno cælorum major est illo*, scilicet Joanne Baptista qui a Christo dictus est maximus inter natos mulierum ².

Tertium notatur, cum dicit : « *Statuit*, » hoc est, firmiter collocavit, ut a mente numquam excideret. Humilitas enim in imo stans, firmo stat pede : sed superbia in ventum ejecta eliditur. Psal. xxxv, 12 et 13 : *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me*. *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem*. Ideo Daniel, x, 11, dicitur : *Sta in gradu tuo*, qui est gradus pulveris, et cineris, Eccli. x, 9 : *Quid superbit terra et cinis ?*

« *Eum in medio eorum*. » Quartum est, ut notet humilitatem esse quasi centrum virtutis. Luc. xxii, 27 : *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*. Ad Roman. xii, 16 : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*. Ad Philip. ii, 5 et seq. : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam, etc.*

« Et dixit : Amèn dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. »

Quicumque vero humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum. »

Doctrina est innocentiae humilis, qui

² Cf. Matth. xi, 11.

3

4

deceat Doctorem humilem. Isa. LIII, 8 : In humilitate iudicium ejus sublatum est ¹.

Duo autem dicuntur in doctrina : aversio, et conversio.

Tangit ergo primo aversionem a malo, dicens : « *Nisi conversi fueritis,* » a malo vestræ elationis. Psal. VII, 13 : *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit.* Zachar. I, 3 : *Convertimini ad me,* humilem et parvum.

« *Et efficiamini sicut parvuli :* » mites et innocentes, injuriarum immemores, ambitionis non appetitores, libidinis numquam insecutores. De primo horum, Psal. XXIV, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi.* De secundo, ad Ephes. IV, 26 : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* De tertio, ad Galat. V, 26 : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* De quarto, Levit. XIX, 18 : *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.*

« *Non intrabitis in regnum cælorum,* » hoc est, in gaudium regni. Et dicit : « *Non intrabitis,* » quia continuus profectibus oportet intrare eum, qui intrare desiderat. Job, XXII, 30 : *Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.* Psal. XXII, 3 et 4 : *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde,* etc. Christus enim ostium est regni. Joan. X, 9 : *Ego sum ostium,* etc. Christus autem humilis, et ad humile ostium altus impingit. Joan. XIV, 6 : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

« Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste. »

Sensum docet humilitatis. I ad Corinth. XIV, 20 : *Malitia parvuli estote :*

¹ Vulg. habet, Isa. LIII, 8 : *De angustia, et de iudicio sublatum est.*

sensibus autem perfecti testote. I ad Corinth. I, 27 : *Quæ stultæ sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* « *Hic est major in regnum cælorum.* » Job, XXII, 29 : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Proverb. XXIX, 23 : *Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria.* I Petr. V, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.*

« Et qui suscepit unum parvulum talem in nomine meo, me suscepit. »

Tertium est doctrina beneficentiæ humilitatis.

Dicit igitur : « *Et qui suscepit,* » charitatis beneficia ministrando. Ad Roman. XV, 7 : *Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei.* I ad Timoth. V, 10 : *Si hospitio recepit, scilicet pauperes, si sanctorum pedes lavavit, si tribulationem patientibus ministravit,* etc. « *Unum parvulum :* » quia parvus parvis contentus est : et nemo est, qui non possit unum suscipere : quidam autem non possent suscipere plures. Planum autem est, quod Vicarii Christi nec in pompa sæculari magni sunt, nec cum multitudine veniunt. Infra, XXV, 40 : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

« *In nomine meo,* » quia sic veniens, in figura nominis Christi venit, et non in nomine Nabuchodonosor regis, in cujus nomine venit Holofernes omnia vastans et consumens, cujus ferocitatem animi nemo mitigare potuit. « *Me suscepit.* » Luc. X, 16 : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.* Supra, X, 41 : *Qui recipit justum in nomine justî, mercedem justî accipiet.*

« Qui autem scandalizaverit unum

² Cf. Judith, II, III et seq. passim.

de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. »

Hæc exhortatio est contra nocumentum scandali. Provenit autem scandalum ex duobus : quorum unum est dictum, vel factum minus rectum exterius materiam præbens et occasionem ruinæ : alterum autem provenit ex principio mali interius, quod est fastus cordis, ex quo surgit contemptus aliorum : et hoc secundum tangit, ibi, ̄. 10 : « *Videte, ne contemnatis, etc.* »

Adhuc, in primo duo facit : hortatur enim vitare scandalum, et activum, et scandalum passivum, ibi, ̄. 7 : « *Væ mundo a scandalis !* »

Circa primum dicit scandalum, et in quem scandalum majus confert nocumentum, et quæ pœna scandalizantis.

De primo dicit :

« *Qui autem scandalizaverit.* »

Scandalizat autem active alterum, qui dicto, vel facto minus recto occasionem dat ruinæ. Hæc autem sententia maxime in Apostolos, hoc est, Apostolicos in prælatione Apostolorum subditos gubernantes. Ad Roman. XIV, 13 : *Hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fieri, vel scandalum.*

« *Unum de pusillis istis qui in me credunt.* » Unus autem est, qui universitate charitatis Ecclesiæ est unitus. Ad Ephes. IV, 3 : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Cantic. VI, 8 : *Una est columba mea.* Pusillus autem est parvus in fide, Supra, XIV, 31 : *Modicæ fidei, quare dubitasti ?* Hic dicitur infirmus, I ad Corinth. VIII, 9 : *Videte ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* Licentia dicitur licentiosa actio. Pusilli enim indigent consolatione.

I ad Corinth. III, 1 et 2 : *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Isa. LXVI, 12 : *Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis.*

« *Qui in me credunt.* » Hoc dicit, ut ostendat in quo pusilli, quia in fide : isti enim sunt de quibus dicitur, Luc. VIII, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Si enim fortes essent in fide, non scandalizarentur. Proverb. XII, 21 : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Sed infirmus scandalis patet, et avertitur a malo exemplo ejus qui deberet dirigere eum. Infra, XXIII, 13 : *Circuitis mare, et aridam, ut faciatis unum proseytum : et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* Et hoc ideo, quia dicitur, II Petr. II, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* Malach. II, 8 : *Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege.*

« *Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, etc.* » Pœna est scandalizantis. Pœna in Palæstina fuit, quæ mortem confusione cumulavit, quod aliquis scelestus suspensa mola asinaria fune in collo, sicut in fæce conditionis, et non nisi ad vilem et difficilem laborem natus, in mare demergebatur : sicut postea culleus ad extremam confusionem super pœnam mortis cumulandam est inventus. Et hac pœna dignum pronuntiat eum, qui custos animarum positus, per scandalum homines in ruinam præcipitat. Quædam Glossa tamen dicit, quod quando mola asinaria trahitur, collo suspenditur, ut erecta circumducatur : et significat asinum hominem, qui custos animarum regiminis sui non intelligit officium : et efficitur peccatum suum grande, quia retrahit homines a sacrificio Dei¹ : cui magis expedit, ut in

¹ Cf. I Reg. II, 17.

mundi circuitu labore solus, et in profundum amaritudinis inferni pro peccato suo demergatur, quam quod alios scandalizans, pro suo et aliorum scelere damnetur, magis, et pro se, et aliis luat pœnas. Sapient. vi, 7 : *Exiguo conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur.* Ezechiel, iii, 20 : *Sanguinem ejus de manu tua requiram.*

« Væ mundo à scandalis ! Necessè est enim ut veniant scandala. Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit ! »

Hic agit de scandalo passivo : sic enim debemus aliis cavere, ne nos scandalum accipiamus ab aliis ruinæ : et dicit duo. Primo enim ponit quale est scandalum : et secundo, vitare docet ne scandalizemur.

Dicens autem quale est scandalum, tria dicit : malitiam scandalì, ordinem ejus, et reprobationem scandalizantis.

De primo dicit : « *Væ mundo a scandalis !* » quia, I Joan. v, 19 : *Mundus totus in maligno positus est ;* et sic totus est plenus scandalis malorum. Isa. iii, 5 : *Irruet populus, vir ad virum, unusquisque ad proximum suum.* Et, ibidem, x, 8 : *Ruit Jerusalem, et Judas concidit, quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum.*

Et tangit ordinem, cum dicit : « *Necessè est enim ut veniant scandala.* » Est autem necessitas suppositionis ista : quia si debeat eminere scientia fidei, et virtus Sanctorum, oportet quod probentur per scandala hæreticorum, et persecutorum, et diversorum tentaminum. I ad Corinth. xi, 19 : *Oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Isa. x, 5 : *Væ Assur ! Virga furoris mei et baculus ipse est.*

« *Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit !* » Condemnatio est scandalizantis, per quem scandalum

venit. Infra, xxvi, 24 : *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur !* I ad Corinth. viii, 12 : *Sic peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.*

« Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum et projice abs te : bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum.

Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te : bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. »

Docet vitare scandalum passivum : primo, in membris operantibus, et secundo, in oculo qui ordinat et dirigit in opere.

Membra autem operantia duo sunt : unum operans generaliter opera, et alterum supportans totum pondus : et illa ponit simul. Et manus quidem significat operantem et auxiliantem amicum, qui vel dando, vel auxiliando, vel operando tenet nos sicut manus : et pes supportantem infirmitatem et pondus significat.

Et hoc est, quod dicit : « *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te,* » dat tibi causam offendiculi. Proverb. i, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.* Isa. i, 15 : *Manus vestræ sanguine plene sunt.*

« *Abscide.* » Duo dicit : abjicere scandalizantem primo jubet, et postea ostendit utilitatem.

Abjicitur autem dupliciter : et ideo dicit : « *Abscide eum,* » ab affectu, in quo hæret glutino amoris, « *et projice abs te,* » exterioris societatis conversatione. Numer. xvi, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum,* etc. Isa.

LII, 11 : *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.* Eccli. xxv, 36 : *A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur.* Proverb. xxii, 24 et 25 : *Noli esse amicus homini iracundo... : ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ.*

« Bonum tibi est ad vitam ingredi, etc. »

Tangit utilitatem : et est hoc solum bonum hominis, quod ad vitam ingreditur, sicut patuit, Supra, xvi, 26 : *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* « *Debilem,* » manibus, quando tibi non sufficis, et auxiliatorem dimittis. Job, vi, 13 : *Ecce, non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me.* « *Vel claudum.* » Genes. xxxii, 25 et seq., Jacob claudicans accepit promissionem, quando noluit fulciri confortatione mali fratris. II Reg. ix, 13, Miphiboseth claudus utroque pede comedebat de mensa regis.

« Et si oculus tuus, »

Hoc est, qui dirigit te consilio, et providentia vel doctrina sicut oculus. Job, xxix, 15 : *Oculus fui cæco, et pes claudum.* « *Scandalizat te.* » Thren. iii, 51 : *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Proverb. xxx, 17 : *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi,* etc. « *Erue eum,* » ab affectu. Jerem. xv, 15 : *Tuere me ab his qui persequuntur me.* Genes. xxxii, 11 : *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.* « *Et projice abs te* » longe. Psal. xxv, 5 : *Odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.*

« *Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare,* » hoc est, cum dimidio lumine : et hoc est, quando retines lu-

men conscientiæ, et amittis lumen sæculare. Mich. vii, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* « *Quam duos oculos habentem.* » Job, xi, 20 : *Oculi impiorum deficient.* « *Mitti in gehennam ignis.* » Hoc de aliis etiam dictum est : quia tamen oculi ibi in tenebris plorant, et pedes et manus ligati sunt. Supra, viii, 12 : *Ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium.* Et de manibus et pedibus, Infra, xxii, 13 : *Ligatis manibus, et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Isa. lxvi, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.*

« Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. »

10

Venit enim Filius hominis salvare quod perierat. »

11

Removet hic contemptum, qui est ex fastu superbiæ Prælatorum. Et subjungit duas rationes : unam dignitatis, et alteram utilitatis.

Dicit ergo : « *Videte ne contemnatis.* » Isa. xxxiii, 1 : *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris ?... cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* « *Unum,* » nedum plures, « *ex his pusillis.* » Luc. xii, 32 : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Sapient. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter est illi cura de omnibus.*

« Dico enim vobis, etc. »

Ratio est sumpta a dignitate : quia hæc est dignitas animarum, quod quilibet habet Angelum custodem deputatum. « *Angeli eorum,* » eis deputati. Ad Hebr. i, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salu-*

tis? Daniel. x, 21 : *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael, princeps vester.* Act. xii, 15 : *Angelus ejus est.* « *In cœlis.* » Per metonymiam, hoc est, in cœlestibus per contemplationem, exeuntes quocumque currant per ministerium : semper enim assistunt intimis per contemplationem. Tob. xii, 15 : *Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem qui adstamus ante Dominum.* Hoc dixit, quando ministravit in terra circa Tobiam. « *Semper vident :* » et ideo eadem æternitate quæ Deus est, mutabilitatem naturæ transcendunt, « *faciem,* » præsentiam, « *Patris,* » qui vult exhibere omne quod bonum est, « *mei,* » per consubstantialitatem, quia substantiam vident, « *qui in cœlis est :* » ubi exhibet claritatem vitæ beatæ. Daniel. vii, 10 : *Millia millium ministrabant ei.* Job, xxv, 3 : *Numquid est numerus militum ejus? et super quem non surgit lumen illius?*

« Venit enim filius hominis, etc. »

Ratio est sumpta ab utilitate et fine Incarnationis, quem vult frustrare, qui scandalizando perdit quos ille sanguine suo acquisivit : et hoc est quod dicit : « *Salvare quod perierat.* » Luc. xix, 10 : *Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.* Ezechiel. xxxiv, 16 : *Quod perierat requiram.* Ad Hebr. x, 29 : *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

12

« Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis. »

Sicut in præcedenti parte docuit per scandalum nullum debere averti a via

recta, ita ab hoc loco docet qualiter averti debent revocari. Dividitur ergo in partes duas, in quarum prima docet hoc quod dictum est. Quia autem aliquis crederet quod hoc semel sufficeret, ideo in secundo de nullius correctione esse desperandum docet, dum est in via : et ideo semper esse revocandum cum veniæ et iudulgentiæ exhibitione, ibi, 21 : « *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit.* »

Adhuc autem in prima duo dicit, revocationem, et modum, ibi, 15 : « *Si autem peccaverit in te frater tuus, etc.* »

In prima adhuc duo : primo enim proponit parabolam de requirendo errante : et secundo explicat, et innuit explanationem, ibi, 14 : « *Sic non est voluntas,* etc. »

In prima dicit quatuor : possessionem unius ovis, errorem, inquisitionem, et gaudium natum de inventa.

Dicit igitur cœlestia terrenis comparando :

« Quid vobis, »

O animarum pastores, « *videtur,* » humana ratione cœlestia æstimentibus?

« *Si fuerint,* » in passione, « *centum oves alicui.* » Centenarius numerus quadrus ex denario, virtutum et operum significat perfectionem. Ezechiel. xli, 13 : *Mensus est domus longitudinem centum cubitorum.* Oves autem homines, et Angeli propter ovium utilitatem et in pastu similitudinem : quia, Ezechiel. xxxiv, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel, hoc est, in verticibus Trinitatis erunt pascua earum.* Joan. x, 9 : *Ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Ingredietur contemplando, et egredietur agendo : intus ad veritatem, et extra ad virtutem : hæc est enim mensura hominis, quæ est Angeli¹. Deuter. xxxii, 8 : *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel, hoc est, Angelorum Dei.* Fine

¹ Cf. Apocal. xxii, 8 et 9.

enim contemplationis, et opere laudis, et stabulo mansionis homo et Angeli comunerantur. Joan. x, 16: *Fiet unum ovile, et unus pastor.* « *Alicui* » dicit: quia non sunt nisi uni Domino Jesu Christo. Hic enim solus possidet ut pastor, qui dicit: *Ego sum pastor bonus*¹. Psal. xciv, 7: *Nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.* Ezechiel. xxxiv, 31: *Vos autem, greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis, domus Israel.*

« *Et erraverit una ex eis.* » Errans ovis non est perdita, sed est in via perditionis. Cum igitur malum Angeli sit (sicut dicit Dionysius) contra deiformem intellectum esse: et deiformis intellectus sit immediate in primum lumen, unde exivit, converti: malum dæmonis est ab ipso lumine (quod non est via, sed finis) averti, et ideo cadit a beatitudine et beatificante, et non a via (quæ est ad beatitudinem et beatificantem). Malum autem hominis, sive animæ rationalis, est contra rationem esse, quæ est inquisitiva eorum quæ sunt via ad finem per speculum et ænigma: et ideo malum ejus est casus a via, et non a fine. Recedens autem a via potest redire: et ideo ille quæri potest: et ideo non dicit duas in natura errasse, sed unam, quæ est homo: alia enim cadens non errat, sed damnatur, et ideo non quæritur. Isa. liii, 6: *Omnes nos quasi oves erravimus...: posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Psal. cxviii, 176: *Erravi sicut ovis quæ periit: quære servum tuum, Domine.*

« Nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quærere eam quæ erravit? »

Hic tangit requisitionem. Et tangit tria: quid quærens relinquit, qualiter quærit, et inventionis modum innuit.

De primo dicit: *Nonne relinquit nonaginta novem in montibus?* » Relinquere

autem hic non est per subtractionem præsentia faciei, cum immediate ante dictum sit, quod semper vident faciem Patris in cælis. Una autem est facies Patris et Filii et Spiritus sancti. Joan. iii, 13: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo.* Sed relinquit, naturam eorum non assumendo. Ad Hebr. ii, 16: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahamæ apprehendit.* Cantic. ii, 8: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Sic enim salit in montibus gaudiorum, quod transilit colles dignitatis Angelorum. « *Nonaginta novem,* » hoc est, Angelos, qui in novem sunt ordinibus: et hi novem in denarium perfectionis divinæ, in illuminatione theophanarium, multiplicantur.

« *In montibus,* » in quibus pascuntur in vertice luminis contemplandæ Trinitatis. Psal. lxxv, 5: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Luc. xv, 4, dicitur: *In deserto.* Desertum autem dicitur, quia a peccantibus desertum est. Psal. lxxiv, 13: *Pinguet speciosa deserti, et exultatione colles accingentur.*

Deinde tangit inquisitionem dicens:

« *Et vadit,* »

Pedem movendo de cælo in terram, et in humanitate ponendo. Psal. lxx, 10: *In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.* Baruch, iii, 38: *In terris visus est,* etc. « *Quærere.* » Ecce actus requisitionis. Luc. xv, 8: *Quærit diligenter, donec inveniat.* Ezechiel. xxxiv, 11: *Ecce ego ipse requiram oves meas.* » Unde improperat malis pastoribus, ibidem x. 6: dicens: *Non erat qui requireret.* Et paulo ante, x. 4: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis: quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis,*

¹ Joan. x, 14.

et quod perierat non quæstis : sed cum austeritate imperabatis eis, et cum po-tentia.

Quid autem quærit, subdit dicens : « *Eam quæ erravit.* » I Petr. II, 25 : *Erratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem et Episcopum animarum vestrarum.*

13 « Et si contigerit ut inveniatur eam, amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quam super nonaginta novem quæ non erraverunt.

14 Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. »

Modus est inventionis. Et ponit conditionem propter motum liberi arbitrii : quia qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. Psal. LXXXVIII, 21 : *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum*, hoc est, oleo gratiæ. Deuter. XXXII, 10 : *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis*, hoc est, in deserto, a virtutis cultu, in horrore culpæ, et vastæ solitudinis sequestratæ a beatorum Angelorum societate, et cohabitatione.

« *Amen dico vobis.* » De gaudio tangit propter illam inventam : « *Quia gaudet super eam.* » Luc. XV, 6 : *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Ibidem, 32 : *Epulari et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.* Isa. LXII, 5 : *Gaudebit super te Deus tuus.*

« *Magis quam super nonaginta novem quæ non erraverunt.* » Hoc potest intelligi de majoritate extensiva, sive discreta : vel extensa, sive per modum continuitatis accepta. Si primo modo, tunc sensus est : Gaudebit magis quia de pluribus : quia de dolore contra peccatum

¹ Cf. Luc. XI, 13.

in compunctione, et de amore ad bonum in virtutis opere. IV Reg. II, 9 : *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus.* Qui est simplex in Christo, in peccatore duplicatur, et peccati remissionem et virtutum opera perficiens. Secundo modo intelligitur in casu : quia justus qui non indiget pœnitentia, securus est : et hæc securitas est frequenter generans torporem devotionis, et gratiæ : datur exemplum de milite, qui licet aliquando fugerit, tamen conversus, postea cum duce fortiter hostem stravit : qui plus diligitur quam qui numquam fugit, nec umquam in bello acer et pugnax apparuit. Ad Roman. VIII, 28 : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Glossa : etiam peccata. Eccle. IX, 4 : *Melior est canis vivus leone mortuo.* Nehem. seu II Esdræ, VIII, 10 : *Gaudium Domini est fortitudo nostra.*

« Sic non est voluntas, etc. »

Innuat expositionem. « *Ante Patrem vestrum,* » qui novit bona data dare filiis¹. Qui etiam dulcedinem suam filiis ostendit². « *Qui in cœlis est,* » et terrenis non mutatur affectibus : « *ut pereat unus de pusillis istis.* » Ezechiel. XVII, 23 : *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat ?* I ad Timoth. II, 4 : *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* II Reg. XIV, 14 : *Nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abjectus est.*

« Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. »

Hic tangit correctionis et revocationis

² Cf. Sapient. VI, 21.

modum. Et dicuntur duo : quorum primum est revocatio : secundum autem est confirmatio sententiæ contra obstinatum, ibi, v. 18 : « *Amen dico vobis.* »

In primo tres inducit gradus : correptionis, convictionis, accusationis, vel denuntiationis.

De gradu correptionis dicit duo : quis debet corripere, et qualiter.

Quis ? « *Si peccaverit frater tuus.* »

Tria dicit : « *Si peccaverit :* » quia non corripitur, nisi qui peccavit : non est autem peccatum, nisi mortale peccatum : de aliis enim venialibus non est correptio, quia, Jacob. III, 2, dicitur : *In multis offendimus omnes.* I Joan. I, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

Secundum est, quod dicit : « *In te.* » Et in hoc notantur tria secundum Glossam : Primum notatur ex discretione naturæ : *In te* enim peccare, est in hominem peccare, et non in Deum. Si enim in Deum solum peccat : tunc aut peccatum ejus in nullum omnino nocumentum proximi procedit, aut ita est principaliter in Deum, quod etiam per accidens nocet proximo. Primo modo est peccatum occultum, quod nemo scit, nisi solus Deus : et tu ut Deus : et tunc, ut dicit Glossa, « Non est nostri arbitrii aliquid facere de peccato illo, nisi forte admonendo in secreto, sicut Deus monet : sed non possumus procedere ad publicum adhibendo unum, vel plures, ut prodamus. » Alio modo est in Deum principaliter, et secundario in proximum, sicut est blasphemia, vel retractio a sacrificio, vel laude Dei : et de hoc, in quantum est contra proximum, debet fieri correctio : sed de offensa et emenda non est nostri arbitrii æstimare secundum satisfactionem proximi, sed potius secundum injuriam illatam Deo. I Reg. II, 25 : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo ?* Alio modo, « *in te* » notat discretionem personæ : et

hoc duobus modis. Uno modo, quantum ad peccati nocumentum quod in te est, et non in alium : sicut si contumeliam, vel damnum irrogat tibi : tunc enim tui arbitrii est remittere injuriam, et mone- re de correctione peccati, sicut inferius habetur, quod peccanti in nos septuagies septies dimittendum est, si veniam petat. Alio modo *in te* peccat, sicut dicit Augustinus, « quando te sciente peccat. » Sed tunc distinguendum est : quia te sciente intelligitur, te sciente tua scientia, quæ scientia humana est, hoc est, quando signo, vel facto prodit in tuam notitiam, quod signum, vel factum est infallibilis nuntius peccati : quia tunc fit te sciente, et non temerario judicio tuo. Si autem venit ad te scientia Dei, hoc est, cordis secreti revelatione, non hoc est te sciente, sed potius Deo sciente, et te ut Deo sciente : et sive ita revelet tibi in forma confessionis, sive sine forma confessionis, non debes procedere ad correctionem. Adhuc, si fallaci nuntio veniat ad te, non fit te sciente : sicut si dicatur tibi, et nullum aliud exstet indicium : tunc enim nisi valde confirmetur verbum dicentis, non debes credere : et ideo non ad correctionem procedere. Sed quando visus probat, vel alia certa indicia, tunc fit te sciente humana scientia, et tunc fit in te, hoc est, contra te : quia te scandalizat, quantum in ipso est : et fit contra cordis tui dilectionem, qua diligis fratrem sicut teipsum : et ideo debes procedere ad correctionem : et hoc est quod dicitur, I ad Corinth. VIII, 12 : *Sic peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.*

Deinde tangit, quis peccat, quando dicit : « *Frater tuus,* » quem debes diligere sicut teipsum : et ideo dicit Augustinus, quod « hoc non fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plures perdat. » II Machab. VI, 13 : *Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.*

Levit. xix, 18 : *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Et ideo sicut in meipso volo emendari peccatum sine confusione, si fieri potest, ita volo in proximo.

« Vade, etc. »

Sed si prope me est, æqualiter ibo ?
RESPONSIO. Vade duobus pedibus, compassionis, et charitatis : tunc enim non indignabitur. Jerem. x, 24 : *Corripe me, Domine...*, *verumtamen non in furore tuo, ne forte ad nihilium redigas me.* Psal. vi, 2 : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.*

« *Corripe eum.* » Proverb. xvii, 10 : *Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum.* Proverb. xxix, 15 : *Virga atque correctio tribuit sapientiam.* II ad Thessal. iii, 15 : *Nolite quasi inimicum existimare, eum scilicet qui non obedit verbo nostro, sed corripite ut fratrem.* « *Inter te et ipsum solum,* » ne forte publicatus, humanam amittat verecundiam : et tunc non curet corrigi. Jerem. iii, 3 : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.*

« *Si te audierit,* » corrigendo vitium, « *lucratu es fratrem tuum.* » Jacob. v, 20 : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.*

16

« Si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

17

Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. »

Secundus est gradus, qui habet in se duos, scilicet redargutionis, et convictionis.

Duo igitur dicit : primo notitiam,

quod non correxit, quando dicit : « *Si autem te non audierit,* » hoc est, si ad te pervenerit certo indicio, quod te non audivit : et hoc non fit, nisi quando peccatum iterat, et jam hoc in notitiam serpere incipit : si enim in occulto fiat, adhuc tunc non potest sciri si audivit, vel non audivit. Et hoc modo exponit Augustinus in *Regula*. Unde vult Augustinus quod tunc observetur peccans cum alio, qui etiam hoc deprehendit : ut coram illo arguatur ad quem etiam pervenit notitia criminis et hæc sunt verba : « Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi sunt alii, ut coram uno possit argui, vel a duobus, vel tribus convinci. »

Et hoc est quod dicit : *Adhibe tecum unum,* ad cujus notitiam, sicut ad tuam, devenit : quia aliter non est adhibendus. Si autem tu dicas ei nescienti, tunc ambo estis unus : quia ex uno corde loquimini. Et sic patet, quod istud est peccatum quod non omnino est occultum, sed serpit in notitiam plurium. Unus autem adhibetur, coram quo arguatur. Psal. xlix, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* II ad Timoth. iv, 2 : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* « *Vel duos :* » unus enim non adhibetur in testem. Deuter. xix, 15 : *Non stabit testis unus contra aliquem, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Si autem coram uno qui scit ut tu, redargutus non corrigitur : tunc « *duos,* » vel plures tecum adhibe, qui eo modo sciant quo tu scis, et non ex solo dicto tuo. Unde, Augustinus, « ut possit jam ab uno teste argui, sed a duobus, vel tribus convinci. » Et iste est gradus convictionis.

Quidam autem dicunt, quod in denuntiatione adhibetur unus, sed in accusatione duo. Sed hoc nihil est : quia in denuntiatione nullus testis est necessarius. Sed alia est expositio secundum Augustinum, et bona est, et hoc innuit littera sequens : « *Ut in ore duorum, vel trium*

testium stet omne verbum. » Non dicit : in ore unius, quia injustum est audire unum contra unum. Dicit autem *testium*, ut habeant *testium* formam in testificando, et vitam ad hoc quod stabile credatur dictum eorum.

« *Quod si non audierit eos,* » cum jam videat quod de crimine convinci possit, si ipse se judicaverit, et correxerit, non est ulterius publicandus. I ad Corinth. xi, 31 : *Si nosmetipsos dijudicavimus, non utique judicabimur.* Si ergo istos se non corrigens non audiat, « *dic Ecclesiæ,* » hoc est, Prælato in conventu et Synodo accusa. I ad Timoth. v, 20 : *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant.* Augustinus : « Convictus vero secundum Præpositi vel Presbyteri arbitrium debet emendatoriam subire vindictam : quam si ferre recusaverit, de vestra societate projiciatur. »

Et hoc est, quod sequitur : « *Si autem Ecclesiam non audierit,* » ut secundum arbitrium Prælati corrigatur, « *sit tibi quasi ethnicus,* » hoc est, gentilis : quia græce ἔθνος est *gens*, hoc est, in fide non conjunctus : « *et publicanus,* » qui publice, et contumaciter peccat. Pro infidelitate enim abjicitur, et pro peccato publico, in quo contumax invenitur, hoc est, per excommunicationem abjiciatur. Joan. iv, 9 : *Non contumuntur Judæi Samaritanis.* II Joan. v. 10 et 11 : *Non dixeritis ei : Ave : qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* I ad Corinth. v, 11 : *Cum ejusmodi nec cibum sumere.*

18

« Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cælo. »

Tangit hic hujus sententiæ vigorem

¹ Cf. enarrationem in hunc locum Matthæi,

tribus modis : in effectu vinculi, in imprecatione mali, et in cooperatione Dei.

De primo dicit : « *Quæcumque alligaveritis super terram,* » excommunicando, « *erunt ligata et in cælo.* » De hoc, Supra, xvi, 19, dictum est : *Quodcumque ligaveris,* etc.¹. Talibus gradibus correctionis præcedentibus et admonitionis. Sapient. xii, 2 : *Eos qui exerrant partibus,* hoc est, gradatim, *corripis, et de quibus peccant, admones et alloqueris, ut relictæ malitia credant in te, Domine.*

« Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quæcumque petierint fiet illis a Patre meo qui in cælis est. »

19

Tangit malum per excommunicationem in peccatum. Et innuit vigorem quem habet sententia a convincentibus contumacem in accusando, et ab Ecclesia in approbando sententiam. Et ideo dicit : « *Si duo,* » notando numerum testium, « *consenserint :* » notat uniformitatem testium. « *Consenserint super terram* » dicit : quia in cælo non secundum testes, sed secundum conscientiam judicatur. I Reg. xvi, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

« *De omni re,* » quod non de corde subornato de rei veritate, « *quæcumque petierint.* » Proverb. x, 24 : *Desiderium suum justis dabitur.* « *Fiet illi a Patre meo qui in cælis est.* » Et ideo timenda est sententia Ecclesiæ valde, quia completur per Patrem cælestem in districto examine. Unde, Luc. x, 16 : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.*

« Ubi enim sunt duo vel tres con-

20

xvi, 19, pag. 642 et seq.

gregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. »

Tangit robor sententiæ per Dei cooperationem : et per « *duo vel tres* » tangit numerum. Per hoc quod dicit : « *Congregati,* » tangit formam testium duplicem : in vita enim congregatus est Ecclesiæ, qui communicat, et ad omnem admittitur actum legitimum. Supra, XII, 30 : *Qui non est mecum, contra me est : et qui non congregat mecum, spargit.* Secunda congregatio est in testificando, Psal. XLIX, 5 : *Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus.* « *In nomine meo.* » Illi enim non sunt suspecti, quia in nomine Christi testis veritatis est testis simpliciter : et ille est, qui non nisi amore nominis Dei dicit, quod dicit. Isa. XXVI, 8 : *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ.* « *Ibi sum,* » cooperans ligando et solvendo, « *in medio eorum,* » hoc est, in ore judicis, qui medius est inter actorem et reum, nequaquam in partem alteram declinans. Joan. XX, 19 : *Stetit Jesus in medio discipulorum suorum, et dixit eis : Pax vobis.* Joan. I, 26 : *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Sic ergo in caelis effectum habet vinculum consensus Ecclesiæ, et Sanctorum fulcit testimonium : Christus autem veritas operatur factum. I ad Corinth. V, 4 et 5 : *In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.*

21 « Tunc accedens Petrus ad eum, dixit : Domine quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei ? usque septies ?

22 Dicit illi Jesus : Non dico tibi usque

septies, sed usque septuagies septies. »

Hic agitur de perfecta receptione fratris pœnitentis. Sicut enim custodiendus est, ne aberret : et sicut quærendus et revocandus est, quando aberraverit : sic est misericorditer recipiendus, quando redire satagit : et de hoc hic determinatur. Et ideo duo dicit : in quorum primo docet quis recipiendus, et in secundo per modum legislatoris coactivum sermonem subjungit.

De primo dicit duo : Petri interrogationem, et Christi responsionem. Excitatus enim Petrus ex commissione clavium, et ex gaudio inventæ ovis, et ex promissione exauditionis, prorumpit ad interrogandum, dicens : « *Domine, quoties peccabit in me ?* » Hoc supra¹ expositum est. « *Frater meus,* » ex fidei professione conjunctus. Et hoc dicit, quia si in dispari cultu existens, quantumcumque peccet, per susceptionem Baptismi consequitur veniam, nec quærit aliam remissionem. « *Et dimittam ei ?* » ex quo dimittuntur nobis debita nisi dimittamus² : et ex quo mihi das absolutionis potestatem.

Et adjungit interrogationem : « *Usque septies ?* » legerat Petrus, Proverb. XXIV, 16 : *Septies cadet justus in die, et resurget :* et putavit, quod in hac remissione deberet esse contentus.

« Dicit illi Jesus, »

Apud quem est misericordia, et copiosa est apud eum redemptio : « *Non dico tibi usque septies.* » Non enim misericordiæ Dei ponendus est terminus³, « *sed usque septuagies septies,* » hoc est, septies septuaginta vicibus, quæ faciunt quadringenta et nonaginta et octo vices : et hoc excedit humanum posse in peccando una die. Vel, secundum

¹ Cf. supra enarrationem in §. 15 hujus capituli, pag. 674 et 675.

² Cf. Supra, VI, 12.

³ Cf. Judith, IX, 17.

Augustinum, « Undecies septem faciunt septuaginta septem : et per undecim significatur transgressio, per septuaginta autem decalogus per inobedientiam septem capitalium vitiorum violatus, et per septem omne tempus. » Et tunc sensus est, quod in omni transgressione, et omni inobedientia, et omni plenitudine vitiorum, et omni tempore delinquenti, omnia sis paratus dimittere : et sic nullus terminus ponitur misericordiæ infinitæ. Ezechiel. XVIII, 21 et 22 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis,.. omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Eccli. XXVIII, 2 et 3 : *Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medellam ?*

13 « Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. »

Adjungit hic sermonem coactivum, sicut omnis lex a ligando dicitur propter coactionem quam habet. Dividitur autem in partes duas : in parabolam, et explanationem quam in fine adjungit, et per se patet.

In parabola tria inducit : remissionem clementiæ, vitium ingratiitudinis humanæ, et post remissæ revocationem culpæ. Et hæc patent in littera.

In perfectione autem remissionis tria inducit per ordinem, videlicet dispositionem regis debita exigentis, et humilitatem peccatoris debentis, et remissionem Dei misericordis.

In primo tria inducit : Regis videlicet cœlestis potentiam, sapientiam, et misericordiam. Et his præmittit modum, quo loquitur per parabolam, dicens : « *Ideo assimilatum est regnum cœlorum,* » hoc est, factum justitiæ regni cœlorum humano facto comparatur : et ideo dicitur, ad Roman. x, 8 : *Prope est verbum in ore*

tuo, et in corde tuo : quia divina frequenter rationabilibus humanis comparantur.

« *Homini regi.* » Ecce potentia : ut per hoc, quod dicit, « *homini,* » notetur quod rationabiliter, et humane disposuit potentia. Esther, XIII, 2 : *Volui nequam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia et lenitate gubernare subjectos.* Per hoc autem quod dicit, « *regi,* » notatur potentia. Eccli. I, 8 : *Rex potens, et metuendus nimis.*

« Qui voluit rationem ponere cum servis suis. »

Et notantur quatuor, quæ sunt propria sapientiæ : primum est prudentia, in eo quod « *voluit,* » quia prudentia est consideratio rerum conferentium : secundum est industria in hoc quod dicit, « *rationem.* » Calculare enim non est nisi industriam habentium. Tertium est stabilis ratio conceptorum, quæ notatur per hoc quod dicit, « *ponere.* » Quarto, notatur ordo, qui proprie sapientis est, in hoc quod dicit, « *cum servis suis.* » Ordinare enim debet sapiens familiam ad rectitudinem. Esther, III, 8 : *Non expedit regno tuo ut insolescat per licentiam.* De sapientia ista, Jerem. XXXIII, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit.* III Reg. III, 28 : *Timerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium.* Eccli. X, 4 : *Judex sapiens judicabit populum suum.* Proverb. XX, 8 : *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.*

« Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta. »

Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus venumdari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi. »

Hic incipit tangere misericordiam. Et

24

25

tanguntur hic duo : primo enim omnium ostenditur in peccatorem justa severitas : ut ostendatur ei quid pro peccato meruit, et quam gratus misericorditer remittenti esse tenetur. Secundo autem ex misericordia, peccati ostenditur propitiatio facta humiliter petenti.

Circa severitatem inducit tria : primo enim inducit severitatis justissimam causam : secundo, nullam misericordiae viam apparere : tertio, severitatis scientiam.

De primo dicit : « *Cum cœpisset rationem ponere,* » hoc est, conscientias per districtam inquisitionem examinare. Luc. xvi, 2 : *Redde rationem villicationis tuæ.* Sapient. vi, 4 : *Interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur.* Matth. xii, 36 : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.*

« *Oblatus est ei unus,* » captus, et vinculis peccatorum adstrictus. II Paralip. in Orat. Manassæ, circa medium : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo..., et non est respiratio mihi.*

« *Qui debebat decem millia talenta.* » Decalogum enim, et quadraturam virtutum corrumpens, talentum ponderis circumstantiarum etiam perdiderat. II Paralip. in Orat. Manassæ circa medium : *Peccavi supra numerum arenæ maris : multiplicatæ sunt iniquitates meæ.* Jacob. iiii, 2 : *In multis offendimus omnes.* Isa. i, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis !*

« *Cum autem non haberet unde redderet, etc.* »

Ecce quod nulla fuit via misericordiae Dei : si enim gemitum habuisset, vel propositum, vel Sanctorum communionem, habuisset unde redderet : modo nihil habuit. Apocal. iii, 17 : *Nescis quia tu miser es, et miserabilis, et pauper et cæcus, et nudus.* Ex se enim nihil habere potest sine gratia. Psal. lxxvii, 39 : *Spiritus vadens, et non rediens.* Ad Roman. vii,

18 : *Velle, adjacet mihi : perficere autem bonum, non invenio.*

« *Jussit eum.* » Ecce scientia severitatis : et hanc audit servus quotidie in corde, et in scriptis. « *Jussit eum dominus venumdari,* » pœnis æternis mancipari, « *et uxorem,* » hoc est, carnalem concupiscentiam quæ allexerat eum, « *et filios,* » hoc est, opera. De primo dicitur, Isa. l, 1 : *Iniquitatibus vestris venditi estis.* De secundo, Luc. xiv, 20 : *Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* De tertio, Sapient. iv, 6 : *Filii qui nascuntur, testes sunt nequitiae adversus parentes.*

« *Et omnia quæ habebat,* » hujus mundi delectabilia. Isa. xxxix, 6 : *Auferentur omnia quæ in domo tua sunt in Babylonem.* « *Reddi,* » per supplicia pœnarum. Job, xx, 18 : *Luet quæ fecit omnia.* Supra, v, 26 : *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.*

Videns autem servus quæ meruit, si secum districte ageretur,

« *Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* »

20

Exhibet reverentiam adorationis, supplicitem orationis, deprecationem patientiæ et mansuetudinis, et promissionem futuræ satisfactionis : et in reverentia adorationis immiscet recogitationem suæ conditionis.

De adoratione dicit : « *Procidens autem.* » Exod. iv, 31 : *Proni adoraverunt.* Supra, ii, 11 : *Procidentes adoraverunt eum.* « *Servus ille.* » Conditionis propriæ recogitatio : quia illaqueatum se vidit peccato. Joan. viii, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Psal. cxv, 34 : *O Domine, quia ego servus tuus,* etc. « *Orabat eum.* » Ecce supplex petitio. II Paralip. in Orat. Manassæ, ad finem : *Peccavi, Domine, peccavi : et iniquitas meas ego agnosco. Quare, peto, rogans te, remitte mihi.*

« *Dicens : Patientiam habe in me.* » Deprecatio est patientiæ et mansuetudinis, quæ multos differendo ad pœnitentiam adducit. Joel. II, 13 : *Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.* Ad Roman. IX, 22 : *Sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta ad interitum.* Est enim patientia æquanimis tolerantia eorum quæ adversantur.

« *Et omnia reddam tibi.* » En promissio emendæ. Osee, XIV, 3 : *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum,* credendo in te, et veniendo ad te, omnia reddidi. Ad Roman. X, 4 : *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.*

17 « Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. »

Hic tangit misericordiam in affectu relaxationis culpæ, et in affectu remissionis pœnæ.

Dicit igitur : « *Misertus autem Dominus.* » II ad Corinth. I, 3 : *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.* Eccli. XII, 3 : *Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus.* « *Servi illius,* » cui duritia fuit exhibenda. Sed ne amplius esset servus, dimisit eum, hoc est, manumisit, et filium fecit, et liberum.

« *Dimisit eum.* » Numer. XIV, 20 : *Dimisi, eis scilicet, juxta verbum tuum.* « *Et debitum dimisit ei,* » relaxando pœnam. Luc. VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* II ad Corinth. V, 19 : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.*

18 « Egressus autem servus ille, invenit unum de servis suis, qui debebat ei centum denarios : et tenens suffoca-

bat eum, dicens : Redde quod debes. »

Hic secundo tangitur tantæ remissionis ingratitude. Et dicuntur duo : ingratitude, et ingratitude accusatio.

Circa primum dicit tria : primo enim dicitur conservi debitoris a servo crudeli invasio : secundo, humilis et supplex conservi pro indulgentia deprecatio : tertio, indulgentiæ et remissionis dura abnegatio : quæ per ordinem jacent in littera.

In primo sex ad vituperium ingrati proponuntur : primum est beneficii recepti immemoratio, cum dicit : « *Egressus,* » hoc est, extra memoriam indulgentiæ perceptæ, a conspectu Dei (cui semper adstare gratias agens debuit) gressus. Joan. XIII, 30 : *Cum accepisset buccellam, exivit continuo. Erat autem nox.*

Secundum est permanens in egrediente servilis conditio, cum dicit : « *Servus ille.* » Genes. IX, 25 : *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.*

Tertio, dicitur sollicita conservi inventio, quod fit machinatione pessima in fratrem, ibi, « *Invenit unum de servis suis.* » Isa. XXXII, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium.*

Quarto, debiti ponitur modica portio, cum dicit : « *Qui debebat ei centum denarios.* »

Quinto, tangitur inventi crudelis invasio, cum dicit : « *Et tenens suffocabat eum,* » acerba tribulatione, a qua evadere ille non poterat. Contra hoc, quod dicitur. ad Roman. XII, 21 : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Isa. LVIII, 4 : *Percutitis pugno impie.*

Sexto, ponitur deperditi parvi dura repetitio, cum dicitur : « *Redde quod debes.* » I Reg. II, 16 : *Nunc dabis, alioquin tollam vi.* Isa. LVIII, 3 : *Omnes debitores vestros repetitis.*

29 « Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

30 Ille autem noluit : sed abiit, et misit eum in carcerem donec redderet debitum. »

Hic humilem ponit conservi deprecationem.

Et tangit quatuor : primo, incongruam reverentiam, quam ab ipso superbus accepit, cum paris secum conditionis existeret : et hoc est quod dicit : « *Et procidens conservus ejus.* » Apocal. xxii, 9, Angelus prohibuit procidere ante se Joannem dicens : *Vide ne feceris : conservus enim tuus sum et fratrum tuorum Prophetarum : Deum adora.*

Secundo, tangit humilitatem quam rogando præterdit, ibi, « *Rogabat eum, dicens.* » Osee, xii, 4 : *Flevit, et rogavit eum.*

Tertio, tangit patientiam humanæ naturæ debitam, quam interpellavit, cum dicit : « *Patientiam habe in me.* » I ad Thessal. v, 14 : *Patientes estote ad omnes.* Levit. xix, 16 : *Non oderis fratrem tuum.*

Quarto, promissio tangitur opportunæ solutionis in futuro, cum dicit : « *Omnia reddam tibi.* » Genes. xxxi, 39 : *Ego omne damnum reddebam : quidquid furto peribat, a me exigebas.*

« Ille autem, etc. »

Dura est indulgentiæ abnegatio. Et dicuntur duo : primum est indignans cordis a precibus aversio, quam tangit, cum dicit : « *Ille autem noluit.* » Tob. iv, 7 : *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.*

Secundum est debiti dura exactio, cum dicit : « *Sed abiit, etc.* »

Et circa hoc tria tangit : excessum humanæ pietatis, cum dicit : « *Abiit,* » hoc est, a naturali pietate recessit inhumane agendo. Ezechiel. xix, 3 : *Leo factus est :*

et didicit capere prædam, hominemque comedere. Secundum est dura debiti exactio, cum dicit : « *Misit eum in carcerem* » duræ vexationis. Thren. iii, 7 : *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar.* In epist. Judæ. ʒ. 11 : *Væ illis qui in viam Cain abierunt !* Act. xvi, 24 : *Misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno.* Tertio, tangitur debiti aggravatio, cum dicit : « *Donec redderet debitum.* » Contra id quod objicitur, Luc. vii, 42 : *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque.*

« Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde : et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant. »

31

Ponitur hic ingrati accusatio. Et tanguntur quinque : primum est conservorum Angelorum ad peccantes in fratres diligens intuitus, cum dicit : « *Videntes autem conservi ejus quæ fiebant.* » Daniel. x, 13 : *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus,* scilicet, accusando Judæos.

Secundo, tangitur videntium contristatio, cum dicit : « *Contristati sunt valde.* » Luc. xv, 10 : *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente :* ita de oppositio tristitia. I Reg. xv, 11 : *Contristatus est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte.*

Tertio, dicit qualiter Domino hoc retulerunt, ibi, « *Venerunt et narraverunt domino suo,* » conquerendo de persecutoribus. Isa. xxxiii, 7 : *Angeli pacis amare flebunt.* In hoc enim Angeli suæ custodiæ exhibent officium.

Quarto, tangit quod nihil de peccatis manebat occultum, dicens : « *Omnia quæ facta fuerant.* » Sic, Genes. xxxvii, 2 : *Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Sapient. i, 8 : *Qui loquitur iniqua, non potest latere.*

« Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me.

Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui miseratus sum ?

Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. »

Hic tangitur debiti revocatio. Et dicuntur quatuor : primum est ad præsentiam judicis citatio, cum dicit : « *Tunc vocavit illum dominus suus.* » Secundum est, ingratitude exprobratio, cum dicit : *Serve nequam*, etc. Tertium est, immisericordiæ improprio, cum dicit « *Nonne*, etc. » Quartum est, per iram domini æterna condemnatio pro debito jam pridem dimisso, cum dicit : « *Et iratus.* »

Dicit igitur : « *Tunc vocavit eum dominus suus,* » post mortem ad iudicium. II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.*

« *Et ait illi : Serve nequam.* »

Secundum est. Eccli. III, 29 : *Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum.*

« *Omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me.* » Tangitur orationis virtus, quæ valet delere sola omne peccatum. Eccli. xxxviii, 9 : *Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te.* Isa. xxxviii, 5 et 6 : *Audiivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas : ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos : et de manu regis Assyriorum eruam te.*

« Nonne ergo, etc. »

Tertium. Luc. vi, 37 : *Dimittite, et dimittimini.*

« Et iratus, etc. »

Quartum est, hoc est, ad modum irascentis duritiam exhibens. Numer. xxv, 3 et 4 : *Iratus Dominus, ait ad Moysen : Tolle cunctos principes, et suspende eos contra solem.* « *Tradidit eum tortoribus.* » Proverb. xix, 12 : *Sicut fremitus leonis, ita et regis ira.* Eccli. xxxiii, 28 : *Servo malevolo tortura et compedes.* « *Quoadusque redderet universum debitum.* » Supra, v, 26 : *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.*

« Sic et Pater meus, »

Qui vult leges meas custodiri. Unde, Supra, xviii, 3, dixit : *Ipsam audite.* « *Cœlestis,* » qui non decipitur, nec mutatur. Numer. xxiii, 19 : *Non est Deus ut filius hominis, ut mutetur.* « *Faciet vobis si non remiseritis unusquisque fratri suo.* » Idem, supra, vi, 15¹. « *De cordibus vestris,* » ne sit ficta remissio. Sapient. I, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.*

Ex his autem quæ hic dicuntur, videtur quod peccata dimissa redeant propter odium fraternum : hoc autem videtur esse contra justitiam Dei, qui non punit ultra condignum, sed citra : si autem dimissum est, et postea punit, ultra condignum punit : et hoc est inconveniens.

Adhuc autem videtur, quod secundum hoc Deus bis punit in idipsum peccatum : quia ad minus compunctionis pœna fuit in prima dimissione.

Adhuc, gratiæ gratum facientis est facere dignum vita æterna : et hoc non potuit esse nisi dimissione facta : secundum hoc igitur videtur deterior conditio

¹ Cf. enarrationem supra factam, vi, 15, pag.

hominis aliquando pœnitentis, et aliquando relabentis, quam illius qui nunquam pœnituit, quod est inconueniens.

Dicamus igitur, quod antiqui distinxerunt quinque causas in quibus peccata redeunt, sicut est odium fraternum, sicut hic habetur : apostasia a fide : contemptus confessionis : et quando ducitur pœnitentia, quod de peccato pœnituit : et ingratitude. Sed quia irrationabilia sunt, quæ dicunt : peccatum enim dimissum annihilatum est, et non mansit in actu, neque in reatu : et ideo non potest redire. Et si dicatur, quod redit quantum ad imputationem pœnæ, hoc non est verum, quia pœna inferni Deus non punit nisi peccatum. Peccatum autem nec in actu est, nec in reatu, et sic non punitur. Ideo posterius dicunt, quod non redit peccatum, nisi propter ingratitude. Ingratitude autem est non continuo permanere in gratiarum actione oris, cordis et operis : et cum redit peccatum, non redit quoad numerum, et speciem peccatorum, sed redit quoad deformitatem, quæ non est præcedentium peccatorum, sed sequentis, in quantum est peccatum talis hominis qui tantum acceperat beneficium : et non est deformitas ejus in quantum est actus quidam deficiens a bono gratiæ et virtutis : et sic potius est deformitas talis peccantis quam peccati : quia quando contra beneficium fecit, tanti immemor beneficii turpis fuit, turpitudine ingratitude, et majori reatu adstrictus, et majori pœna dignus, quo majus receperat præ cæteris beneficium : et hoc est, quod dicitur in Psalmo LIV,

13 et 14 : *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitam ab eo. Tu vero homo unanims, dux meus, et notus meus.* Et aggravat pœnam, ibidem, v. 16 : *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.* Redit igitur ad ea tenus, qua manet : manet autem quoad vinculum perpetuæ detestationis, quo vinctus est ille cui peccatum dimissum est : et ideo cum non detestatur quoad dictam deformitatem, redit.

Cum etiam aliquis compunctus est, adhuc duplici vinculo ligatus est, debiti confessionis scilicet, et debiti satisfactionis : et quodcumque horum dimittat, tunc adhuc ad hoc tenentur, et quoad hoc redit : vel potius non redit, quia mansit. Si autem confessus est, et satisfecit, tunc non redit nisi quoad deformitatem ingratitude, sicut diximus. Nec tenetur tunc aliter confiteri nisi sic quod dicat : Ego de multis et magnis indulgentiam consecutus sum a Deo, et ingratus postea hæc adjeci omnibus peccatis meis.

Per hoc patet solutio ad omnia præter unum : et ad hoc dicendum, quod non est deterior conditio aliquando pœnitentis : quia super non pœnitentem manent omnia peccata : huic autem remissa sunt simpliciter et non redeunt, nisi quoad vitium ingratitude, per quod status talis habet turpitudinem per accidens, scilicet ex immemoratione beneficiorum Dei.

CAPUT XIX.

Matrimonium docet ex sua institutione esse indissolubile, nec uxorem extra causam fornicationis posse dimitti: inter varios eunuchos laudat illos qui se castraverunt propter regnum cœlorum: parvulis manus imponit: adolescens qui omnia se servasse præcepta dicebat, audito Christi consilio de omnibus vendendis abiit tristis: difficile ergo asserit divitem intrare regnum cœlorum: et quid illis præmii sit qui omnibus relictis ipsum sequuntur.

1. Et factum est, cum consummas-
set Jesus sermones istos, migra-
vit a Galilæa, et venit in fines
Judææ trans Jordanem ¹.
2. Et secutæ sunt eum turbæ multæ,
et curavit eos ibi.
3. Et accesserunt ad eum Pharisei,
tentantes eum et dicentes ²: Si
licet homini dimittere uxorem
suam quacumque ex causa?
4. Qui respondens, ait eis: Non le-
gistis quia qui fecit hominem ab
initio, masculum et fœminam
fecit eos ³? et dixit:
5. Propter hoc dimittet homo pa-
trem et matrem, et adhærebit
uxori suæ, et erunt duo in carne
una ⁴?
6. Itaque jam non sunt duo, sed una
caro. Quod ergo Deus conjun-
xit, homo, non separet.
7. Dicunt illi: Quid ergo Moyses
mandavit dare libellum repudii,
et dimittere ⁵?
8. Ait illis: Quoniam Moyses ad
duritiam cordis vestri permisit
vobis dimittere uxores vestras:
ab initio autem non fuit sic.
9. Dico autem vobis ⁶, quia quicum-
que dimiserit uxorem suam, ni-
si ob fornicationem, et aliam
duxerit, mœchatur: et qui
dimissam duxerit, mœchatur.
10. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est
causa hominis cum uxore, non
expedit nubere.
11. Qui dixit illis: Non omnes ca-
piunt verbum istud, sed quibus
datum est.
12. Sunt enim eunuchi, qui de matris
utero sic nati sunt, et sunt eu-
nuchi qui facti sunt ab homini-
bus, et sunt eunuchi qui seipsos
castraverunt propter regnum
cœlorum. Quis potest capere
capiat.
13. Tunc oblatis sunt ei parvuli, ut ma-
nus eis imponeret, et oraret ⁷.
Discipuli autem increpabant
eos.
14. Jesus vero ait eis: Sinite parvulos,
et nolite eos prohibere ad me
venire ⁸: talium est enim re-
gnum cœlorum.
15. Et cum imposuisset eis manus,
abiit inde.

¹ Marc. x, 1.

² Marc. x, 2.

³ Genes. i, 27.

⁴ Genes. ii, 24; I ad Corinth. vi, 16; ad
Ephes. v, 31.

⁵ Deuter. xxiv, 1.

⁶ Supra, v, 32; Marc. x, 11; Luc. xvi, 18; I ad
Corinth. vii, 10.

⁷ Marc. x, 13; Luc. xviii, 15.

⁸ Supra, xviii, 3.

16. Et ecce unus accedens ait illi :
Magister bone, quid boni faciam
ut habeam vitam æternam ¹?
17. Qui dixit ei : Quid me interrogas
de bono? Unus est bonus, Deus
Si autem vis ad vitam ingredi,
serva mandata.
18. Dixit illi : Quæ? Jesus autem di-
xit : Non homicidium facies ² :
Non adulterabis : Non facies
furtum : Non falsum testimo-
nium dices :
19. Honora patrem tuum et matrem
tuam : et, Diliges proximum
tuum sicut teipsum.
20. Dicit illi adolescens : Omnia hæc
custodivi a juvente mea : quid
adhuc mihi deest?
21. Ait illi Jesus : Si vis perfectus
esse, vade, vende quæ habes
et da pauperibus, et habebis
thesaurum in cœlo : et veni, se-
quere me.
22. Cum audisset autem adolescens
verbum, abiit tristis : erat enim
habens multas possessiones.
23. Jesus autem dixit discipulis suis :
Amen dico vobis, quia dives
difficile intrabit in regnum cœ-
lorum.
24. Et iterum dico vobis : Facilius
est camelum per foramen acus
transire, quam divitem intrare
in regnum cœlorum.
25. Auditis autem his, discipuli mira-
bantur valde, dicentes : Quis
ergo poterit salvus esse?
26. Adspiciens autem Jesus, dixit il-
lis : Apud homines hoc impos-
sibile est : apud Deum autem
omnia possible sunt.
27. Tunc respondens Petrus, dixit ei :
Ecce nos reliquimus omnia, et
secuti sumus te : quid ergo erit
nobis?
28. Jesus autem dixit illis : Amen
dico vobis, quod vos qui secu-
ti estis me, in regeneratione,
cum sederit Filius hominis in
sede majestatis suæ, sedebitis
et vox super sedes duodecim,
judicantes duodecim tribus
Israel.
29. Et omnis qui reliquerit domum,
vel fratres, aut sorores, aut pa-
trem, aut matrem, aut uxorem,
aut filios, aut agros, propter
nomen meum, centuplum ac-
cipiet, et vitam æternam possi-
debit.
30. Multi autem erunt primi novissi-
mi, et novissimi primi ³.

IN CAPUT XIX MATTHÆI

ENARRATIO.

« Et factum est, cum consummasset
Jesus sermones istos, migravit a Ga-
lilæa, et venit in fines Judææ trans
Jordanem. Et secutæ sunt eum turbæ
multæ, et curavit eos ibi. »

Hic determinatur regimen Prælato-

rum in regimine boni secundum omnem
statum boni : status autem hic est secun-
dum triplicem statum boni. Est enim
bonum contra impedimentum moralita-
tis naturæ, et hoc est conjugium, de quo
determinatur primo : et est bonum se-
cundum statum obedientiæ in opere, et
hoc determinatur secundo : et est bonum
secundum statum perfectionis apostoli-
cæ, et de hoc determinatur tertio.

Bonum autem mortalium, quod con-
tra defectum mortalitatis ordinatur
(quod est matrimonium) tripliciter deter-

¹ Marc. x, 17; Luc. xviii, 18.

² Exod. xx, 13 et seq.

³ Infra, xx, 16; Marc. x, 31; Luc. xiii, 30.

minatur : primo enim determinatur quantum ad circumstantiam matrimonii : secundo, determinatur quantum ad consequentia divortium, quod vocatur a thoro separatio : tertio, determinatur quantum ad ea, quæ circumstant sanctitatem generis ejus quod est continentia : et ex his satis patet divisio primæ partis.

Sed primo, præmittitur opportunitas illius doctrinæ ex loco, et quæstione quærentium : et de hac dicit :

« Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, etc. »

Sermones, inquam, de potestate clavium, quas determinare incepit a capitulo sextodecimo usque huc, vel de remissione, de qua in præcedenti capitulo determinavit. Eccli. XLIII, 29 : *Consummatio sermonum ipse est.* « *Migravit a Galilæa,* » ubi plurimas virtutes ostendit, « *et venit in fines Judææ,* » ad plagam meridianam, quæ Judæa dicitur ad differentiam Decapolis Samariæ et Galilææ, « *trans Jordanem,* » quæ dicebatur *Galilæa gentium.*

« Et secutæ sunt eum turbæ multæ. »

Joan. VI, 2 : *Quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.*

« *Et curavit eos ibi.* » Osee, VI, 2 : *Ipse cepit, et sanabit nos : percutiet, et curabit nos.*

« Et accesserunt ad eum Pharisei, tentantes eum, et dicentes : Si licet homini dimittere uxorem suam quæcumque ex causa ? »

Secunda opportunitas ex interroga-

tionem. Et tangit temeritatem quærentis, et intentionem. Eccli. I, 40 : *Accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.*

« *Si licet, etc.* » Ecce quæstio ex quacumque causa scripta ¹. Marc. X, 2 : *Accedentes Pharisei interrogabant eum : Si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum.*

« Qui respondens, ait eis : Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos : et dixit :

Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ ? »

Tria dicit : redargutionem de negligentia lectionis in studio legis, auctoritatem primo matrimonium instituentis, et institutionis formam.

Et in hac forma dicit sex : quorum primum distinctio sexuum, secundum exclusio illegitimarum personarum, tertium individuitas contrahentium, quartum actus et finis matrimonii, quintum mutuum in utroque, et utriusque debitum, sextum et ultimum impossibilitas ad divortium.

Dicit ergo :

« Non legistis ? »

Quasi diceret : Qui non legit in capite libri primi, omnino iners et reprehensibilis est. Adhuc autem in hoc, non sua, sed ea quæ naturalis et divinæ legis sunt, respondet, quæ integræ naturæ data sunt : in qua lege naturali peccati duritia nihil extorsit.

« *Quia qui fecit.* » Pensanda est distantia factoris (matrimonium instituentis in naturæ officium) et servi, qui permisit quædam propter peccandi maleficium. Ad Hebr. III, 5 : *Moyses quidem*

¹ Cf. Deuter. XXIV, 1.

fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant. « *Hominem ab initio,* » naturaliter conjugalem. Et ideo cum causa remaneat et natura, secunda permissio nihil immutavit de institutione prima: sed potius per gratiam novæ legis, secunda permissio revocanda est ad institutionem primam ¹.

« *Masculum et fœminam fecit eos.* » Ergo innaturalis usus hic est prohibitus. Ad Roman. I, 26 et 27: *Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis invicem, masculi in masculos (et fœminæ in fœminas) turpitudinem operantes.* Masculus autem accipitur hic ut generans, et fœmina, ut adjuvans. Genes. II, 18: *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Omnis ergo coitus non habens modum generantis in viro, et adjuvantis in fœmina damnatus est: et hoc est, quod vir incumbat, et fœmina succumbat, instrumentis genitalibus sibi coaptatis. Si enim fœmina supergrediatur, matrix eversa est, et vix capit semen: si a latere accumbat, latus matricis jacet super latus, et iterum vix accipit: si posterius disponatur, distantia oris matricis et concavi matricis impedit susceptionem seminis: si autem succumbit, os matricis directe superponitur concavo matricis, et directe fit fusio seminis: et hoc modo fecit Deus fœminam in adjutorium viro: quod ipsa ostendit membrorum dispositio. Tob. VIII, 8: *Tu fecisti Adam de limbo terræ, dedistique ei adjutorium Hevam.*

« *Et dixit,* » statuendo:

« *Propter hoc dimittet homo patrem et matrem.* »

Exclusio est illegitimarum persona-

rum. In principio enim a matrimonio non excluderentur nisi pater et mater: postea in lege plures ²: et postea a sanctis Patribus iterum plures personæ sunt exceptæ.

Attende igitur quod pater et mater tripliciter accipiuntur: ex statu, ex natura, et ex persona. Ex statu primæ innocentiam, nec fuit servitus, nec causa servitutis. Et quoad hoc si adveniat conditio dispar, quam non præsciunt contrahentes, talis error impedit matrimonium. In natura autem parentum, natura dividitur substantia, virtute, et opere: sicut omnia quæ sunt potestatis alicujus, per hæc tria dividuntur. Substantia autem parentum natura, virtute, et opere, indivisa in aliud, est in filiis: et propagatio illius facit gradum primum. In filiorum autem filiis propter commisionem ad aliud, est natura in parte, et virtus, et operatio. In filiorum nepotibus propter duplicem misturam cum alieno, non possumus dicere quod maneat nisi virtute et opere. Et in filiorum pronepotibus expenditur et virtus ejus et operatio ultima: et ideo post istos gradus contrahitur: sic enim pervenit in tertiam et quartam generationem.

« *Et adhærebit uxori suæ,* »

Affectu uxorio: et in hoc intelligitur, quod non repudiabit eam: est enim hæc adhæsiō legis, non adhæsiō libidinis. I ad Corinth. VI, 16: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* In hoc autem, quod dicit, « *suæ,* » notat discretionem, et prohibetur adulterium. Levit. XVIII, 20: *Cum uxore proximi tui non coibis.* Jerem. V, 8: *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Unde per hoc, quod dicit, « *adhærebit,* » notatur consensus individuitas: per hoc, quod dicit, « *uxori,* » notatur amoris honestas, ut non utatur

¹ Cf. Supra, v, 31 et 32.

² Cf. Levit. XVIII, 6 et seq.

ea tamquam meretrice, vel fornicatrice : per hoc, quod dicit, « *suæ*, » notatur adulterii damnabilitas.

et Heva commisti genuerunt *ad imaginem et similitudinem suam*.

« Et erunt duo in carne una. »

« Itaque jam non sunt duo, sed una caro. »

Hic notatur contrahentium individuitas : et ratione quidem primæ partis ostenditur damnatio et inordinatio, et innaturalitas bigamiæ. Sed bigamia est duplex, conjunctio scilicet cum pluribus successive, quæ inducit irregularitatem, non peccatum. I ad Timoth. III, 2 : *Unius uxoris virum*. Alia fuit conjunctio ad plures simul : et hanc induxit primus Lamech ¹ : et ad tempus in sanctis Patribus dispensabatur, ut cum propagatione seminis fieret etiam propagatio religionis. Et contra naturam est matrimonii, cum hic dicatur, « *erunt duo*, » non tres, vel plures.

Ex secunda parte, cum dicit, « *in carne una*, » duo intelliguntur : quorum unum est matrimonii proprius actus, et alterum matrimonii principalis finis, sive bonum. Et potest primum esse, et medicina libidinis. I ad Corinth. VII, 2 : *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat*. Potest etiam esse officium et opus generationis. Tob. VI, 21 : *Tertia nocte, benedictionem consequeris, ut filii ex vobis procreentur incolumes*. Finis autem est una caro prolis : et hoc non potest esse, ut dicit Philosophus, ut ex æquo veniat caro viri et fœminæ, quia ex duobus similibus nihil fit : sed quod unum fiat spiritus corpus formans, et alterum sit materia formata : et ideo sexus in personis generantibus divisi, uniuntur in seminum commistione. Et hoc est, quod dicit, « *in carne una* : » quia in illa est uterque generantium per totam virtutem sexuum, licet non sit per figuram membrorum : et hoc est, quod dicitur, Genes. v, 3, quod Adam

Notatur hic in utroque utriusque debitum. Et notantur duo : debitum, et signum.

Debitum : quia non sunt duo, sed uterque in altero. I ad Corinth. VII, 4 et 5 : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem*. Et contra hanc justitiam est libellus repudii, quia sine culpa peccati perdit mulier quod perpetuo suum erat.

Signum notatur in hoc, quod dicit : « *Una caro*. » In hoc enim notatur individuitas conjunctionis spiritus ad Deum. Malach. II, 15 : *Quid unus quærit, nisi semen Dei ?*

« Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. »

Ecce impossibilitas ad divortium. Et notantur duo in prima parte hujus conclusionis : unum est auctoritas conjunctionis, causa stante in natura : secundum est quasi fundamentum. Primum patet per se : per secundum excluditur dispar cultus : quia tales personas, nisi cultui malo renuntient, et ad unum cultum veniant, Deus non conjungit. Malach. II, 11 et 12 : *Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit, et habuit filiam dei alieni. Disperdat Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob*.

Per secundum, quod dicit : « *Homo non separet*, » hoc est, causa humana non separetur : si enim propter sanctitatem et contemplationem ex communi consensu

¹ Cf. Genes. IV, 19.

separentur a thoro, non homo separat, sed Deus : sed tunc non datur repudium. Sed quando propter odium separantur, vel propter libidinem alterius, fit repudium : tunc homo separat. De primo dicitur, I ad Corinth. vii, 29 : *Qui habent uxores, tamquam non habentes sint.*

7 « Dicunt illi : Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, et dimittere ?

8 Ait illis : Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic.

9 Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur : et qui dimissam duxerit, mœchatur. »

Hic tangitur damnatio adulterii. Et habet duo : objectionem Pharisæorum, ex Deuter. xxiv, 1¹, et responsionem Domini.

Obiectio Pharisæorum vincitur esse mandatum, quod fuit permissum.

Responsio Domini causam dicit permissionis, et esse permissionem, et veram causam dicit dimissionis : et si juste dimittatur a thoro, damnat conjunctionem ad alterum. Et ubi damnat, duo dicit : damnat enim adulterium dimittentis, et adulterium dimissæ : et per hoc patet littera. I ad Corinth. vii, 27 : *Alligatus es uxori ? noli quærere solutionem.*

Attende autem, quod propter fornicationem dicit *dimitti* : et de hoc, supra, v, 32, notatum invenies, quomodo fornicatio pejor est meretricio et incontinentia². Ezechiel. xvi, 34 : *Factum est in te con-*

tra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, et post te non erit fornicatio : in eo enim quod dedisti mercedes, et mercedes non accepisti, factum est in te contrarium. Adhuc autem, quando dimitti debet adultera, non pœnitens dimitti debet. Adhuc, si in simili est culpa dimittens, non potest dimittere. Item, si dissimulat, videtur indulgisse : et sic agere non potest ad dimissionem.

10 « Dicunt ei discipuli ejus : Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

11 Qui dixit illis : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.

12 Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus, et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat. »

Ordinatio est castitatis ex dicto orta discipulorum. Videbant enim, quod uxor non est probanda ante contractum, et tamen non dimittenda propter multa quæ frequenter eveniunt : et hoc grave reputabant. In verbo autem Domini, et conceditur hoc quod est infirmitatis per indulgentiam : et prædicatur hoc quod est excellentis virtutis. Et in hoc tangit tria : primo castos ex necessitate impotentiae naturalis, secundo, ex necessitate impotentiae casualis, et tertio, castos ex virtute honestatis. Primi habent actum castitatis, et figuram membrorum, sed non potentiam : secundi nec figuram membrorum habent, nec potentiam, nec actum generationis : tertii autem figuram

¹ En verba Deuter. xxiv, 1, ex Vulgata : *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et*

dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua, etc.

² Cf. enarrationem in §. 32 cap. v Matthæi, pag. 206 et 207.

membrorum, et potentiam generationis, sed non voluntatem, nec actum.

De primis duobus, Eccli. xx, 2: *Concupiscentia spadonis devirginabit juvenulam.* Eccli. xxx, 21: *Spado completens virginem, et suspirans.* Deuter. xxiii, 1: *Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis, et abscisso verebro, ecclesiam Domini.*

De tertio, Isa. lvi, 4 et 5: *Hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, etc.*

« Qui potest capere capiat. »

Per gratiam omnes possunt. Sed sicut dicitur, I ad Corinth. vii, 9: *Melius est nubere, quam uri.*

13 « Tunc oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Discipuli autem increpabant eos.

14 Jesus vero ait eis: *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorum.*

15 Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. »

Ordinatum elicit mandatum in duobus: in humilitate subdendi se præcipienti et præcepto: et in perfectione mandatorum præceptorum.

In primo notantur quatuor: offerentium devotio, discipulorum indiscreta prohibitio, a Domino indiscretionis correctio, et parvulorum confirmatio et benedictio.

Dicit igitur:

« Tunc oblatis, etc. »

Tangit tria: devotionem offerentium, innocentiam oblatores, et intentionem

ad duo (alias a Domino) ad manus impositionem, et orationem. Numer. vi, 27: *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.*

« Discipuli autem, etc. »

Tum quia timebant importunitate vexari, tum etiam quia indiscretum reputabant parvulos non intelligentes quæ fiebant, confirmari, et benedici: sicut adhuc hæretici quidam hoc factum in Ecclesia increpant, quæ parvulos suscipit ad baptizandum et confirmandum. Numer. xiv, 31: *Parvulos vestros, qui ignorant boni et mali distantiam... introducam, ut videant terram quæ vobis displicuit.* Genes. xvii, 12: *Infans octo dierum circumcidetur.* I Reg. 1, 25: *Puer parvulus Samuel oblatus est in templum.*

« Jesus vero ait illis: *Sinite parvulos.* »

Reprimit indiscretionem discipulorum. Isa. lxvi, 2: *Ad quem respiciam, nisi ad parvulum¹, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* I Reg. xv, 17: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?*

« *Et nolite prohibere.* » Proverb. iii, 27: *Nolite prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, et ipse istis benefac.* Supra, xviii, 6: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, etc.* Proverb. ix, 4: *Si quis est parvulus, veniat ad me.* Ad Galat. iv, 1: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo.*

« *Talium enim est regnum cœlorum.* » I ad Corinth. xiv, 20: *Malitia parvuli estote.* Supra, xviii, 3: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, etc.* Job, xxii, 29: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.*

¹ Vulgata habet, *pauperculum.*

« Et cum imposuisset, etc. »

Proverb. xxix, 23: *Humilem spiritu suscipiet gloria.*

16 « Et ecce unus accedens ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam? »

Hic agitur de obedientia mandatorum. Et habet tres partes, scilicet inquisitionem boni, obedientiæ ostensionem, et impletionem.

In prima duo notantur, dispositio videlicet quærentis, et modus quæstionis.

Dispositio quærentis est, quod « *Unus,* » forma virtutis, « *accedens,* » ad Dominum passu perfectionis. Marc. x, 17: *Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister, etc.*

« *Magister bone.* » Modus est quæstionis, in qua ponit captationem benevolentiam, a perfectione sapientiæ et perfectione virtutis laudando. Secundo, quærit bonum exercendo in opere: « *Quid boni faciam,* » et non quid boni sciam. Tertio, summi boni effectivum conjungit, cum dicit: « *Ut habeam vitam æternam.* »

« *Magister.* » Deuter. viii, 5: *Sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudit te.* « *Bone.* » Nahum, i, 7: *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis: et sciens sperantes in se.* « *Quid boni faciam?* » Joan. vi, 28: *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* Job, xi, 2: *Numquid vir verbosus justificabitur?* Supra, vii, 21: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.*

« Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. » 17

Hic ostenditur obedientiæ via. Et habet duo: redargutionem quærentis, et ostensionem rei quæsitæ.

Redargutio est: « *Quid me interrogas de bono?* » Luc. xviii, 19: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus*³. Et dicit Augustinus quod utrumque dubium est. Unum propter imperfectam fidem. *Quid me dicis bonum?* quia non dixerat nisi *magister bone*: quod est boni et sapientis hominis, qui ex se non bonus est. Alterum dictum est propter imperfectam voluntatem: quia temporale bonum in corde eligens, quæsit de dono spirituali.

« *Unus est bonus, Deus,* » essentialiter, causaliter, et exemplariter, et finaliter: et sic nihil est bonum nisi in quantum illud participatur, et in quantum ab illo est, et in illo relucet, et in quantum ad ipsum est. Exod. xxxiii, 19: *Ego ostendam omne bonum tibi.*

« Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. »

Responsio ad quæstionem. Et duo habet, ostensionem obedientiæ in genere, et determinationem in specie.

« *Ingredi.* » Eccli. i, 5: *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna.* Sapient. vi, 18: *Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia.* « *Serva mandata.* » Proverb. vi, 20, et vii, 2: *Serva mandata.*

« Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium dices: 18

Honora patrem tuum et matrem 19

¹ Marc. x, 18: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.*

tuam, et, Diliges proximum tuum sicut teipsum. »

« *Dicit illi: Quæ?* » Quæstio est determinationis. « *Jesus autem dixit: Non homicidium, etc.* » Determinat primo quinque in opere, et sextum, quod est forma operis. In opere autem contra malum tangit quatuor, et quintum in ordine ad bonum: et contra malum in opere tria, et quartum in verbo. In opere autem contra malum proximi secundum nocumentum personæ, et contra nocumentum conservationis naturæ speciei, et contra id quod datum est ad solatium utriusque.

Attende autem, quod non dicit de mandatis primæ tabulæ: quia ille peccabat in effectu contra proximum retinendo, et non ita in affectu contra Dominum.

Dicit ergo: « *Non homicidium facies* ¹. Pœna ponitur, Exod. xxi, 12: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*.

« *Non adulterabis* ². » Pœna ponitur, Levit. xx, 10: *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et mœchus et adultera* ³.

« *Non facies furtum* ⁴. Pœna tangitur, Exod. xxi, 16 et xxii, 1, 4: Proverb. vi, 31 et xxix, 24: Eccli. v, 17, etc.

« *Non falsum testimonium dices* ⁵. » Deuter. xix, 18 et 19: *Cumque diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit*. Proverb. xix, 5: *Testis falsus non erit impunitus*.

« *Honora, etc* ⁶. » Eccli. iii, 7: *Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore*. Et sequitur, x, 13: *Gloria hominis*

ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore.

« *Diliges proximum tuum, etc* ⁷. » Ad Roman. xiii, 10: *Plenitudo legis est dilectio*.

« *Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi a juventute mea: quid adhuc mihi deest?* »

Ecce impletio obedientiæ: nec de vita sua vincitur, nec tentat secundum Beadam: quia, Marc. x, 21, dicitur, quod *Jesus dilexit eum*. Quidam autem dicunt quod tentaverit: quia duplex est tentatio, simulatorum scilicet ut capiant, et imperfectorum, ut aliquid ad salutem sufficiens inveniant: et hoc secundo modo tentavit.

Et dicit duo: profitetur obedientiam, et quærit perfectionem.

De primo dicit: « *Hæc omnia custodivi*. » Jacob. ii, 10: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. « *A juventute*. » Thren. iii, 27: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua*.

De secundo dicit: « *Quid adhuc mihi deest?* » Eccli. vi, 18: *Fili, a juventute tua excipe doctrinam*.

« *Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo: et veni, sequere me.* »

Hic ponitur regnum perfectorum. Et dicuntur tria: perfectionis via, et qui ad perfectionem non perveniunt, et quod præmium perfectionis.

« *Si vis perfectus esse*. » II ad Corinth.

¹ Cf. Exod. xx, 13 et Deuter. v, 17.

² Cf. Exod. xx, 14 et Deuter. v, 18.

³ Cf. etiam Proverb. vi, 29 et seq.

⁴ Cf. Exod. xx, 15 et Deuter. v, 19.

⁵ Cf. Exod. xx, 16 et Deuter. v, 20.

⁶ Cf. Exod. xx, 12 et Deuter. v, 16.

⁷ Cf. Levit. xix, 18.

xiii, 11: *De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote.* Ad Coloss. iii, 14: *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

« *Vade, vende quæ habes.* » Non ut Ananias, et Saphira ¹. Luc. xii, 33: *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam.* « *Et da pauperibus.* » Psal. cxi, 9: *Dispersit, dedit pauperibus.* « *Et habebis thesaurum in cælo.* » Supra, vi, 20: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.*

« *Et veni, sequere me.* » I Joan. ii, 6: *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille, scilicet Christus, ambulavit, et ipse ambulare.*

2. « Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.

3. Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum.

4. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. »

Difficultas hujus tangitur. Et dicit duo: primo enim ostenditur difficultas tam in tristitia juvenis quam ex verbis Salvatoris: et secundo, excluditur impossibilitas.

Dicit igitur primo: « *Cum audisset autem, etc.* » Eccli. xiv, 2: *Felix qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit aspe sua.* Et, ibidem, Infra, ʒ. 10: *Oculus malus ad mala: et non satiabitur pane, sed indigens et in tristitia erit super mensam suam.* II ad Corinth. vii, 10: *Sæculi tristitia mortem operatur.* « *Erat enim habens multas possessiones, etc.* » Eccli. v, 10: *Quid prodest*

possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?

« Jesus autem dixit discipulis suis. »

Quia alii non audivissent: « *Amen dico vobis.* » Luc. xviii, 24: *Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt!* Marc. x, 23: *Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt!* Eccli. v, 9: *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.*

« Facilius est camelum, etc. »

In muro Jerusalem propter bella finitima magnæ portæ conclusæ fuerunt, et parvulæ portulæ apertæ, quæ *foramen acus* vocabantur propter actitudinem, per quas animalia non nisi depositis oneribus intrabant: et hoc est, quod dicit comparative loquens. Marc. x, 24: *Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!* Proverb. xi, 28: *Qui confidit in divitiis suis corruet.* Proverb. xxviii, 20: *Qui festinat ditari, non erit innocens.*

« Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse? »

Adspiciens autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possible sunt. »

Hic duo dicuntur: discipulorum admiratio, et impossibilitatis exclusio.

Discipuli enim intellexerunt, quod dives est non solum qui habet, sed qui vult habere, quales fere omnes sunt: et hæc est causa quæstionis eorum.

« *Adspiciens autem Jesus dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possible sunt.* »

¹ Cf. Act. v, 1 et seq.

Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Genes. XVIII, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile?*

27 « Tunc respondens Petrus, dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis? »

Præmium ostenditur hic perfectionis. Et duo hic tanguntur : perfectionis expositio, et præmium.

Dicit ergo : « *Tunc respondens Petrus,* » pro omnibus aliis. « *Ecce nos reliquimus omnia* ¹. » Genes. XII, 1 : *Egredere,* etc. « *Et secuti sumus te.* » III Reg. XIX, 20 : *Eliseus relictis bobus cucurrit post Eliam.*

« *Quid ergo erit nobis,* » in præmio? Supra, XII, 50, exponitur præmium ².

28 « Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.

29 Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

30 Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. «

« *Jesus autem dixit illis :* » specialiter primo Apostolis et apostolicis viris : et secundo, generaliter omnibus.

Dicit igitur : « *Amen dico vobis,* » fideli promissione. Ad Titum, I, 2 : *Quam promisit, qui non mentitur, Deus.* « *Quod*

vos qui secuti estis me, » quia parum est relinquere : ideo de illo non facit mentionem. Cantic. VIII, 7 : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ,* etc. Sed magnum est sequi. Eccli. XXIII, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum : longitudo enim dierum assumetur ab eo.*

« *In regeneratione,* » non baptismatis, sed resurrectionis Sanctorum in gloria. I ad Corinth. XV, 52 : *Nos immutatumur.* Ad Roman. VIII, 21 : *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

« *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ* ³. » Joan. V, 27 : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Ad Hebr. X, 3 : *Sedet ad dexteram majestatis.* « *Sedebitis et vos,* » perfecti, quorum cor indivisum est ad temporaliter delectantia, « *super sedes duodecim.* » Apocal. IV, 4 : *In circuitu sedis sedilia viginti quatuor : et super thronos viginti quatuor seniores sedentes,* hoc est, duodecim Patres, et duodecim Apostoli, quia omnes stellæ ad duodecim reducuntur. Apocal. XII, 1 : *In capite ejus corona stellarum duodecim.* Ideo universitas significatur judicantium per duodecim. Vel, quia septenarius consistit ex tribus et quatuor, unius horum multiplicatio per alium facit duodecim ⁴.

« *Judicantes duodecim tribus Israël.* » Per hoc accipitur universitas judicandorum. Psal. CXLIX, 9 : *Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc omnibus sanctis ejus.* Per tribus autem Israël significantur fideles imperfecte boni et imperfecte mali, qui salvabuntur et condemnabuntur. Qui autem infideles sunt, de his dicitur, Joan. III, 18 : *Qui non credit, jam judicatus est.*

« Et omnis qui reliquerit, etc. »

Istud patet per se. Dicuntur enim,

¹ Cf. Supra, IV, 20 et 22.

² Cf. Deuter. XXXIII, 1 et seq.

³ Cf. Daniel. VII, 13 et 14.

⁴ De hoc, vide supra in enarrationem super ȳ. 1 cap. XI, pag. 477 et 478.

Marc. x, 29 et 30, centies tantum accipere in potentium persecutionibus, eo quod sunt multi implentes in ipso spirituale bonum, et charo venerantur affectu, et illos accipit in patres, etc.¹. Quidam etiam semper persequuntur hoc bonum, et ideo accipit *cum persecutionibus*. Vel, centuplum, quia incomparabiliter valet plus quod accipit. Genes. xxvi, 12: *Sevit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum.*

« *Et vitam æternam possidebit.* » Joan. x, 28: *Et ego vitam æternam do eis.*

Quia autem in sede judiciaria sedere magnum est, et vitam æternam habere, ideo finalem adjungit conclusionem de modo habendi tantum præmium honoris, et vitæ et felicitatis :

« Multi autem, etc. »

Multitudo enim Judæorum quæ prima electa fuerat, tandem reprobata est et novissimi dignitate et tempore de gentibus perceptione gratiæ facti sunt primi. Ad Ephes. ii, 13: *Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* Et inter vocatos, qui prior est reputatione sui, fit novissimus retributione. Luc. xiv, 11: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.*

Et hoc intendit adstruere per totum sequens capitulum.

CAPUT XX.

Parabolam proponit de operariis in vineam conductis, quorum ultimis idem datur denarius cum primis: Jesus discipulis passionem ac resurrectionem suam prædicit: et occasione ambitionis filiorum Zebedæi docet discipulos, quod non potestate et ostensione dominii, sed officio ministerii debeant esse majores: egrediens vero Jericho duos cæcos illuminat.

1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.
2. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.
3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos.
4. Et dixit illis: *Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis.*
5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam: et fecit similiter.
6. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: *Quid hic statis tota die otiosi?*
7. Dicunt ei: *Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam.*
8. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori

¹ Marc. x, 29 et 30: *Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me et propter evangelium, qui non acci-*

piat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam.

- suo : Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.
9. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.
 10. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi : acceperunt autem et ipsi singulos denarios.
 11. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias,
 12. Dicentes : Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus.
 13. At ille respondens uni eorum, dixit : Amice, non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum?
 14. Tolle quod tuum est, et vade : volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi.
 15. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?
 16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi¹ : multi enim sunt vocati, pauci vero electi.
 17. Et ascendens Jesus Jerosolymam², assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis :
 18. Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur Principibus sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte,
 19. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum : et tertia die resurget.
 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis³, adorans et petens aliquid ab eo.
 21. Qui dixit ei : Quid vis? Ait illi : Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.
 22. Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei : Possumus.
 23. Ait illis : Calicem quidem meum bibetis : sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.
 24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus⁴.
 25. Jesus autem vocavit eos ad se⁵, et ait : Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos.
 26. Non ita erit inter vos sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.
 27. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.
 28. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare⁶, et dare animam suam redemptionem pro multis.
 29. Et egredientibus illis ab Jericho⁷, secuta est eum turba multa.
 30. Et ecce duo cæci, sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret : et clamaverunt, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David.
 31. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David.
 32. Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait : Quid vultis ut faciam vobis?

¹ Supra, xix, 30; Marc. x, 31; Luc. xiii, 30.² Marc. x, 32; Luc. xviii, 34.³ Marc. x, 35.⁴ Marc. x, 41.⁵ Luc xxii, 25.⁶ Ad Philip. ii, 7.⁷ Marc. x, 46; Luc xviii, 35.

33. Dicunt illi : Domine, ut aperiantur
oculi nostri.
34. Misertus autem eorum Jesus, te-

tigit oculos eorum. Et confe-
stim viderunt, et secuti sunt
eum.

IN CAPUT XX MATTHÆI

ENARRATIO.

- 1 « Simile est regnum cœlorum ho-
mini patrifamilias, qui exiit primo
mane conducere operarios in vineam
suam.
2 Conventione autem facta cum ope-
rariis ex denario diurno, misit eos in
vineam suam.
3 Et egressus circa horam tertiam, vi-
dit alios stantes in foro otiosos.
4 Et dixit illis : Ite et vos in vineam
meam, et quod justum fuerit dabo
vobis.
5 Illi autem abierunt. Iterum autem
exiit circa sextam et nonam horam, et
fecit similiter.
6 Circa undecimam vero exiit, et in-
venit alios stantes, et dicit illis : Quid
hic statis tota die otiosi ?
7 Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit.
Dicit illis : Ite et vos in vineam
meam. »

In hoc capitulo invitat ad instantiam
operis Prælatos Ecclesiæ.

Et habet duas partes : in quarum prima
ponit instantiam operis, et modum ope-
rantis : in secunda, doctrinæ confirma-
tionem per congruum miraculum de illu-
minatione cæcorum ante finem capituli,
ibi, ̄. 29 : « *Et egredientibus illis ab Je-
richo.* »

De instantia autem, et modo operan-
tis tria inducit : in quorum primo sub

parabola operariorum in vinea instan-
tiam docet operis : in secundo, sub exem-
plo suæ passionis obedientiam et inten-
tionem rectificat operantis, ibi, ̄. 17 :
« *Et ascendens Jesus Jerosolymam.* » In
tertio, sub reprehensione elationis et in-
dignationis in operando, docet consen-
sum humilitatis et affectum fraternæ so-
cietatis, ibi, ̄. 30 : « *Tunc accessit ad
eum mater :* » quia, sicut dicitur, Pro-
verb. xviii, 19 : *Frater qui adjuvatur a
fratre, quasi civitas firmat.* Et hæc pa-
tent in littera.

In prima duo dicit, instructionem vi-
delicet parabolicam, et explanationem
per parvam clausulam, quam in fine ad-
dit, dicens, ̄. 16 : *Sic erunt novissimi
primi, et primi novissimi.* Hanc enim
adstruere intendit.

In prima harum duo sunt, parabola
scilicet instantiæ operis, et parabola re-
munerationis.

Parabola de instantia operis duo ha-
bet : assimilatum, et cui et in quo assi-
milatur.

Assimilatur enim regnum cœlorum,
cum dicit :

« Simile est regnum cœlorum, »

1

Hoc est, gubernatio officiorum cœle-
stium, quæ sunt in Ecclesia : hoc enim
dicitur regnum cœlorum, quia origo ejus
est in cœlo, et conversatio, et finis. De
primo, Apocal. xxi, 2 : *Vidi sanctam ci-
vitatem descendentem de cœlo a Deo,
paratam sicut sponsam,* etc. Ad Philip.
iii, 20 : *Nostra autem conversatio in cœ-
lis est.* De tertio, Joan. xiv, 2 : *In domo
Patris mei mansiones multæ sunt.* De
omnibus his simul, Job, xxviii, 33 :

Numquid nosti ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra?

« Homini. »

Hic dicit duo, cui : et in quo fit comparatio.

Cui ? quia, « *homini patrifamilias* : » et in homine notatur discretio : in patrefamilias auctoritas et prudentia et dispensatio totius domus. De primo, Psal. iv, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. De secundo, Supra, xiii, 52 : *Omnis Scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo nova et vetera*.

« Qui exiit. »

Hic tangit in quo fit comparatio. Et tanguntur hic tres diversitates, et quinque exitus.

Diversitates sunt operariorum, quia primi mane non stant otiosi, nec reprehenduntur de otio, sed conducuntur pro pretio : secundi stant in foro otiosi, nec reprehenduntur de loco, nec de otio, sed nec conducuntur, sed in vineam mittuntur sub justii pretii æstimatione : tertii autem et reprehenduntur de otio, et in vineam mittuntur, nec conducuntur, nec pro rata temporis pretium promittitur. Et hæc patent in littera.

Quinque autem exitus in littera significantur in mane, in tertia, in sexta, in nona, in undecima : exitus autem sunt manifestationes divinæ, quibus ad opus suum vocat filios hominum Deus Pater, qui, sicut paterfamilias gubernat domum, ita gubernat mundum. Prima igitur hora est, quando venit in notitiam Adæ per legem disciplinæ et naturæ vocans ad perfectionem justitiæ : unde et prima hora in his fuit lumen legis disciplinæ : et secunda hora fuit lumen legis naturæ, quarum primam obumbravit

peccatum inobedientiæ, secundam autem obumbravit peccatum contra naturam. Tertia autem hora manifestabatur secundo exitu, per ostensionem peccati in detestando, per invitationem ad pœnitentiam, et inductionem diluvii, cum pœnitere nollent ¹. Et hic est exitus secundus in hora tertia. Protenditur autem vocatio per divisionem linguarum, et vocationem Abrahæ de terra sua, et deletionem Pentapolis (sicut per quasdam luces horarias, in quibus aliquid innuit semper de justitia vocantis) usque ad circumcisionem Abrahæ, quasi in horam sextam, in qua sol cœpit stare in altissimo promisso, ultra quod etiam ascendere non potuit : quia hoc erat semen, in quo benedicendæ erant omnes gentes : cujus signum in circumcisione Abraham accepit, sicut habetur, Genes. xv, 5 et 6, et xvii, 10. Et ille exitus iterum per luces horarias (in quibus aliquid significationis Dei illuxit in introitu Israel in Ægyptum, in suscitatione Moysi, et in exitu de Ægypto) porrectus est usque ad Moysen, quando legem dedit : in cujus collatione nona conclusa est hora. Et quartus exitus, cum *legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, et hæreditatem domui Jacob, et Israel promissiones* ². Et iterum per lucem horariam illuminationis regni per David, et legis per Prophetas : hæc ora venit usque ad undecimam, quando novissime per se ipsum apparuit : in quibus omnibus vocationibus Judæos in vinea sicut primos constituit operarios. Primo quidem in protoplastis, secundo in Patriarchis, tertio in Legislatore, et quarto in Regibus et Prophetis, et tandem in seipso dicente, Supra, xv, 24 : *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Hæc autem vocatio non potest extendi, quæ secundum Chrysostomum, tenebris miscebitur : quæ est in manifestatione lucis per prædicationem Apostolorum, quæ facta est gentibus novissime in vi-

¹ Cf. Genes. vi, 5 et seq.

² Eccli. xxiv, 32.

neam venientibus : qui primi efficiuntur, una hora facientes : et fit eis misericordia, ut prius similitudinem Regis percipiant in agnitione veritatis, quam illi qui ab initio sunt vocati, sicut dicit Apostolus, ad Roman. xi, 25 et 26 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.*

Sic ergo vinea est Ecclesia militans : vites, fideles in Ecclesia plantati. Isa. v, 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* Cantic. viii, 11 : *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos.* Vites autem, gaudii spiritualis vinum germinantes, de quo dicitur, Judicum, ix, 13 : *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines ?* Conventio autem hominis est obligatio ad opus justitiæ spiritualis ex manifestatione divinæ voluntatis. Genes. xxx, 28 : *Constituere mercedem tuam quam dem tibi,* scilicet, ut servias mihi. Et, Ibidem, x. 33 : *Respondet mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te.* Procurator autem vineæ secundum hoc Filius Dei est significatus per Joseph, qui, Genes. xxxix, 4 : *Gubernabat creditam sibi domum.* Et, ad Hebr. iii, 6 : *Christus fidelis est in domo sua : quæ domus sumus nos.* Denarius autem diurnus est, qui solvitur pro labore diurno, valens decem usuales, et insignitur imagine regis : et hoc nihil aliud est nisi imaginis gratiæ perfecta similitudo in nobis, Christo (qui est imago Dei invisibilis) nos sigillante, et operibus justitiæ nos polientibus, et camino tentationis nos purificante. Sic enim in fine diei denarii impressionem perfecte habentes, de omni labore sumus remunerati. Hanc autem impressionem Judæi ultimo accipient, et Gentes primo. Ad Roman. ix, 30 et 31 : *Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam quæ ex fide est : Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit.* Murmur autem est ortum ex Judæis in primitiva Ecclesia, quando Gentes figuram summi

Regis acceperunt. Tunc enim Judæi dixerunt gentes canes esse immundos, et non debere eis dari gratiam : sicut patet per totam epistolam ad Romanos. Et, Act. xv, 1, ubi dixerunt : *Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.* Quos compescit paterfamilias, ostendens valorem pretii conventionis : quia sufficienter et sine injuria remuneratus est, suscipiens imaginem Regis, quantumlibet diu portaverit pondus diei et æstus. Et per hoc patet intentio literalis in tota parabola moraliter.

Exponitur autem et de quolibet homine, qui vinea est, cujus vites sunt virtutes. Jerem. ii, 21 : *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum.* Cantic. i, 13 : *Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Et exitus patrisfamilias non est aliud, quam ostensio suæ lucis in cognitione. *Mane* ergo est pueritia, quando calore et humore fervet ætas humana. Cantic. vii, 12 : *Mane surgamus ad vineas.* Proverb. viii, 17 : *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* In mane autem isto (quo totum tempus habetur præ manibus), operarii conducuntur promissione divinæ similitudinis in imagine impressa summi Regis, ne abeuntes ad mundi vanitates, vadant in dissimilitudinem : de quibus dicitur, II ad Timoth. ii, 15 : *Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.* Exitus autem in *tertia*, est hora juventutis, quando exsiccat jam humido, robusta est ætas ad magna perficienda : et ideo licet de illis dicatur quod stant in foro quasi deliberantes, pro quibus delectabilibus spiritualibus, vel corporalibus se venderent : et licet starent sine profectu et otiosi, nihil vere utile facientes, tamen non reprehenduntur : quia adhuc robusti existentes poterant intensione laboris recuperare dispendium amissi temporis : tamen sine conductione mittuntur ad vineam, quia de toto tempore convenire non poterant, sed ad liberalitatem patrisfamilias con-

fugientes, pro rata temporis mercedem præstolabuntur. Job, vii, 2 et 3 : *Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi.* In idem reducuntur, qui circa sextam et nonam inveniuntur. Sexta ætas est virilis, quando virtutis est status, et tunc adhuc et constans est, et robusta : ex duobus illis restituens id quod deperditum est in tempore. Nona autem est senectus, quæ jam est cum declinatione virtutis, sed non substantiæ : et ideo de vocatione simul et labore absque increpatione mittitur ad vineam. Undecima vero est ætas decrepita cum declinatione et defectu virtutis et substantiæ : et ideo usque ad illam expectans increpationes meretur, quare tota die steterit otiosus : sed ex misericordia ejus qui neminem vult perire, mittitur ad vineam. Et secundum hanc expositionem murmur eorum est, qui præsumptione propria videntes cum quibusdam sero conversis misericorditer agi, reputant se melioribus dignos, et tunc aliis vel æque locantur, vel postponuntur, et vitium elationis in eis cum reprehensione comprimitur. Vocat enim Dominus non solum post mortem, sed etiam in vita, cum ducit mentem in considerationem laboris impensi, et præmiorum debitorum : et tunc illi optimi reputantur, qui quantumlibet diu laboraverunt, tamen præ dulcedine charitatis patrisfamilias non videtur eis labor. Genes. xxxix, 20 : *Videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine.* Istæ ergo sunt duæ expositiones, ad quas referuntur dicta Sanctorum : et ex his patet intellectus litteralis.

Dicit ergo : « *Exiit primo mane.* » Jerem. vii, 25 : *Misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem, consurgens diluculo, et mittens.* « *Conducere operarios.* » Supra, ix, 38 : *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Matth. x, 10 : *Dignus est operarius cibo suo.* Eccli. xl, 18 : *Vita sibi*

sufficientis operarii condulcabitur, et in ea invenies thesaurum. Operarios enim conducit, non sermocinatores, vel dispensatores Dominus, et resolutos. II ad Corinth. xi, 13 : *Pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.* Eccli. xix, 4 : *Operarius ebriosus non locupletabitur.* « *In vineam suam.* » Isa. lxi, 5 : *Filii peregrinorum agricolæ et vinitores vestri erunt.*

« *Conventionem autem factam cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* » Isa. vi, 8 : *Ecce ego, mitte me.* Ezechiel. ii, 3 : *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel.* Jerem. xii, 10 : *Pastores multi demoliti sunt vineam meam.* Cantic. i, 5 : *Posuerunt me custodem in vineis, etc.*

« *Et egressus circa horam tertiam.* » Osee, vi, 2 : *Quasi diliculus præparatus est egressus ejus.* « *Vidit alios.* » Eccli. xv, 20 : *Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis.* « *Stantes,* » immobiles. Osee, viii, 7 : *Culmus stans non est in eo, germen nec faciet farinam.* « *In foro.* » Isa. lii, 3 : *Gratis venundati estis.* « *Otiosos.* » Eccli. xxxiii, 29 : *Multam malitiam docuit otiositas.* Proverb. xxxi, 27 : *Panem otiosa non comedit.*

« *Et dixit illis : Ite et vos.* » Joan. xv, 16 : *Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* « *Et quod justum fuerit, dabo vobis.* » II Reg. xxii, 21 : *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum munditiam manuum mearum reddet mihi.* « *Illi autem abierunt.* » Ezechiel. iii, 14 : *Abii amarus in indignatione spiritus mei : manus enim Domini erat mecum, confortans me.* « *Iterum exiit circa sextam et nonam horam.* » Isa. ii, 4 et 5 : *Lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est justus meus, egressus est salvator meus, et brachia mea populos judicabunt.*

« *Circa undecimam vero exiit.* » I Joan. ii, 18 : *Filioli, novissima hora est.* Joan.

xvi, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* « *Et invenit alios,* » sine profectu. Proverb. xii, 3 : *Radix justorum non commovebitur.* II Reg. iii, 1 : *David proficiscens, et semper seipso robustior.* « *Tota die.* » Eccle. xi, 8 : *Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum : qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* « *Otiosi.* » Proverb. xii, 11 : *Qui sectatur otium, stultissimus est.*

« *Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit.* » Excusatio est de non audita vocatione. « *Ite et vos.* » Luc. x, 3 : *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.*

8 « Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.

9 Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

10 Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi : acceperunt autem et ipsi singulos denarios.

11 Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias.

12 Dicentes : Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus?

13 At ille respondens uni eorum, dixit : Amice, non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum?

14 Tolle quod tuum est, et vade : volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi.

15 Aut non licet mihi quod volo face-

re? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

16 Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi : multi enim sunt vocati, pauci vero electi. »

Hic agitur de retributione. Procurator autem est Filius Dominus Jesus Christus : et cætera patent per prædicta ¹.

« *Cum sero factum esset,* etc. » Proverb. xx, 21 : *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.* Isa. xiv, 12 : *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris?* Psal. lxxvii, 5 : *Iter facite ei qui ascendit super occasum.*

« *Procuratori suo.* » I Petr. v, 7 : *Omnem sollicitudinem projicientes in eum, quia ipsi cura est de vobis.* I ad Corinth. iv, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.*

17 « *Voca operarios.* » Statue judicium. Ad Roman. xiv, 10 : *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Joan. v, 25 : *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei.*

« *Et redde illis mercedem.* » I ad Corinth. iii, 8 : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* II ad Timoth. iv, 8 : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus,* etc.

« *Incipiens a novissimis.* » Ad Roman. xv, 9 : *Gentes super misericordia honorare Deum.* Sapient. vi, 7 : *Exiguo conceditur misericordia.*

« *Singulos denarios.* » Tamen, I ad Corinth. xv, 41 : *Stella a stella differt in claritate.*

« *Murmurabant.* » Sapient. i, 11 : *Custodite vos a murmuratione quæ nihil prodest, et a detractatione parcite linguæ.*

« *Non facio tibi injuriam,* » quia te neo pactum. Job, viii, 3 : *Numquid Deus supplantat judicium? aut Omnipotens*

¹ Cf. enarrationem in §. 1 hujus capituli.

subvertit quod justum est? Job, xxxiv, 10 : *Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas.*

« *Volo autem, etc.* » Secunda autem est ratio justitiæ ex decentia liberalitatis regalis sumpta. « *Huic novissimo,* » cui devotio voluntatis temporis spatium brevaviit. Ad Roman. xii, 2 : *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Psal. lxxxix 4 : *Mille anni ante oculos tuos, etc.* Supra, vi, 23 : *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.*

« *Sic erunt novissimi, etc.* » Deuter. xxviii, 43 et 44 : *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te... Ipse erit in caput, et tu eris in caudam.*

« *Multi enim sunt vocati, etc.* » I ad Corinth. ix, 24 : *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.*

19

« Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos suos secreto. »

Hic subjungit exemplum suæ Passionis : quo et operarii incitantur ad opus, et vinea accipit sanguinis irrigationem, et resurrectionis gloriosæ promissionem. Tangit autem tria : primo scilicet, convenientiam loci : secundo, quibus : tertio, quid revelavit.

De loco dicit : « *Et ascendens Jesus Jerosolymam.* » Jam enim virtute Passionis ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum propter tristitiam Passionis. Apocal. vii, 2 : *Vidi Angelum ascendentem ab ori solis, habentem signum Dei vivi.* Psal. lxxvii, 5 : *Iter facite ei qui ascendit super occasum.* Ascendere enim nos fecit via Passionis de virtute in virtutem. Cantic. vii, 8 : *Ascendam in palmam.*

« *Assumpsit duodecim discipulos suos,* » scilicet imitatores præ cæteris. Deuter. xxxii, 41 : *Expandit alas suas et assumpsit eum.* Exod. xix, 4 : *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomo-*

do portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi, scilicet in populum. « *Secreto,* » ne alii de patientis infirmitate scandalizarentur, et ne ante divulgata impediretur. Isa. xxiv, 16 : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Eccli. viii, 22 : *Non omni homini cor tuum manifestes, etc.*

« Et ait illis :

Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum et Scribis : et condemnabunt eum morte,

18

Et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum : et tertia die resurget. »

19

Ecce hic ponitur jam quarto revelatio Passionis : quia ipsa est virtus omnium sacramentorum, et quæ principaliter erat prædicanda. I ad Corinth. i, 23 : *Nos prædicamus Christum crucifixum, etc.*

Tangit autem quatuor : ubi scilicet, et in qua natura, et a quibus, et ad quas passiones tradetur.

De ubi dicit : « *Jerosolymam.* » Luc. xiii, 33 : *Non capit Prophetam perire extra Jerusalem.*

« *Et Filius hominis,* » quia in natura hominis, et non in divina passus est : « *Tradetur,* » a Juda Judæis, « *Principibus Sacerdotum,* » in quibus erat nocendi potentia, « *et Scribis,* » in quibus erat nocendi scientia. « *Et condemnabunt,* » per consilium et accusationem, « *eum morte.* » Infra, xxvi, 15 : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam ?*

« Et tradent eum Gentibus. »

Secunda traditio : quia inter se condemnatum tradiderunt Gentibus ad exsequendum scelus quod cogitaverant. Joan. xviii, 35 : *Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti?* Marc. xiv,

64 : *Condemnaverunt eum esse reum mortis. Sapient. II, 20 : Morte turpissima condemnemus eum. « Ad illudendum. »* Luc. XXII, 63 et 64 : *Illudebant ei, cædentes. Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus, dicentes : Prophetiza, etc.* Similiter illum fuit ei in domo Pilati veste coccinea. Infra, XXVII, 28 et 29 : *Chlamydem coccineam circumdederunt ei : et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei.* Luc. XXIII, 11 : *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo : et illusit indutum veste alba.*

« *Et flagellandum.* » Joan. XIX, 16, et Marc. XV, 15 : *Tradidit illis flagellis cæsum, ut crucifigeretur.* Et hoc est, quod sequitur : « *Et crucifigendum.* » Ad Hebr. XII, 2 : *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.*

Sic ergo prædicit pœnas suæ Passionis in verbis condemnationis Judæorum, et in factis inflictis a Gentibus. In factis autem illusio fuit confusionis : flagellatio, afflictionis : crucifixio, utriusque, et afflictionis et confusionis. Ad Philip. II, 8 : *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hanc autem Passionem ante sæpe revelavit, ut sciatur nihil pati nisi quod voluit, et præelegit : et sic discipuli videntes infirmitatem in crucis Passione, non dubitent de divinitate quæ per mortem, mortem expellit. Habacuc, III, 4 et 5 : *Ibi abscondita est fortitudo ejus. Ante faciem ejus ibit mors.*

Est et alia causa revelationis hujus : quoniam si Christus, qui omne bonum meruit, amara pati in mundo elegit, et honores fugit, multo magis nos, qui nihil boni meriti habemus, non nisi amara in mundo quærere debemus. Luc. XXIV, 26 : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?* I Petr. I, 11 : *Prænuntians eas quæ in Christo*

sunt passiones, et posteriores glorias. II ad Corinth. I, 5 : *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.*

Et hoc est, quod in argumentum consolationis sequitur : « *Et tertia die resurget.* » Supra, XII, 40 : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti, etc.* Et ibidem est expositum¹. Celerem autem dat Resurrectionem, ut Passio minus deterreat, et ut pœna per imitationem magis impigra fiat. Psal. XL, 11 : *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me : et retribuam eis.* Hæc est dies tertia, qua Jesus transito mari mortalitatis, mane in littore stetit æternitatis². Lucæ, XXIV, 21 : *Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel : et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie quod hæc facta sunt.*

« Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo.

Qui dixit ei : Quid vis ? »

Hæc est pars, in qua ponitur repressio ambitionis et livoris, et suadetur humilitas Prælati, et affectus fraternæ societatis. Dividitur ergo in tres partes : in quarum prima reprimit temerariam ambitionem : in secunda, livoris indignationem : in tertia, suadet humilitatis societatem, cum affectu charitatis esse tenendam. Et hæc patent in littera expresse. Sic enim Prælati opus erit perfectum in eo quod instanter fit, et patienter exemplo Passionis : et sine ambitione et indignatione humilitatem præterdit, et charitatem societatis æmulatur.

In prima harum tria facit. Primo enim temere petentis per ambitionem honoris proponitur petitio : secundo, per Dominum, hujus ambitionis in auctores petitionis hujus moderata et congrua retor-

¹ Cf. enarrationem in 7. 40 cap. XII, Matthæi, pag. 537 et seq.

² Cf. Joan. XX, 4.

quetur repressio : tertio autem veræ viæ ad conregnandum fit ostensio.

In harum prima parte adhuc tria sunt, scilicet supplicantis devotio, petiti generalis expositio, et tertio, cum voluntas ejus requiritur, explanatio explicita petitionis.

In quinque autem ostenditur petentis devotio, scilicet congruitate temporis, accessu familiaritatis, destitutione viduitatis, debito pietatis, et reverentia adorationis.

De congruitate temporis dicit : « *Tunc*, » videlicet, quando mentionem fecerat de Resurrectione, in qua regnaturus erat in potestate : de qua dicit, *Infra*, xxviii, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra*. Forte scivit scriptum esse, *Jerem.* xxiii, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit* : et putabat hoc discipulis in hac vita statim forte dandum, decepta simplicitate fœminea : et scivit tantarum passionum merito ad magnum honorem fore exaltandum, in quo consortes petebat esse filios. *Ad Philip.* ii, 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen*.

« *Accessit*, » ausu familiaritatis, et consanguinitatis. *Ad Hebr.* iv, 16 : *Adæamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno*.

« *Mater filiorum Zebedæi*. » In hoc notatur viduitatis destitutio : quia si Zebedæus adhuc viveret, mater officium petendi pro his patri commisisset : unde est quasi dicat mater orbato patre. *I ad Timoth.* v, 5 : *Quæ vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus die ac nocte*. *Thren.* v, 3 : *Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ*. Et in commotionem hujus fit mentio Zebedæi, qui fuit ita amicus Jesu, quod æquanimitè sustinuit derelinqui a filiis, ut sequerentur Jesum. *Matth.* iv, 22 : *Relictis*

retibus et patre, secuti sunt eum. Unde etiam mater nunc sollicitudine debilis mariti libera, relicta domo, secuta est Jesum, sicut dicit Chrysostomus.

« *Cum filiis suis*. » Ecce debitum pietatis. Cum enim Deus matrem filiorum esse voluit, a communiter accidentibus voluit eam habere pietatem et curam ad filios. *III Reg.* iii, 26 : *Commota sunt quippe viscera ejus super filio suo*. *Isa.* xlix, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?*

« *Adorans*. » Ecce reverentia adorationis. *Exod.* iv, 31 : *Proni adoraverunt*, scilicet in terram. *I Reg.* xxv, 48 : *Quæ, scilicet Abigail, adoravit prona in terram*. *Psal.* cxxxii, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*. Propter omnia ista mulier argui de temeritate non meretur.

« *Et petens aliquid ab eo*. » Exprimitur petitio implicite ut ante obtineatur promissio exauditionis, quam explicite desiderium petentis exponatur. Forte audierat eum dixisse : *Petite, et dabitur vobis*¹. Et ibidem, vii, 8 : *Omnis qui petit accipit*. Et maxime quia dixerat, *Matth.* vi, 34 : *Quærite regnum Dei*.

« Qui dixit ei. »

Ecce requiritur voluntas petentis. Nec ignorantis est quæstio, sed præscientis : et ideo quærentis, ut ostendat ignorantiam esse petitionem : et hoc est : « *Quid vis?* » *Ad Roman.* viii, 26 : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*. *Marc.* x, 36 : *Quid vultis ut faciam vobis?*

« Ait illi : Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. »

Ecce expressa petitionis explanatio. Et in hac tria continentur, fides videlicet petentis, quid, et quibus petit.

Fides, cum dicit : « *Dic*. » Quasi di-

¹ *Supra*, vii, 7.

cat : Verbo tuo cuncta obediunt. Psal. xxxii, 9 : *Dixit, et facta sunt.*

Quid petit ? « *Ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram.* » Sedere enim regnantis est. Sapient. vi, 22 : *Si delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.* Ita loquitur sapientia regibus. Luc. i, 32 : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Forte audierat eum dicentem, Supra, xix, 28 : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel :* et putabat statim implendum hic in mundo post celerem resurrectionem. Unde determinat proximitatem sessionis desideratam utrique filio, dicens : « *Unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.* » I Reg. xxiii, 17 : *Tu regnabis, et ego ero tibi secundus.* Genes. xli, 40 : *Uno tantum regni solio te præcedam.* Sed mirum erat de muliere, quæ semper audierat Dominum de testari sinistram, per quam significantur mundanæ divitiæ : et tamen petit unum esse a sinistris. Proverb. iii, 16 : *Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloria.* Matth. xxv, 33 : *Statuet... hædos a sinistris.* Sed humanum passa, etiam temporalem prosperitatem cupit filiis : et ut et hic, et in æternis sint in honore. Cantic. ii, 6 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Nescivit enim, quod Christus coram Pilato professus est dicens, Joan. xviii, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.*

22 « Respondens autem Jesus dixit : Nescitis quid petatis. »

Ecce repressio elationis. Et pius Dominus non arguit matrem, sed filios, qui adhuc carnales existentes matrem ad petendum induxerant : nec illorum imputavit temeritati aut malitiæ, sed ignorantiam, dicens : « *Nescitis quid petatis.* »

Quasi dicat : Quod mulier nescit non imputo, quia non est imbuta doctrinæ meæ sapientia, sed vos de ignorantia arguo, qui ab initio mecum estis, et multa de dextera petenda, et nulla de sinistra audistis. Matth. xv, 16 : *Adhuc et vos sine intellectu estis?* Ad Hebr. v, 12 : *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei.*

« Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ? Dicunt ei : Possumus. »

Ecce veræ viæ ad conregnandum ostensio. Et habet quatuor distinctiones : requiritur enim virtus patiendi, fit professio inexpertæ virtutis ad sustinendum, prædictio fit futuræ passionis, et instructio, quorum sit honor confessionis.

Requisitio quidem virtutis patiendi fit, cum dicitur : « *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* » Calix autem dicitur calida potio, sicut dicit Cassiodorus. Non calore ignis, sed quoniam calidi potus, sicut vinum calidum, et claretum propinatur, quod calefaciendo inebriat. Et calix etiam (dicit Martianus) dicitur quasi silix, quia de silicibus pretiosis antiquitus fiebant : et hoc modo passio ex charitate suscepta dicitur *calix*, quia ita ebrii amoris est, quod hominem oblitum sui prodigum facit proprii sanguinis. Psal. xxii, 5 : *Calix meus inebrians quam præclarus est!* Infra, xxvi, 39 : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Dicitur *calix* communicatio sanguinis Christi. I ad Corinth. x, 16 : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ?* Dicitur etiam in malo *calix* potio iræ vindicantis. Psal. lxxiv, 9 : *Calix in manu Domini vini meri plenus misto.* Aliquando etiam oblivio insaniam mundanæ, et ambitionis dicitur *calix*. Jerem. li, 7 : *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram.* Dicitur etiam *calix* carnalis

voluptatis : et præcipue ingluviei ventris. Proverb. xxiii, 29 et 30 : *Cui vœ? cuius patri vœ? cui rixœ? cui fovea? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?*

« Dicunt ei : Possumus. »

Ecce inexperta virium præsumptio. Sicut Petrus, Luc. xxii, 33 : *Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.* Et postea negavit ad vocem ancillæ. Sic et isti post modicum *relicto eo, fugerunt*¹. Joan. xiii, 36 : *Quo ego vado, non potes me modo sequi.*

23 « Ait illis : Calicem quidem meum bibetis. »

Ecce prædictio futuræ Passionis.

Et hoc est quod dicit : « *Calicem quidem meum bibetis.* » Et tria dicit : Passionem, et patientium intentionem, et Passionis modum.

Passio importatur per « *calicem.* » Psal. cxv, 13 : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.*

Intentio patientium importatur per « *meum,* » quia Passio latronis non est passio Christi : sed quæ fit pro Christo. I Petr. iv, 15 et 16 : *Nemo vestrum patietur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, etc.* Matth. v, 11 : *Beati estis, cum maledixerint vobis..., homines scilicet, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me.* Causa enim facit Martyrem, non pœna.

Modus importatur, cum dicitur, « *bibetis,* » quia facile intrat quod bibitur : et ita facile quis patitur, cum in gaudio et charitate patitur. II Machab. vi, 20 : *Intuens autem quemadmodum oporteret accedere, voluntarie præibat ad supplicium.* Jerem. xlix, 12 : *Quibus non erat iudicium ut biberent calicem, bibentes*

bibent : et tu, quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes.

Dubitatur autem de Joanne, qui martyrio non occubuit. Qualiter ergo verum est verbum Christi : *Calicem quidem meum bibetis?* Sed respondetur, quod quia voluntas prompta fuit, et exhibuit se tortori, cum in ferventis olei dolium mitteretur, quantum ad se calicem bibit : sed superiori virtute Dei protectus fuit. Jacobus autem occisus est gladio Herodis². De Joanne, Joan. xxi, 22 : *Sic cum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere.*

« Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. »

Ecce instructio quorum sit honor confessionis in regno. Dicit autem duo : primo enim profitetur hoc non esse personæ propter id quod in persona est : secundo, hoc ostendit esse meriti, non personæ.

De primo dicit : « *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram.* » Hic est honor proximi confessus, de quo dicitur, Luc. xxii, 28 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.*

« *Non est meum dare vobis :* » quia et si meum sit dare, non tamen est meum vobis dare propter personæ acceptionem junctam sanguine : sed potius, Matth. xi, 12 : *Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Audiant hoc Prælati. Christus enim dicit non esse suum dare sedem honoris in acceptione personarum : et cuius erit dare sedem illam præter meritum? Si enim Christi non est, consequens est, ut etiam Vicarius Christi potestatem in hoc non habeat. Jacob. ii, 1 : *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini*

¹ Matth. xxvi, 36.

² Cf. Act. xii, 2.

nostri Jesu Christi gloriæ, hoc est, honores ecclesiasticos.

« *Sed quibus paratum est a Patre meo, » qui non parat nisi amicis. I ad Corinth. II, 9: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*¹. *Psal. LXVII, 11: Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.*

24 « Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. »

Tangitur repressio indignationis et livoris: et fit invitatio ad opus humilitatis, et ad affectum fraternæ societatis: et ideo dividitur in partes tres secundum tria quæ dicta sunt, sicut patet in littera.

Dicit ergo: « *Audientes decem* » alii Apostoli, « *indignati sunt.* » Causa indignationis hujus exprimitur a Luca, XXI, 24, ubi dicitur, quod *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major:* et ideo indignati sunt de duobus qui se præferebant. Tamen licet prælati non sint aliis, tamen privilegium accepit uterque: Jacobus quidem primus Apostolorum laureatus: et Joannes sicut a concupiscentia carnis fuit alienus, ita a dolore corporis in morte fuit immunis. « *Indignati* » igitur sunt de prælatione duorum, quibus pares erant in electione Apostolatus. Ad Ephes. IV, 31: *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia.* Ad Coloss. III, 8: *Deponite iram, indignationem, malitiam, blasphemiam.* Et, ibidem, §. 21: *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros.*

25 « Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium do-

minantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos.

Non ita erit inter vos. »

26

Ecce persuasio humilitatis. Et tria facit: primo enim benigne advocat, ut indignationem tumentis animi bonitate vincat: secundo, fastum interdicit: tertio, suasum humilitatis indicit.

Dicit ergo: « *Jesus autem vocavit eos ad se,* » ut ipsa appropinquatio tumentis vinceret animum, et ut formam humilitatis in ipso adspicerent. *Psal. XXXIII, 12: Venite, filii, audite me.* *Genes. XLIX, 2: Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.*

« *Scitis quia principes gentium dominantur eorum.* » Ecce interdicit fastum, non modo tyrannorum, sed etiam eorum qui in urbanitatibus præsent. Principes autem sunt, qui actus ordinant legibus, et officiis, et urbanitatibus. Domini autem, qui culmine altitudinis, et copiis, et robore, continent multitudines, ne seditione, vel bello concutiantur. Potestates autem, quæ repellunt insurgentes. Et ideo isti vocantur *benefici*, sicut dicit Plato in urbanitatibus. Tyranni autem, qui omnia corrumpunt, *malefici* vocantur: et illi etiam vocant se dominos. *Isa. XIX, 4: Tradam Ægyptum in manum dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum.* *Luc. XXII, 25: Reges gentium dominantur eorum: et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.*

« Non ita erit inter vos. »

Quasi dicat: Fastus Tyrannorum etiam a civilibus damnatur: ego ad perfectionem justitiæ invitans etiam fastum interdico urbanitatum. Beda: « Quoties « hominibus præesse cupio, Deum præ- « ire contendo: scriptum est enim de « Christo, *Luc. II, 31: Et erat subditus*

¹ Cf. *Isa. LXIV, 4.*

« *illis, Deus hominibus.* » Eccli. xxxii, 1 : *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis.* I Petr. v, 3 : *Non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

« Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister :

27 Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. »

Ecce persuasio humilitatis. Et dicit duo : qualis sit major, et qualis primus. Major autem refertur ad principatum, et primus ad dominium.

Dicit ergo : « *Quicumque voluerit.* » Ex modo loquendi notat voluntatem nostram debere consentire humilibus. Ad Roman. xii, 16 : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.*

« *Inter vos.* » Ex modo loquendi notat Prælatum non supra subditos, sed inter subditos esse debere. « *Major fieri,* » in honore principatus ordinando actus aliorum. « *Sit vester minister.* » Eccli. iii, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Sic enim eris forma aliorum.

« Et qui voluerit, »

Ut ex voluntate, non coactus descendat, « *inter vos.* » Augustinus : « *Honore coram vobis Prælati sit vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris.* » « *Primus esse,* » dignitate domini, « *sit vester servus,* » hoc est, formam servitutis exhibeat. I ad Corinth. ix, 19 : *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.* Ad Philip. ii, 8 : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Job, xxii, 29 : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Proverb. xxix, 23 : *Humilem spiritu suscipiet gloria.*

« Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis. »

28

Ecce exemplo sui persuasio simul humilitatis et fraternæ charitatis.

Dicit ergo : « *Sicut Filius hominis non venit ministrari.* » Persuadet humilitatem. Lucæ, xxii, 27 : *Quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.*

Et hoc est quod dicit : « *Sed ministrare.* » Joan. xiii, 4 et 5 : *Surgit a cæna..., et cæpit lavare pedes discipulorum.*

« *Et dare animam suam redemptionem pro multis.* » Persuasio est fraternæ charitatis : summum enim ministerium est pro fratribus dare animam. Dicitur autem hic dupliciter anima : ab animeitate, et ab animalitate. Animam dictam primo modo hoc est, spiritum tradidit in manus Patris. Lucæ, xxiii, 46 : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Animam dictam secundo modo, hoc est, vitam mortalem tradidit in manus tortorum. Jerem. xii, 7 : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.* Et notanda sunt quatuor, scilicet, quod gratuite dedit, et quid, et ad quid, et pro quibus. Quod gratuite : quia dicit, « *dare,* » non vendere. Isa. lii, 3 : *Sine argento redimini.* Ad Roman. xi, 35 : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quid dedit, quia « animam. » Nihil habuit melius, nihil charius, nihil intimius.* Isa. liii, 10 : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Joan. xv, 12 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ad quid autem? quia « *redemptionem :* » non enim stulte, vel inutiliter dilectam dedit animam, sed ut redimeret amicos. Osæe. xiii, 14 : *De morte redi-*

mam eos. Psal. cxxix, 7: *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* Et, Isa. liv, 5: *Redemptor tuus, Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur.* Pro quibus? « *pro multis* » efficienter, pro omnibus autem sufficienter. Ad Roman. viii, 32: *Etiam proprio Filio suo non perperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Isa. liii, 12: *Ipsa peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit, ut non perirent.*

19 « Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa.

30 Et ecce duo cæci, sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret. »

Hæc est pars capituli, quæ invitat Prælatos ad illuminationem subditorum per doctrinam: ut sicut purgant instantia et humilitate operis, ita illuminent cæcos per doctrinam prædicationis.

Tanguntur autem tria: miraculi oportunitas, devotio eorum in quibus factum est, et miraculi perfectio. Et hæc patent in littera.

Opportunitas miraculi tangitur ex tribus: ex loco quem deserunt: ex præsentia turbæ ædificandæ ad fidem: ex frequentia transitus viæ.

De primo dicit: « *Et egredientibus illis ab Jericho,* » eundo Jerusalem ad Passionem. Jericho interpretatur *defectus*: quia omnem qui in nobis erat, defectum auferre perrexit. Dicit autem Hieronymus, quod « latrones manebant in via: » et ideo Dominus ivit vias illas, ut illos doctrina et miraculis converteret. Luc. x, 30: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones.* Psal. xvi, 4: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras latronis*¹. Translatio Septuaginta.

« *Secuta est eum turba multa,* » pro-

pter multas causas, quas supra, viii, 1, notavimus. Hæc autem specialis causa est, quia jam tempus erat paschale in proximo, et sequebatur eum ad diem festum, dulcedine sermonum suorum adeo delectata, quod sensit, ut dicit Chrysostomus. Psal. cxviii, 103: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Lucæ, xxiv, 32: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis Scripturas?*

« Et ecce duo cæci, sedentes secus viam. »

In frequentia transeuntium: et ideo plures miraculum diffamare poterant. Marc. x, 46 et seq., non fit mentio nisi de uno cæco, qui ex magna felicitate incidit in miseriam cæcitatibus et mendicitatis, et erat famosissimus: et ideo solum illum commemorat. Secus autem viam sedebant, ut eleemosynam acciperent a peregrinantibus in Jerusalem. Job, xxxviii, 18, 24: *Indica mihi, ... per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram.* Proverb. iv, 18: *Justorum semita quasi lux splendens.* Et in præsagium hujus, cæci se ponebant ad viam veræ lucis. Joan. i, 9: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Unde sequitur: « *Audierunt quia Jesus transiret.* » Baruch, iii, 14: *Disce, ... ubi sit lumen oculorum, et pax.* Luc. ii, 32: *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.*

« Et clamaverunt, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. »

Ecce eorum devotio, in quibus factum est miraculum. Et tangit duo: supplicationem, et instantiam.

In supplicatione tanguntur quatuor: intentio devotionis, professio fidei, peti-

¹ In Vulgata deest verbum, *latronis*.

tio misericordiæ, ratio quare erant audiendi.

Intentio devotionis in clamore, cum dicit: « *Clamaverunt.* » I Regum. iv, 5: *Cum venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, et personuit terra.* Psal. xvi, 6: *Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus: inclina aurem tuam mihi.*

« *Dicentes: Domine.* » Professio est fidei de Domino, quod potest præstare quod petitur. Ad Romanos, x, 12: *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.*

« *Miserere nostri.* »

Petitio misericordiæ relevantis miseriam: erat enim valde compatiens, et super afflictos pia gestans viscera. Joel, ii, 13: *Benignus et misericors est.* Eccli. xxxvi, 1: *Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum.*

« *Fili David,* » mansueti, et misericordis: et ideo congruum est ut nos miseros audias. Marci, x, 48: *Fili David, miserere mei.* Isaïæ, xxvi, 8: *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ.*

31 « Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. »

Hic ostenditur instantia cæcorum in tribus: in increpatione turbarum, in multiplicato clamore, et in ejusdem sermonis iteratione.

De primo dicit: « *Turba autem,* » quæ vere turba a turbando dicitur. I Regum, ii, 17: *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines a sacrificio Domini.* Joan. vii, 49: *Turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.* Turba hæc turbam tumultuantium cogitationum designat, quæ orantes frequenter impedit. Eccli. x, 1:

Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.

« *At illi magis clamabant.* » Forte audierant eum dixisse, Luc. xviii, 1: *Quoniam oportet semper orare, et non deficere.* Et iterum, Luc. xi, 8: *Propter improbitatem ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.*

« *Domine, miserere nostri, fili David.* » Psal. lvi, 2: *Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.* Et iterum, Psal. x sec. Hebræos, x, 14: *Tibi derelictus est pauper,* etc.

« Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait: Quid vultis ut faciam vobis? »

32

Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. »

33

Hic ponitur perfectio miraculi. Et tanguntur sex: status Domini transeuntis, vocatio miseri, requisitio desiderati, professio petiti, adeptio voliti, et gratuitas sanitatis.

De statu transeuntis dicit: « *Stetit Jesus,* » tentus misericordia cordis. Isa. xxvii, 5: *An potius tenebit fortitudinem meam.* Et loquitur ibi de fortitudine iræ impellentis ad non curandum hominem. Marci, x, 49: *Stans Jesus illum,* scilicet cæcum, *præcepit vocari.*

« *Vocavit eos.* » Ecce secundum: et hæc vocatio est adspiratio conversionis. Job, xiii, 22: *Voca me, et respondebo tibi: aut certe loquar, et tu responde mihi.*

« *Et ait: Quid vultis ut faciam vobis?* » Ecce tertium: et fit hæc inquisitio, ut coram turba exponant honestum, et utile, et congruum sibi esse desiderium suum: hoc autem meretur audiri. Proverb. x, 24: *Desiderium suum justis dabitur.*

« Dicunt illi: Domine. »

Ecce quartum. Tob. v, 12: *Quale*

*gaudium mihi erit, qui in tenebris se-
deo, et lumen cæli non video?* Et ex
modo loquendi intelligitur, quod isti
habebant pupillas, et sine visu. Propter
hoc dicunt : « *Ut aperiantur,* » non ut
dentur nobis, « *oculi nostri.* » Psal.
cxviii, 18 : *Revela oculos meos, et con-
siderabo mirabilia de lege tua.* « *Ut
aperiantur,* » inquam, ut videant te
mirabilem : quia, Lucæ, x, 23 : *Beati
oculi qui vident quæ vos videtis.*

34 « Misertus autem eorum Jesus, tetigit
oculos eorum. Et confestim viderunt,
et secuti sunt eum. »


Ecce quintum. Et tangit tria, scilicet

inclinantem misericordiam, modum ope-
ris, et perfectionem.

Misericordia enim inclinat, Osee, xi,
8 et 9 : *Conturbata est pœnitudo mea.
Non faciam furorem iræ meæ.*

« *Tetigit oculos eorum,* » ut in tactu
carnis latens appareat potentia deitatis.
Joan. xi, 6 : *Fecit lutum ex sputo, et
linivit lutum super oculos cæci.* Simili-
ter, Supra, viii, 3 : *Tetigit eum,* scili-
cet leprosum... *Et confestim mundata
est lepra ejus.* Et, Supra ix, 30 : *Aperti
sunt oculi eorum.* Joan. ix, 5 : *Quam-
diu sum in mundo, lux sum mundi.*

« *Et secuti sunt eum :* » intus melius
illuminati, grati de dono illuminatio-
nis. Joan. viii, 12 : *Ego sum lux mun-
di : qui sequitur me, non ambulat in
tenebris, sed habebit lumen vitæ.*



INDEX

Capitulum in primam partem Matthæi.

(I - XX)

PROLOGUS.		
ARGUMENTUM Sancti Hieronymi in Evangelium secundum Matthæum.		5
Argumenti S. Hieronymi in Matthæum explanatio.		5
CAPUT	I. <i>A quibus majoribus Christus secundum carnem descenderit. Angelus instruit Joseph de Mariæ sponsæ suæ conceptione, partuque futuro.</i>	15
In caput	I Matthæi enarratio.	17
CAPUT	II. <i>Quomodo Magi cum muneribus ad Christum natum pervenerint? de Herodis in infantes sævitia, et Christe in Ægyptum exilio ipsiusque reditu in terram Israel.</i>	57
In caput	II Matthæi enarratio.	59
CAPUT	III. <i>Joannes Baptista (cujus vitæ austeritas describitur) pœnitentiam juxta Isaïæ vaticinium in deserto prædicat; et populo ad ipsum conflente, reprehendit Phariseos una cum Sadducæis, docens ut dignos faciant fructus pœnitentiæ: et quantum suus a Christe baptismo differat: super Christum autem a Joanne baptizatum descendit Spiritus Sanctus, et vox Patris cœlitus audita est.</i>	90
In caput	III Matthæi enarratio.	91
CAPUT	IV. <i>Christus in deserto post jejunium quadraginta dierum vincit diaboli tentationes: et capto Joanne secedens in Capharnaum, pœnitentiam prædicat: pisces Petrum et Andream, Jacobum et Joannem Zebedæi ad se vocat: annuntians quoque Galilæis evangelium, varias curat infirmitates, turbis ipsum comitantibus.</i>	111
In caput	IV Matthæi enarratio.	113

CAPUT	V. <i>Octo tradit beatitudines : Apostolos salem terræ et lucem mundi dicit : nec venit ut solvat legem aut prophetas, sed adimpleat, docens de non irascendo fratri, sed ut ei reconciliemur, de non concupiscenda muliere, de membro scandalizante abjiciendo, de uxore extra casum adulterii non dimittenda : non jurandum, nec malo resistendum, inimicos diligendos, et de male meritis bene merendum.</i>	142
In caput	V Matthæi enarratio.	145
CAPUT	VI. <i>Docet Christus quomodo faciendæ sint eleemosyna et oratio, traditque discipulis formam orandi, et offensas aliis condonandi : item quo modo sit jejunandum : quod non in terra sed in cælo thesaurizandum, oculus mundandus, non serviendum duobus dominis : vitat itaque sollicitudinem de victu, vestitu, et de crastino.</i>	230
In caput	VI Matthæi enarratio.	232
CAPUT	VII. <i>Docet non judicandum : de festuca in oculo fratris, et trabe in proprio oculo : sanctum non dandum canibus : omnem petentem, quærentem, et pulsantem a Deo exaudiri : faciendum aliis quod nobis fieri volumus : per angustam portam ad vitam intrandum : quomodo dignoscantur falsi prophetæ, et arbor bona a mala : comparatio de audiente Christi verba, et operante aut non operante juxta illa.</i>	328
In caput	VII Matthæi enarratio.	330
CAPUT	VIII. <i>Curatum leprosum Jesus mittit ad sacerdotes : sanat puerum centurionis, cujus fidem commendat : item socrum Petri febricitantem, aliosque plurimos male habentes : verbo spiritus ejicit : Scribam sequi volentem rejicit, alium vero patre insepulto mox sequi jubet, navicula fluctibus periclitante excitatus a discipulis mare sedat : duos quoque dæmonicos apud Gerasenos liberat, dæmonibus in porcos ingredi permittens : quo viso Geraseni precantur ut a suis finibus discedat.</i>	373
In caput	VIII Matthæi enarratio.	375
CAPUT	IX. <i>Paralyticum curat, Scribis murmurantibus quod dixisset remissa illi peccata : vocat Matthæum publicanum, et respondet Pharisæis murmurantibus quod cum publicanis ederet, quod ipsius discipuli non jejunarent : mulierem a sanguinis profluvio liberat : filiam principis mortuam suscitavit : visu duobus cæcis restituto, dæmoniacum mutum sanat : et ubique prædicans omnes sanat infirmitates, dicens multam esse messem, paucos vero operarios.</i>	412
In caput	IX Matthæi enarratio.	414
CAPUT	X. <i>Legatio ac instructio duodecim apostolorum (quorum hic nomina recensetur) ad evangelizandum Judæis et dæmoniacos infirmosque curandos, qui adversus mala hic imminetia præmonentur et roborantur : Christus non venit ut mittat pacem, sed gladium, ipseque coram hominibus con-</i>	

		<i>fitendus est, neque quidquam ejus amori præponendum : honorans autem alios propter Christum, honorat Christum, et ita mercedem recipiet.</i>	437
In caput	X	Matthæi enarratio.	439
CAPUT	XI.	<i>Joannes de carcere nuntios mittit ad Jesum : quibus post Christi responsum abeuntibus, ipse coram turbis laudat Joannem : Judæos vero pueris in foro invicem acclamantibus assimilât, exprobrans civitatibus obstinatis in quibus plurimas fecerat virtutes : confessio Jesu ad Patrem : oneratos ad se vocat Christus, dicens jugum suum esse suave.</i>	475
In caput	XI	Matthæi enarratio.	477
CAPUT	XII.	<i>Discipulos spicas sabboto vellentes excusat, manum quoque aridam sabbato curat : Phariseorum machinationi tacitus cedens, variosque a se curatos silere præcipiens, implet Isaïæ vaticinium : dæmoniacò, cæco et muto curato, Phariseis ipsum in Beelzebub ejicere dæmonia blasphemantes convincit falsum dicere ; dicens blasphemiam in Spiritum sanctum irremissibilem, et de omni verbo otioso reddendam rationem : Scribis autem et Phariseis signum petentibus, dandum dicit Jonæ signum ; et quæ sint mater et frater ipsius.</i>	505
In caput	XII	Matthæi enarratio.	508
CAPUT	XIII.	<i>Sedens in navicula proponit turbis parabolas seminantis ac zizaniarum, quas etiam discipulis interpretatur : item parabolas de grano sinapis, de fermento in farina occulato, de thesauro et margarita inventis ; de reti in mare misso, quam parabolam etiam declarat ; docens in patria, ait prophetam non esse sine honore nisi in propria patria.</i>	544
In caput	XIII	Matthæi enarratio.	547
CAPUT	XIV.	<i>Caput Joannis datur puellæ saltatrici : Jesus quinque virorum millia in deserto quinque panibus et duobus piscibus satiat, sublatis duodecim reliquiarum cophinis : et super mare ambulans discipulos tempestate agitados confortat, Petrumque a submersione liberat : in terra Genesararii curantur languores tactu vestimenti ipsius.</i>	584
In caput	XIV	Matthæi enarratio.	586
CAPUT	XV.	<i>Phariseorum de lavandis manibus aliisque rebus traditiones, quas Dei mandatis præponebant : et quæ sint conquinantia hominem : mulier Chananæa perseveranti fide ac supplicatione impetrat filiæ curationem : Jesus curatis juxta mare Galilææ variis languoribus, quatuor virorum millia septem panibus paucisque pisciculis satiat, sublatis septem sportarum reliquiis.</i>	606
In caput	XV	Matthæi enarratio.	608
CAPUT	XVI.	<i>Jesus signi petitione ipsum tentantes arguit, quod signa temporum non dijudicarent : jubet discipulos cavere a</i>	

- fermento Pharisæorum ac Sadducæorum : ipsosque interrogat quem ipsum esse dicant, et Petro post illius responsionem promittit claves regni cælorum : suam autem passionem prædicens, a Petro increpatur propter quod Satanam ipsum appellat, docens quemque propriam crucem tollere, et Deum unicuique juxta sua opera, redditurum.*
- In caput XVI Matthæi enarratio. 627
628
- CAPUT XVII. *Christi in monte transfiguratio, quam jubet discipulos silentio servare, donec a mortuis resurgat : Eliam dicit venturum, imo jam venisse sed cognitum non fuisse, neque Joannem Baptistam : puerum lunaticum curat, quem discipuli ob modicam fidem curare non potuerunt : ostendens quantæ sint virtutis, fides similis grano sinapis, jejunium et oratio : passionem suam prædicit : pro se quoque et Petro didrachma solvit, de invento in ore piscis statere.*
- In caput XVII Matthæi enarratio. 649
651
- CAPUT XVIII. *Proposito parvulo docet quinam major sit in regno cælorum, et quam sit a scandalo pusillorum cavendum : quomodo fraater in nos peccans debeat corripi, et ecclesiam non audiens pro ethnico haberi, potestate ligandi atque solvendi discipulis tradita : docet etiam quam sit apud Deum efficax duorum petitio sibi consentientium, et quoties fraatri in nos peccanti sit ignoscendum, accommodata ad hoc parabola de rege rationem cum servis suis ineunte.*
- In caput XVIII Matthæi enarratio. 664
666
- CAPUT XIX. *Matrimonium docet ex sua institutione esse indissolubile, nec uxorem extra casum fornicationis posse dimitti : inter varios eunuchos laudat illos qui se castraverunt propter regnum cælorum : parvulis manus imponit : adolescens qui omnia se servasse præcepta dicebat, audito Christi consilio de omnibus vendendis abit tristis : difficile ergo asserit divitem intrare regnum cælorum, et quid illis præmii sit qui omnibus relictis ipsum sequuntur.*
- In caput XIX Matthæi enarratio. 685
687
- CAPUT XX. *Parabolam proponit de operariis in vineam conductis, quorum ultimis idem datur denarius cum primis : Jesus discipulis passionem ac resurrectionem suam prædicit ; et occasione ambitionis filiorum Zebedæi docet discipulos, quod non potestate et ostensione dominii, sed officio ministerii debeant esse majores : egrediens vero Jericho duos cæcos illuminat.*
- In caput XX Matthæi enarratio. 696
698

INDEX

Analyticus et historicus in primam partem Matthæi.

(I - XX)

PRÆLUDIUM

Domini Nostri Jesu Christi Genealogia secundum carnem.

Titulus.	I, 1.
Generationes Christi usque ad Abraham.	I, 2-16.
Recapitulatur.	I, 17.

PRIMA PARS

Christi infantia vitæque abscondita.

Joseph edoctus ab Angelo Mariam virginem in matrimonium ducit.	I, 18-23.
Magi in Bethlehem puerum Jesum adorant.	II, 1-12.
Fuga in Ægyptum; cædes puerorum.	II, 13-18.
Sancta Familia ex Ægypto redux habitat in Nazareth.	II, 19-23.

SECUNDA PARS

Christi vita publica.

§ I. — APPARITIO PRÆCURSORIS : INAUGURATIO AC PROBATIO CHRISTI.

Præcursor Christo viam parat.	III, 1-12.
Baptismus Christi.	III, 13-17.
Christi tentatio.	IV, 1-11.

§ II. — INITIA MINISTERII JESU.

Jesus, relicta Nazareth, habitat in Capharnaum et incipit prædicare.	IV, 12-17.
Primos vocat discipulos.	IV, 18-22.
Multos sanat ; ipsius fama divulgatur.	IV, 23-25.

§ III. — ORATIO MONTANA.

Introductio historica.	V, 1-2.
1° <i>Exordium, seu octo beatitudines.</i>	V, 3-12.
2° <i>Quales esse debeant magistratus regni cælorum.</i>	V, 13-16.
3° <i>Veteris Legis ad Novam relatio.</i>	
1) Principium generale.	V, 17-20.
2) Quintum præceptum Decalogi.	V, 21-26.
3) Sextum præceptum.	V, 27-32.
4) De Juramento.	V, 33-37.
5) Nova lex talionis.	V, 38-42.
6) Dilectio inimicorum.	V, 43-47.
7) Apex perfectionis.	V, 48.
4° <i>Puritas intentionis.</i>	
1) Principium.	VI, 1.
2) De eleemosyna.	VI, 2-4.
3) De oratione.	VI, 5-15.
4) De jejunio.	VI, 16-18.
5° <i>Officia Christianorum circa divitas cæterasque res hujus mundi.</i>	VI, 19-34.
6° <i>Duæ obligationes mutuæ Christianorum.</i>	
1) Non judicandum.	VII, 1-5.
2) Aliquando judicandum.	VII, 6.
7° <i>Jus petitionis.</i>	VII, 7-11.
8° <i>Regula aurea perfectionis.</i>	VII, 12.
9° <i>Virtutis obices.</i>	

1) Ex ipsa natura Christianismi.	VII, 13-14.
2) E pravis ducibus.	VII, 15-20.
3) E fiducia vana.	VII, 21-23.
10° <i>Orationis montanæ conclusio.</i>	VII, 24-27.
11° <i>Epilogus.</i>	VII, 28-29.

§ IV. — VARIA MIRACULA CHRISTI IN GALILÆA.

Leprosus mundatur.	VIII, 1-4.
Sanatur servus centurionis.	VIII, 5-13.
Jesus sanat socrum Petri et alios multos.	VIII, 14-17.
Omnibus renuntiandum ad sequendum Jesum.	VIII, 18-22.
Tempestas sedata.	VIII, 23-27.
Dæmoniorum expulsio in regione Gerasenorum.	VIII, 28-34.
Curatur paralyticus.	IX, 1-8.
Vocatio Matthæi.	IX, 9-17.
Hæmorhoissa sanatur, filia Jairi suscitatur.	IX, 18-26.
Duo cæci vident.	IX, 27-31.
Sanatur dæmoniacus mutus.	IX, 32-34.

§ V. — JESUS ET APOSTOLI PRÆDICANT PER CIVITATES GALILÆÆ.

Jesus circuit civitates, docens et curans.	IX, 35-38.
Missio Apostolorum.	
1° <i>Ipsorum potestas et nomina.</i>	X, 1-4.
2° <i>Monita Domini Jesu.</i>	
1) Pro Apostolorum prædicatione præsentis.	X, 5-13.
2) Pro Apostolorum prædicationibus futuris.	X, 16-23.
3) Sive pro Apostolis, sive pro ipsorum successoribus in ministerio verbi.	X, 24-42.

§ VI. — JESUS ET JOANNES.

Legatio Joannis Baptistæ ad Jesum.	XI, 1-6.
Præcursor a Domino laudatur.	XI, 7-15.
Generatio præsens vituperatur.	XI, 16-19.
Væ Corozain, Bethsaidæ, Capharnaüm !	XI, 20-24.
Jesus homines ad se suaviter allicit.	XI, 25-30.

§ VII. — JESUS ET PHARISÆI.

Discipuli sabbato spicas evellunt.	XII, 1-8.
Jesus sabbato manum aridam curat.	XII, 9-14.

Christi mansuetudo ab Isaia prædicta.	XII, 15-21.
Horrenda calumnia Phariseorum ejusque confutatio.	XII, 22-37.
Signum Jonæ prophetæ.	XII, 38-45.
Mater et fratres Christi.	XII, 46-50.

§ VIII. — PARABOLÆ REGNI CÆLORUM.

Scena describitur.	XIII, 1-3.
<i>Parabola seminatoris.</i>	XIII, 3-9.
Quare Jesus loquitur in parabolis?	XIII, 12-17.
Parabola seminatoris explicatur.	XIII, 18-23.
<i>Parabola zizaniarum.</i>	XIII, 24-30.
<i>Parabola grani sinapis.</i>	XIII, 31-32.
<i>Parabola fermenti.</i>	XIII, 33.
Parabolæ Jesu in Psalmis prædictæ.	XIII, 34-35.
Parabola zizaniorum explicatur.	XIII, 36-43.
<i>Parabola thesauri absconditi.</i>	XIII, 44.
<i>Parabola margaritæ.</i>	XIII, 45-46.
<i>Parabola sagenæ.</i>	XIII, 47-50.
Conclusio parabolæ regni cælestis.	XIII, 51-52.

§ IX. — ITINERA VARIA, CRESCENTE IRA PHARISEORUM.

Jesus in Nazareth despicitur.	XIII, 53-58.
Herodis singularis opinio de Jesu; Præcursoris decollatio.	XIV, 1-12.
Prima multiplicatio panum.	XIV, 13-21.
Jesus ambulat super aquas.	XIV, 22-33.
Multos curat in terra Genesar.	XIV, 34-36.
De vera et falsa munditia disputatio.	XV, 1-20.
Mulier Chananæa.	XV, 21-28.
Secunda multiplicatio panum.	XV, 29-39.
Signum de cælo.	XVI, 1-4.
Cavendum a fermento Phariseorum.	XVI, 5-12.

§ X. — CULMEN MINISTERII JESU IN GALILÆA.

Petri confessio et merces magna.	XVI, 13-20.
Christi mors et resurrectio prædicuntur.	XVI, 21-23.
Abnegationis necessitas inculcatur.	XVI, 24-28.
Christi transfiguratio.	XVII, 1-8.
De Elia venturo.	XVII, 9-13.
Curatio lunatici.	XVII, 14-20.
Passio iterum prædicatur.	XVII, 21-22.
Didrachma solutum.	XVII, 23-26.

<i>Monita Christi ad discipulos.</i>	
1° De humilitate.	XVIII, 1-4.
2° Contra scandalum.	XVIII, 5-9.
3° De pretio animarum, proposita parabola ovis perditæ.	XVIII, 10-14.
4° De correctione fraterna	XVIII, 15-20.
5° De condonatione injuriarum, proposita parabola serxi debitoris.	XVIII, 21-33..

§ XI. — ULTIMUM JESU ITER IN JERUSALEM.

De Matrimonio et Virginitate.	XIX, 1-12.
Benedictio puerorum.	XIX, 13-15.
<i>Periculum divitiarum ostenditur,</i>	
1° Per exemplum adolescentis divitis.	XIX, 16-22.
2° Per verba Domini Jesu.	XIX, 23-26.
Præmium omnia dimittentis pro Christi sequela.	XIX, 27-30.
Parabola de operariis in vinea.	XX, 1-16.
Passio Jesu tertia vice prædicta.	XX, 17-19.
Petitio matris filiorum Zebedæi	XX, 20-28.
Duo cæci sanati prope Jéricho.	XX, 29-34.

